image
not
available

R. P.
ALOYSII NOVARINI
MOSES
EXPENSUS.

R. P.

ALOYSII NOVARINI VERONENSIS

Clerici Regularis

MOSES EXPENSVS,

NOTIS, MONITISQ; SACRIS, QVA EX LINGVARVM FONTIBVS, quâ ex variarum VERS[illegible]VM, aliorumq́; LOCORVM collatione, quâ ex Sanctor[illegible], aliorumq́; auctorum editorum, & ine[illegible]VATIONIBVS, quæ ad mores [illegible]ſtant, illuſtratus.

Adeo vt melior, ſalubr[illegible]x ſacroſanctis huius Legislatoris verbis, vel leui auctoris CONTAC[illegible]*torum Doctorum etiam recentium labore, velut quodam* [illegible]*preſſus, hic ad omnium vtilitatem, & guſtum exhib*[illegible]*unq; noua dicuntur, aut adducuntur nouè,* VITA[illegible]*ti ſuadenda, & exercendæ ſeruiant.*

VERONÆ, Typis Merulanis.

CIϽ IϽC. XLVII.

SVPERIORVM ANNVTV.

Ex lib. S. M.^a in Portico in Campitello

MOSI MAGNO
MAXIMI DEI SERVO,
ET IVDAICI POPVLI
LEGISLATORI, ET DVCI.

Berrarem, si aliò irem. Tua, magne Legislator, debentur tibi. Adijcio, & mea, quæ tanquam à tuis nata, à tuis dependentia, separari non debebant à tuis, atq; adeo nec à Te. Omnia Tibi sistuntur. Et licet quæ è meæ tenuitatis penu addidi exilia, & vilia sint, originemq; suam sapiant, ab oblationis tamen obsequio me istuc haud auocauit, cum tecum agam, qui ex Dei mente docuisti, caprarum quoq; pilos offerri Deo posse, & in oblatis auibus etiam plumarum rationem habitam, nec victimarum quidem cineres temerè proiectos, sed suum illis locum destinatum. Plumis leuiora sint, quæ exhibeo, viliora cinere, quæ offero, nec pili æstimanda, quæ trado; reijciendum nihil est; petunt omnia locum suum, petunt Te, & quò eunt suo iure tua, sequuntur obsequio meo mea. Repudiabis nihil, accipies omnia, inq; protectionis tuæ sacrario condes. Qui in sentibus Deum locutum & audisti, & scripsisti; poteris exorari, vt scriptionis meæ sentes feras, cum in illis latere Deus possit. Quò tuis verbis mea propiora

sunt,

ſunt, eò libentius cum tuis excipies mea. Tantùm qui olim Ægyptium cuidam ex tuis inſultantem ſtrauiſti, in me, inq; lectoribus meis ſterne quicquid mundi huius Ægyptum redolet; & qui tuos ab Ægypto tot editis ſignis, atq; portentis eduxiſti, nos omnes à mundi tenebris auoca, vt te duce non ad terram eamus promiſſam, plus exigimus, cupimus ampliora, ſed ad Cœlum, regniq illius poſſeſſionem, cuius terra illa, ad quam populum tuum ducebas, figura fuit. Deniq duræ ceruicis populo qui tanta manſuetudine præfuiſti, præeſſe nobis velis, velis præire, qui duritiem omnem abiuramus, illamq; ad ſolam in bono perſeuerantiam coërcemus. Siſto in hoc voto dicatiſſimus tibi ſeruus

Aloyſius Nouarinus C.R.

Reuerendissimo Patri
D. NICOLAO OLDONO
Priori, ac Prouinciæ Lombardiæ Conuisitatori Ordinis Carthusiani.

Equor me, Reuerendissime Pater, nam mihi praiueram. Nouum Testamentum solemni meo more diuini auxilij manu adiutus expendi, & expediui, absolutumque foras prodire, non solum siui, sed etiam, vt communi vtilitati litarem, iussi. Labor iste cum doctis pijsq; viris placuerit, & inter alios tibi, temperare mihi non potui, quin Veteri quoq; manum admouerem, quod eodem ritu, ratione eadem, si vitam Deus, viresq; dederit, expendere cogito. Exit nunc Moses, & ad Te venit. Opera quæ protuli, qui soles efferre, feres, quæ offero. Sacra sacris hominibus iure dantur, aptè diuina diuino cultui mancipatis exhibentur. Habes hìc aliquid, quod opponas? Vide ne dum probas, quod dico, damnes quod præsto. Moses ipse, qui amare tàm impensè solitudinem solebat, cum hìc esset, sua verba salubribus monitis vestita ad hominem solitudini dicatum feret ferri. Hominem dixi? Aberraui, plusquam homo est, qui hominum consortium vitans virtutum satellitium quærit, & totus in Deum rapitur, & in diuina. Ad interiora deserti oues Iethro Moses duxerit, in Te, in tuis reperiam, qui Mosis verba ad mentis interiora ducant, & seriò versent, quæ ille scripsit. Cur aliò igitur flecterem, alium cogitarem? Vix aptius alij dicari hoc volumen poterat, quàm Tibi; vix in alterius manus opportunius iret, quàm in tuas. Accipe meum Mosem, erit deinceps tuus,

erit

erit vtriusq; si qua ille docuit in opus conuertamus. Librum in obsequium tibi offero, à Te verò preces in auxilium postulo, quod præstare & per te poteris, & per illos, quibus praes, & quod est maius, in omnium virtutum genere prais. Damnabit me labor meus, si multiplici scriptione cæteris prodesse voluero me neglecto. O' moribus ædificium non euertam, quod calamo erigo, aut omnibus erigendum omnes doceo. Me, mi Pater, iuua, & eò promptius auxiliarem mihi manum porrige, quò pluribus litterarium orbem voluminibus dito, & huius oblatione proximior tibi fio, vt quem obsequentem iam habes, habeas & sequentem

Tibi, Tuisq; virtutibus addictissimum

D. Aloysium Nouarinum C. R.



INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM, QVÆ IN HOC MOSIS EXPENSI Volumine continentur.

PRODVCTVS NVMERVS EST MARGINALIS.

A

Abel.

Abrahæ

R. P.
ALOYSII NOVARINI
MOSES
EXPENSVS.

·R· P.

ALOYSII NOVARINI VERONENSIS

Clerici Regularis

MOSES EXPENSVS,

NOTIS, MONITISQ; SACRIS, QVA EX LINGVARVM FONTIBVS,
quâ ex variarum VERSIONVM, aliorumq; LOCORVM collatione,
quâ ex Sanctorum PATRVM, aliorumq; auctorum editorum,
& ineditorum OBSERVATIONIBVS, quæ ad mores
præcipuè spectant, illustratus.

Adeo vt melior, salubriorq; SVCCVS, qui ex sacrosanctis huius Legislatoris verbis, vel leui auctoris CONTACTV fluxit, vel multorum Doctorum etiam recentium labore, velut quodam TORCVLARI est expressus, hic ad omnium vtilitatem, & gustum exhibeatur, et quæcunq; noua dicuntur, aut adducuntur nouè, VITAE nouitati suadendæ, & exercendæ seruiant.

VERONÆ, Typis Merulanis.

CIƆ IƆC. XLVII.

SVPERIORVM ANNVTV.

Ex lib. S. M.e in Portici in Campitello

MOSI MAGNO
MAXIMI DEI SERVO,
ET IVDAICI POPVLI
LEGISLATORI, ET DVCI.

Berrarem, si aliò irem. Tua, magne Legislator, debentur tibi. Adijcio, & mea, quæ tanquam à tuis nata, à tuis dependentia, separari non debebant à tuis, atq; adeo nec à Te. Omnia Tibi sistuntur. Et licet quæ è meæ tenuitatis penu addidi exilia, & vilia sint, originemq; suam sapiant, ab oblationis tamen obsequio me istuc haud auocauit, cum tecum agam, qui ex Dei mente docuisti, caprarum quoq; pilos offerri Deo posse, & in oblatis auibus etiam plumarum rationem habitam, nec victimarum quidem cineres temerè proiectos, sed suum illis locum destinatum. Plumis leuiora sint, quæ exhibeo, viliora cinere, quæ offero, nec pili æstimanda, quæ trado; reijciendum nihil est; petunt omnia locum suum, petunt Te, & quò eunt suo iure tua, sequuntur obsequio meo mea. Repudiabis nihil, accipies omnia, inq; protectionis tuæ sacrario condes. Qui in sentibus Deum locutum & audisti, & scripsisti; poteris exorari, vt scriptionis meæ sentes feras, cum in illis latere Deus possit. Quò tuis verbis mea propiora sunt,

ſunt, eò libentius cum tuis excipies mea. Tantùm qui olim Ægyptium cuidam ex tuis inſultantem ſtrauiſti, in me, inq; lectoribus meis ſterne quicquid mundi huius Ægyptum redolet; & qui tuos ab Ægypto tot editis ſignis, atq; portentis eduxiſti, nos omnes à mundi tenebris auoca, vt te duce non ad terram eamus promiſſam, plus exigimus, cupimus ampliora, ſed ad Cœlum, regniq; illius poſſeſſionem, cuius terra illa, ad quam populum tuum ducebas, figura fuit. Deniq; duræ ceruicis populo qui tanta manſuetudine præfuiſti, præeſſe nobis velis, velis præire, qui duritiem omnem abiuramus, illamq; ad ſolam in bono perſeuerantiam coërcemus. Siſto in hoc voto dicatiſſimus tibi ſeruus

Aloyſius Nouarinus C.R.



Reuerendissimo Patri
D. NICOLAO OLDONO
Priori, ac Prouinciæ Lombardiæ Conuisitatori Ordinis Carthusiani.

Equor me, Reuerendissime Pater, nam mihi praiueram. Nouum Testamentum solemni meo more diuini auxilij manu adiutus expendi, & expediui, absolutumque foras prodire, non solum siui, sed etiam, vt communi vtilitati litarem, iussi. Labor iste cum doctis pijsq; viris placuerit, & inter alios tibi, temperare mihi non potui, quin Veteri quoq; manum admouerem, quod eodem ritu, ratione eadem, si vitam Deus, viresq; dederit, expendere cogito. Exit nunc Moses, & ad Te venit. Opera quæ protuli, qui soles efferre, feres, quæ offero. Sacra sacris hominibus iure dantur, aptè diuina diuino cultui mancipatis exhibentur. Habes hìc aliquid, quod opponas? Vide ne dum probas, quod dico, damnes quod præsto. Moses ipse, qui amare tàm impensè solitudinem solebat, cum hìc esset, sua verba salubribus monitis vestita ad hominem solitudini dicatum feret ferri. Hominem dixi? Aberraui, plusquam homo est, qui hominum consortium vitans virtutum satellitium quærit, & totus in Deum rapitur, & in diuina. Ad interiora deserti oues Iethro Moses duxerit, in Te, in tuis reperiam, qui Mosis verba ad mentis interiora ducant, & seriò versent, quæ ille scripsit. Cur aliò igitur flecterem, alium cogitarem? Vix aptius alij dicari hoc volumen poterat, quàm Tibi; vix in alterius manus opportunius iret, quàm in tuas. Accipe meum Mosem, erit deinceps tuus,

erit

erit vtriusq́; si quæ ille docuit in opus conuertamus. Librum in obsequium tibi offero, à Te verò preces in auxilium postulo, quod præstare & per te poteris, & per illos, quibus praes, & quod est maius, in omnium virtutum genere prais. Damnabit me labor meus, si multiplici scriptione cæteris prodesse voluero me neglecto. O' moribus ædificium non euertam, quod calamo erigo, aut omnibus erigendum omnes doceo. Me, mi Pater, iuua, & eò promptius auxiliarem mihi manum porrige, quò pluribus litterarium orbem voluminibus dito, & huius oblatione proximior tibi fio, vt quem obsequentem iam habes, habeas & sequentem

Tibi, Tuisq́; virtutibus addictissimum

D. Aloysium Nouarinum C. R.

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM, QVÆ IN HOC MOSIS EXPENSI Volumine continentur.
PRODVCTVS NVMERVS EST MARGINALIS.

A

* Abrahæ

Aeter-

RERVM PRÆCIPVARVM.

Diuinæ

Sen-

Deli-

In

E

Esse.

G

Homo

Studiosa

Honor.

Hortus.

Hospes, Hospitalitas.

Hostia.

Hostis.

Humanus.

Humilitas.

Inter

I

L

Lenit.

Multiplicari.

Multitudo.

Mundanus.

Mundus.

Munificentia.

Munimen.

Munus.

Qui

N

O

P

Bonus

Terrena

I N D E X

Portus.

Redire.

Reges

Euer-

T

V

Operum

Primis

Vtilitas,

Finis indicis rerum præcipuarum.

LECTORI.

PRimam istam editionem (nec nouum istuc, nec insolens) errores aliquot infecerunt. Quid occultem, quod opus ipsum prodit, dum prodit se? Tuum erit, Lector, aliquid arti condonare, quæ errorum est ferax, aliquid operarum imperitiæ, & oscitantiæ, quæ plerumq; arti se aptat, & humanæ imbecillitati, quæ vt maximè oculata hîc sit, multa tamen eam fugiunt, quæ medicam manum exigunt, quam si sapis admouebis, & quicquid hîc peccatum, pro tua peritia abrades. Hoc volui te scire, vt menda caueres, & tolleres; nec me inquinatæ latinitatis vitio insimulares, aut tanquam grammaticalium legum violatorem damnares. Deniq; errare qui potest, aut etiam solet, erranti ignoscat, & veniam deprecanti exhibeat, quam ex alio capite posset deprecari.

MOSES EXPENSVS, ET ILLVSTRATVS

A Reuerendo Patre

ALOYSIO NOVARINO VERONENSI CLERICO REGVLARI.

CAPVT I.

Genesis expenditur, & illustratur.

Sectio Prima.

Rerum creatarum *notitia* ad *Legis* obseruantiam vt hominem alliciat. 1.
Diuina *Lex* maximi facienda.
Inepta *quæstio*, cur *Deus* ante tempus quo orbem condidit, orbem non condiderit.
Cur sibi *Deum* locutum *Moses* non dixerit. 2.
Se se *auditoribus* suis *Doctor* aptet.
Amore & *exemplis* ad legis diuinæ obseruantiam homines inducendi.
Diuinas litteras ad nos *Deus* tanquam ad longè positos misit. 3.
Prius *Deus* homines tanquam puriores alloquebatur; postea verò *scriptione*.
Moses nulli peculiariter *scripsit*, vt sciremus scripsisse omnibus.
Mosis sermones vt *audiendi*, & tractandi. 4.
Deus operans cur statim inducatur à *Mose*.
Mundi molitio cur non ab alio ante *Moysem* litteris conscripta.
Vtilitati non *curiositati* sacer *scriptor* licet Mosis exemplo. 5.
Veritas quęrenda, non fouenda *curiositas*.
In *scriptione* spectanda quæ *vtilia*.

Vndi molitionem statim Moyses describit; cur à lege potiùs non sumpsit initium? An vt innueret Deum suis, non alienis leges tradere? An vt Dei rerumque in hominis commodum creatarum notitia ad legis obseruationem homo alliceretur? Primum illud tetigit Seuerianus in Catena Græca Fumani adhuc inedita, vbi sic scribit: *Duplex est Moysi propositum, nam & opificium exponere vult, & legum anctionem informare, quum enim legum sit auctor, non tamen ab ipsa legum descriptione initium sumit, sed primum describit opificium. Cur ita? nempe vt sic Deum ostendat non* ALIENIS, SED SVIS LEGES IMPONERE: *quippè quem priùs demonstret vniuersi & opificem & Dominum, nam nisi illum priùs mundi opificem declarasset, non satis dignum cui fides haberetur Legum auctorem apud populum ostendisset, leges enim alienis imponere, violentia, suos verò & proprios instituere, rationis atque ordinis.* Qui cunctorum est creator, cunctorum meretur obsequium. 1

An rerum molitionem legi præmisit, vt Dei maiestas innotesceret, eiusque leges maximi deinde fierent, minùs contemnerentur? Acacius Cæsariensis in eadem Catena: *Quam ob rem leges descripturus Moses opificium preposuit? Spiritum oportebat (quandoquidem lex idcircò danda erat hominibus, vt qui acciperent, eandem seruarent) ante de legum auctoris Dei maiestate dissere: ne videlicet aut* VVLGARIS QVIDAM HABERETVR, *aut, quod quidem forsitan suspicati*

 essent,

essent, vnius dumtaxat gentis Deus: sed verè, vt est, vniuersi auctor, & opifex. Nisi quod rerum creatarum obiectu homo ad diuinæ legis obseruantiam alliciebatur.

Cur non ante quam fecit vniuersum Deus condiderit, quærere aliqui possunt, cuius sciscitationis leuitatem arguunt ea, quæ Gennadius in Catena Græca Fumani habet, ait quippè: *Sunt nonnulli qui dicunt, Deum volentem creare vniuersa, non oportuisse tam serò, sed multò ante hoc facere. Sed eiusmodi sermo quum temeritate non vacet, tum etiam fatuus est, quum quum Deus & sit & credatur æternus, qui istiusmodi quidpiam dicere non verentur, eadem semper ratione idem dicere potuerunt etiamsi ante annorum decies millies dena millia facta essent, ea quæ facta sunt. Semper enim ab illius qui fecit infinitate simili ratione deficerent: quippè nostra semper retrocedente sursumque ascendente cogitatione, nec ad illius tamen carentem principio æternitatem vllatenus vnquam perueniente, quapropter quicunque talia dicere audent, nobis neque placere, neque satisfacere debent.*

Mundi molitionem narrat Moses, prout diui-
2 nitus didicerat; sed cur non addidit prophetarum more sibi Deum loquutum, quæ scribebat, cur nomen suum non adiecit? Honcala ita dubium discutit: *Illud*, inquit, *animaduertas oportet Mosem, quum primum mundanæ creationis historiam texere aggressus est, neque induxisse Dominum loquentem, id quod in sequentibus voluminibus frequenter agit, in quibus singulis fere versibus interserit: Locutus est Dominus, neque aliorum prophetarum more sui meminit, qui non modò seipsos, sed Deum quoque eis mysteria pandentem in primo reuelationum scribendarum limine commodè posuit, quam iactanter commemorant. Sicut Ezechiel: Factum est*, inquit, *verbum Domini ad me.* An quia tantæ erat apud suos auctoritatis Moses, vt non fuerit necesse addere Deum ei loquutum? An quia qui diuino scriptori simpliciter non credit, nec credet si dicat Deum quæ ille scribit dixisse?

Ante rerum opificium de opifice non agit Moses, vt ijs ad quos scribebat sese aptaret, hoc enim ordine incedit notitia, vt per creaturas itatur ad creatorem. Quæ res illorum arguit morem, qui vt docti existimentur nulla auditorum ratione habita, ea tradunt, quæ sua celsitudine, & sublimitate, debiliorum excedunt captum.

In hoc libro Moses patriarcharum nobis mores ob oculos ponit, sed cur id egit, antequam legis diuinæ mentionem faceret? An istuc egit, vt pius ille auctor notauit: *Quia Moyses non modò terroribus inducere aggreditur homines ad legum obseruationem*, SED POTIVS AMORE, *ad quod omnium maximè valet parentum exempla; quapropter prius quam mandata ferat, parentum mores in medium adducit, ratus fore, vt facilè filij parentum mores imitentur. Iure ergò ille, qui legem daturus erat, prius parentum mores in medium adduxit, vt facilè Hebræos traduceret ad pietatem, & eos virtutis Philosophos redderet.*

Litteras ad nos Deus tanquam ad longè po-
3 sitos misit, vt ijs ad patriam reuocaremur. Perité Sanctus Augustinus in Psal. 64. vbi rem ita versat: *Quomodo in nobis reformatur amor ciuitatis nostræ, quam diuturna peregrinatione obliti fueramus? sed misit* INDE EPISTOLAS *ad nos Pater noster, ministrauit nobis scripturas Deus quibus epistolis fieret in nobis redeundi desiderium.*

Qui priùs homines alloquebatur, nunc scriptione Deus vtitur, quum ab illo candore exciderint, qui homines Deo poterat sistere, & eius sermone reddere non indignos. Malitiæ nostræ adscribere possumus, quod Deus ad nos scribat, nec ore loquatur vt solebat. Rem ita versat S. Chrysostomus: *En initio per semetipsum loquebatur hominibus Deus secundum quod audire eis possibile erat. Sic denique cùm Adam locutus refertur sic increpasse Cain, sic cum Noè sermocinatus, sic apud Abraham hospitio susceptus, & conuiuij confabulatione vsus. Verùm vbi humanum genus prolcinius in malitiam declinauit, & à parente, & à conditore suo, quasi longa quadam peregrinatione discessit, confabulatione cessante, litteris ad eos tanquam à longe a se positos, & epistolis vtitur, quibus eos veteris cuiusdam* AMICITIÆ, *&* FAMILIARITATIS *admoneat. Primam quidem Epistolam ad homines, per Moysen direxit Deus. Quid ergò hac Epistola contineat, videamus. In principio*, inquit, *fecit Deus Cælum, & Terram.*

Qua mente, & quo affectu legenda scriptura sit optimè docet Sanctus Marcus Eremita de lege spirituali num. 4. his verbis: *Homo humilis, & opus habens spirituale, sacras scripturas perlegendo, omnia in* SEIPSVM, *& non in* ALIVM *dicta, intelligere debet.* Sic Moses nulli peculiariter scripsit, vt sciremus scripsisse omnibus.

De Mosis sermonibus audiendis præstat audire quæ in sui Exameron initio habet Sanctus 4
Basilius: *Audiamus*, inquit, *veritatem verborum non in persuasione humanæ sapientiæ, sed in probatissimis spiritualis doctrinæ sermonibus, quorum finis non audientium* LAVS EST, *sed* DISCENTIVM SALVS. A laudis suggestu cadit, qui sancta hæc verba versat, & tractat, vt laudem aut ab auditoribus, aut à lectoribus exsculpat.

Cur non priùs aliqua nobis de Deo, Deique perfectione obtulit, quàm Deum operantem induceret? *Nonne præstaret*, inquit nobilis ille auctor, *vt prius Moyses diceret: quis esset hic Deus: & deinde doceret mundum fabricasse? Scilicet noluit Moyses vt prius mente conciperemus Deum, quam audiremus Deum* OPERANTEM: *ne si Deus aliquando non operans audiretur, humana tenuitas, quæ perfectiones metitur ab opere, forte minus decore sentiret de diuinitate: ne contemnat vt* OTIANTEM, QVEM OPERANTEM SVSPICIAT, *ne putaretur vt stupidus, qui vigor rerum est, & vita omnium.* Suspicere operantem debemus, otij nulla suspicio nos concutiat; Qui otiari ille possit, qui si intelligendi, & amandi actum intermitteret, non amplius esset quod est? A non otiante Deo, disce otio nunquam torpere.

Quærat hic aliquis cur non ante Mosem ab alio scriptore litteris fuerit consignata mundi istius molitio: Benè nodum soluit Honcala: *Prius*, inquit, *mundi creatio describi non debuit,*

quia

quia adhuc non tantus error erat in hominibus, vt aut mundi fabricam, aut hominis formationem, aut vtrumque, nescio cui malo malique principio, potiùs quàm ipsi Deo verissimo vniuersi creatori tribuerent. At vbi iam error creuerat generi humano, ita vt etiam filij Israel contra hanc expositionem in Aegypto tradi audirent à philosophis Aegyptiorum, à quibus Moses fuerat instructus omnem peritiam Aegyptiacam, quæ, Apim quendam, mundum istum, asserit, per malos Angelos condidisse: hunc quoq; principem mundi videri, idest Sathanam. quam sententiam Mascion sequutus ruit in mortem. nam & Manichai ab eodem Sathana hominem dicunt factum, non mundum istum, stultiores cæteris: cum enim mundum constet hominis causa fabricatum, illi dicunt, à Deo mundum factum, licet de alieno: hominem verò ab aduersario creatum, vt in domo alterius alter posuerit dominium: oportuit ergo Mosem, vt errorem illum proderet, & auferret manifestare mundi, & hominis fabricati Deum esse auctorem.

5 Rerum, omnium formationem nobis ob oculos posuit Moses, nihil de illarum principijs dixit, quæstionesq; alias neglexit, studuit tantum ad Dei cognitionem nos adducere, nec vllibi curiositati fauit. Benè Philoponus hîc: *Nemo argutas illas de natura quæstiones, quas posteri excogitarunt in Moysis scriptura requirat, verbi causa qualia sint materialia rerum principia, vtrum hoc vnum ponendum sit an plura, &c. nam hic scopus admirando isti Moysi minime propositus erat, sed primus ipse à Deo electus fuit ad homines ad* DEI NOTITIAM ADDVCENDOS, VITAMQVE HVIC CONGRVAM DOCENDOS, *quæ propter quæcunque ad hoc conferunt, hæc & scripsit.* Quid Prodest de rerum principijs curiosè disputare, & Deum negligere, quem habent principia omnia, & quæ sunt à principijs principium?

Paucis verbis omnium creaturarum productionem amplectitur Moses, nec studiosè prosequitur, quæ curiositatem quandam sapiunt. *Omnia hæc*, inquit Ferus hic, *breuiter comprehendit, vt & nos discamus in his rebus quærere* VERITATEM, *non* CVRIOSITATEM, *ne progrediamur vltra quam fert natura nostra tenuitas, & ne curiosius quæ supra nos sunt indagemus.*

In scriptione vtilia, maximeq; profutura spectanda sunt, non curiosa, & sæcularum sapientiam sapientia; docuit istuc exemplo suo Moses, dum ab inutilibus quæstionibus abstinens ea litteris consignauit, quæ nutrire pietatem possent, alere fidem; Præclarè Sanctus Ambrosius lib. 6. Exam. cap. 2. *Certè*, inquit, *Moyses eruditus erat in omni sapientia Aegyptiorum, sed quia spiritum Dei accepit quasi minister Dei, inanem illam, & vsurpatoriam Philosophiæ doctrinam veritatis rationi posthabuit, & ea descripsit, quæ nostræ spei commoda esse iudicauit; quæ nihil ad nos quasi* NIHIL PROFVTVRA PRÆTERIIT; *vidit enim in sancto spiritu non illas marcescentis iam sapientiæ vanitates sequendas, quæ rebus inexplicatilibus mentem nostram occupant luduntq; operam, sed ea potius describenda, quæ ad virtutis spectant profectum.* Quæ nutrire fidem posuit quæ alere pietatem, cætera consulto omissit, tanquam minimè necessaria.

Sectio II.

In principio creauit Deus Cælum, & terram.

IN *principio creauit Deus cælum, & terram.* Iure hoc principium statim Moyses posuit, vt errorem malè philosophantium statim euerteret. Rem ita conficit Diodorus in catena græca Fumani: *Quicumq; Moysi temporibus, apud barbaros extitere & maximè philosophati sunt, cælum ac terram, omnium eorum quæ intermedia sunt, causas esse dixerunt; à quibus posthac etiam poetæ Græcorum multas impietatis occasiones accepere. quare Moysem, qui longissimè ab illorum impietate Israelitas abducere studebat, initium doctrinæ facere,* QVÆ ILLORVM ERRORE REFERTVM PRINCIPIVM EVERTERET, *oportebat. nam quum res quidem factas esse faterentur, earundem vero authorem ignorarent, initio statim, In principio, inquit, fecit Deus cælum, & terram, at enim per illud in principio! fecit Deus Cælum, & terram.* 6

Mense septembri conditum vniuersum esse pleriq; censent, aut martij; certè omnia fructibus onusta homini tradidit, contra, ac præstare Deo soleat homo. Pulchrè Oleaster in cap. 13. Num. *Cum orbem homini dedit in Septembri illi munus terræ contulit, quando suis pomis arbores hominem inuitare videbantur. Omnia* PVLCHRA, *omnia ornata, omnia plena, mihi domino*

tradidisti, ego verò omnia macra VACVA *& defectuosa, ne monstruosa dicam, tibi offerre soleo*. Et licet demus alio modo Deum vniuersum condidisse, adhuc terram homini fructibus onustam statim obtulit.

Moses à natura exorditur, itumus ad diuina; vt innueret à minoribus ad maiora sensim eundum, & naturæ opus viam ad sublimiora posse sternere. *Moyses*, inquit Ioannes Eusebius, *legem & doctrinam Dei scripturus, conditionem naturæ tanti fecit, vt ab ea exorsus fuerit, quippè qui agnoscebat in ea magnam doctrinam, & magnarum rerum significatus contineri*. Res ipsas, quæ naturæ limites non excedunt, si rectè expendamus, ad Deum, à quo fuere nos ducunt. Abit qui rebus naturalibus, earumq; vsu adeo in Deum non ducitur, vt abduci se sinat à Deo, & Deum lædat.

7 Ante omnia alia conditos Angelos aliqui censent, nimirum vt statim adessent, qui Deum in suis operibus efferrent. Ita fors voluit Ado Viennensis in suo Chronico; *Secundo*, inquit, *die firmamentum cæli medio librauit aquarum, ipsis aquis, ac terra cum cælo superiore, ac virtutibus, qua in ea* CONDITOREM LAVDARENT *ante horum sex dierum exordium creatis*. Vt nos quoq; disceremus Deum in suis operibus efferre.

In principio creauit; LXX. *In principio fecit*. Nulla in faciendo mora fuit, vt à Deo discetes in eius obsequio moras omnes amoliri. *Pulchrè ait*, inquit Lippomanus, *In principio fecit, vt in comprehensibilem celeritatem operis exprimeret, ne mora in faciendo fuisse existimaretur, cum effectum prius operationis impleta, quam inductum cæpta explicuisset, vt vel sic intelligerent homines, quam incomprehensibilis operator esset, vt tantum opus breui exiguoq; momento sua operationis absolueret, vt voluntatis effectus, sensum temporis praueniret. Nemo operantem vidit, sed agnouit operatum*. VBI IGITVR MORA, *cum legas, Quia ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt? Nec artis igitur vsum, nec virtutis expendit; qui momento sua voluntatis maiestatem tanta operationis impleuit, vt ea qua non erant, esse faceret, tam velociter, vt neq; voluntas operationi præcurreret, neq; operatio voluntati*. Quid longas nos moras nectamus in Dei obsequio, cum suo nos exemplo docuerit celeritatem illi gratam?

Creauit, cur non dixit: *Dixit*, aut, *iussit*? An quia nulla erat creatura, quæ Dei exciperet imperium iussioniq; diuinæ obediret. At Deus vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, vt ait Paulus ad Romanos scribens. *Sed*, vt ille ait, *hebeti populo scribens humano more*, IVSSIONIS APPELLATIONE VTI NOLVIT, *nisi cum essent iam aliqua, quibus diceret, quibus præciperet*. Vt hinc doctor discat iis se aptare, quos alloquitur, ad quos scribit.

8 Deum statim omnium conditorem Moses statuit. Nimirum vt Ferus ait, *qui Deum omnia creasse credit, & omnia Dei esse, & in Deum referri non facilè* ABVTETVR CREATVRIS. Abutitur qui non credit, aut non cogitat.

Cœlum terramq; Deus condidit, idq; in verbo, imitari vt Deum possimus his verbis docet Sanctus Ambrosius: *Esto imitator Dei. Quomodo imitator? nunquid potes facere aut terram, aut mare? Non vtiq; sed vt omnia per Verbum facias*, OMNIA CVM RATIONE, NIHIL SINE RATIONE. Per Verbum omnia Deus fecit, imitatur qui sine ratione nihil facit.

Creauit: cur dixerit *creauit*, & non, *erat, creans*, sicut in nouo testamento de Christo dictum: *Erat Iesus eijciens dæmonium*, rectè probæ notæ auctor expendebat: *Vt*, inquit, *immortalis Deus, nos in hac re erudiret, & animi salutem circumspectè & ex professo curandam esse, doceret Dæmonia paulatim eijcit; est enim ea res magni momenti*. NON ERAT TANTI PONDERIS COELOS CREARE, QVANTI DÆMONIA EXPELLERE, *& ita scriptura, cum de creatione loqueretur dixit; In principio creauit Deus cælum, & terram. Non dixit erat creans, neque enim de eo opere dici, multumq; cogitauit, secus autem in hoc de quo dicitur, Erat Iesus eijciens Dæmonium. Tu tibi persuade, nihil esse difficilius, nihil magis arduum, nihil maioris negotij, quam dæmonia de animo tuo expellere, si aliquid in eo esse agnoscas. Expellere, inquam, peccata, qua nihil aliud sunt, nisi dæmonia, quæ animum non Deo, sed Dæmoni similem reddunt*. Quid hic illi qui opus istuc in illud reijciunt tempus, quo homo debilior erit, nec plenè sui compos, corporis afflictus morbis, & molestarum curarum sarcina onustus ab hac vita discessurus, & hoc est animæ curare salutem, aut de re setiò agere, à qua vel felix, vel infelix pendet æternitas?

In principio creauit. LXX. legunt, *In principio fecit*. Sed cur vsitato illo verbo *faciebat* est vsus sacer scriptor? An vt perfecta Dei opera innoteret? Benè Pererius: *De Deo, cuius perfecta sunt opera, & exquisita secundum omnes voluntates eius, & quibus nemo potest quiddam addere, vel detrahere, non erat consentaneum dicere, Deus faciebat mundum, sed fecit, scilicet* TANQVAM OPVS OMNIBVS SVIS PARTIBVS EXPLETVM ATQVE CONSVMMATVM, *& indicio ipsius opificis, cuius infinita scientia comprobatur, vidit enim cuncta qua fecerat, & erant valde bona*. 9

Creauit Deus Cœlum, & terram. Non esse ieiunè hæc verba legenda, sed seriò cogitanda, ac voluenda monebat S. Chrysostomus hom. 7. ad populum: *Cum audieris, quod in principio fecit Deus & cœlum & terram, ne simpliciter dictum prætercurras, Sed terra magnitudinem mente percurre, & reputa quam Lautam nobis, & optimam produxit mensam, & multam passim nobis delectationem prebuit: & quod quidem est maximum, quod in nullorum Laborum retributionem dedit, nec in meritorum præmium tantum & talem mundum*.

Creauit. Cur non dixit Moses, dixisse Deum: *Fiat cœlum, fiat terra*: An ne populus Iudæorum rudis crederet, fuisse aliquid ante cœli, terræq; creationem, ad quod imperium suum dirigeret? Hæc vera superioris nota, vt suorum errores quantum potest anteuertat.

Cœlum

Cœlum & terram posuit, tanquam cetera
10 ab horum fecundo coniugio prodirent; sic in catena græca: *Duo hæc extrema continent cætera omnia, habentque ordinem* MARIS AD FÆMINAM, *cęlum namque dat omnibus suo motu vires atque potentias; terra sua stabilitate fluxus illinc excipiens, gignit fouetque cuncta.* Vt cęlum maritum referat, sic maritus referre cęlum debet, & vitæ perfectione ita vxorem superare, vt cęlum terram.

Cęlum ante Deus condidit antequam hominem formaręt, vt cęli conspectu statim contra omnia tentamenta homo muniretur. Benè ille: *Ideo ante hominem cęlum fit vt præmium,* CONTRA TENTAMENTA HOMINEM ARMAVIT. *Tot enim sunt ac tanta genera tentamentorum, vt priùs oportuerit munire hominem prospectu ipsius præmij, ne deficeret, aut vitam capere nollet, quam tot molestijs refertam videret. Vnde iure Moyses simul meminit creationis cęli, & terræ; In principio creauit Deus cęlum, & terram. Terra enim locus est tentationum, stadium, puluis, & arena, cęlum verò huius certaminis pręmium; simul ergo cęli, & terræ meminit, vt certamen, & coronam pariter hominibus obijceret.*

Terram Deus fecit, quàm cęteris omnibus rebus substerneret, vt ordinem euertat, euertat se, qui terram terrenaquè nimium diligit, & cœlo, cœlestibusq; præfert. Opportunè B. Vmbertus de multiplici nocumento propriæ voluntatis cap. 19. *Natura ordinem hic peruertit, qui terram super omnia diligit, quam inter elementa Creator rerum* INFIMAM ORDINAVIT. Quid in tua mente terram cœlo præferas, quam infra omnia elementa Deus posuit? Calcari vt terra debet, qui terram amat, & cœlum calcat, atq; contemnit.

Sectio III.

Ijs quoque *benefaciendum Dei* exemplo qui nobis mala inferunt. 11.

Cur *Dei nomen* post creationis verbum positum.

Deus vitæ *sanctitate* colendus.

Deus per *creaturas* homines ad sui cultum vt sibi obstringat.

Cur *cæli* producti mentio prius facta quam *terræ*. 12.

Creatoris cur statim mentionem iniecerit *Moyses*.

Inceptio quæ *moras* trahit infaustum minatur *aborsum*.

Qui *docet*, ijs se *aptet* quos erudit. 13.

Quam eximia *Dei beneficientia* & largitas.

A *Terrenorum affectu* quilibet sit immunis, qui Moysis verba est auditurus.

In *mundi* molitione cur *Angelorum* nulla mentio facta. 14.

Cælum vt ab *admiratione* nomen habeat.

Plura *Deus* exhibet quam dicat contra ac *homines* præstent.

Cæli & terræ *coniugium*. 15.

Cœlo par *vir*, quod semper voluitur. Terræ *mulier* quæ stare debet.

Via ad cælum quærenda, non curiosa de cœlo.

Ea quæ ad *cælum* spectant primum *temporalium* machinarum sint fundamentum.

COELVM, ac terram, & omnia quæ inter cœlum, & terram sunt creasse Deum legimus, sed quibus? non iustis tantum, sed omnibus, non amicis dumtaxat, sed etiam ijs, qui illius hostes erant futuri, vt vel hinc discas ijs quoq; benè facere, qui tibi mala inferunt: Omnia Deus condidit, inquit Oleaster in cap. 1. Genesis, *nunquid amicis, aut domesticis*, NVNQVID SOLIS IVSTIS; *minimè Gentium. Audi ipsum Deut.* 4. *Caue* (inquit) *tibi, ne fortè eleues oculos tuos ad cœlum, & videas solem, & lunam: & stellas, omnemq; militiam cœli: & erres: & incurues te eis: & colas ea, quæ diuisit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus. Non inquit amicis, non sanctis: & iustis: sed cunctis gentibus: etiam idolalatris: etiam peccatoribus, etiam ijs: qui eo relicto: ea, quasi numina colunt, & adorant.* 11

Cur in Dei reuerentiam Dei nomen non statim posuit, ante creationis verbum? *Dei creationem*, inquit Theophilus, *nominauit propheta, deinde ipsum Deum posuit, non enim fas est Deum temere, & otiosè nullo opere subiecto nominare.* Quid hîc illi, qui Dei nomen nudis vsurpare verbis, nec operibus eum colunt, sine vitæ sanctitate?

Deus, hebraicè est אלהים ab אלה *alah*, vt aliqui notarunt, quod significat astringere, obligare, adiurare; *eò quòd Deus*, inquit Cornelius, *suam potentiam, virtutem, & bona omnia det, & conseruet creaturis, & per hoc eas sibi quasi iuramento* OBSTRINGAT *ad sui cultum, obedientiam, timorem, fidem, spem, inuocationem, gratitudinem.* Vt creaturis abutatur, qui per eas adeo cum Deo non ligatur, vt nimio earum affectu recedat à Deo.

Cælum, & terram. Nec enim ad humanæ artis regulam Dei omnipotentia se demisit, vt fundamentum ante culmen poneret. *Cum autem*, inquit Sanctus Chrysostomus serm. de Ieiunio, & Genes. lect. primùm cœlum fecit, deinde terram, ante tectum, quàm solum? Vides & in hoc nihil esse simile humanis artibus, nec hominum regulis voluntatem seruari diuinam. Apud nos adminiculis, & fulcimentis opus est ibi verò voluntas opus efficit, & præsbet sermo virtutem] sic ille. Licet vtrumq; simul factum sit, cum alibi terra ante Cœlum nominetur. 12

Creauit Deus. Factoris, creatorisq; statim meminit, quem pleriq; ignorabant. Diodorus in Catena veterum Patrum Græcorum: *Cum*

Barbari homines tempestate Moseos quàm maximè philosophia incumberent, hac affirmabant esse creata, sed CREATOREM IGNORABANT, *statim igitur Moses exorsus est. Principio fecit Deus cælum, & terram liquido demonstrans cætera omnia postmodum facta fuisse.*

Fecit Deus cœlum, & terram, antequam se facturum diceret, incomprehensibilis operis celeritas hîc apparet: *inceptio*, inquit bonus ille auctor, *quæ* MORAS *trahit infaustum minatur* ABORSVM. Nos sæpè nos facturos aliqua dicimus, antequam reipsa faciamus, cunctamur semper, ægrè absoluimus quod inchoauimus.

13 Rerum quæ sub aspectum cadunt initium, creationemque statim ob oculos suis posuit Moyses, cur non perfectiora dedit, ac sublimiora? An vt ijs se aptaret, quibus scribebat, cum enim hebræi in Ægypto fuissent, vbi res ferè quælibet in Deum, vt ita loquar cudebatur, quem errorem plerique ebiberant, oportuit statim huic malo occurrere, & res à Deo principium habuisse ostendere, non verò Deum esse. Benè in catena græca, quàm ex græco vertit noster Adamus Fumanus, nec hucusque edita est: *Consueuere diuina litera eorum ingenijs qui instituuntur* PRÆCEPTA METIRI: *& perfectis quidem perfecta præstare: imperfectiores autem si qui sunt, ijs quadam elementis similia, & proprijs ipsorum viribus accomodata exhibere. quum ergo Aegyptij eam natura partem qua sub visum cadit diuinitate donassent: atque Israel cum ijs diu versatus, eiusdem impietatis particeps factus esset: necessario qua ad creationem natura pertinent rudimenta illi proponunt: ac docent palam quemadmodum ea quum olim non essent, aliquando esse cœperint, tum etiam authorem conditoremque habeat ipsum vniuersi Deum.*

Cœlum creauit Deus, & cum cœlo terram quoque; Nimis paruum Deo videbatur donum, si nudam homini terram dedisset; *Vt homo existeret*, inquit nobilis ille auctor, *sufficeret, quod illi terram crearet; cur statim maluit & terram, & cœlum illi creare? Parua res erat terra, vt sola Dei* BENEFICIENTISSIMA MANV *daretur; additum fuit cœlum, vt diuina largitas inciperet à magnis; soles enim Deus non tam à paruis ire ad magna, quàm à magnis ad maiora extendere suam largitatem.*

Magna sunt, quæ Moyses narrat, terræ molitionem qui audit, à terrenorum affectu sit immunis. Pulchrè B. Basilius in catena Lippomani: *Qualis nam auditus dignus est eorum quæ dicuntur magnitudine tanta? Qua præparatione præditam animam talium auscultationi sermonum obuiam ire oportet? Nempe* CARNIS AFFECTIONIBVS EXPVRGATAM, *curis vita non occupatam, ac obfuscatam, sed patientem laboris, indagatricem, omni ex parte circumspectantem ac explorantem, si quo ex loco dignum Deo conceptum, atque sententiam accipere possit.*

14 Cœli, terræque, meminit Moses, & eorum quæ inter Cœlum, & terram sunt; sed cur mentio ab illo minimè facta Angelorum. Seuerianus in catena græca Fumani ita philosophatur. *Cur ita Moses cœli quidem ac terræ meminit, & eorum quæ ab illis efficiuntur: aliorum vero non meminit? nempe quod illis Iudaicis temporibus satis accommodata erat istiusmodi ratio. illos enim alloquebatur Iudæos, qui de Aegypto egressi erant, & Aegyptiacos errores didicerant.*

Cœlum. Hebraicè est שמים, à שמם ait Oleaster, quod inter alia significat admirari obstupescere; *Quod cœlum sit corpus stupore, &* ADMIRATIONE DIGNVM. Sicque qui cœlum intuetur in admirationem in stuporem debet vertere, & conditoris potentiam considerare.

Creauit Deus Cœlum, & terram, & illa omnia quæ inter Cœlum, & terram sunt, non omnia numerauit Moses, vt hinc discas plura Deum exhibere, quam dicat, contra ac homines, qui promissis diuites esse solent, in exhibitione sunt pauperes, & pauciora præstant, quam spondeant.

Cœlum, & terram. In his duobus coniugium 15
quoddam quidam agnouere; huc faciunt, quæ in catena græca Procopius habet, ait quippè: *Duo hæc extrema continent cætera omnia, habentque ordinem* MARIS *ad feminam.* Cœlum quod semper voluitur maritum refert, terra quæ stat, vxorem: *Quid cœlum*, inquit ille, *perpetuo motu versatile, nonne dum tellurem omnium rerum parentem subiectam vario rerum genere fœcundat velut infuso semine,* MARITI *fungitur officio?* Non videtur esse quod est, vxor, si circuit vt vaga, & in varia loca se confert, semper cœli ritu circuniit.

Cœli productionem audis, sed nudam, à curiosis quæstionibus Moses abstinuit, vt pietatem foueret non corrumperet; *non enim hic sumus*, inquit Ferus, *vt inuestigemus quid sit cœlum, sed vt discamus, qua* VIA AD COELVM PERVENIAMVS.

Cur Cœli prius fit mentio, quàm terræ? *Iam tunc*, inquit scitus auctor, *insinuabatur, ea quæ ad cœlum spectant debere esse* OMNIVM TEMPORALIVM MACHINARVM PRIMVM FVNDAMENTVM. Alioquin omnia ruent, nisi cœlestia terrenis substernantur.

Sectio IV.

Cur *terra* productio apertè recensita non item *aquæ*? 16.

De *igne* iure nihil dicitur, etiam quia infœcunditate *ingrati* figura est, & omnia deuorat nihil redonat.

Aëris cur nulla expressa *mentio* facta.

Multa consultò supprimit *Moyses* vt ad eorum *inuestigationem* nos inuitet. 17.

Inuisibilis terra dicta quæ *hominem* non habebat propter quem Deus eam respiceret.

Ad *beneficientiam & eleemosynam* vt nos cœlum inhortetur.

Defor-

Deformis & inanis primo est facta *terra*; ne plusquam dignum est eam veneraremur. 18.
Aqua Deo *vectaculum* exhibitura perfecta & pura.
Perstricti *adulatores* qui *veritatem* inficiunt.
Prius *faciamus* aliqua, postea *venustemus* perficiamusque. 19.
Terrena mentem *implere* nequeunt.
Mundus sine *Christo* inanis & vacuus.
Paulatim ad *perfectionem* eundum. 20.
Terra cur *vacua* appellata.
Diuites à cœlo discant, in *pauperes* esse beneficos.
Perstrictæ *mulieres* quæ se *ornant* vt tanquam idola colantur. 21.
Terra cur *inuisibilis* dicta.
Terra floribus ornata & *Cælum* stellis ne increata sine principio crederetur. 22.
Inanem & *vacuam* terram quisnam referat.

16 QVærat hîc aliquis cur terræ productionem apertè narret Moses, & non etiam aquæ. An quia nomine terræ etiam aquam comprehendit, *quòd* inquit Pererius, *ex vtroque elemento vnus globus, & quasi vnum corpus confletur. Quum videtur aqua esse facta propter terram, non prout terra simplex est elementum, sic enim ignobilior est, quàm aqua: sed vt est sedes & quasi mater omnium viuentium.*

Terræ statim meminit, cur non ignis, qui supremum elementum est? *Quia ignis*, inquit ille, STERILIS *est*, & INFOECVNDVS, *nihil in se, vel se gignit, propterea de hoc elemento non iniuria siletur*. Addit statim: *Talis quidem & ingratus multa quidem beneficia* DEVORAT, *nihil* REDONAT, *ne minimam quidem gratiam pro maxima rependit: dignus proinde qui ex numero creaturarum, Deum iugiter prædicantium, expungatur.*

Cur nulla à Moyse aëris mentio fit? *Quod natura molli*, inquit Sanctus Gregorius Nissenus, *ac facile cedenti præditus res omnes in se se suscipit, easdemque præse fert, cùm nec colorem proprium nec figuram, nec speciem habeat, sed* ALIENIS, ET COLORIBVS, ET FIGVRIS INFORMETVR, *& ad omnium rerum, quas suscipit, motum se accommodat*. Aërem imitantur qui omnibus omnia fiunt, vt omnes Christo lucrentur, qui adeo nomen suum prædicari non quærunt, vt non curent nomen suum sciri hic genuinus veræ virtutis color, nullis proprijs coloribus ad iactantiam ornari.

17 Cur ignis, cur aeris, cur aquæ productæ mentionem non fecit? *Historicus*, inquit Sanctus Basilius lib. 2. Exam. *hæc consulto præterijt vt* NOSTRVM COR ACVERET *ad industriam ex paucis occasionibus capiendum, quæ facit nos cogitantes inuestigare, quæ desunt*. Monemur præterea vt à Deo discamus, plura in Dei obsequium præstare, quàm explicemus, vt operibus simus fœcundiores, quam verbis.

Terra autem erat inanis, & vacua.

INanis, & vacua. LXX. *Inuisibilis, & incomposita*. Inuisibilis autem est dicta quia aquis operta videnda se minimè præbebat; nisi dicamus ita dictam quia homine carebat, ob quem Deus in terram respiceret. Præiuit S. Ambrosius lib. 1. Exam. cap. 7. *Nisi fortè sic accipiamus inuisibilem terram, quòd nondum verbo Dei & protectione visitabatur*, QVÆ HOMINEM NON HABEBAT, PROPTER QVEM DOMINVS RESPICERET IN EAM, *sicut scriptum est, Dominus respexit super filios hominum, vt videret si est intelligens aut requirens Deum*.

Inanis, & vacua terra primo apparuit, vt statim in ea paupertatis quandam imaginem haberemus, vt à Cœlo diues disceret suis opibus velut quibusdam influentijs pauperes fecundare, benè ille. *Cœlum terræ exhibens quicquid potest, ad* ELEEMOSYNAM, & BENEFICIENTIAM *homines etiam tacens inhortatur*.

Terra inanis, vacua, totaq; deformis statim apparuit, ne scilicet nimis quàm par esset terram, terrenaq; veneraremur. Aurea sunt quæ in hanc rem habet Sanctus Chrysostomus: *Idcirco terram deformem creauit, quoniam ipsa est mater & nutrix nostra, & ex ea facti sumus ac educimur, ipsaq; nostra patria est, & varijs per eam bonis fruimur, ideo ne homines ob vsus necessitatem*, PLVSQVAM DIGNVM EST VENERARENTVR, *ostendit primum rudem, & absque forma, & inexpolitam, vt ne beneficia telluris naturæ, sed ei tribuas, qui illam ex nihilo vt esset, creauit.* 18

Terra inanis, & vacua dicitur; nihil tale de aqua narratur. *Solus* LIQVOR, inquit Tertullianus, *semper materia* PERFECTA, *de suo* PVRA *dignum* VECTACVLVM *Deo exhibitura*; Aqua perfecta creatur, & pura futura, quia nimirum sedes spiritus diuini erat futura.

Terra autem erat inanis, & vacua. Cur terram deprimis, & dehonestas? nescit qui diuinæ gloriæ famulatur mentiri, nescit adulari. Aulici qui principum res gestas narrant cauent ne aliquid misceant, quod non sit numeris omnibus absolutum. Dei scriptor non timuit aliquid à gloria Dei abrasum iri, si rem vt res erat referens, terræ vanitatem, ac vacuitatem asseruit. Falluntur qui magnorum virorum quærentes gloriam non litant veritati.

Sine ornatu terram Deus condidit, condidit & cœlum, vt vtrumque posset exornare; 19
Idem nobis præstandum est; *Imitatores sui*, inquit hîc Honcala, *Deus nos esse voluit, vt* PRIVS FACIAMVS ALIQVA, POSTEA VENVSTEMVS, *ne dum vtrumq; adorimur, neutrum possimus implere*. Idem prorsus ante illum notauerat Sanctus Ambrosius libr. 1. Exameron. cap. 7.

Cum

Cum audis terram inanem, & vacuam esse statim cnllige mentem replere terrena nnn posse; Pulchrè ille: *Quod inane est tam perfectè replere nequit vacuum, quin superfit locus; sic terrena inania cum sint* NVNQVAM REPLERVNT *amplitudinem mentis humana.*

Terra est inanis, & vacua. Si spectemus Christum, etiam post vniuersi perfectionem mundus inanis, & vacuus erat, vsque ad illud tempus, quo Dei filius humanam induit carnem, & sua præsentia mundum beauit. Pulchrè id euincit B. Thnmas à Villanoua, cuius hæc sunt verba: *Vsq; tunc mundus ipse* VACVVS *quodammodo, & otiosus erat, quoniam illius finis nondum apparebat. Sicut enim quando Deus condidit mundum, cum cœles, & terram, maria arbores, & iumenta creasset, hac omnia otiosa videbantur, donec homo, qui omnium illorum proximus finis erat, creatus est: sic de omnibus iudicandum, donec incarnatus est Christus. Et Paulus. Quando venit plenitudo temporum, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Plenitudo temporum illa est, in qua ostenso omnium fine consummatus est mundus: nam vsque tunc vacuus erat, & imperfectus.*

Deformem, inornatam Deus primò terram
20 cnndidit, quàm statim ornauit, summoq; decnre vestiuit. Nobis idem præstandum est, cum in nnbis aliqua inuenusta videmus, curandum statim vt inuenustas omnis auferatur, omnis deformitas. Vtq; paulatim Deus terram ornauit, sic nos quoq; animæ ornatui vacare debemus, nam qui nmnia simul tentat, nihil plerumq; efficit, aut parum.

Vix creata terra dicitur, cum vacua appellatur, *quia non erat*, vt Liranus ait, *adhuc plantis, & herbis ornata.* Sed cur hoc Moses silentio nnn suppressit? An vt litaret veritati, sed veritas supprimi potest, & mendacium nnn dici. An terræ vacuitatem, inanitatemq; produxit, vt à nimio terræ amore hominem auocaret? An vt deinceps nullus erubesceret imperfectum suum, animæq; maculas fateri?

Terram ita Deus constituit vt cœli indigeret auxilio, quod Dei iussu exhibens tacitè diuitibus inclamat, vt in pauperes sint benefici. Pulchrè scitus ille auctor. *Quemadmodum Cœlum non suas retinet pluuias, & lumina, sed ea terra emandat, eisque & fouet, & rigat, & fœcundat miseram & egentem tellurem, qualem eam contemplatus est. Gen. 1. Terra autem erat inanis, & vacua, inuisa, necessitatem patiens, & paupertate vilis: Fouat eam cœli abundantia, vt* DIVITES DOCEAT PAVPERVM IVVARE INDIGENTIAM. Quid hîc diuites illi, qui adeo tanquam Cœlum in pauperes nnn influunt, vt elicere, eripereque à pauperibus studeant quæcunque possunt?

21 *Terra autem erat inanis, & vacua.* Cur terram statim deprimit, & velut infamat? An ne tanquam idolum coleretur? Quàm fatuæ, quàm deliræ mulieres illæ, quæ tot artificijs se ornant, vt in cultum sui, tanquam quædam idola essent, trahere spectatores studeant!

Inanis, & vacua. LXX. quos græci Patres ferè sequuntur legunt: *Inuisibilis, & incomposita.* Sed qua ratinne inuisibilis terra dicitur? Seuerianus in Catena græca Fumani rem sic explicat: *Noui multos ex Sanctis Patribus qui dixerint, inuisibilem fuisse terram, quòd aquis integeretur, est vero eiusmodi sententia à pietate quidem ac religione non abhorrens, veritati autem minimè consentanea. Aquila quidem sic dicit: terra autem erat vacuum & nihil, & inuisibile: hoc est, non quod non appareret, sed quod esset, vt quispiam dixerit, inornata quemadmodum solemus dicere vocis expertem eum qui inepta sit voce, & informem eum qui non bene sit informatus, non quod omnis formæ sit expers, sed quod indignus sit qui spectetur.* TERRA IGITVR ERAT INVISIBILIS, HOC EST NON DIGNA QVÆ VIDERETVR; *nondum enim nitebat frugibus, & plantis, & fluminibus, & fontibus, & reliquo ornatu eadem enim scriptura dicit, de quodam formoso & virili: hic, inquit, percussit virum Aegyptium, virum visibilem est enim vir visibilis. Sed visibilem dicit, hoc est dignum qui spectetur, dignum qui videatur, vt igitur, Aegyptium visibilem, tanquam dignum qui videatur, sic item informem terram dicit inuisibilem.*

Paulo aliter hunc locum exponit Sanctus Basilius in eadem catena, vbi hæc habentur: *Terra perfecta instructio est ea qua in ipsa est lætitia atq; abundantia: plantarum omnis generis pullulatio: arborum tam feracium quam infructuosarum, atq; altissimarum prominentia florum varij colores: & qua sunt eiusdem generis: qua quum adhuc nulla essent incompositam merito illam nominauit. inuisibilem autem dixit duabus de causis aut quod nondum esset qui illam intueretur homo: aut quod aquis obruta, propter aquas in superficie illius stagnantes, cerni non posset.*

Iu ornata, floribus, herbisq; vidua producta 22
terra est, & Cœlum sine stellis, ne increata esse crederemus, quæ paulatim audiremus perfecta. Ita Sanctus Ambrosius lib. 1. Exameron cap. 7. *Cur Deus, sicut dixit & facta sunt; non simul ornatus congruos assurgentibus donauit elementis, quasi non potuerit cœlum insignitum Stellis subito vt creatum est, refulgere, & floribus ac fructibus terra vestiri? potuit vtiq;, sed ideo primò facta, postea composita declarantur, ne verè* INCREATA ET SINE PRINCIPIO CREDERENTVR. *Si species rerum velut ingenerata ab initio, non postea addita viderentur.*

Inanis, & vacua terra erat, cauendum est, ne nostra mens terram illam referat, adeo vt quod de se humiliter dicebat Drogo, verius id nobis competat; hæc illius sunt verba: *Ecce animaduerte domine, quia terra mentis mea adhuc* INANIS ET VACVA *est, & tenebræ super faciem abyssi. Inanis est quia fluitat misera inquietudine per inane nugarum, & phantasmatum suorum: vacua bonorum operum fructu, &c. Abyssus inferior & obscura, inuocat abyssum superiorem, te, qui exsuperas omnem sensum, inuocat te domine abyssus mentis mea, vt etiam de me nouum cœlum, & nouam terram crees.*

Sectio V.

Ab aliorum oculis vt *beneficientia* ſubducenda. 23.

Omnibus vt *dona* ſua offerat *Spiritus Sanctus*.

Spiritus Sanctus vt ſuper aquas tribulationum inſideat.

Ardenti *ingenio* homines *inſociabiles*. 24.

Spiritus bonus aquis *ſuperfertur*, non fertur ab illis.

Auctori *Deo* adſcribenda, quæ à *creaturis* fiunt.

Humilitas hominem *reformat*. 25.

Ad vitam *reformari* qui vult, amet *ſubijci*.

Amorem ſuum in mundi molitione vt ſtatim *Deus* prodere voluerit.

Obedientes dictoque parentes, *Deus* amat.

De hominis *reformatione* quæ per aquas fit, cur *Deus* ſtatim cogitauerit. 26.

Aquarum laus & commendatio.

Quid *aqua* ſemper puræ hominem *doceant*.

Diuini *ſpiritus* eſt, *Tribulationum* aquis non obrui. 27.

Moſis exemplo *veritati* ſemper litandum.

Superiores factis, ſuis *imperijs* præeant.

Facta verbis virtutem dant. 28.

Opera tenebrarum *Deus* non amat.

Creatura tribui non debet quod eſt à *Deo*.

In ſpiritali vita formanda *fidei* & *cognitionis* lux præmitti debet.

Vitiorum noſtrorum tenebras *Deus* non facit, ſed tamen ordinat. 29.

Quod in mundi molitione *Deus* fecit id nobis bonis *operibus* præſtandum.

Hæreſum tenebræ faciunt, vt *veritatis* lux ſit gratior.

Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.

23 CVr tam nobilem rerum molitionem Deus obumbrat? An vt innueret, cum nolimus aliquid ſtatim ſubducendum ab aliorum oculis? Addit nobilis auctor: OBVMBRAT TENEBRIS BENEFICIVM, *quo beneficiendi largitas præniteat magis, fenerans à tenebris claritudinem. Nam dum pudorem accipiendi remouet, dandi liberalitatem exaggerat.*

Et ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas.

FErebatur ſuper aquas ſpiritus Dei, non ſe abſcondebat ſub aquis, non in terræ viſceribus ſe abdebat, vt innueret dona ſua ſe omnibus offerre: Benè Guillielmus Abbas: *Ferebatur*, inquit, *ſuper aquas, ſcilicet omnibus ſe* OFFERENS, *ad omnes ſe exhibens benefaciendo, & vtilia prouidendo, quod eſt proprium Spiritus Sancti.*

Cur Domini ſpiritus ſedem ſibi ſuper aquas collocat? An quia aquæ tribulationes, & aduerſitates ſignificant? *Quid ergo mirum*, inquit probæ notæ auctor, *Si Spiritus ſanctus in aquis ſedeat, & reſideat, vbi* TRIBVLATIONES, *&* AFFLICTIONES *adumbrantur?*

Et ſpiritus Dei; Per ſpiritum aliqui aërem,
ventumq; accipiunt, vt ſit ſenſus: Aër, ventus 24
à Deo excitatus agitabatur ſuper aquas. Trium elementorum aperta mentio fit, cur non ignis? Mariana: *Ignis*, inquit, *propter vim ſuam & efficaciam cum alijs elementis confundi non potuit, ſed quam primum in ſuum locum proſiliuit.* ARDENTI INGENIO HOMINES SVNT INSOCIABILES, *vt feræ quæ ſolitariæ verſantur.*

Super aquarum molem ferebatur ſpiritus Dei; nimirum qui ſpiritum Dei habet non aquarum impetu ferri debet, ſed ſuper illas ferri, non terrenarum rerum æſtu abripi, ſed altior eminere. Deum alloquens Sanctus Auguſtinus lib. 13. confeſſionum cap. 4. aiebat: *Spiritus tuus bonus ſuper ferebatur ſuper aquas*, NON FEREBATVR AB EIS, *tanquam in eis requieſceret.*

Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas. Hæc non alienè de vento aliqui interpretantur; ſed cur *Spiritus Dei* dicitur? an ne ipſi tribueretur quod aquam foueret, & vitali afficeret vi, ſed Deo hæc omnia adſcriberentur? Ita cenſuit Diodorus in græca Catena Fumani: *Si quis*, inquit, *ſpiritum ipſum ventum accipiat non admodum erraueris. aquarum enim affinis & cognatus ventus, & ab illis eſt oriundus. Suoq; impetu, & mouere & immutare naturam aquarum ſolet. Dei porro dici poterit quaſi qui Dei ſit opus: illud enim Dei, adiunctum eſt propterea quod magnum quiddam illi videbatur eſſe tributum, vt aquam videlicet foueret & vitali vi afficeret, vt hac ratione eius quod ita fiebat,* CAVSAM IPSI AVCTORI VNIVERSI ADSCRIBERET. *Si quis vero hunc Sanctum Spiritum ipſum paracletum eſſe velis, ne hic quidem oberrabis; ijs enim quæ ſunt ornamenti auctor eſt Spiritus.* Nimirum auctori Deo adſcribenda, quæ à creaturis fiunt.

Aquæ, cui ſpiritus ſuperferebatur humilita- 25
tem, qua homo reformatur comparatam obſeruo. Marcus Vigerius chorda VII. cap. 21. Chriſtum expendens ſuorum diſcipulorum pedes abluens ait! *Hæc profundæ humilitatis exempla ideo in aqua facta ſunt, vt quemadmodum ab initio ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas vt mundi informis machina numerum, & menſuram per illum acciperet, ita in fine temporum mores hominis, qui minor eſt mundus informis, per ſanctam* HVMILITATEM MATREM MORVM *ad lineam vitæ reducerentur.*

Aquis ſuperfertur ſpiritus; ad vitam informari qui vult amet ſubijci; ſpiritum à ſe reijciunt, qui non ferenda ſuperbia ſuperferri illi volunt, non ſubiectari. Præterea ſuperferebatur

batur aquis, inquit Beda, *ne faciendo opera potius per necessitatem indigentiæ, quam per abundantiam beneficentiæ Deus* AMARI *putaretur*.

Super aquas spiritus ferebatur: ductilem, & obsequentem materiam supremus artifex amat, quod ferreum, & calybeum, lapidemq; refert fugit. Flexibilitas Domini spiritui placet, cordis durities displicet. Benè ille: *spiritus fertur super aquas, quia* OBEDIENTES, DICTO QVE PARENTES *amat, lapidea corda fugit*.

26 Super aquas spiritus ferebatur, vt statim vel sic proderet, in mundi formatione statim se de hominis reformatione, quæ per aquas præstanda erat, cogitasse. Mentior si non huc flexit Tertullianus, cuius hæc sunt verba lib. de baptismo cap. 4. *Ea satis præcerpsisse, in quibus & ratio Baptismi recognoscitur primo illa, qua iam tunc etiam ipso habitu, prænotabatur ad baptismi figuram Dei spiritum, qui ab initio superuectabatur super aquas intinctos reformaturum. Sanctum autem vtiq; super sanctum ferebatur, aut ab eo quod superferebatur, id quod ferebat*, SANCTITATEM MVTVABATVR. *quoniam subiecta quæq; materia eius quæ desuper imminet, qualitatem rapiat necesse est, maxime corporalis spiritalem, & penetrare & insidere facilem per substantiæ suæ subtilitatem. ita de sancto sanctificata natura aquarum, & ipsa sanctitate concepit*.

Spiritus Dei ferebatur super aquas; Quæ nunquam sicut terra, informes fuere; hinc aquas sic efferebat Tertullianus lib. de baptismo cap. 3. *Spiritus Dei super aquas ferebatur. habes homo imprimis ætatem venerari aquarum, quòd antiqua substantia; de hinc dignationem, quòd diuini spiritus sedes, gratior scilicet ceteris tunc elementis. nam & tenebræ tota adhuc sine cultu siderum informes, & tristis abyssus, & terra imparata, & cœlum rude*: SOLVS LIQVOR SEMPER MATERIA PERFECTA, *læta, simplex de suo pura, dignum vectaculum Deo subijciebat*. Scilicet aqua quæ semper pura exstitit, eum qui aqua tingitur, docet, vt semper puritati litet, ac perfectioni perfectus sit, quin euadat perfectior, ac purior.

27 Super aquas Domini spiritus ferebatur. Cum aquæ tribulationes significent quidni aquis superferretur spiritus vt sanctificaret, quibus homines sanctificantur? Nimirum diuini est spiritûs aquis superferri, non obrui aquis aduersitatum.

Extulerit aquas Moyses extractus ab aquis, non tamen aliquid tribuit aquis, quod illis non conueniret; nec omnium rerum principium eas, vt aliqui ex philosophis fecerunt, fecit. Pulchrè S. Ambrosius: *Moyses ille eruditus in omni sapientia Aegyptiorum, quem de flumine collectum filia Pharaonis vt filium dilexit, & subsidijs regalibus fultum, omnibus sæcularis prudentiæ disciplinis informari atq; instrui designauit*; QVI CVM DE AQVA NOMEN ACCEPERIT, NON PVTAVIT TAMEN DICENDVM QVOD EX AQVA CONSTARENT OMNIA, VT THALES DIXIT. Sic ille lib. 1. Exam. c. 2. Nimirum veritati semper litandum, vt nullus affectus ab ea nos auocet.

Dixitq; Deus: Fiat lux, & facta est lux.

Ordinem nota prius fecisse Deus dicitur, quam dixisse aliquid, & imperasse. Discant hinc superiores factis præire, antequam aliquid imperent, factisq; ad imperia sternant sibi viam. Antequam aliquid iuberet Deus, antequam diceret *fiat*, cœlum terramq; dicitur creasse, inde primo ait Moses *creauit*, deinde, *fiat*, vt hinc quoq; moneremur ad imperia per opera eundum, & iussibus exempla præmittamus, *vt* FACTVM VERBO, vt ille ait, VIRTVTEM DET; alioquin sine factis dicta valde sunt imbecilla, & cadauerosa sunt verba, quæ loquentis mores non animant. 28

Dixitq; Deus fiat lux. Prima lux prodit, vt statim Deus ostenderet se opera tenebrarum non amare. Hinc illud Vgonis Victorini lib. 1. de Sacramentis part. 1. cap. 8. *Incipiens ergo Deus opera sua, vt perficeret, primum fecit lucem, vt cætera omnia postmodum faceret in luce. Significauit enim nobis* SE NON AMARE OPERA, QVÆ IN TENEBRIS FIVNT, *quoniam mala sunt. Quia omnis, qui male agit, odit lucem: & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius, quia mala sunt. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera sua, quia in Deo facta sunt. Ipse ergo, qui veritatem facturus fuit, in tenebris operari noluit: sed venit ad lucem, & fecit lucem, vt se manifestaret per lucem. Non enim ideo fecit lucem, vt ipse videret per lucem, sed vt opera sua manifestaret per lucem, quia in Deo facta sunt*.

Priùs lux creata fuit, deinde Sol, cur ita? ne lucis pater, auctorque sol putaretur non Deus, ne creaturæ tribueretur, quod est creatoris.

Fiat lux. Etiam in spirituali vita formanda præcedere fidei, & cognitionis lux debet, ne cęco errore ducti labamur: Benè ille: *Vide sapientiam conditoris: instar artificis opus facturus primum omnium lumen accendit: sic in vita conformanda primùm* FIDES, & COGNITIO *rerum exacta præcedat, subsequantur cætera*.

Fiat lux. Cur non dixit quoq; fiant tenebræ? Lippomanus in Catena. *Propterea dicitur, dixit itaque Deus: Fiat lux, & facta est lux. Non dixit, fiant tenebræ, & factæ sunt tenebræ, quæ nil aliud sunt quàm lucis illius priuationes, quæ ad nihilum pertinent. Horum ergo vnum fecit, alterum non fecit, vtrumque tamen ordinauit, cum diuisit Deus inter lucem & tenebras, ne vel ipsæ priuationes non haberent ordinem suum, ipso cuncta regente atque ministrante. Sicut in cantando, interpositiones silentiorum certis moderatisque interuallis quamuis vocum priuationes sint, bene tamen ordinantur ab ijs qui cantare sciunt, & suauitati vniuersæ cantilenæ aliquid conferunt. Et vmbra in picturis eminentiora quæque distinguunt ac non specie, sed ordine placent*. SIC ET VITIORVM NOSTRORVM NON EST AVCTOR DEVS, SED ORDINATOR, *cum eo loco peccatores constituit, & ea perpeti cogit quæ merentur. Iustos autem & facit & ordinat, peccatores autem in quantum peccatores* 29

catores sunt, non facit, sed ordinat tantum. Ita & ipso faciente pulchra sunt singula, & ipso ordinante pulchra sunt omnia. Hoc prius indicauerat Sanctus Augustinus, qui rem sic versat in Psal. VIII. *Non dixit, fiant tenebræ, & factæ sunt tenebræ, & tamen ipsas ordinauit: & ideo dixit: Diuisit Deus inter lucem, & tenebras: & vocauit Deus lucem Diem, & tenebras vocauit noctem. ista distinctio aliud fecit & ordinauit: aliud autem non fecit sed tamen etiam* HOC ORDINAVIT. *Iam vero tenebris significari peccata, & in propheta inuenitur, qui dicit: Et tenebræ tuæ tanquam meridies erunt: & in Apostolo dicente: qui odit fratrem suum in tenebris est, & illud præcipuè abijciamus opera tenebrarum & induamur arma lucis, non quod aliqua sit natura tenebrarum. Omnis enim natura in quantum natura est, esse cogitur, esse autem ad lucem pertinet: Non esse ad tenebras:* & in Psal. 9. rem ad hæreticos transferebat in hunc modum: *Mirum est & verum, quanto studio bonæ spei paruuli accendantur ad rectè viuendum comparatione peccantium. quo mysterio agitur, vt etiam hæreses esse permittantur: non qui ipsi hæretici hoc volunt, sed quia hoc de peccatis eorum diuina operatur prouidentia: quæ lucem facit & ordinat, tenebras autem tantum* ORDINAT, *vt sit earum comparatione lux gratior. Sicut hæreticorum comparatione est inuentio veritatis.*

Quod fecit in vniuersi molitione Deus idem nobis præstandum, dum aliquid in Dei ipsius obsequium efficimus. Rem sic explicat Vgo Victorinus lib. 1. de Sacramentis part. 1. cap. 14. *Hic tibi attende quanta sit cautela bono operi adhibenda. In principio omnium operum tuorum vide, vt lucem habeas in te, vt omnia opera tua lucis sint, & non tenebrarum. Postea considera diligenter, vtrum ne lux tua pura sit, & non fuscata: & cum inueneris quia bona est, tunc demum diuide eam à tenebris: & voca lucem diem, & tenebras noctem. Deinde reliqua opera tua, quæ in luce feceris, vide si etiam ipsa bona sint, & nullum omnino opus sine iudicio pertranseat, donec agnoscas cuncta, quæ fecisti. Ita geminum est iudicium: primum in quo lux iudicatur, & videtur si bona est, vt diuidatur à tenebris: secundum est iudicium, quando opera ipsa, quæ in luce facta sunt, ad iudicium vocantur: & videtur quia ipsa quoque bonâ sunt: & sic demum requiescit Deus.*

Sectio VI.

Laudem dubiæ ac fallaci *opinioni* non facile quis insculpat. 30.

Homo tunc *laudem* meretur cum Deo adhæret.

Cur *Deus lucem* extulerit, cum produxit, non ante.

Laudis inuentor *Deus*, laudis dignitas inde collecta. 31.

In alijs creaturis *laudare* Deum *homo* debet.

Laus ab *oculis* potius sumenda, quam ab ore.

Supremi *iudicis examen* subire quàm formidandum.

Ad sequens opus *Deus* non transiuit nisi primum *dijudicasset*. quid res ista homines doceat. 32.

Rei *bonitas* non tam verbis quam *operibus* comprobatur.

Lucis dignitas dum prima à *conditore* celebratur.

Homo sine diuina *laudatione* ne intumesceret, & *superbiret*, 33.

Singula *opera* Dei exemplo *examinanda*.

Perstricti qui *dominandi* cupiditate aliena inuadunt *iura*.

Malorum bonorumque *separatio* quàm bonis vtilis. 34.

Vbi *diuisio*, ibi aliquæ *tenebræ*.

Iusti lapsus, iusti *diem* non inficit.

Per *aduersitatis* & *tribulationis* tenebras ad fœlicitatis diem itur. 35.

Fides præcedere debet apertam *lucem*.

Tristia lætis in hoc sæculo ex Diuina *prouidentia* miscentur.

In Dei *obsequio* cum homo consummauerit tunc putet se *incipere*.

Et vidit Deus lucem quòd esset bona, & diuisit lucem à tenebris.

PRima res, quam laudatam audis lux fuit, & quòd mireris ab aspectu probatur; 30
ne quis deinceps laudem dubiæ, ac fallaci opinioni insculperet. Sanctus Ambrosius. 1. Exam. cap. 9. *Plus est*, inquit, *quòd probatur* ASPECTV, *quàm quod* SERMONE LAVDATVR, *suo enim vtitur testimonio, non alieno suffragio*. Plerumque homines homines euehunt, non quia aliquid laude dignum in illis videant, sed quia audiunt ab alijs efferri, aut quia laudatorum gratiam laudibus exhibitis venantur.

Vidit Deus, quòd esset bona. Cur hanc eandem formulam non adiecit cum conditus homo est? Nodum ita soluit Rupertus: *Licet homo diuinæ sit capax bonitatis, non tamen dictum est, & vidit Deus hominem quod esset bonus, vt dictum est & vidit Deus lucem quod esset bona, quia videlicet homo non intellexit, quod sibi* ADHÆRERE DEO *bonum esset, & ita nondum singularem* LAVDEM MERVIT. Nimirum laudem non meretur, nisi cùm cognoscit bonum illud solum esse, cum Deo adhæret.

Non poterat non esse bona lux, quæ à bonitatis omnis auctore esset, sed & antequam eam faceret sciebat Deus bonam esse lucem, licet vt nobis se aptaret, id tantum dixerit postquam condiderat. Scitè S. Chrysostomus: *Sciebat antequam lucem faceret, quod esset bona; quare*

ergo

ergo hac dictione vsus est? demittit se, & iuxta humanam consuetudinem hæc omnia loquitur beatus ille propheta. Et quemadmodum homines cùm magnum aliquid magno studio elaborauerint, & finem laboribus suis imposuerint, tunc tandem per experientiam declarant ea, quæ fecerint, & opus laudibus extollunt: ita & diuina scriptura solet, & nunc cùm se ad nostrarum aurium infirmitatem demisit & dixit: & vidit Deus lucem quòd bona esset. Sic rectè docuit præproperè non esse efferendos qui re ipsa non præstiterint, quæ laude sunt digna.

31 Statim Deus commendat quæ fecit. Vides vt laudis inuentor Deus fuerit, quod in laudis laudem maximè resilit. Benè Ioannes Eusebius: *Primus,* inquit, INVENTOR LAVDIS DEVS *fuit; &* PRIMA DOCTRINA *quàm me docuit, fuit laudare: primùm beneficium, quo donauit creaturas recentes, laus fuit, & commendatio bonitatis earum. O dignitas laudis quam inuenire solus Deus fuit dignus: Aliarum rerum inuenta homini deberi voluit Deus; laudis inuentionem præripuit ipse. Non tantum creasti nos, sed erudisti & instituisti in officio nostro, quod est laudare opera tua, & te ex illis. Pater amantissimus non tantum filium generat, sed institutionem eius curat. Laudasti Domine creaturas statim atq; fecisti, & quia illæ te laudare nequeunt, quia mutæ sunt, mihi hoc onus pro seruitio suo imponunt, vt te pro illis laudem: nullum aliud stipendium à me petunt obsequij sui, nisi vt suppleam lingua mea earum infantiam, laus mea, laus elementorum & cælorum erit; vt cùm pro infante gratias quis agit benefactori illius, gratificatio infantis est.* Laudari Deus debet in creaturis, quæ laudem offerre Deo nequeunt.

Et vidit Deus lucem, quòd esset bona. Idem qui lucem produxerat lucem laudat; sed mirum prima, laus quæ in diuinis litteris recensetur, & prima commendatio ab oculis ortum habet, non ab ore; bonus encomiastes aspectus est, sed quod est magis Dei, qui falli non potest. *Maior* LAVS *est* PLACERE OCVLIS, QVAM *ore, vt ille ait,* PRÆDICARI *& plus est, quòd probatur aspectu, quam quod sermone celebratur.*

Vidit Deus lucem quod esset bona. Primum iudicium, examen primum à luce incepit; quid de tenebris fiet? Quis non timore corripiatur cùm audiat lucem probari? *Quis,* inquit bonus ille auctor, *non timeat, cum videat lucem, qua nihil pulchrius ac purius, nihilque in commune bonum & vtilitatem profusius, nihilominus vbi primum condita fuit, illico* SVPREMI IVDICIS EXAMEN SVBIRE; *num bona, num ad regulam diuini iudicij directa ordinataque videretur. Quid iam de tenebris fiet, si lux ipsa examinatur? Oportet vt iudicium incipiat à domo Dei. Quid fiet de domo diaboli.*

32 *Vidit Deus lucem quod esset bona.* Cur laudem, commendationemq; suorum operum non reiecit Deus, in finem, aut saltem multis rebus conditis, probauit, quæ condiderat? *Noluit,* inquit Vgo Victorinus, *Deus ad* SEQVENS OPVS *transire, donec* DIIVDICASSET PRIMVM. Quæ res eos arguit, qui sua singulariter non discutiunt, nec probant, sed summùm confusè, & indistinctè recensent, quo laborant vitio, qui obituri tunc demum actæ vitæ rationem à se exigunt, si tamen id illis præstare datum.

Vidit Deus lucem, quod esset bona. Hæc prima rei efferendæ formula: Audis vt laus ab oculi petatur testimonio, non ab oris. *Non ait Moyses,* inquit scitus ille auctor, *Dixit Deus, quod bona esset lux, sed, vidit Deus lucem, quòd esset bona; quia* REI BONITAS NON TAM VERBIS, QVAM OPERIBVS COMPROBATVR; *vnde non adhibuit testes bonitatis lucis linguam & os, reliquaque instrumenta vocis, sed oculos, qui rem introspiciunt, non aures quæ inani sono pascuntur. ergo in dignoscenda pietate alicuius non tam auribus, quàm oculis fidamus; neque enim tam pius censendus est ille, qui bene loquitur, quàm qui benè operatur.*

Vidit Deus lucem, quod esset bona. Magnum lucis priuilegium vt prima sui conditoris laude commendetur: *Quibus igitur,* inquit Sanctus Basilius lib. 2. Exam. *lucem celebrare nos poterimus* LAVDIBVS, *cum tale de sua bonitate testimonium à* CONDITORE *meruerit?* Idem ad Ioannem Baptistam transferas, qui à Christo ipso cæteris est hominibus antelatus.

Singula Deus laudat, & à bonitatis auctore omnia dicuntur bona, cur non hac laude effertur homo, qui cæteris præfertur creaturis? 33 *Quòd cetera,* inquit nobilis ille auctor, *creaturæ cum essent sanctitatis expertes, non possent ex diuina laudatione superbire, at vero homo singulari imbutus sanctimonia, si insuper à Deo* LAVDARETVR, *exponeretur periculo incredibili* INTVMESCENDI.

Vides vt viderit Deus lucem, quam fecerat, & velut ad examen vocauerit? iusq; idem in rebus alijs præstiterit, indixit nobis quid præstare debeamus, dum in Dei obsequium præstamus aliquid. *Deus,* inquit Ioannes Eusebius, *qui non potest errare, singula opera sua statim vt fecerat, considerabat, & examinabat. fecit lucem, statim examinans vidit quod esset bona, fecit luminaria, statim scrutatus est, & vidit quod essent bona. Quotidie operum singulorum examina fecit deinde vniuersale omnium, cuncta perpendens, & vidit quod essent valde bona. Sic* TV SINGVLA OPERA TVA EXAMINA, *deinde omnia simul. si non fecisti benè, in discussione tua conscientia emendabis vt deinceps facias melius.*

Diuisit lucem à tenebris. Adeo vt nunquam postea diuisionis terminos miscuerit; quod in eos torqueas, qui dominandi cupiditate, aliena inuadunt iura. Benè Honcala hic: *Deus dicitur diuisisse lucem à tenebris: quia locis eas dissociauit. vt si lux alterum hemisphærium illustrarit alterum teneant tenebræ: ita vt perpetuo tenore vices suas seruent. & profectò ab æuo condito, nec lux terminos suos transgressa est, ne tenebræ limites suos præterierunt. Sed absque vlla perturbatione in confusis spacijs ordinem à conditore sibi præscriptum semper retinent. Quo magis culpandi sunt mortales, qui neque mensuram suam agnoscunt, neque vices suas sibi à summo iudice præstitutas seruare curant:*

uirant: *sed* AMBITIOSA QVADAM LIBIDINE CVNCTA HVMANA, DIVINAQVE IVRA SVSQVE DEQVE PERVERTVNT.

34 Lucem à tenebris dum Deus diuisit, malorum, bonorumq; separationem tacitè suasit. Benè Theofridus Abbas: *Distantia grandi diuisit Deus lucem à tenebris iustos ab impijs, & minus perfectorum ossa à sanctorum reliquijs.*

Diuisit lucem à tenebris. Nunc primum *diuisionis* auditur nomen, sed inter lucem, ac tenebras; vix diuisio aliqua fiat, vbi tenebræ aliquæ non adsint; vbi lux ibi ferè vnio, non diuisio; qui diuisionem amat vel tenebras spectat, videat ne æternis adijciatur, si animorum vnitatem scindat, & concordiam tollat.

Factumq; est vespere, & mane dies vnus.

V*Espere, & mane.* Cur noctis mentio nulla fit? Rem ad mores, suo more, transferens Stephanus Canturiensis ait. *Quando iustus errat, cadit, & est vesper gratiæ: quando resurgit, mane. Nec fit mentio de nocte: quia si fueris iustus, & cadas & resurgas:* DEVS EX VESPERE, *&* MANE VNVM DIEM REPVTAT: *non noctem mortalis peccati computat: iuxta promissionem suam: Quacunque hora ingemuerit peccator:* Sic iusti lapsus iusti diem adeo non inficit, vt faciat.

35 *Vespere, & mane.* Rectus ordo, nec mysterio vacuus, vt vesper mane præcedat; per aduersitatum, & tribulationum tenebras eatur ad felicitatis lucem. Inuertens ordinem euertit se. Rectè Catharinus hic: *Mundus iste secundum hoc nostrum hemispherium, in quo creatus est homo, habuit primum vespere, deinde mane: quod etiam cum diuinis officijs appositissime conuenit. Nam sabbato in vespere iam cadente incipit dies Domini celebrari, vt significetur tunc incipere diem Domini solemnem. Ob eam causam fuit mandatum in scripturis vt festorum solemnitates à vespere inciperent. Nec istud magno vacat mysterio, quoniam sic in nobis fit, & ita fieri debemus intelligere. Antequam enim facie ad faciem nostrum verum Solem videre possimus, oportet prius præcedere vigilias vespertinas, & ambulare quasi in nocte per* FIDEM, *& sic expectare perpetuam clarissimi atque splendidissimi festi lucem, idest, quando apparebit Christus gloria, & vita nostra. Sed non desunt plerique ex hominibus qui festum prius quàm vigilias celebrare volunt contenti bonis huius sæculi desperantes de futuris. Contra diuini ordinis præscripta. Hoc ergo illis meritò eueniet vt æterno festo priuati, in sempiternis vigilijs torqueantur. Quare hoc mihi videtur in causa fuisse cur prius memoratum fuerit vespere quam mane.*

Dies vnus ex vespere, & mane cöalescit; sic seculum istuc fluit, tristia lætis miscentur, tristibus læta; aliud erit cum in aliam vitam transferemur. Præclarè Sanctus Bernardus: *Secularibus*, inquit, *viris aliquando quæ placent, quandòque quæ displicent videmus accidere, & ipsis nihilhominus spiritualibus* NON SEMPER TRISTIA, NON SEMPER LÆTA *succedunt; sed vespere, & mane dies vnus; & visitas eum diluculo, & subito probas illum. Verùm hoc interim dum præsens sæculum manet, vel manat magis, & fluit. Cæterum post hoc sæculum duo futura sunt sæcula, valde diuisa, & diuersa; itaut in altero non nisi fletus, & stridor dentium, in altero sola gratiarum actio, & vox laudis. Interim sicut amatores mundi multa patiuntur aduersa, sic nec ipsis seruis Dei omnia in hoc mundo optata succedunt.*

Vespere, & mane. Ordo iste mysterio non est viduus, rectè monemur in bonis operibus ita pergendum vt cum aliquid perfecerimus tunc inchöemus. Pulchrè bonos ille auctor: *Factum est, ait Moses vespere, & mane dies primus. His diebus diuina opera distinguuntur, qui à vespere incipientes, in mane terminantur. Et quidem vespere finem, mane autem initium significat. Dies ergo seruorum Dei a vespere incipit & in mane terminatur: quia cum consummauerit homo, non se iam comprehendisse,* SED TVNC SE PVTET INCIPERE.

Sectio VII.

Firmũ vt omne sit quod *Deus* statuit. 36.

Homo propter *cælum* possidendum est creatus.

Cæli & terræ *perennitas* vt collecta.

Ægrè *diuturna* quæ *homo* præstat.

Secularium conuersatio quàm noxia Ecclesiasticis viris. 37.

Lachrymarum aquæ non terram sed *cælum* sapiunt.

Aqua cur super *cælos* locatæ.

Laudem non videntur mereri quæ non plene *perfecta*. 38.

Natura humana decus *Christus*.

Cordium *diuisionem* quàm *Deus* odio habeat.

Peccati vmbra quam *Deo* displiceat. 39.

Infernus, quando factus.

Notati qui aliena *ambiunt* & proprium *locum* deserunt vt aliena inuadant.

Mens in aliena fluere non sinatur, sed *colligatur* in vnum.

Alieno *commodo* laborandum, non *cupidè* aliena inuadenda. 40.

Concordia lucis *anteambula*.

Affectus qui terrena spectant constringendi, dilatandi qui in *cælestia* feruntur.

Nimis angustæ res *terrena* sunt, diffusæ *cælestes*. 41.

Perstricti *Diuites*, qui auarè alienis *inhiant*.

Naufragium timeat, qui terræ, & *terrenis* adhæret.

Non facilè *laudandum* bonum, quod facilè *mutari* potest. 42.

In bono firmum *voluntatis propositum* quanti faciendum.

Aquarum aspectus *baptismum* obijcientium, quàm gratus beatis.

Dixitq; quoq; Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas, quæ erant sub firmamento, ab his, quæ erant super firmamentum.

36 HOrum verborum ordinem in hunc modum expendebat Sanctus Ambrosius lib. 2. Exam. cap. 2. *Sermo eius, finis est operis. Fiat (inquit) firmamentum inter medium aquæ,* FIRMVM EST OMNE QVOD STATVIT DEVS. *& satis pulchrè præmisit fiat firmamentum, antequam subijceret, inter medium aquæ: vt tu priùs crederes firmamentum ex præcepto Dei factum, quam de aquarum profluа qualitate dubitares. Si naturam elementorum consideres, quomodo inter aquas solidatum est firmamentum? illæ profluunt: illud constringitur: illæ currunt, hoc manet.*

Fiat firmamentum: Vtile est, quod hic Ferus habet: *Prius, inquit, cælum ornauit, quàm terram, ad ostendendum quod quamuis etiam terra ad tempus hominis hospitium sit, tamen homo potissimum* PROPTER COELVM POSSIDENDVM EST CREATVS.

Mirum quod nomina animantibus Adam imposuit, terræ, & cœlo, & firmamento Deus. *Veruntamen*, inquit Rupertus apud Lippomanum, *quid hoc sibi vult, quod scriptor ipsum Deum astruit firmamentum cælum vocasse? Non enim sine causa esse putandum est, quod de animantibus loquens, quæ sine dubio prætereunt, adduxit (inquit) ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea, Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius. Lucis autem nomen, id est diem, & tenebrarum, id est noctem, ipse Deus posuit, de quibus sane dubium non est, quia* PRÆTERIRE VEL MVTARI NON POSSVNT. *An & cæli & terræ perennitatem ex eo scriptor idem innuit, quia Deus firmamentum cælum, & aridam terram nominans, per seipsum vocabula imposuit.* Hinc quoq; colligas, ægrè diuturna, quæ homo præstat, quidni mutabilia sint, cum sit ipse mutabilis, & inconstans?

37 Aquas diuisit ab aquis; quod sic viris Ecclesiasticis aptauit Pepinus hic: *Necesse est igitur est vt sint aquæ superius & inferius, quæ inter se diuiduntur non solum per disparitatem meriti & gratiæ; verum etiam interdum loco: & hoc propter vitæ periculum:* NON ENIM MVLTVM EXPEDIT ECCLESIASTICOS ET RELIGIOSOS PASSIM CONVERSARI CVM LAICIS: *tum ne tepescat eorum deuotio: tum ne forsan scandalizentur aliquorum malo exemplo.*

Diuisas audis aquas ab aquis, quædam hærent terræ, super cælum aliæ sunt; idem in lachrymarum accidit aquis, sunt quæ terram sapiunt, ob terrena damna funduntur, aliæ cœlum quæ ob desiderium cælestis patriæ emittuntur, *super cælos*, inquit Sanctus Chrysologus, ET VSQVE AD IPSVM DOMINVM IMBER HVMANARVM PROSILIT LACHRYMARVM.

Sed cui rei aquæ super cœlos locatæ sunt? An vt super omnia efferrentur, ex quibus omnia ferè nata? Addit Cornelius: *Fortè etiam ad voluptatem sanctorum existentium in Cælo empyreo, vt aquis hisce chrystallinis, & variegatis oculos eorum Deus pascat; Aquæ enim omnis formæ, decoris, coloris, & ornatus sunt capacissimæ.* Claudit: *Deniq; multa mirari voluit nos Deus, non scrutari.* Obiecit Deus aquas beatorum oculis, vt quandam baptismi figuram eorum mentibus repræsentaret.

Cur quando firmamentum Deus condidit non est dictum: *Vidit Deus quod esset bonum?* 38

Nodum ita soluit probæ notæ auctor: Cum Deus, inquit, aliqua minus perfecta sicut aquam, & terram creasset, illa perspexit, bonaq; esset vidit. Quando autem de firmamento locutus est, & si grandis, atque mirifica machina est; non tamen dicitur: Vidit Deus, quod esset bonum, Et hæc ratio huius disparitatis assignatur, scilicet, quia creaturus erat solem, qui firmamentum illud erat illustraturus, quod est cœlum stellatum, vt omnes illas stellas in eo sitas decoraret, atquè radiaret. Sic etiam non dicitur de homine: Vidit Deus quòd esset bonum, quia etiam vacuus mansit quousque formatus est sol iustitiæ IESVS CHRISTVS, QVI HVMANAM NATVRAM ILLVSTRAVIT, AC DECORAVIT. Nimirum laudem, non videntur mereri, quæ non plenè perfecta, & quibus præcipuus perfectionis deest articulus.

Sunt qui dicant, secundum diem Dei benedictione caruisse, quia in illo diuisio facta est inter aquas & aquas, Secunda die, inquit nobilis auctor, non dicitur vidit Deus quod esset bonum, & ratio est, quia adduci solet huius est, quia dies secundus, qui numerum binarium continet, PRIMVS EST, QVI AB VNITATE RECEDIT, quæ vnitas concordiam, & amorem significat, in quibus animæ perfectio consistit. Et etiam quia diuisionem aquarum ibi facet textus refert, his verbis. Diuisitq; aquas quæ erant sub firmamento ab ijs, quæ erant super firmamentum. In his omnibus manifestatur, QVANTO ODIO PROSEQVATVR DEVS cordium diuisionem, & animorum discordiam, & etiam ostenditur, quantum malum sit discordia, & quod malorum plurimorum fons, & origo est. Sed ratio superius adducta videtur cohærentior, præsertim cum alij numeri post secundum, licet primi ab vnitate non recedant, recedunt tamen longius. Et verò hæc eadem ratio alijs probæ notæ doctoribus arrisit. Hinc illud Vgonis Victorini de Sacramentis lib. 1. cap. 20. vbi ait. *Quare ergo hic non dictum est, Vidit Deus, quod esset bonum: sicut alibi vbique dictum est: Vidit Deus, quod esset bonum?*

bonum? Nam ſi ideo alibi dictum eſt, quia factum eſt: Cur etiam hic dici non debuit, ſi factum fuit. Fortaſſis quia binarius ſignum diuiſionis eſt, QVI PRIMVS AB VNITATE DISCEDIT: *Sacramentum aliquod hic commendatur. Et non ſunt laudata opera ſecunda, non quia bona non eſſent, ſed quia malorum ſignum eſſent. Prima enim opera fecit Deus, & illa omnia bona valde erant, quibus neque inerat corruptio, neque deerat perfectio. Sed venit deinde diabolus & homo, & fecerunt ipſi opera ſua: & hæc erant opera ſecunda poſt prima, mala poſt bona: & noluit Deus videre opera iſta, quia mala erant, ſed quæ per ſapientiam vidit: per indicium improbauit.*

39 Aliqui putant ſecunda die non eſſe hanc formulam adiectam, *vidit Deus quod eſſet bonum*, quia tenebtarum, quæ peccatum referunt, mentio fuerat facta. Honcala: *Ne in tenebris approbatis* VIDERETVR APPROBARE PECCATVM; *cum tenebræ licet per ſe mala non ſint, peccati tamen ſymbolum ferunt, iuxta illud: Dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* Vt videas & peccati vmbram Deo diſplicere.

Non defuere, qui ſecundam diem approbationis formulā caruiſſe crediderint, quia in illa infernus fuerit conſtitutus, qui malorum Angelorum locus pœnarum, & ſuppliciorum eſſet. Sed hoc non adeo certum, nam probæ notæ auctores cenſent factum infernum prima die, cum Angeli ſtatim poſt creationem peccauerint, vt è cœlo in infernum truſi fuerint, quod placuit etiam Cordelio.

Dixit verò Deus: Congregentur aquæ quæ ſub Cælo ſunt in locum vnum, & appareat arida.

C*Ongregentur aquæ*. Hoc, quod Deus legitur feciſſe, eos perſtringit, qui cupiditatis ſuæ aquis operire omnia volunt. Quondam, hæc ſcitì auctoris verba, dixit Deus. Congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt in locum vnum, & appareat arida, & factum eſt ita. Vnde fit manifeſtum quod niſi hoc Deus præcepiſſet, tota terra aqua cooperta eſſet, nec fructum proinde reddere poſſet. O quam efficax argumentum hinc deduci poteſt in eos, QVI VOLVNT IN HOC MVNDO NIMIVM SE PROTRAHERE, ET EXPORRIGERE. SI DEVS PRÆCIPIT AQVIS, VT PROPRIVM LOCVM DESERERENT AD HOC, VT TERRA FRVCTIFICARET, CVR VOLET, VT TV CVNCTA AMBIAS, & aquis tuæ cupiditatis omnia operias, vt nemo præter te viuere poſſit? ſit ſatis tibi frater, quòd tibi Deus non præcepit, vt quod tuum eſt relinquas, ſicut præcepit aquis, vt locum ſuum deſererent, ſed tantum præcipit, ne aliena rapias, & cum mediocri contentus viuas. Ingens profectò inſania eſt tantam curam adhibere in regijs, & opulentis domibus conſtruendis, & non reminiſci, vbi in alia vita habitandum ſit.

Congregentur aquæ. Idem de animæ cogitationibus fiat, nec ſinantur deorſum ire, & in varia ſpargi. Benè Richardus Victorinus par. 1. de extern. mali cap. 19. *O anima infœlix & miſera, vſquequo ſollicita es, & turbaris erga plurima? porro cùm* VNVM SIT NECESSARIVM, *tandem aliquando fige deſiderium, dilige* VNVM; *felices illius ciuitatis ciues, cuius participatio in idipſum. Congregentur aquæ quæ ſub cœlo ſunt in locum vnum, noli ſinere eas fluere deorſum. An neſcis quia omnis aqua quæ deorſum currit in mare deſcendit?*

In locum vnum aquæ congregantur, & locum ſuum relinquunt, vt Deo pateant, & communi vtilitati conſulant; hic auari arguuntur, & terrenarum rerum nimis cupidi, qui aliena inuadunt, & ſuum locum adeo non deſerunt, communis commodi cauſa, vt potius aliena rapere ſtudeant. *Erubeſcant* HOMINES CVPIDI, loquit Fernandius, *ad aſpectum aquarum, quæ vt terra caput exerat, fructuſq; ferat, ſuo à natura debito loco ceſſerunt*, & homines auaritiæ tyrannide acti, ſua vt dilatent prædia pauperum agellos diripiunt, & tanquam ſuos vſurpant. 40

Prius iubentur aquæ congregari, quam in cœlo luminaria fierent, *quia*, vt ille ait, CONCORDIA, *& vnio ſemper eſt* ANTEAMBVLA LVCIS. Scilicet cœleſti luce perfunditur, qui vnitatem quærit, concordiam fouet.

Cur congregati iubentur aquæ quæ in terris, non illæ quæ ſuper cœlos? An vt ſciamus quod illi affectus in nobis ſunt conſtringendi, qui hæc inferna ſpectant, non illi, qui tendunt ad ſuperiora, & ad Cœlum feruntur? Pulchrè Vgo Victorinus: *Iam quodammodo videmus, quare aquæ illæ, quæ ſupra cælum ſunt, non debuerunt colligi, & in vnum coarctari, quoniam charitas amplificanda ſemper eſt, &* DILATANDA; *& quanto latiùs panditur, tanto altius ſublimatur. Quæ autem ſub cœlo ſunt aquæ congregandæ ſunt, & conſtringendæ in locum vnum: vt inde per certos tramites, & exitus ordinatos, quæcunque deducantur. Quoniam* AFFECTVS *animæ inferior, niſi certa lege conſtringantur, non poteſt apparere arida, nec germina producere.*

41 Aquæ quæ ſub cœlo in vnum coeunt, quæ ſupra erant diffuſæ relinquuntur; vtile hinc elicit monitum idem Vgo Victorinus, dum ait; *Quæ ſub cœlo ſunt, congregantur in loco vno, & illæ quæ ſunt ſuper Cœlum non congregantur, ſed relinquuntur* DIFFVSÆ, *atque* EXPENSÆ, *quaſi quæ coarctari nolint, vel colligi*. Anguſtæ res ſunt, quæ ſub cœlo, nec poſſidentium reſpondeant voto, aut voluntatis non impleant ſinum, implent iſtam, reſpondebunt illi, illa quæ ſupra cœlum, & nos beabunt.

In vnum locum congregari iubentur aquæ. Rectè monentur diuites ne auarè cæterorum occupare loca ſtudeant. Benè Oleaſter: *Audiant hoc diuites: qui magna palatia ædificare volentes, pauperes cogunt domos ſuas vendere, & ab aquis & irrationabilibus diſcant,* CÆTERIS LOCVM DARE, *ceſſerunt enim aquæ ſuo loco, vt terra poſſet fructificare, tibi vero non præcipitur tuum locum relinquere, ſed alienum non occupare.*

Et appareat arida; quæ prius aquis operta

fuit, quàm posset apparere; An vt statim timeret naufragium, qui nimio in terrena amore fertur? An ne increatam aliquis crederet, quæ adeo inuenusta. S. Ambrosius lib. 1. Exam. cap. 7. *Demersa aquis describitur, velut cuidam principiorum suorum,* ADDITA NAVFRAGIO, *& adhuc à nonnullis facta non creditur: quid si decorem primogenitum vindicaret?*

42 *Vidit Deus quod esset bonum.* Omnia approbat Deus, commendat omnia, solus homo laude caret. Noluit nimirum probare, quem videbat laudatum posse omne se laude indignum constituere: *In prima rerum conditione,* inquit B. Thomas à Villanoua serm. de S. Dorothea Virgine, & Martyre, *cum singula quæ fecerat sigillatim approbasset, sicut de quolibet scriptum est, Vidit Deus quod esset bonum, solum hominem sine laude reliquit, expectans quis postmodum arbitrio suo futurus esset.* NOLVIT QVIPPE APPROBARE BONVM, QVOD FACILE MVTARI POTERAT, SICVT ET CITO MVTATVM EST. *Arbor enim seruauit quod creata est, & homo deleuit quod erectus est: ad hominum quippe excellentiam spectat, vt sit propria electio ne quod velit, non mutando naturam, sed affectiones arbitrio variando.*

Vidit Deus quod esset bonum. Bonum erat quicquid erat à fonte bonitatis, nondum terra germinauerat, & tamen tanquam omnia perfecta essent, omnia Deus efferre, vt hinc discamus non consummationem tantum operis spectandam, quàm firmum voluntatis propositum. *Nondum terra germinauerat,* inquit Glossa ex Beda, *nec aqua animantia viua produxerat, & tamen dicitur Deus videre, quod esset bonum: cedentibus aquis apparuisse aridam: quia æstimator vniuersitatis prauidens, quæ sunt futura, quasi iam perfecta laudat, quæ adhuc in primo operis exordio sunt: quia apud eum rerum perfectio, non in* CONSVMMATIONE *est operis, sed in* PRÆDESTINATIONE VOLVNTATIS.

Sectio VIII.

Vnum *opus dispositio* ad aliud sit. 43.
Instabilitatis fragilitatisq; exemplum, vt statim obiectum *homini* fuerit.
Terra ante cœlum formata etiam *Christi* causa. 44.
Dei voluntas vt *seminis* loco terræ fuerit.
Astrorum cultum vt *Deus* anteuerterit, terram ante cœlum ornans.
Principes & superiores ad munera non facile *propinquos* eligant. Dei in hac re prouidentia. 45.
Terræ exemplo ab *otio* nos *Deus* auocat.
Post *Trinitatis* sacramentum cognitum bonorum *operum* proferenda germina.
Terræ fœcunditas *Deo* non cœlo tribuenda. 46.
Herbas cur ante solem *Deus* produxerit.
Generi suo respondere *homo* nitatur, varia bonorum *opera* producendo. 47.
Vnico bono *opere* nemo sit *contentus*.
Crux mundi *ornatus*.
Cur *arbores* habere sementem secundum *speciem* suam dictæ sint. 48.
Quo quis *perfectior* eo suo *principio* similior.
Cur in rerum *productione* nulla *mineralium* facta mentio.
Auri & *argenti* productio cur minimè à Moyse recensita.

Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram.

Terra ipsa nos docet, vt vno opere perfecto statim ad aliud transeamus. 43
Benè bonus ille auctor: Hoc significat terræ iubere, vt germinet herbam virentem, & facientem semen, & lignum, cuius semen in ipso sit. Quia SEMEN EST DISPOSITIO, & principium ad aliam herbam, & alium fructum.

Non casu est factum, vt antequam homo formaretur fœnum, & herbæ producerentur, vt istarum, & illius visu instabilitatis, fragilitatisq; statim haberet speciem, & mortalitatis quandam figuram, sicq; à peccato facilius abstineret. Docti auctoris hæc sunt verba huc spectantia: Prius fœnum, & reliquæ herbæ oriuntur, & postea homo plasmatur. Vt scilicet denuo prodeunti homini in hanc rerum vniuersitatem humanæ vitæ FRAGILITATIS SPECIES OCCVRRERET QVÆ ILLVM SVÆ MORTALITATIS COMMONERET. Herba enim & fœnum, quo nihil citius arescit, symbolum sunt humanæ fragilitatis.

Germinet terra. Prius terra herbis floribusq; ornatur, quam cœlum stellis. Sed cur ita? *Ante Deus,* inquit Sanctus Anastasius Sinaita, ORNAVIT COELVM QVAM TERRAM TANQVAM SI TERRA ANTE COELVM DITATA SIT CHRISTI MYSTERIO, *& aduentu Propterea ante cœlum ornatur quoniam ante angelos terra, & terra geniti homines Deum per carnem vidimus, & ante cælestia exornans ille hæc inferiora ea lætificauit & illuminauit ante Cherubim & Seraphim, magi & publicani, & latrones & meretrices & peccatores facie ad faciem Deum viderunt eoq; se oblectarent & fruiti sunt; deinde eum sic transmiserunt videndum supernis virtutibus.* 44

Herbam geminare terra iubetur, & cætera fructum iuxta genus suum proferre; sed vbi semen? Dei voluntas, & imperium seminis frui loco. Peritè Alcimus Auitus lib. 1. Poematum,

Acce-

Accepere genus sine germine iussa creari.
Et SEMEN VOLVISSE FVIT, *sic vbere verbi*
Frendescunt sylua: teneris radicibus arbor
Durauit vastos paruo sub tempore ramos.

Sed cur non prius Cœlum ornatu suo vestiuit, quam terram? An hominum id causa factum, ne facilè in Cœlo Deos sibi formarent, quod scirent terræ postpositum? Seuerianus in Catena Græca Fumani ita philosophatur: *Quare prius terram quam cælum ornatu suo informat atq; afficit? nimirum illius erroris causa, quem multos Deos inducturum in mentes hominum & Solem ac Lunam ac reliqua astra* DEORVM HONORE ET CVLTV DONATVRVM CERNEBAT.

Terram prius herbis vestit Deus, quàm side-
45 ribus cœlum; vtile hinc elicit monitum probæ notæ auctor, dum exclamat: O consultissimam Dei prouidentiam, ab humano consilio longè peregrinantem! scilicet ab empyreo terram venustat: exinde propinquiores cœlos, & syderum ornatu, & præsidentiæ dignitate sublimat. Itaque à mundi exordio præmaturè præcauet, NEQVIS PRÆSVMAT DE PRINCIPIS PROPINQVITATE SVBLIMARI, propinquos cœlos præterit, & longinquam (antropoparhos loquimur) terram priùs adornare festinat, ne candidatorum præsentia, dignitates haurire videatur. Occultatior est Dei prouidentia, vt velut loco magis propinquos, priùs videat, potiùs eligat: REMOTIORA ELIGANTVR, vt consultior DEI PROVIDENTIA, vindicetur, quam humana æmuletur electorum prudentia.

Germinet terra. Statim ac pacefacta terra est, & aquæ in vnum locum congregatæ, quæ totam eam operiebant, germinare iubetur, & plantas producere. *Noluit Dominus*, inquit ille, *aliquo eam temporis spatio* OTIOSAM, & INERTEM *iacere*; vt vel terræ exemplo ad laborem homo exstimularetur, vt otio non corrumperetur, cum otio torpuisse vnquam terram non legamus.

Ordo mysterio non est viduus; prius terra germinare præcipitur, deinde Sole ac Luna insignitur; idem in microcosmo accidit, bona prius opera præstanda vt superæ gratiæ lumine perfundamur. Sanctus Petrus Damianus serm. 38. *In mundi*, inquit, *primordio terra tertio die germinare præcipitur, quarto autem Sole, Luna, ceterisque sideribus illustratur; quia nimirum,* PERCEPTO *T*RINITATIS *D*EIFICÆ SACRAMENTO, PROTINVS A NOBIS BONORVM BONORVM PROFERENDA SVNT GERMINA, *vt consequenter in nos cælestis gratia*, LVMEN *erumpat.*

46 *Germinet terra herbam virentem.* Non casu accidit, quod terra herbam fructusq; iubetur producere, antequam sol, & stellæ conderentur, ne stellis, soliq; terræ fœcunditatem tribueremus, sed Deo. *Mirificè*, inquit Honeala, *planetis, nondum conditis, vel certe nondum perfectis, & frugiferas herbas, & fructiferas arbores germinauit: & diuinitus adiuta, promotaq; ad perfectum prouexit, vt ad vnum primumq; rerum* PARENTEM IN PRIMIS REFERAMVS, *quicquid est illud quo sumus, viuimus, mouemurq;, alimur, augemur, consistimus, atq; seruamur.*

Herbas ante solem condidit, vt omnia Deo tribuerentur, non soli. Auctor Catenæ Græce adpositè rem tetigit. GRAMINA PRIVS CREANTVR QVAM SOL *vt hæc munere Dei, non natura submitti intelligeremus.* Tanti refert Deo tribui, quod est Dei, quod à Deo est, nec tribui creaturæ quod à creatore est.

Voluit prius Deus herbas esse, esse ligna, quam Sol esset, ne ista, ne illæ solis virtuti tribuerentur. Rem sic vrget Sanctus Ambrosius lib. 4. Exameron cap. 1. *Quid præuidit altitudo sapientiæ & scientiæ Dei, vt prius inciperent ligna esse, quam illa duo mundi luminaria, & quidam cœlestis oculi firmamenti, nisi vt cognoscerent omnes diuina testimonio lectionis, terram* SINE SOLE POSSE ESSE FOECVNDAM? *nam quæ potuit sine sole prima rerum semina germinare, potest vtiq; semina accepta nutrire, & proprio fotu sine calore solis partus edere.* Istuc tetigit etiam S. Chrysostomus hom. 6. in Genesim, vbi ait. *Quapropter diuina quoq; scriptura præuidens propensos ad errorem ignauos, docet nos, post tertium diem hoc elementum esse conditum, postquam terra omnigena semina protulit, & suum accepit ornatum, vt nulli post hac dicere liceat,* QVOD SINE SOLIS COOPERATIONE NON MATVRESCANT *fruges, & prouentus terræ, & idcirco monstrat tibi, antequam sol formaretur, omnia fuisse impleta, vt ne soli fructuum prouentus adscribas, sed omnium opifici Deo, qui dixit ab initio: Germinet terra herbam fæni:* Et hom. 5. eodem spectans hæc habet: *Futuram hominum ingratitudinem taxans diuina scriptura, vt diligenter omnia, ita etiam nobis ordinem factorum narrat, vt compescat nugacitates & deliramenta eorum, qui vanitates suorum figmentorum, commentantur, & dicere audent, quòd solis cooperatione ad fructuum prouentum opus sit. Sunt & alij,* QVI HÆC ASTRIS ALIQVIBVS ADSCRIBERE NITVNTVR; *propterea docet nos Spiritus Sanctus, quòd ante formationem horum elementorum sermoni & præcepto Dei obtemperans tellus, omnia semina ediderit, nullo alio ad cooperationem opus habens, sufficiebat enim & pro omnibus verbum illud Dei, quod dicebat: Germinet terram herbam fæni.*

Iuxta genus suum. Nostrum quoq; est iuxta
genus nostrum fructum producere; genus au- 47
tem Dei sumus. Pulchrè rem pius ille auctor versat: Faciens fructum iuxta genus suum. Et tu homo iuxta genus tuum viue non adulteres genus tuum. Vis illud nosse? Attende Apostolum in Actibus dicentem: Genus eùm sumus Dei, &c. Lignum generi suo respondet, & non respondes generi tuo? Tritici granum inspersum terræ, GENERIS SVI GRANVM REDDIT, ET TV A TE DEGENERAS? Fruges non adulterant sui syncetitatem seminis, & tu adulteras puritatem animæ, vigorem mentis, corporis castitatem?

Produxit terra ad Dei imperium herbas, fructus, sed vnius generis, vt ab illa disceres varia bonorum operum genera gignere. Pulchrè ille: Quando Deus præcepit terræ, vt fructus,

herbas & animalia produceret, noluit illam producere vnicam tantum herbarum aut fructuum, aut animalium speciem, sed diuersas omnis rei: sic tu Christiane NON ESSE DEBES VNICO OPERE BONO, VNICO FRVCTV CONTENTVS, sed augere in dies opera bona super opera, fructusque super fructus vberiores.

Quærunt interpretes cur Deus lignis ornet prius terram, quam cœlum stellis? An quia in lignis, crucis lignum spectabat, quæ omnem rerum omnium gloriam superat, & cœlo ipso splendidior erat futura? *Quando audis*, inquit Sanctus Anastasius Sinaita, *quod iubetur colere* LIGNVM CRVCIS. *Et ideo dicit Ecclesia, quod germinet lignum crucis faciens fructum, & aspectu pulchrum, & bonum ad vescendum, nempe Christum crucifixum.*

Et habens vnum quodque sementem secundum speciem suam.

48 *Secundum speciem suam*. Cur cum de herbis dixerit *iuxta genus suum*, idem & de arboribus non dixit, sed speciei vsus nomine? Nodum ita soluit Sanctus Thomas hic: *Herba*, inquit, *faciunt secundum genus suum, non secundum speciem suam, quia frequenter ex dispositione terra ex semine vnius grani secundum speciem surgit aliud secundum speciem, sicut ex tritico siligo: & hoc propter imperfectionem & indifferentiam specierum. Sicut etiam masculus propter infirmitatem siue naturalis potentia, vel materia mulieris, quamuis sit masculus, generat fœminam: & quamuis sit fortis, generat debilem. Arbores autem semper in semine suo generant* IDEM SECVNDVM SPECIEM. Scilicet quò quis perfectior, eò similior suo esse principio debet, minusque ac rarius à semine gratiæ degenerare.

Sed cur nulla mineralium mentio fit? An quia hæc terræ pars censetur? *Illud præterea*, inquit Catharinus, *pulsat quorundam infirmorum mentem, cur nulla fiat* MINERALIVM *mentio. Verum cum hæc sint veluti viscera terra, tanquam ipsius terra pars accipiuntur, quæ suapte natura citra opus hominis coalescunt, nec semen aliquod expetunt. Sunt enim quasi vena terra, nec iis opus erat ab initio, vt repente prodirent ac apparerent.*

Nec metallorum Moses meminit, nec fluminum, lacuum, montiumque; huius rei non vnam reddit rationem nobilis ex nostris auctor in hæc verba; hæc non recensita: Primò quia istarum rerum generatio, cùm intra terræ viscera fiat, est vulgo occulta & ignota: nec differentia earum rerum à terra & lapidibus, est cuilibet manifesta. Deinde quia non efficiunt diuersum genus & gradum ipsius Esse naturalis, diuersum inquam ab elementis: quattuor enim sunt gradus ipsius Esse naturalis, videlicet Esse corporeum, Esse viuens, Esse sentiens, & Esse intelligens, sed enim eiusmodi corporum effectionem similiter vt cæterorum omnium à Deo esse, cum alibi, tum in libro Iob aperte docet scriptura. Illud igitur admonendus est lector, quod hoc loco semel dictum, in alijs quamplurimis similiter intelligi debet, Mosem non omnia, sed manifesta omnibus, maximeque illustria & nobilia Dei opera, hoc loco enarranda suscepisse: quapropter vt tacuit generationem fontium, fluminum, lacuum, montium, vallium, camporum, & collium, ita de metallorum rerumque fossilium effectione verbum nullum fecit.

Obseruatum ab auctoribus est nihil de auri, nihil de argenti productione dixisse Moysem. Ratio est quia non erat ei propositum, singulorum rerum quas Deus condiderat, productionem recensere. Addita ab alijs alia ratio: Sicut Moyses, inquit bonus ille auctor, nihil de creatione Angelorum dixit, veritus ne homines eorum pulchritudine decepti ANGELOS PRO DIIS ADORARENT, ita nihil dixit de productione auri, & argenti veritus ne homines hæc metalla tanquam numina venerarentur. Ratio quæ acuminis potius habet, quàm soliditatis, nam alioquin non debebat aurum commendare, nec dicere *aurum* illius terræ optimum esse.

Sectio IX.

Siue

Siue in *prosperis* siue in aduersis à spiritali *profectu* nunquam retardemur.

Qui *praeesse* alijs quærunt, *solem* imitentur. 54.

Alijs *seruiant* qui alijs *præsunt*.

Principatus nota alijs *prodesse*.

Maria peccatorum nocti vt *praeesse* dicatur. 55.

Ijs, qui in *tribulationis* nocte sunt *Maria* opitulatur.

Nocti præesse dicuntur qui *pænitentiæ* dedere exemplum.

Defectus aliqui in *superioribus* ferendi. 56.

Subditorum mores *superiorum* quædam mensura.

Vera *virtus* in *aduersis* eminet vt stellæ in nocte. 57.

Veræ *sanctitatis* nota nulli se *præferre*.

Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento Cœli, & diuidant diem, ac noctem, &c.

49 Fiant luminaria. Rectus ordo, nec mysterio viduus. Prius terra iubetur germinare, deinde in cœlo conduntur luminaria, vt ab hoc ordine discamus, prius bona esse opera producenda, vt supera luce donemur; *Quid verò est*, inquit Sanctus Petrus Damianus opusc. 60. cap. 4. *quòd priùs germinat terra, & protinus creantur luminaria, nisi* QVIA PRODEVNTE BONI OPERIS GERMINE, LVX IN ANIMA COPIOSIOR ORITVR, *vt imitari valeat sui vestigia Redemptoris? Acceleret ergo mens humana spiritualium segetum germinare prouentum, vt rutilantibus diuinæ lucis radijs illustretur, quatenus dum quarti diei luce perfruitur, etiam ad contemplanda cœlestia, more spiritualium volucrũ, rapiatur.*

Cur luminaria non statim primo die creata fuere, sed quarto? An quia in terris non erat, quod ab illis ageretur, vt præstaret non esse, quàm esse otiosa, nec vllum inde haberemus otij exemplum: *Quia*, inquit Seuerianus, *nondum erant terræ nascentia, quæ* LVMINARIVM CALORE FOVERENTVR; nec enim rebus alijs illuminandis tantum nata erant, sed & fouendis; quod ad doctores transferas, qui si luceant tantum doctrina non probæ vitæ calore ceteros foueant, muneri non respondent suo.

Et illuminent terram. Non vt tenebras offundant, quod factum, cum dæmonis arte cœli luminaria homines adorarunt; sic Dei filius in mundum venit, vt creaturas ab ignobili hoc honore liberaret, ita loquitur Eusebius Pamphilus lib. 1. de fide: *Sol*, inquit, *non illuminabat, sed & ipse nobis erat offensio. Venit autem per quem sunt omnia; non solùm nos liberauit, sed & ipsum solem ab ignobili isto honore liberum fecit. Liberauit sanè lunam à calumnijs, & purgauit stellas vt non adorarentur.*

Fecitque duo luminaria magna, luminare maius, vt praeesset diei, & luminare minus, vt praeesset nocti, & stellas.

Cvr sol, & luna primo die producti non sunt? An quia nondum fructus terræ fuissent, quos fouerent? An ne istis luminaribus ea, 50
quæ terra Dei virtute produxerat tribuerentur, & creaturæ adscriberentur, quod erat Dei? Benè Seuerianus in Catena Græca Fumani: *Sed* CVR NON STATIM PRIMO DIE FECIT ET SOLEM ET LVNAM? *nempe quod nondum esset firmamentum in quo collocarentur, neque verò ob id solum, sed etiam quia fructus nondum erant qui ab illis fouendi essent; nam fructus tertio duntaxat die pullularunt; ac ne quis putet eos vi solis pullulasse: quo tempore opificium eorum perfectum est, tunc vtiq; & solem & lunam & astra est fabricatus.*

Die quarto sol formatus est, vt statim illi superstitioni occurreretur, qua infaustus, & inauspicatus quartus creditur dies. Peritè Sanctus Ambrosius; *Pulchrè*, inquit, *vt arbitror cessit dies quartus, quomodo ergo quartum plerique consueuerunt cauere & inutile putant* HOC NVMERO ALIQVID ORDIRI, *quo totus nouus mundus aliqua luce emicuit? an sinistris capit sol auspicijs? & quomodo potest alijs bona signa dare, qui sibi eligere diem sui nesciuit exortus? aut quomodo signa eius probant, cuius exortum non probant?*

Mundo solem, lunamq; præfecit Deus; iure nam qui propriorum commodorum obliuiscitur, & naturalis inclinationis, is opportunè aliorum curam gerere potest. Huc facit, quod habet Theodoretus lib. 1. de Prouidentia: *Equidem Solem, & Lunam vna cum toto illo stellarum cœtu cœlo terga vertisse, & radios suos deorsum demittere videmus. Creatori enim seruiunt, & natura illis est, quem creator constituit, terminus. Tibi equidem minimè parebit ignis natura, creatoris autem nutibus sese accommodat, &* CVIVS NATVRA ERAT SVRSVM TENDERE, ET IN ALTVM FERRI, *deorsum ferri incipit. Hic quoque Dei prouidentiam inspice, qui Soli, & Lunæ, & stellis insistit, & has seu voce quadam hominibus faces praeferre iubet. Exoriens enim sol diei author est.*

Solem, Lunamque ex producta prius luce Deum perfecisse sunt qui putent, adeo vt non 51
extincta prima lux fuerit, sed in solem ampliata, vt hinc moneremur antiqua in perfectiorem ordinem reformanda, & restaurationis sacramentum statim ostenderetur; quod notabat Vgo Victorinus, *Quis*, inquit, *scit vtrum ipsa eadem lux postea in solis substantiam translata sit, & ampliata claritate formam meliorem acceperit: quemadmodum in nuptijs Iesus de aquis vinum fecit, vt* REFORMATIONIS *statum in melius, &* RESTAVRATIONIS *Sacramentum demonstraret.*

Illud hic in quæstionem vocari potest, cur cum Moses Solis & Lunæ mentionem fecerit, non fecerit etiam quinq; aliorum planetarum. An quia, inquit Pererius, in commemoratione Solis & Lunæ eos intelligi voluit? An quod eos vno stellarum generali vocabulo comprehendit?

An

An potius, quia non nisi doctis hominibus eorum proprius motus, effectus, vsus, & differentia à cæteris Astris nota est, propterea eos hic recensere supersedit? Certè illorum quinque solius Luciferi, quod est sydus Veneris, in scriptura mentio fit apud Isaiam & Iob.

Seruiunt terræ cœli luminaria, licet terræ præstent, idq; sine vlla lucri spe, formam hinc accipiant principes, ac superiores, quales esse in subditos suos debeant; quod expendens Oleaster hîc, ait: *Luminaribus tot facere officia præcepit, quot poterant præstare. Diuidant, inquit, diem à nocte: & sint in signa, tempora, dies, & annos: & illuminent terram. Vbi vides quot, & quanta terræ luminaria præstent ministeria,* NIHIL LVCRI EX EA SPERANTES, *neque dedignantur: cum tam sublimia corpora sint: tam lucida, tamque pulchra: infimo elemento terræ scilicet tot præstare ministeria. Quo exemplo docentur principes, nobiles, & sublimes inferioribus, cum opus sit, ministrare: Quorum præcipuum munus est, inferiores suo consilio dirigere, & illuminare. Sed proh dolor, non solum non dirigunt, sed deuorant pauperum bona, & cogunt pauperes vice versa, sibi ministrare; ex quorum sudoribus viuunt, & deliciantur.*

Duo luminaria magna. Mirum quòd lunam
52 magnum luminare vocet, cum, si veritatem
ipsam spectemus, stellæ pleræq; luna maiores
sint. An magnum vocat luminare, quia tale
hominibus apparet? vt statim nostro se captui
Deus aptet: Abulensis hîc: *Sol magnum luminare est, quia nullum corpus sphæricum tantum est: quodlibet enim aliorum astrorum, vel corporum elementarium minus illo est, Lunam autem vocat magnum luminare in comparatione ad alia,* NON QVANTVM AD REM, SED QVANTVM AD APPARENTIAM: *quia præter solem nullum maius corpus vident, quam Luna; & tamen secundum demonstrationes astrologicas Luna est maior octies tota terra, & quolibet astro visibili Luna ad minus octo vicibus minor est: propinquitas tamen orbis eius ad nos in comparationem ad alios orbes facit magnitudinem apparentia.* Vides vt nostro se captui Deus aptet, & maiora vocet, quæ maiora nobis apparent?

Luna luminare magnum dicitur licet multis sit stellis minor, quia vicinitate maior apparet, ac lucidior. Plerumq; ita accidit vt ex propinquitate, ex affectu minora, & obscuriora æstimentur maiora, & lucidiora. *Caue,* inquit ille, *ne te* PROPINQVITAS FALLAT, NE TE DECIPIAT AFFECTVS, *& cognationis, sanguinisque titulo maiores putes, quos vides viciniores.*

Magna luminaria hæc vocat, non spectata corporis mole, sed luminis habita ratione: vt hinc quoq; moneamur, in censendis rebus non molis habendam rationem sed virtutis, quæ vera est lux. Falluntur mortales dum magnos eos putant, quos opibus onustos vident, CVM VERA MAGNITVDO A PROBITATE EVMENDA SIT, & rerum mensura sit lucis magnitudo, non ea quæ tenebras potius offundunt.

Luminare magnum Luna cur dicitur ad stellas comparata, cum constet ab illis magnitudine superari? Quia propinquissima terris est, & humanis se rebus luce, loco, influxu plenius exhibet, apud homines nacta est, *magni luminaris titulum;* Ferè ita fit, vt maiora illa apud homines putentur, quæ viciniora sentiunt, & commodiora.

Quod de luminaribus dicitur sic ad docto-
res Carensis Vgo transfert: *Luminare maius, &* 53
*minus doctores maiores, & minores qui debent lucere
in firmamento sacra scriptura non sub modio commodi temporalis, vel sub lecto carnalis voluptatis.* Addit nonnullis interiectis: *Nota quod dicit in firmamento, non super, quia non plus sapere, quam oportet sapere.*

Luminare maius. Hæc verba ad sacerdotes, ac reges flectit Aelredus, vt sacerdotes tanquam luminare maius diei præsint, idest rebus spiritualibus, Reges tanquam luminare minus nocti, idest rebus temporalibus: *Sunt,* inquit, *in sancta Ecclesia firmamento à Domino creata duo magna luminaria: sacerdotium scilicet & regnum, rex & episcopus, princeps & clericus. Dies spiritualia, nox secularia præfigurat.* ITA LVMINARE MAIVS, SACERDOTIVM, VT PRÆSIT DIEI, IDEST SPIRITVALIBVS: *luminare minus, regnum, vt præsit nocti, id est secularibus. Contra naturam proinde est, si sol nocti præsit luna diei: Si princeps ad spiritualia se ingerat, si sacerdos secularium negotiorum tenebris conscientia sua serenum obnubilet. Væ nobis qui in ista infelicia tempora incidimus, in quibus sol in tenebras est conuersus.*

Vtile ex sole, qui neq; ventis, neq; nimbis, à suo cursu retardatur monitum colligit Ioannes Eusebius dum ait: Sol quantumuis aere turbetur, quantumuis contrarij pestent venti, quantumuis nimbi ingruant, quantumuis nubila cœlum obscurent; ipse tamen cursum suum peragit eodem modo, ac sereno cœlo. Similiter nos, siue IN PROSPERIS SIVE IN ADVERSIS, SIVE CONSOLATI, SIVE TENTATI CONTENDERE DEBEMVS IN SPIRITVALEM PROFECTVM NEC VLLA RATIONE RETARDARI.

Præsset diei. Nunc primò præsidentiæ men- 54
tio fit; benè est, quod in sole præfecturæ initium ponitur, vt qui deinceps præfecturam super homines essent mituri, solem imitarentur, soles quidam essent & virtutum radijs illos illustrarent, quibus præessent.

Præsset. Non quod dominium aliquod in alias creaturas exerceant, sed quia Dei iussu ambo luminaria hominibus seruiant. Nunc primum hoc verbum vsurpatur, vt hinc disceremus, eorum esse alijs seruire, qui alijs præeunt.

In diei præfecturam sol est constitutus, Luna in noctis, quia nimirum ille diem facere debet, ista nocti lucem quam potest offerre; vterque vtriq; seruire. Principatus notam habet, lucere, ac prodesse; qui commoda sua quærit, non virtutibus elucet, præesse non meretur.

Luminare minus Mariam refert, quæ nocti 55
præest, quia peccatorum maximè curam habet.
Scitè Carensis Vgo: *Luminare maius Christus,*
qui

qui praeest diei, idest iustis, luminare minus Beata Maria, QVÆ PRÆEST PECCATORIBVS. Vt non mirum quod stellæ nec diei, nec nocti dicantur præesse, quia si ad Mariam conferantur, videntur esse, ac si non essent. Tanta Mariæ auctoritas, tam vigil in peccatores cura est.

Quod de Luna id hîc dicitur, nocti scilicet eam præesse, solet Dei matri aptari, quæ illos maximè protegit, qui alicuius calamitatis tenebris obsidentur, aut etiam nocte peccati tenentur. Scitè ille: Beatissimam Virginem tanquam luminare minus, vt præesset nocti, destinauit. Noctis autem nomine CALAMITOSOS HOMINES, & peccatorum tenebris oppressos intelligimus, QVIBVS IVVANDIS MISERICORDIAE MATREM A DEO PRAEFECTAM ESSE CREDIMVS.

Etiam nocti suum est luminare, non secus ac diei; nimirum etiam peccatoribus succurrere Deus studet. Pulchrè rem ad sanctorum exemplum quidam flexit: Quòd verò ait quædam luminaria nocti, quædam diei præesse. Dauid namque & Maria Magdalena, similesq; nocti, idest POENITENTIBVS PRÆSVNT: quibus pœnitentiæ exemplum, & orationis suffragium, & spei firmamentum præbent. Cæteri verò sancti qui innocentiæ virtute excelluerunt, diei, hoc est, innocentiæ studiosis præsunt.

Luminare minus, vt praeesset nocti, In noctis præfecturam lunam esse voluit; sed cur quæ in noctis præfecturam erat futurà, maculis apparet deturpata? An vt statim SVBDITI DISCERENT DEFECTVS ALIQVOT IN SVPERIORIBVS FERRE?

56 Vix *luminare maius* dicta est Luna cum Sole, cum statim dicitur *luminare minus*; hocq; non à collatione cum Sole facta natum aliqui putant, sed quia nocti præesse dicitur, ac si subditorum mores superiorum quædam sint mensura. Pulchrè scitus auctor: Audis lunam coram sole dici luminare magnum? A quo ergo minorata fuit; si quidem eadem statim dicitur luminare minus? plane eiusdem magnitudinis defectus non prouenit à consortio solis, vt aliqui dicunt; nam cum adsociata est soli magnum luminare prædicatur. Nisi fallor posterius hemistichium explicatio est prioris; Porro Sol dicitur præses diei, & Luna præses noctis nominatur. Hinc Sol luminare maius, & Luna luminare minus, dicitur QVASI A SVBDITIS SOL MAIOR SIT ET LVNA MINOR. Nam dies bonus est subditus, nitens & præclarus, & probitatis symbolum. At nox obscura est, facinorosa latibulum latronum, sicariorum defensio, delictorum lena, quæ flagitijs fauet & fouet tenebrarum lenocinio. Ecce Lunam à subiecta nocte tenebrosa & flagitiosa, minor euadit & defectum patitur: & quæ etiam ex consortio cum potentiori adhuc est luminare magnum; à non bonis subditis dicitur, & fit luminare minus; à subiectâ enim nocte Luna deuenustatur, dehonestatur, minoratur.

Ex stellis vtile monitum elicias. Præiuit Sanctus Bernardus, cuius hæc sunt verba: *Stellæ in nocte lucent, in die latent, sic vera virtus, quæ sæpè in prosperis non apparet* EMINET IN ADVERSIS. 57
Vt aduersa virtuti sint secunda, secunda aduersa sint; quis Iobi virtutes nosceт, nisi eas afflictionis æstus aperuisset? Plerosq; ad sanctitatis culmen tribulatio euexit, quos prosperitatis malitia depressisset.

Vtile est quoq; quod de Sole, & stellis elicit Ioannes Eusebius, sic ille philosophatur: Non est multa charitas Dei in te, nec charitas, si attendere potes excellentiam tuam potiùs quàm tuum nihil; stellæ cùm remotiores sunt à sole, cùm minus lucis habent, vna videtur aliam excedere, & tunc lucent, sed hoc fit quia nox est, & tenebræ: at cùm dies venit, & propinquiores sunt soli, quia sunt in eodem hemisphærio cum illo, tunc quamuis vna excedat aliam, & plus lucis participent, non videtur vtra luceat magis, imò nulla videtur lucere; perinde sunt, ac si nulla stella in cœlo esset, & merè nihilum. Imperfectus est, & non illuminatus, cui parua lux cœli affulget. Qui in nocte propriæ quæsitionis & amoris est, audet putare se esse aliquid, & meliorem alijs: SANCTI VERO QVI ADHÆRENT DEO, LICET PLENI MERITIS SINT, PVTANT SE EXCELLERE NEMINI, SED MERE NIHIL ESSE, adimplentes cum Iesu suo omnem iustitiam id est humilitatem.

Sectio X.

In *dignitatum* firmamento locentur, qui *stellas* referunt, non qui cometas. 58.

Magnorum *violentiam* in alios vt *Deus* anteuerterit.

Vera *amicitia* vt *stella*, quæ cadere non potest licet videatur; alioquin scintillatio est instabilis.

Super *terram* lucere cur potius dicuntur *stellæ* quam super aquas vel in aëre.

Stellæ & cœli luminaria homini *seruiunt*, non illis homo. 59.

Qui alijs *exemplo lucet* in seipso minimè *decrescat*.

Cur pauca de *cœlo Moyses* tradiderit.

Diuinis *operibus laudandis* nullus par. 60.

Vita à *baptismalibus aquis* futura.

Proximi virtutes vt cuique induendæ.

Cur *aquatilia* primum & *volatilia* dicantur producta quàm terrestria. 61.

Aquatilia cur quinto die producta, *Terrestria* sexto.

Magna de eo credenda qui aliquam *virtutem primus* inuexit. 62.

Maior quisque curet esse quàm *natus sit*, seque super se efferat.

Nostrarum *mentium infirmitas* quanta sit.

Facilè

Facilè rebus & personis *homo detractum* it. 63.

Nemo facile audeat *accusare* creaturas quas *Deus* approbauit.

Dum *creatura* approbatur commendatur *creator*.

Pro humano *sensu* non sunt res *indicanda*. 64.

Ingratitudinis vitium amoliendum.

Cauendum ne à *pulchritudine* quis decipiatur.

Benedictio proprie de multiplicatione. 65.

Apud Deum *benedicere* est *benefacere* aliter ac apud homines.

In Dei *obsequio* multa *homo* præstet, nec facilè delassetur.

Et posuit eas in firmamento, vt lucerent super terram, & præessent diei, ac nocti.

58 P*Osuit eas in firmamento Cæli*. Locentur stellæ in firmamento, ponantur viri magni, & sanctitate, ac doctrina nobiles in dignitatum culmine, exitium pretendit, si efferantur cometæ, & ignitæ faces, solidi nihil habentes, nihil firmi: Benè Ascanius hîc: Antistitibus, Regibus, & Imperatoribus, maximum statuit hoc loco documentum; vt ediscant excelsos, SVBLIMIORESQVE VIROS IN EXCELSIS SVBLIMIORIBVSQVE DIGNITATIBVS COLLOCARE, prognosticum funestum & exitiale est, quando ignitæ impressiones; facesque ethereæ volantes ad instar stellæ ad superna efferuntur, VT SVNT COMETÆ; at certe iudicium quoque est cladis humanæ maxime portentosum cum in Ecclesia Sancta Dei sola carnis vel mundi dumtaxat habita ratione, non digni neque idonei ad purpuram, ad mitras, cæterasque eminentiores dignitates efferuntur.

Luminaria in firmamento posuit, nec enim in hominum potestate voluit esse, *si enim*, vt ille aiebat, *nostra essent potestatis hac luminaria*, MAGNAM ILLIS TYRANNIDEM HOMINES IN ALIOS EXERCERENT; *sibi enim solis ea splendere vellent, nec quicquam lucis ad alios peruenire permitterent, nisi quantum ipsis placeret, & videretur*. Qui potentiores plenius luce frui vellent, neglectis imbecillioribus.

In firmamento stellas Deus posuit, & licet aliquando aliquibus cadere videantur non cadunt tamen; stellæ fixæ veram amicitiam pariabat Petrus Abbas Cellensis lib. 4. epist. 4. vbi ait: *Stella quandoq; de cælo ad ima videtur sed oculis insipientium defluere; coagulis tamen naturæ & diuini clauis mandati, sic defixa in æternum cælo adhæret, vt sicut prius liber idem cælum conuoluatur, quam* STELLA *ab ipso diuellatur. Sic sic, mi carissime, ex quo Deus in firmamento cordis nostri stellam amoris mutui impressit, etsi fefellit oculum ignorantis leges amicitiæ, repentina* SCINTILLATIO INSTABILIS *fortunæ, non tamen cessit aut decessit igniculus stellæ: vnde & tunc eum quasi lædebam, non quasi sed re vera diligebam, & cum auertebam oculum non auertebam animum. Deo autem gratias quia in plenilunio suo reformata denuo, quasi viribus resumptis radios primos solito splendidiores, tanquam in iniuria prioris defectus, amplificato affectu remisit.*

Vt lucerent super terram. Cur non potius super aërem dixit, aut in Cœlo? Sanctus Thomas ad producta verba: *Quod quidem dicit, non quod non luceant super aquas & in aere simpliciter: Sed* QVIA EARVM LVX MAGIS APPARET IN TERRA. *Vel fortè quia radius non illuminat, nisi in aliquo solido impingat, atque ideo quia terra magis solida est, ideò magis resultat lumen ab ea vel circa eam.*

Vt lucerent super terram. Nimirum seruire
homini hæc luminaria debent, non homo 59
ea colere. *Quod si idcirco*, inquit Lippomanus hic, *à Deo fuerint posita vt illuminarent terram, non ergo vt dominarentur hominibus. Dominus est enim qui creauit ea ad vsum hominum, illius nutui omnia obediunt, diei præest sol, nocti luna cum stellis, sæpe autem repetitur officium solis, lunæ, & syderum*, NE QVIS CREDAT TALIBVS SERVIENDVM VT DEIS, *cum ipsa ad nobis seruiendum creauit Deus.*

Cælestia referre luminaria boni debent. Benè Raulinus: *Aliter*, inquit, *splendet corpus celeste, aliter terrestre, quia terrestre alijs splendendo consumitur. Vt patet & in sole.* Sic BONVS DVM ALIIS LVCET EXEMPLO, NON DECRESCIT PER SVPERBIAM IN SEIPSO, *hypocrita vero sic lucent alijs quod deficiunt in seipsis.*

Parua de cœlo Moyses tradit, plura de hisce inferioribus, quod non casu factum nefas est ambigere; Benè B. Rabanus hîc: *Ideo Moyses* TAM BREVITER SVPERIORIS MVNDI FECIT MENTIONEM: *quia de mundo hoc, in quo homo factus est, ad instructionem generis humani sermonem facere instituerat: sufficere credens, si omnem creaturæ spiritualis & inuisibilis statum atque ornatum, vno cæli nomine, quod in principio factum dixit, comprehenderet. Corporalem verò visibilem & corruptibilem craturam latius ex ordine describeret, idest, tacitis eis quæ altiora quæ si in, & fortiora scrutatu sunt hominum: illa potius quæ essent a Deo præcepta siue promissa, hominibus cogitanda proponeret.*

Et vidit Deus, quod esset bonum.

V*Idit Deus, quòd esset bonum*. Ab opifice discat 60
creatura eius opera efferre, & quod est maius, ipsum; laudat suum opus Deus, quia homo efferendo impar; Hinc illud Sancti Chrysostomi hic: *Et vidit Deus quòd bonum: nam quia humana natura imbecillis est, & opera Dei dignè laudare non sufficit, diuina scriptura acceptam ab ipso opifice laudem nos docet. Igitur quando discis, quòd & ipsi conditori creatura probantur, & bona apparent: habiturus quidem es quòd maiorem*

in

in modum admireris, nihil tamen ad laudem & encomium, amplius afferre poteris; talem enim fortitus es Dominum, qui talia facit, QVÆ A NOBIS NEQVE LAVDARI SATIS POSSVNT.

Dixit etiam Deus producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram.

ANima *viuentis*. Nunc primum viuentis animæ fit mentio, cum de aquarum productione ageretur; bonum omen, vt vel sic innueretur, vitam à baptismalibus aquis futuram. Tetigit istuc Tertullianus lib. de Baptismo cap. 3. vbi ait: *Primus liquor*, QVOD VIVERET *edidit ne mirum sit in baptismo*, SI AQVÆ ANIMARE NOVERVNT.

Vix terræ præceperat Deus vt herbam germinaret, cum & aquis dixit: *Producent aquis reptile animæ viuentis*, ac si non esset conueniens vt mare terræ adeo fœcundæ vicinum esset infœcundum; Benè Sanctus Basilius Seleuciensis: *Cum aridam*, inquit, *mari coronasset Deus, non vsibus ineptum ostendit mare ne quidem genitura. Oportebat id si quidem* VICINA TERRA AD PARTVS EDENDOS, *non inferius videri*; nimirum induere proximi virtutes debet, qui proximo est proximus, ne alterius fœcunditas illius arguat sterilitatem.

Quærat hîc aliquis, cur aquatica primum,
61 & volatilia dicantur producta, quàm terrestria? *Respondeo*, inquit hîc Catharinus, *ratione dignitatis elementorum: quoniam aqua dignius est elementum quam terra. Instabit aliquis. Cur ergo volatilibus anteponuntur aquatica? Nonne aqua elementum, aeris elemento dignitate cedit? Nemo id inficiatur. Sed aues certè non sunt animalia aerea, sed magis terrestria, & quasi media inter terrestria & aquatica. Ideo medium quodam modo locum in conditione & narratione obtinent.*

Non fuisse mysterio viduum, quod quinto die natatilia sint producta, terrestria verò die sexto, cum homo ipse est conditus, nefas est ambigere; de hac re ita philosophatur Gennadius in Catena græca Fumani, vbi ait: *Cur ita vbi in quinto die natatilia volatiliaq́, omnia ex aquis prouenire imperauit*, IN SEXTO TERRESTRIA *produci iubet, quum videlicet hominem quoq; de terra erat formaturus? quoniam vniuersa quidem, simili ratione hominis causa facta sunt, non omnia verò itidem illi eundem vsum præstant: (nonnulla enim quæ in aquis proueniunt ad vnum duntaxat cibum illi suggerendum idonea sunt: quædam verò ad alias quoq; res multas inseruientia: sine quibus ne vita quidem nobis possee consistere:) optimum, factu creator Deus indicauit, si quæ nobis essent magis necessaria; & propius ad vsus nostros accedentia, ea in eodem die & ex eadem terra produci imperaret: fecit tamen in vtroq; etiam ea quæ nobis omnino inutilia esse, ac potius terrorem inferre consueuerunt: ea de causa videlicet ne stultorum more temerarias voces iactemus, & supra modum in superbiam efferamur; causam cur omnia facta sint in vsum nostrum fuisse arbitrantes, sed perspicuè intelligamus ab his ipsis rebus edocti vt nisi Deus voluisset, ne ex alijs quidem rebus vlla prorsus nobis fuerant præuentura; quin potius hæc ipsa quoque in morem ferarum immanium, impetus quosdam crudeles induissent; ac eo facilius nobis interitum attulissent.*

Producant aquæ. Bonum omen, quod aquæ 62
primùm viuentem animam producunt, quod indicio esset, futurum vt postea animas cœlo regenerarent. Addit nobilis ille auctor. Non mirum equidem est, quod aquæ in baptismo adeo exaltentur, vt faciant animas esse cœlestes, quando aquæ primæ fuerunt in productione animarum viuentium. Quæ enim dignitas non credatur de eo, QVI ALIQVAM VIRTVTEM PRIMVS INVEXIT in orbem terrarum?

Et volatile super terram. Ex hoc verborum nexu aliqui colligunt aues ex aëre formatas, sic Sanctus Hieronymus, Sanctus Augustinus, Rupertus, alijque. Alter alij censent qui asserunt ex aëre fuisse, cuius expressa non est facta mentio, quòd aër incognitus esset, nec corporis oculis subijceretur. Huius sententiæ est Sanctus Thomas, & plures ex recentioribus interpretibus: sicq; producta verba non iunguntur cum illis: *Producant aquæ reptile animæ viuentis*: sed hîc sistitur, & in sequentibus subintelligitur, *& volatile super terram volet*. Quod si primæ sententiæ hæreamus vtile hinc monitum possumus elicere, nempè laborandum vnicuiq; esse, vt se super se efferat & maior curet esse, quàm natus fuerit. Pulchrè B. Thomas à Villanoua serm. de Diua Dorothea: *In Genesi*, inquit, *legimus aues & pisces eodem elemento, idest, aqua fuisse formatas, sed pisces in geniali elemento permanserunt, aues autem in aera supra suam originem volauerunt. Omnino ita est in proposito, vna est omnium hominum genialis conditio eademque natura, sed valde differens vita, quidam suam naturalem inclinationem sectantes, quæ ad malum prona est ab adolescentia sua in sæculo vagantes delicias carnis sequuntur, velut pisces maris, qui perambulant semitas maris. Alij autem* SVPRA SVAM CONDITIONEM VOLANTES *ad æternam & cœlestia rapiuntur longe amplius a prioribus distantes quam à piscibus maris volucres cœli differunt, qui & si homines sunt natura, vita tamen non homines, sed Angeli sunt. Vnde apostolus huiusmodi spiritualibus probro hominis vocabulum obijcit, dicens, Cum sit inter vos Zelus & contentio, nonne homines estis? Insignis profectò virtus, & præclarum facinus suam excessisse naturam, & proprio studio atque industria in melius se transmutasse.*

Et vidit Deus, quod esset bonum.

VIdit Deus, *quod esset bonum*. Et non satis
erat omnibus creatis adijcere; *Vidit Deus* 63
cuncta quæ fecerat, & erant valde bona: singula probabantur, dum cuncta probaret. *Sufficiebat alioquin*, inquit Honcala hîc, *de omnibus creaturis semel dicere quòd omnia quæcunque fecit Deus sunt valde bona: sed sciens quanta sit* MENTIVM NOSTRARVM INFIRMITAS, *particulatim hoc fecit;*

fecit; vt discas quòd sapientia quadam omnipotenti, & misericordia inenarrabili producta sunt omnia. Cuncta Deus singilatim probat, ne aliquid homo improbaret, qui facilè rebus, personisque detractum it,

Etiam post productionem animalium vidit Deus quod esset bonum, ne aliquis auderet deinceps accusare, quod Deus commendauerat. Ita Sanctus Chrysostomus hîc hom. 7. *Postquam dixit fecit Deus cete magna, & omnem animam animalium reptilium, & volatilia: Statim addidit: & vidit Deus quòd bona: quasi doceret: non enim quia tu rationem ignoras factorum,* ACCVSANDÆ SVNT CREATVRÆ. *Audisti Dominum laudantem sententia sua, & dicentem quod bona sint: & quomodo tu insanus dicere audes, quare facta sunt? quasi superfluum ipsarum accusans opificium?*

Et vidit Deus quod esset bonum. Cum de volatilibus egisset cur potius non dixit, & vidit quòd essent bona? sicut de luce dictum fuerat quòd esset bona? Imò nec post hominis formationem dictum est, Deum vidisset, quòd *esset bonus*: Nodum ita soluit Rupertus hîc: *Si tam stabili, inquit, iustitia viueret homo quam certo ordine seruant ea quæ prædicta sunt, statutum benedictionis imperium rectè formato homine, sicut dictum est & vidit Deus lucem quod esset bona sic nihilominus singularibus diceretur, & vidit Deus hominem quod esset bonus, veruntamen nec dixit nec dicere scriptura debuit, & vidit Deus volatilia cæli siue reptilia maris quod essent bona, sed vidit Deus inquit quod esset bonum, subauditur sic esse factum, in quo non creatura huius (quod nullum est.)* LAVDATVR MERITVM SED BONVM CREATORIS PONDERATVR INGENIVM, & bonitas commendatur,

Vidit Deus, quod esset bonum. Non potuere non esse bona, quæ ab optimo fuêre profecta; omnia igitur laudanti Deo credendum est, nec temerè de creaturis sentiendum, nostroq; iudicio fidendum, quòd sæpè fallitur: Religio esset hîc verba B. Rabani præterire ait enim: *Necessariò sancta scriptura multiores repetit, quod vidit Deus bona esse, quæ fecit: vt hinc informaretur pietas fidelium* NON PRO HVMANO SENSV, *qui sæpe etiam bonis rebus offenditur, quarum causas atque ordinem nescit de creatura visibili atque inuisibili* IVDICARE: *sed laudanti Deo credere, & cedere. Tanto enim quisque facilius aliquid proficiendo cognoscit, quanto religiosius, antequam cognosceret, Deo credidit.* Quòd iustius asseras, cum de iis quæ in homine lucent, sermo est.

Dum audis *bona* dici quæ à bono, amoliendam tibi ingratitudinem omnem scito. Benè Theodoretus quæst. 10. *Auctor addidit, & vidit Deus, quòd esset bonum, vt* PERSVADEAT INGRATIS, *non aspernari, quæ sententia diuina vocat bona.*

Et vidit Deus quod esset bonum. A bonitate lucem & ceteras creaturas commendari hîc audis, cur non à pulchritudine? Non audis, *vidit Deus quod esset pulchra*, sed, *quod esset* BONA, *quia*, nimirum vt Liranus ait, VTILIS *est ad multa*, Ne nimium pulchritudini tribueremus, neue de exstima rerum pulchritudine nobis blandiremur, bonitatis mentio hîc fit, non venustatis; nimis est inuenustus, qui nimis venustatem facit,

Benedixitq; eis dicens: Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris.

Benedixit eis. Nunc primum Dei auditur benedictio, cur non ante cum alia conderentur? An quia nondum de illis creaturis facta mentio erat, quæ per fœcunditatem multiplicantur? Sanctus Augustinus, in psal. 66. 64
BENEDICTIO IN MVLTIPLICATIONE *solet maximè & propriè intelligi; probemus hoc in Genesi, vide opera Dei: fecit Deus lucem, & diuisit Deus inter lucem & tenebras: lucem vocauit diem, & tenebras vocauit noctem: non dictum est benedixit lucem. Etenim eadem lux redit & alternat diebus ac noctibus: vocauit cœlum firmamentum inter aquas & aquas: non dictum est, benedixit cœlum: discreuit mare ab arida, & nominauit vtrumq; aridam terram, & congregationem aquarum mare: nec hic dictum est, Benedixit Deus: ventum est ad ea quæ fæcunditatis habitura erant semen, & ex aquis existentia: ipsa enim maximam multiplicationis vbertatem habent: & benedixit ea Dominus dicens crescite & multiplicamini, & replete aquas maris, & volatilia multiplicentur super terram sit & eum omnia subiecit homini, quem fecit ad imaginem suam: scriptum est, & benedixit eos Deus dicens, crescite & multiplicamini, & implete faciem terræ: ergo benedictio propriè ad multiplicationem valet, & ad implendam faciem terræ.*

Benedixitq; eis. Benedicendi verbum hîc multiplicationis, & propagationis vim ostendit, ac virtutem. *Cum enim Deus benedicit*, vt ille ait, *non verbis more hominum benè precatur, sed* EFFICACITER DONA SVA IMPERTIT, *& tribuit.* Ipsius benedicere est benefacere, homines sæpè in nudis verbis sistunt, nec vlterius eunt.

Crescite, & multiplicamini. Nimirum non necessitati tantum occurrere Deus voluit, sed delicijs; vt hinc hominum desidia arguatur, qui parua quædam in Dei obsequium operantes, statim delassantur: Benè hîc Oleaster: *Non sat fuit*, inquit, *supremo conditori, ea, quæ nobis necessaria erant, producere, sed plura superflua condidit: ne causaretur homo sibi necessaria deesse. Hoc mare (inquit Propheta sanctus) magnum, & spatiosum manibus: illic reptilia, quorum non est numerus.* QVÆ DOMINVS FECIT PROPTER TE (SINE NVMERO SVNT: QVÆ AVTEM TV PROPTER EVM) IN PARVO NVMERO. *Videbis enim hominem, cum quadraginta dies ieiunauerit: se excessisse putare, si tres dederit eleemosynas: si ad certum numerum preculas decantauerit; se satis superque fecisse arbitratur, immemor, quot millia animalium, volucrum, piscium: & id genus alias Deus in vsum eius fecerit.*

Sectio

Sectio XI.

Dixit quoq; Deus: Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias terra, secundum species suas.

EAs quoq; feras Deus condidit, quas terrori homini futuras præuidet, vt dum 65
timorem incuteret vrgetent ad Deum, quod in hunc modum notabat Theodoretus quæst. 18. in Genesim: *Quum Dominus Deus animaduertisset, nos ad ignauiam proclines, bestias, & reptilia condidit, veluti lora quadam, & terriculamenta, vt per* EA NOS TERRENS AD SE TRAHERET, *atq; eius auxilium imploraremus.*

Et reptilia. Reptilium meminit, vt intelligas omnia etiam minima sub diuina prouidentia contineri. Nos quoq; discamus in via spirituali nihil negligere, nec minimi facere qui minima.

Producat terra. Cum de animantibus agitur *producendi* vsus est verbo, cum de seminibus, & terræ fructibus, *germinandi*, seu vt ex græco aliqui vertunt, *pullulandi*. Huius rei discrimen sic expendebat Seuerianus in Catena Fumani: *Cur illic quidem dictum est, pullulat, hic autem producat? germina ipsa & ligna & fructus quotannis* PVLLVLANT: *quoniam igitur planta in terra permansura non erant, sed ex illa vndiq; prouentura, idcircò de illis dictum est, pullulet: de animalibus autem* PRODVCAT *propterea quod vbi semel e terra ortum accepissent, non amplius è terra sed ex sobolis successione propaganda erant.*

Res in principio conditæ sunt non solum, vt 66
essent sed etiam vt aliorum principio existerent, in cuius rei euidentiam, vt ait Portecta, *tunc germinauit terra herbam virentem, arbores, poma fructus diuersos*. Sed numquid viduus hac virtute homo fuit, non fuit? *Competit enim homini*, ait idem auctor, *esse alterius principium & secundum corpus, & secundum animam*. Itane secundum animam? nunquid homo animam creat? *Non est principium ratione essentia, sed* RATIONE DOCTRINÆ; *oportet ergo dicere quod primus homo tunc productus est in tali statu, vt posset & generare corpora aliorum, &* DOCERE ANIMAS. Hinc illud Mosis in hoc eodem libro, *& animas quas fecerant*, aliqui exponunt; *& animas quas in lege Dei erudierant*.

Piscibus, ac volatibus benedixisse Deum legimus, vt multiplicarentur, sed cur terrestria animantia hac benedictione non fuere donata? An quia hæc benedictio ex præcedentibus intelligebatur? An ne nimis terram implerent, quæ homini habitationi destinata erat? Propagari terrestria animalia ita debebant, vt nimia illorum multitudo homini non officeret, nec erat par ratio de piscibus, de volucribus, cum illi in mari degant, volucres in aëre.

Quæri hîc potest, cur productis bestijs, non benedixerit, eis, Honcala dum quæstionem istam proposuisset in solutionem adiecit: An quia in illis erat draco qui ob tentationem, qua diabolus per illum, hominem in malum impulit,

& in mortem adegit; ita maledicendus erat, vt eius maledictionis nulla vnquam futura esset reuocatio? An potius quod de prima creatura animæ viuentis dictum erat, de secunda subintelligendum reliquit; maxime quia in huius diei operibus alia plura dicturus erat; herbas autem & ligna, quia non habent generandi affectum huius benedictionis forsitan indigna iudicauit. Quod necessario repetitum est in homine, ne quis putet in officio gignendi filios, esse peccatum, sicut in fornicatione sine coniugio. Tantum malorum consortium bonis officit. Eodem spectauit & Lippomanus in Catena, dum ait: *An ideo fortè animalibus sextæ diei non benedixit Deus, quia inter ea* ERAT ET SERPENS, *cui post paulùm erat ipse maledicturus.* Contra hominum morem, qui leuiter maledictione feriunt, quos paulo ante benedictione cumulauerant, linguam in contrarios sæpè flectentes sensus.

Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.

67 FAciamus. Cum de hominis formatione agitur Dei apparet consilium, vt cum consilio operari statim disceret. *Sol fit*, inquit Sanctus Gregorius Nyssenus in Catena Lippomani, *& nullum præcedit consilium, cœlum quoque cui nihil in creaturis visibilibus simile reperitur, verbo solo perficitur, & opus tam mirabile, nec vnde fiat nec qualiter, intimatur. Sic & singula quæque creaturarum, æther, stella, & aer qui medium locum continet, mare, terra, animalia, & nascentia omnia, verbo tantummodo producuntur vt sint, ad hominis autem solius conditionem* CVM CONSILIO *quodammodo conditor vniuersitatis accedit, & materiam quæ constructioni eius sit necessaria, præparat, & ad formam primanæ ac principalis pulchritudinis eius coaptat similitudinem & intentionem, cuius rei gratia fiat, insinuat, congruam illi naturam effectibus suis instituens, quæ ad propositum aptissima esse probatur.* Et Stephanus Cantuariensis: *In hoc*, inquit, *quòd cum deliberatione fecit Deus hominem, innuitur nobis, vt omnia* CVM CONSILIO *faciamus.*

Faciamus. Hanc loquendi formulam mysterio grauidam esse plures notauere; non omiserim illud quod offerebat S. Greg. Nyssenus orat. 1. in hæc verba: *Faciamus hominem*, ait auctor, *Cur non dixit facito sed faciamus hominem? vt imperium ac dominatum intelligeres: ne Patre cognito filium ignorares, vt scires Patrem fecisse per filium, & filium creasse paterna voluntate, laudaresq; Patrem in filio, & filium in Spiritu Sancto: commune opus eorum extitisti,* VT IPSOS PARITER ADORES ET COLAS, *ne venerationem cultùmq; diuidas cum vnicam esse diuinitatem intelligas.* Quod si diuidere cultum diuinarum personarū non debet, cur diuidat cum creaturis, totum se illis offerens, & cor.

Faciamus. Tanquam ad laborem se inuicem in hominis formatione inhortarentur diuinæ personæ. Hinc illud Sancti Ambrosij in psal. 118. octon. 10. *Cætera dixit, & facta sunt, vt homo fiat specialis quidam Dei accedit hortatus, vt tanquam laborantis Dei in huius muneris creatura significetur operatio. Deus quidem expers laboris est: sed scripturæ verba, ob gratiam tui,* STVDIOSAM OPERATIONEM *Dei ostendunt.*

Præterea, hoc verbum *faciamus*, quoddam studium in Deo indicat, *studiosamq; operationem*, vt loquitur Sanctus Ambrosius, qui ex hoc loquendi modo hoc monitum eliciebat. *Si ergo Deus maiore quodam studio te creauit, cur ipse tui* STVDIVM DERELINQVIS?

Cur non potius Pater ad Filium dixit: *Fac* 68
hominem ad tuam, quam induturus es imaginem, vt corpus etiam comprehenderet? Sanctus Zeno de Genesi serm. 3. nodum ita soluit his verbis. *Non inquit fac ad tuam, sed ait faciamus ad nostram: ne quam filius hominem induturus* PATI VIDERETVR INIVRIAM.

Faciamus. Nihil agit Pater non consulto Filio, & Spiritu sancto. *Multo minus homo*, inquit scitus ille auctor, *quippè artifex qui* AGENDO *errare potest, moliri quidpiam præsumat nisi* DEO, ET SPIRITVI EIVS ANTEA SVPPLICAVERIT.

Faciamus hominem. A Deo factus est homo, vt particeps diuinorum bonorum esset tanquam illa nimis essent exigua, quæ ab animantibus ratione expertibus conferebantur. S. Gregorius Nyssenus in Catena Lippomani. *Deus*, inquit, *non aliam ob causam creauit hominem, nisi quia bonus est,* VT BONORVM SVORVM EVM PARTICIPEM FACERET. *Quia verò bonorum ipsorum multa probatur esse congestio, quæ non possit numero facile comprehendi, idcirco generali quadam voce vniuersa scriptura complectens, significare curauit, cum ad imaginem Dei factum hominem retulit, Aequale enim est hoc, ac si diceret, humanam naturam omnis boni factam esse participem.*

Faciamus. Conditurus hominem consultorio verbo Deus vtitur, vt Dei consilio dum se factum considerat nihil faceret sine consilio. Egregiè ille: *Vsque adeo nos erudimur, vt nihil sine consilio agere debeamus.*

Antequā Deus hominem conderet, ea parauit, 69
quibus tanquā rex exciperetur. *Nondum*, inquit S. Gregor. Nyssenus cap. 2. de hominis opificio, *eximium illud & maximi pretij creatum, quod hominem discimus, in hoc vniuersitatis Domicilio ornatissimo versabatur, quippe consentaneum non erat, imperatorem existere prius, quam eos quibus esset cum potestate præfuturus. Preparato nimirum ante omnia imperio, tum deinde proximum erat* REGEM DESIGNARI. *Iccirco vniuersitatis huius creator ei qui imperaturus erat quandam sedem regiam præstruxit; Ea vero terra erat, & insula, & mare, & ipsum cœlum quo hæc omnia tanquam tecto concamerantur atq; his in palatijs omnis generis opes conditæ sunt.*

Ad hominis dignitatem facit, quòd eius formationem, præcesserit quædam consultatio, & deliberatio, quia nimirum statim piscibus, & bestijs præficiendus erat; quid agendum est, cum de illo agitur, qui hominibus præficitur. Sanctus Gregorius Nyssenus de hominis opificio cap. 3. hæc habet: *Nullo, vt ita dicam negotio,*

natura

natura verum à Deo creata sit, & continuo ad eiusdem nutum extiterit, at hominis FABRICATIONEM DELIBERATIO PRÆCEDIT. *& futuri operis ab artifice forma orationis pictura delineatur, qualem videlicet hominem esse oporteat qualisq; exemplaris imaginem referre quamobrem creandus, & creati, quæ futuræ sunt actiones, quibus cum imperio sit præfuturus.*

Faciamus hominem: Ex Dei consilio homo condendus erat, vt eius sic dignitas commendaretur neue dedignaretur ipse consilium ab alijs accipere, cum ex consilio natum se cogitauerit. Vgo Victorinus annot. in Genesim cap. 7. ita scribit. *Nec propterea consilium inducit, quia aque possit facere, & magna, & parua: sed vt dignitatem creati hominis ostenderet: & vt nos cautos reddat* NE DEDIGNEMVR CONSILIVM ACCIPERE, ET AB ÆQVALIBVS, ET A MINORIBVS: *cum ipse ad angelos ita loquatur: quorum ministerio forsitan formatum est corpus hominis. Vel quod melius est: accipiamus consilium trinitatis fuisse.*

70 *Faciamus*. Consultationem instituit, & studium adhibet hominem ad sui imaginem, ac similitudinem facturus; vt hac sermonis formula innueretur studij, diligentiæ, & consultationis opus esse, Dei similitudinem per virtutem consequi, nec repente id fieri. Huc spectant & Ruperti verba: *Non dicit scriptura quia dixit Deus fiat homo ad imaginem, & similitudinem nostram & factus est homo; sicut dixit fiat lux & facta est lux. Quare, videlicet quia* NON REPENTE SED OPEROSE AGENDVM ERAT, *vt consummatus homo staret ad creatoris sui imaginem, & similitudinem.*

Faciamus; nullus alteri dicit, *fac*; Ne si imperium audires, de æqualitate personarum dubitares, aut etiam ne in hominis formatione aliquam otiosam fuisse putares. Pulchrè Sanctus Zeno serm. 3. de Genesi: *Videtisne, inquit, fratres dilectissimi, quia nullus exornat hic alteri iubet: in opere nullus* OCIOSVS *est? O sancta æqualitas, ac sibi soli dignissima indiuidua deitatis.*

Faciamus hominem. Magna hominis dignitas, vt mysterium sacrosanctæ Trinitatis primum in eius generatione ac reseratum sit, quod postea in eiusdem hominis regeneratione, quæ per baptismum fieri debebat, apertè declarandum, & explicatè agnoscendum, & profitendum erat.

Faciamus. Ex hoc verbo colligere homo dignitatem suam debet: Benè Beatus Basilius: *Nosce*, inquit, *vis te ipsum, vel hinc auspicium sumito. De nullo enim operum quæ Deus eatenus condiderat, vox ista Faciamus in litteras transmissa est: sed simplici verbo & mandato Dei omnia creata sunt. Erudire igitur hinc ô homo ac edisce, quanti vnus tu æstimandus venias. Neque enim generationem tuam velut pretij vulgaris, communi creaturarum mandato censuit attexendam. In Deo prægreditur consultatio, quemadmodum tantum hoc animal prouehi debeat ad vitam, Faciamus ait. En consultat sapiens, & quid secum statuerit artifex, proponit decernendum.*

Creauit hominem, cum omnia loca iam essent repleta, vt statim homo disceret, hominis 71
locum, ac veluti centrum Deum esse. Religio esset hic desiderari docti auctoris verba, quæ licet pluscula, rei tamen explicandæ omnino sunt apta: sic ille scribit: Quare Deus hominem, postquam omnia creata sunt voluit creare? Creauit Cœlos, & ipsos angelis impleuit: creauit terram, & illam animalibus impleuit, creauit aquam, & eam piscibus impleuit, creauit aerem, & illum auibus impleuit, postquam autem omnia creata, & plena sunt, creauit hominem, cum iam omnia dederat. Vt quid Domine hominem creas tam excellentem, quando nihil ex ijs, quæ creasti ad ei tribuendum habes? Vbi eum repones? Si in cœlo, dicent Angeli, cœlos esse suos; quoniam illos eis iam dedisti: si in aere conquerentur aues, & dicent suum esse: Si in aquis, pisces suas esse dicent: Si denique in terra animalia clamabunt, te iam eam eis hereditate dedisse. Dic ergo, ò homo, quod erit tuum sedile? Quo ibis? Deus tibi cœlum hæreditare propria non concessit, quoniam enim cum in terra creatus esses, cogitare potuisti, te velle Deum fieri, si in Cœlo creareris, quo peruenires? Non donauit tibi ignem ad habitandum, quoniam tu cum gelidus ac frigidus sis, tamen in corde tuo ardet continuus cupiditatis, & malitiæ fornax, quo totum orbem incendis; si in igne esses quanto magis combureris? Nec tibi aerem dedit, pro habitaculo: nam cum tu plumbo grauior sis, leuior pennis incedis, & mille ventorum turres instruis, si aerem tibi donasset, quid faceres? Non dedit aquas tibi, quoniam cum ex ossibus validis, & duris neruis sis compositus, tamen ipsa aqua inconstantior es, si aquam tibi dedisset, quanto inconstantior esses? Non dedit tibi pro natura terram, quoniam cum spiritualis mente sis, tamen magis terrenus es, quàm talpa; si totus esses terrenus, quid de te esset? Ergo Domine si quidem hominem creasti quando omnia occupata erant, quoniam ex his nihil ei conducebat, vbi eum collocaturus es? Quæ erit hæreditas eius? Creaui, inquit Deus hominem, quando omnia occupata erant, & quando fere NIHIL AD DONANDVM SVPEREHAT PRÆTER MEIPSVM, VT EO HOC DOCEREM ME SOLVM ESSE HOMINIS HÆREDITATEM, possessionem, ac CENTRVM, & extra me neminem otium, & tranquillitatem illum minime posse inuenire.

Hominem Deus fecit, nec factum extulit, ne scilicet in extima eius specie sisteremus, aliud in eo laudaremus, quod intus latet. Pulchrè Sanctus Ambrosius cap. 3. de institut. Virg. vbi expendens omnia à Deo laudata, ait: *Vbi ad hominem ventum est solus non videtur laudatus, propter quem omnia generata sunt; quæ igitur causa est nisi fortè ea, quia alia in specie sunt, homo in occulto? nihil in bestijs plus reperias, quàm quod videtur in homine nihil est inferius, quàm quod videtur. Merito ergo alia in exordio laudantur, istius laudatio non promitur, sed reseruatur, quia aliorum*

GRATIA BONIS, HVIVS INTVS EST.

Cur hominem conditum non efferet, vt cætera extulerat? An quia ad imaginem Dei factus erat, ac proinde secum ferebat laudem suam, suam commendationem? quod tetigit Sanctus Epiphanius, dum ait: *Quoniam ad imaginem Dei creatus est, tam excellenti dignitate contenta Sacra Scriptura fuerunt, nulla vt accessione opus esse videretur; nam sibi bonitatis ipsius* ERAT IMAGINE PRÆDITVS DEI, *à quo bonitatis sunt omnia, ab eoque bonum ipsum in vniuersa deriuatur, quid attinebat ad hoc addere testimonium, & esse bonum, cum boni ipsius imaginem in se se contineat?*

72 Solet hic quæri, cur hominem Deus non extulerit, cum produxit; nodum ita quidam soluit: O Deus maiestatis infinitæ, quid hoc Domine, lux, aqua, & terra bona tibi videntur, & homo non item, cum sit ipse finis, propter quem hæc omnia condita sunt? Dico Deum hominem non laudasse, quia omnem perfectionis plenitudinem, quam debebat habere, tunc non habuit, quia IPSEMET PAVLATIM ANIMAM SVAM (DEI AVXILIO) DEBEBAT PERFICERE. Et hoc est quod Ecclesiasticus ait Deus ab initio constituit hominem, & reliquit, eum in manu consilij sui. Idest creauit illum, & in proprijs manibus eum reliquit, vt si vellet se depingeret, atque perficeret.

Ad imaginem, & similitudinem nostram. Non inuidit nobis Deus suam similitudinem, quare hominum inuidia arguitur, qui parem sibi, similemq; ferre non possunt tam longè est, vt alium sibi talem faciant: Peritè Oleaster: Arguit, inquit, locus iste hominum SVPERBIAM: qui nolunt sibi similem, aut æqualem habere: qui si viderint vicinum crescere: non solum INVIDENT: sed deturbant eleuatum: si possunt. Nunquid maior es Deo: qui sui similem non solum patitur: sed facit? Nec hoc solum, sed puluerem ita euehit: vt omnium creaturarum suarum dominium ei tribuat ita, vt ferè sibi æqualem fecisse arbitreris.

Hominem Deus ad imaginem, & similitudinem suam effinxit, ab hominum more abiens, qui perfectiones suas ceteris inuident. Fecit Deus, inquit peritus ille auctor, hominem sui similem, vt palam esset quantum intersit inter Dei bonitatem ac benignitatem, atque hominis MALIGNITATEM & INVIDIAM. Homo enim si re aliqua excellat, velut diuitijs, potentia, nobilitate, honoribus, ac sapientia, nollet quemquam aliorum hominum sibi ea re parem aut etiam similem esse: at Dei tanta est bonitas, tamque omnis expers inuidiæ, vt quibus rebus excellit ipse, earum capacem & participem fecerit hominem: Et quibuscumque modis homo similis Deo esse poterat, ijs omnibus hominem sibi fecerit similem. Fecit enim eum sibi similem secundum naturam, prouehendo eum ad summum gradum naturæ in quo ipse est, naturam scilicet rationis compotem ei dando: deinde secundum bona supernaturalia & diuina faciendo eum suæ gratiæ, sapientiæ, & felicitatis participem atque consortem: denique naturam hominis secum coniungendo in vnitatem personæ diuinæ: ita vt non tantum homo similis Deo sit, sed etiam Deus & nominetur & sit.

Ad imaginem. Hebraicè est vox צלם zelem, quæ *vmbram* significat. *Deus enim*, vt ait hîc 73
Cornelius, *solidam, & constantem habet essentiam, homo verò* VMBRATICAM, *& euanidam*. Præterea Dei sui vmbra esse homo debet, vt ei se aptet, eum æmuletur, eum sequatur.

Ad simplicissimi Dei imaginem factus homo est, sed varius multiplexq; fit, cum plura admittis vitia. Hinc illud Sancti Hieronymi epist. 18. *Cum*, inquit, *ad* IMAGINEM *Dei conditi simus, ex vitio nostro personas nobis plurimas superinducimus, & quomodo in theatralibus scenis vnus, atque idem histrio nunc Herculem robustus ostendit, nunc mollis in Venerem frangitur, nunc tremulus in Cybelem, ita & nos tot* SIMILITVDINES *habemus, quot* VITIA.

Cum audis ad Dei imaginem te factum, cogita ad Dei te amorem exstimulari. *Tu homo*, inquit B. Thomas à Villanoua, *non solum huius tanti, & tam mirifici pictoris, imago es, quia ipse te fecit: sed quod valde maius est, quia in te ipsum depinxit, ad imaginem enim eius plasmatus es, vt ipsa te similitudo ad* AMOREM EIVS *amplius incitaret.*

Sectio XII.

Dei *imago* in *homine* in quo sita? 74.

Cum Dei *imago* homo sit se *negligere* non debet.

In alio *homine* quisque Dei *imaginem* reuereatur.

Dei *imaginem* quæ in *homine*, non purpura vestit sed virtus. 75.

Quicquid habet *homo* à *Deo* habet.

Dei *imaginem* præfert, qui effusus & *liberalis*.

Perstrictæ *mulieres* quæ *vultum* adulterant. 76.

Homo ad *imaginem* Dei factus, ne eum lædere Dæmon auderet.

Hominis est factorem suum *imitari*.

Dei *imago*, & similitudo vt in *homine* reparanda sit. 77.

Deum ad *imaginem* hominis fieri quam magnum sit.

Diuina *beneficia* non *cognoscere* quanti res sit periculi.

Suis *affectibus* imperare *homo* debet. 78.

Perturbationibus non subiaceat *homo* vt probet se ad imaginem Dei factum.

Supra communem humani generis *dignitatem* euehi *princeps* hominumque rector debet.

Deum referre debet qui alijs *imperat*. 79.

Impe-

Imperium hominis nota, non *deliciarum* corporearum amor.
Cur primi *pisces* hominis *imperio* subditi.
Illæ præcipuè *passiones* edomandæ quæ *cohiberi* difficilius possunt.
Quæ *carnem* concernunt, *secundas* obtinent. 80.
Animarum sollicitudini vt incumbere *homo* debeat.
Qui *præest* multa sanctitate & *virtute* ornetur.
Motus ratione carentes *compescendi*. 81.
Homo cœteris creaturis prælatus Dei *amore* feruere debet.
Sublimes & *superbæ* cogitationes *comprimendæ*.
Aër cur cœlum dictus. 82.
Bestias in se vt quisque habeat, vt eas *cohibeat*.

74 DEi imago in eo sita, quod in homine præcipuum, quod non transit. Sanctus Augustinus in psal. 47. de hac re ita philosophatur: *Fratres considerate vos homines factos ad imaginem & similitudinem Dei, IMAGO DEI INTVS EST, non est in corpore: non est in auribus istis, quas videtis, & oculis, & naribus, & palato, & manibus, & pedibus, sed est facta tamen vbi est intellectus, vbi est mens, vbi ratio inuestigandæ veritatis: vbi est fides, vbi est spes vestra, vbi Charitas vestra ibi habet Deus imaginem suam; vel ibi intelligitis & videtis, quia ista transeunt, quia sic dixit in alio psalmo: quanquam in imagine ambulet homo, tamen vane conturbatur, thesaurizat, & nescit cui congregabit ea; non turbemini, quia qualiacumq; sunt ista, transitoria sunt.*

Cum homo Dei sui sit imago, fit, vt negligere se non debeat, ne dum imaginem hanc inficit, res in eum resiliat, qui eam fecit, & cuius est imago Sanctus Dorotheus doctrina 22, rem ita conficit: *Quis regiam imaginem depicturus, colorem palidum & turpem audeat imagini imponere, & regem contemnere à quo sit postmodum pœnas accepturus? an non potius colores preciosos, perspicuos & claros adhibebit, & dignos regia maiestate? Laminas aureas imponet, vestes omnes (vt regem decet) adaptabit, vt cum illam fuerit quispiam contuitus, & omnem regium Characterem viderit, putet se se regem ipsum, non imaginem intueri, atq; ipsum archetypum considerare; & nos igitur archetypum nostrum ne contemnamus Deum, ad cuius imaginem facti simus: sed puram nitidam, honestam, propriam imaginem faciamus, & dignam archetypo.* SI ENIM IMAGINEM SENSIBILIS ET SIMILITER VT NOS GENITI REGIS COMMACVLANTES PVNIVNTVR, QVID NOS PASSVROS CREDIMVS, QVI SPERNIMVS QVI IN NOBIS EST DIVINAM IMAGINEM, *neq; illam vt par est, puram & immaculatam reddimus? honoremus fratres, Archetypum.* Homo Dei imago est, cuiusq; est igitur in alio Deum reuereri, cum quod imagini fit in eum resiliat cuius imago illa est: Opportunè Sanctus Chrysostomus, qui hom. 3. ad pop. ait: *Faciamus hominem secundum imaginem & similitudinem nostram. Si verò dicas quòd non est eiusdem substantiæ homo cùm Deo, quid tum; neq; enim as statua eiusdem est cùm rege substantiæ. Sed tamen hanc ausi lædere pœnas dederunt: Sic & in hominibus, etsi non eiusdem cùm Deo substantiæ sunt homines, sicut neq; re vera sunt, veruntamen* IMAGO *vocati sunt, & propter appellationis ipsos* HONOREM RECIPERE *oportebat.*

Dei imaginem quæ in homine non purpura vestit, sed virtus hæc enim verè regius est cultus, nam exstimus nihili faciendus est. Præstat hîc sistere quæ habet Sanctus Gregorius Nyssenus cap. 4. de opificio hominis: *Quemadmodum more humano qui principium imaginis faciunt natiua forma indicia effingunt, atque etiam purpuræ amictu regiam dignitatem exprimunt: eaque deinde suis imago numeris absoluta, ex consuetudine Rex appellatur: Ita & hominis natura sic condita vt reliquorum creatorum domina esset propter eam, quæ Regem vniuersitatis huius refert similitudinem imago quasi viua erecta est, cum qua & dignitas & nomen archetypi commutaretur. Atque hæc* IMAGO NON PVRPVRA EST EXORNATA, *neque sceptro & regia fascia præstantissimam dignitatem suam vt ostentaret necesse habebat: quando ne ipsum quidem exemplum ad quod est conformata, rebus in huiusmodi consistit:* SED PRO PVRPVRA VIRTVTE AMICTA EST, *quo cultu nihil magis esse regium potest: pro sceptro, immortali beatitate suffulta: pro regia fascia, iustitia corona exornata.* 75

Cum audis ad imaginem Dei hominem factum, collige totum quod habet habere à Deo, à Deo dependere. Rem peritè speculi exemplo explicat Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. de cura pauperum, vbi ait: *Si vel minimo momento à nobis Deus abduceret oculos auolaremus in nihilum sicut* IMAGO *euanescit in speculo.*

Dei imaginem præfert, qui effusus & liberalis est, & animi perturbationibus virtutis imperio dominatur. Hic nos vocat S. Gregorius Nyssenus orat. 1. ad illud: Faciamus hominem: *VT DEO SIMILIS FIAS LIBERALITATEM AMPLECTERE, beneficientiam exerce, innocentiam sectare, fraterno omnes amore beneuolentiaq; prosequere, scelera fuge, peccati perturbationibus dominare.*

Ad imaginem, & similitudinem nostram. His verbis illarum mulierum leuitatem perstringit Sanctus Cyprianus, quæ fucis, & picturis vultum adulterant, & mutant, quem Deus formauit; sic ille loquitur tract. de discip. & habitu Virg. *Non virgines tantùm, aut viduas, sed nuptas puto, & omnes omnino fœminas admonendas, quod opus Dei & factura eius & plastica* ADVLTERARI *nullo modo debeat, adhibito flauo colore, vel nigro puluere, vel rubore, aut qualibet denique lineamenta natiua corrumpente medicamine. Dicit Deus: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & audet quisquam* MVTARE ET CONVERTERE QVOD DEVS FECIT? *Manus Deo* 76

 inse-

inferunt, quando id quod ille formauit, reformare, & transfigurare contendunt; nescientes quia opus Dei est omne quod nascitur, diaboli quodcunque mutatur.

Ad imaginem suam fecit hominem Deus, *ne* DÆMONES, inquit scitus ille auctor, HOMINEM LÆDERE auderent, ne ve propter hominis rebellionem aduersus Deum, omnes creaturæ in ipsum insurgerent: sua hominem imagine Deus insignire & munire voluit. Figura eius rei fuit quod legitur libri Geneseos cap. 4. posuisse Deum signum super Cain, ne qui inueniret ipsum signumque Dei in eo videret, interficere eum auderet.

Ad imaginem, & similitudinem. Cur *similitudinem* posuit, post *imaginem?* Lippomanus in Catena: Est, inquit, filius imago patris. Sanctus autem spiritus similitudo patris & filij, communis enim bonitas siue charitas est patris & filij. Ergo non rectè dici putes potuisse, Faciamus hominem ad similitudinem & imaginem nostram, quia profectò filius, sicut non Patris simul & Spiritus sancti, sed solius Patris filius est, sic non patris & eiusdem Spiritus sancti, sed solius Patris imago est. E contra rectissimè dictum est, ad imaginem & similitudinem nostram, quia videlicet Spiritus sanctus sicut Patris & Filij communis bonitas vel dilectio, sic eorundem COMMVNIS SIMILITVDO EST. Quid ergo tandem est, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, nisi faciamus hominem, qui trinæ operationis nostræ in semetipso habeat euidentiam.

Ad Dei imaginem homo factus dicitur, vt statim intelligeret, suarum esse partium factorem suum imitari; hinc illud Sancti Leonis: *Si sapienter*, inquit, *nostra creationis intelligimus exordium, inueniemus, hominem* IDEO AD IMAGINEM *D*EI CONDITVM, VT IMITATOR SVI ESSET *authoris, & hanc esse naturalem nostri generis, dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo diuina bonitatis forma resplendeat.*

77 Reformanda vt sit hæc imago, & similitudo, ita docebat ille in Catena Lippomani: O anima, inquit, mea si vis amari à Deo, reforma in te imaginem suam, & amabit te, REPARA IN TE SIMILITVDINEM SVAM, & desiderabit te. Consilio namque Sanctæ Trinitatis ad imaginem suam creauit te creator tuus, quod nulli alteri ex creaturis donauit, vt tanto eum ardentius diligeres, quanto mirabilius ab eo te conditam intelligeres. Considera ergo nobilitatem tuam quoniam sicut Deus vbiq; est totus omnia viuificans, omnia mouens, & gubernans, ita tu in corpore tuo vbiq; tota es, illud viuificans, mouens, & gubernans. Et sicut Deus est, viuit, & sapit, ita tu secundum modum tuum, es, viuis, & sapis. Et sicut in Deo tres sunt personæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sic & tu habes tres vires, scilicet intellectum, memoriam, & voluntatem. Et sicut ex patre generatur filius, & ex vtroque procedit Spiritus sanctus, ita ex intellectu generatur voluntas, & ex his ambobus procedit memoria. Et sicut Deus est Pater, Deus est Filius, Deus est Spiritus sanctus, non tamen tres Dij, sed vnus Deus & tres personæ, ita anima est intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animæ, sed vna anima, & tres vires.

Magnum fuit ad Dei imaginem hominem fieri, sed illud maius Deum ad hominum imaginem formari, quod factum cum Deus homo factus nostram humanitatem induit: Peritè Idiota de consl. carnis, & spiritus lib. 3. *Magnum quidem est, quod redemisti, nam creando factus est homo ad imaginem & similitudinem tuam: sed redimendo factus fuisti, Domine totius bonitatis & clementia, ad imaginem & similitudinem hominis, quia temetipsum exinanisti formam serui accipiens. Magnum autem est habere similitudinem tuam, sed* MAIVS EST QVOD TV ASSVMPSERIS IMAGINEM ET SIMILITVDINEM NOSTRAM, *maius inquam ratione dignitatis & etiam vtilitatis. Quis ergo diffidere possit, Domine Deus meus, quin miserearis illius quem fecisti ad imaginem & similitudinem tuam? Nemo certè. Sed multo quoque minus dubitare valeat Domine, quin tu miserearis illius propter quem exinaniuisti temetipsum, formam serui accipiens.*

Vt multis Deus hominem donis cumulauerit, *adhuc tamen*, inquit Ferus, *ab omni laude, & gratiarum actione abstinuit, nec vllum dilectionis, vel gratia verbum in ore eius fuisse scriptura testatur*, (expressura nimirum si fuisset). *Qui ergo gratiam Dei non agnouit, non mirum quòd ad hoc vt & peccaret, & peccatum suum non agnosceret, peruenit; quia res vicina est; eodem quippè intuitu, & suum malefactum, & diuinum* ERGA SE COGNOSCIT HOMO BENEFICIVM.

Et præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestijs, vniuersæq; terra, omniq; reptili, quod mouetur in terra.

E*T præsit*. Præsidentiæ statim meminit, non eius; vt colligeremus suis affectibus imperare hominem debere, non illis seruire. 78
Pulchrè Sanctus Basilius Exam. hom. 10. *Non dixit, faciamus hominem secundum imaginem, & similitudinem nostram, & edant omne lignum fructiferum, quod habet fructum in seipso. Posteriora sunt ea, qua ad carnem pertinent prima qua ad animam praeuntia, & praposita appellata. Prima nobis contributa est imperandi facultas.* IMPERIALE ES ANIMAL, O HOMO, ET QVID SERVIS AFFECTIBVS? *quid tuam ipsius dignitatem destruis, & seruis sis peccatis.*

Et præsit. Nulla iræ, nulla mæroris, aut concupiscentiæ mentio fit: quod expendens Sanctus Gregorius Nyssenus orat. 1. in illud *Faciamus hominem*, hæc habet: *Non inquit faciamus hominem ad imaginem nostram, vt irascatur, concupiscat & mœreat. Perturbationes enim non cadunt in* IMAGINEM *Dei. Sed ratio* PERTVRBATIONVM *moderatrix ac Domina.*

Tot donis, ac priuilegijs primum hominem Deus onerauit, quia præesse piscibus alijsque animantibus debebat, qualis ille sit, qui imperium in homines habiturus? Plus quàm homo, sit

ſit qui ſuper homines eſt. Præclatè tem vrget Ioannes Euſebius, dum ait: Primus illos honores Adamus ad imaginem diuinam conſtitutus meruit imperium in bruta: præfuturus erat amentibus naturis: Hæc vmbra diuinæ poteſtatis, tot ptiuilegia, tot fauores meruit, ipſi creatori quaſi venerabilis. Non vt vulgus & plebem mundi quadrupedes, volucres piſces, iubendo fecit Deus, inaugurandum verò hominem imperio ſine imperio extruxit, cùm conſilio, cùm labore: ſuis ipſe creator manibus ſelectum, purum rogiumque limum effigiauit, ſi mauis conſecrauit ruber erat; purpuram iam noſcis, & ſignum maieſtatis. Deinde ſuo ipſo ore; imagine quadam oſculi, & ceremonia, amoris, animauit. Gregem variorum brutorum vna voce è puluiſculo excuſſit. At vnum regem, vnum hominem dico, multo conſilio elaborauit, multa opera: tanti fiebat præfuturus brutis. Quid præeſſe hominibus erit? QVARE SVPRA COMMVNEM HVMANI GENERIS DIGNITATEM EVECTVS PRINCEPS, tanto vlterius & elatius humana gloria locatum ſe miretur, quanto honos humanæ naturæ ſupra brutorum ſeruitutem ſurgit: nec tantum præ omnibus eſſe ſed pro omnibus; tam tandem ipſe vnus eſt, quantum vniuerſa. Namq; ſi tam gratioſum Deo fecit hominem brutorum dominatus, qui Regem gratiſſimum non faciet hominum imperium?

Et præſit. Nimirum illius eſt, qui alijs præeſt,
79 Deum referre: Benè rem verſat Vgo Catenſis: *Per hominem prælatum*, inquit, *intellige, qui ad imaginem Dei debet eſſe factus. In hoc quod tota trinitas facit hominem, notatur quod prælatus debet in tribus maximè præpollere: In potentia quæ refertur ad patrem: in ſapientia quæ refertur ad filium: in benignitate, quæ refertur ad Spiritum Sanctum*.

Et præſit. Scilicet imperium hominis eſt nota, non corruptibilium ferculorum eſus, vſuſque, nec enim dictum eſt, faciamus hominem ad imaginem noſtram, & ex omni ligno comedat; ea quæ ad carnem ſpectant poſtremo loco ſunt habenda. Pulchrè Sanctus Gregorius Nyſſenus orat. 1. ad hæc verba: *Non dixit, faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & veſcatur ex omni ligno fructifero quod fructum habet in ſemetipſo. ſecundo loco ea, quæ ad carnem pertinent, conſtituuntur. Primò autem ac potiſſimum illa quæ animum ſpectant. Prima nobis imperandi poteſtas decernitur.* AD IMPERANDVM NATVS ES HOMO. *Quid ergò perturbationibus ſeruis? cur dignitatem abijcis tuam? cur te peccato tradis in ſeruitutem? cur te conſtituis mancipium diaboli? rerum conſtitutus es princeps: cur naturæ tuæ grauitatem proieciſti?*

Et præſit piſcibus maris. Cur primi piſces hominis ſubduntur imperio? Videlicet, inquit Pererius hic, quòd hi animantium MINIME DOCILES, minimèque humani imperij capaces, & noſtræ conſuetudinis atque diſciplinæ participes eſſe videantur. Quod ſi eis tamen præeſt homo, quanto magis eum cæteris animalibus præeſſe credendum eſt: Idem in paſſionibus domandis fiat, ex primum rationis imperio ſubijciantur, quæ magis indomabiles ſunt, cohiberi difficilius poſſunt.

Et præſit. Vix homo dictus eſt ad Dei ima- 80
ginem factus, cum præſidentiæ in alia ſit mentio, *Non dixit*, inquit Sanctus Baſilius, *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & veſcatur ligno fructifero*, QVÆ CONCERNVNT CARNEM SECVNDAS OBTINENT. Quæ ad carnis curam ſpectant, adeo non faciunt ad Dei imaginem, vt potius inficiant.

Et præſit. Cur præſidem potius cunctarum rerum conſtituit hominem Deus, quàm iudicem? Nodum ita ſoluit probæ notæ auctor: Placuit, inquit, Deo appellare illum præſidem potius, quàm iudicem, tum ob primariam hominis primi dignitatem, tum vt ſignificaret, ante omnia prouidendum eſſe, vt attenderet iudex, præter iudicaturam, SOLLICITVDINI ANIMARVM, ET HVIC PRIMVM. Hanc enim deſignat præſidis nomen, cum Apoſtolus dicat: Qui præeſt in ſollicitudine.

Et præſit. Vix dixerat hominem factum ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, cum de eius imperio agit in animalia. Aliqui etiam, particulam illam *&* exponunt pro *vt*. Pulchrè ille: Coniunctio illa, *&* cauſam hoc loco aſſignat, ideſt: Vt præſit piſcibus maris, &c. Ac ſi dicat: Prius hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram faciamus, vt hac virtute, & ſanctitate præditus facilè poſſit omnibus animantibus imperitare; OPORTET ENIM, VT ILLE, QVI PRÆEST, MVLTA VIRTVTE, ET SANCTITATE ORNETVR, vt ſubditis leges ferre poſſit, & in officio ſubditos continere.

Vt præſit piſcibus maris. Benè eſt, quod cum de hominis imperio agitur, piſces, & aues huic imperio ſubiecti ſtatim referuntur, vt nihil firmi, ſtabiliſq; in culminibus eſſe conijceremus, omniaq; amaritudine admixta.

Benè ille piſcibus præeſt, qui motus ratione 81
carentes compeſcit. Sanctus Gregorius Nyſſenus orat. 1. ad illud: Faciamus hominem, hæc habet: *Vt Piſcibus præſis* RATIONE CARENTIBVS PERTVRBATIONES *& animi motus ratione contrarios ſupera*.

Præſit piſcibus maris, quæ res hominem rapere in Dei amorem debet; *Gratis*, inquit ad hæc verba B. Laurentius Iuſtinianus cap. 7. de char. *à Deo prælatus eſt homo cæteris creaturis, vt ex hoc cognita ipſius erga eum* DILECTIONE *accendatur in* AMORE *illius*; adeo vt quot ſunt creaturæ tot ſint voces, quibus homo ad Creatoris ſui amorem inuitetur.

Auibus ille quoq; præeſt, qui mentem in ſublimia ſuperbè euolantem cohibet, iactantiam coërcet, tumorem ſiſtit. Ita Sanctus Gregorius Nyſſenus orat. ad verba: Faciamus hominem, ait enim: *Datum eſt tibi vt auibus præſis: abſurdum erit ſi viſco volitantes illas ita capias vt ipſe leuis ſis, efferariſq; ſuperbia; ne* SVBLIMES SPIRITVS TOLLAS NE INTVMESCAS, *ne tibi nimirum placeas, aut plus de te ſentias, quam patiatur humana conditio; ne laudibus inflatus extollaris, ne te ipſe iactites, aut magnum aliquid eſſe*

putes,

putes, alioquin eris volucrum similis quæ naturaleues & instabiles huc illudque, assiduè feruntur & volitant.

82 *Volatilibus Cæli*. Idest aeris, sed aër *Cœlum* in diuinis litteris dicitur? *Aër*, inquit Iunilius in Catena Lippomani, *ob vicinitatem, Cæli nomen meruit.*

Et bestijs. In nobis quoq; bestias habemus, quas nobis, subijciamus: Pulchrè Sanctus Gregorius Nyssenus orat. 1. in illud: Faciamus hominem: *Et Præsit bestijs: impera bestijs omnibus quæ sunt in te. Quid inquies ego ne in me ipso bestias habeo? Tu vero* BESTIAS HABES ET EAS QVIDEM INNVMERABILES; *plurima est in te bestiarum multitudo ac ne me contumeliosum existimes dic amabo, parua ne bestia est iracundia, quando latrat in corde tuo? nonne ea est quouis cane crudelior? Quid? in callido animo tuo dolus latitans, nonne quouis vrso fraudolento sæuior est? quid? nonne fera est hypocrisis vel immanissima? qui autem impetu rapitur ad contumeliam, nonne scorpius est? qui præceps ad vindictam vltionemq; fertur, nonne est vipera grauissima? quid auarus ipse, nonne lupus est rapacissimus? nulla in nobis fera non inuenitur; qui fœminarum amoribus insaniunt, nonne furiosi sunt equi?*

Sectio XIII.

Et creauit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creauit illum.

Sed cur repetit, quod dixerat hominem ad Dei imaginem factum? An vt altius hoc beneficium hominis memoriæ imprimeretur? Benè Sanctus Chrysostomus hom. 10. in Genesim: *Fecit Deus hominem, secundum imaginem Dei fecit illum, masculum & fœminam fecit illos, Animaduerte quanta vsus est diligentia, semel atq; iterum idem dicens,* VT IN MENTIBVS AVDITORVM BENE REPONI POSSINT; *quæ dicuntur nonne nisi hoc ei curæ fuisset, sufficiebat dicere, & fecit Deus hominem? Sed iterim apponit: Secundum imaginem Dei fecit illum*. 83

Ad imaginem Dei creauit illum. Cum supra dixisset *ad imaginem nostram*, nunc ait, *ad imaginem Dei*, ne in illa personarum pluralitate, latere Deorum pluralitatem crederes; sed cum ad imaginem suam hominem factum Deus dixerit cur idem nunc repetit? An vt vtrumque sexum comprehensum significaret? Honcala: *Est*, inquit, *animaduertendum, quod non semel, sed bis asserit hominem ad imaginem Dei factum: vt scias non tantum virum, sed etiam mulierem Dei imaginem præditam fuisse; nam & homo vtriusque sexus nomen est: & fœmina ratione, pollet & mente sicut vir: secundum quam vterque renouatur in imaginem eius, qui fecit illum, vbi non est masculus, neq; fœmina*.

Ad imaginem suam creauit illum. Cur repetit quod semel dixerat, & sufficienter expresserat? *Repetit verbum*, inquit B. Thomas conc. 3. de Aduentu Domini, VT COMMENDET HOMINIS DIGNITATEM. *O mira celsitudo, ò mira pulchritudo, mira excellentia hominis, suum referre creatorem, ac ad eius formam, & imaginem fuisse psalmatum*.

Cur hac secunda vice omisit quod secundo loco prius dixerat, *ad similitudinem?* Rupertus in Catena Lippomani: *Quid nam, inquit, est hoc, quod scriptor iste cum retulisset Deum dixisse, Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, subsecutus, vnum ex his duobus omisit, dicendo, & creauit Deus hominem ad imaginem suam? Nunquid casu vel obliuione tam magna parte conditionem hominis in suo sermone diminuit, quàm in Dei dictione tam nobiliter vtraque parte extulit? Non vtique, sed scienter, quid Deus intendisset, in verbis eius expressit, & quid accidisset, ipse in suo sermone prudenter obseruauit. Cum enim diceret Deus, faciamus hominem, ipse vtique illum ad imaginem & similitudinem suam facere intenderat,* 84

derat, cum autem hæc iste scriberet, HOMO PER PECCATVM DEI SIMILITVDINEM AMISERAT: *Et quidem nouerat iste, quod illud Dei propositum nullus auertere posset, & in hac fide vel scientia, dum respiceret in eum dominus, facies eius splenduerat, veruntamen certa nondum persona consurrexerat, in qua absque vlla contradictione, recuperata monstraretur illa diuina similitudinis gloria, quæ in illa primi hominis persona deperierat.*

Cur eodem quo homo die condita iumenta fuere, non cum volatilibus, neq; reptilibus? Honcala. Quæritur, inquit, cur hæc animantia non procreauit Deus cum piscibus, & auibus, natura, sensu, motuq; ferè sibi prorsus æqualibus? Ea propter, ait Rupertus, quòd, & si in eodem essentiæ gradu iumenta, & sensibilia sint, nec vltra valent, rectè tamen CVM HOMINE DIEI SEXTO COMPVTANTVR: quia cuius homo, eiusdem partis mundi, scilicet, terræ, ornatus iumentorum quoque genus est, & eius potissimum substituta seruitio sunt; sicut videmus quod neque volatilia, neque reptilia, quę produxerant aquæ, sed sola iumenta homini cooperantur, & collaborant.

Non creauit Deus hominem, quando terra inanis, & vacua, sed quando floribus, fructibusq; fuit ornata, vt ab ipsa disceret, qualis esset; cumque terram germinasse iam videret, & ipse iustitiæ fructus pareret: *Nec creatur cum terra*, inquit scitus ille auctor, *quia erat inuisibilis, & incomposita*; ne terram imitaretur, vacuusque à bonis operibus esset, quòd vacuam videret terram.

85 Hunc mundum propter hominem Deus condidit, nam Angeli cum corpore careant, corporeo loco non indigebant; *hunc mundum*, inquit Salianus, *esse voluit quasi* LABORIS AREAM, *quasi* CVRRENDI STADIVM, *quasi armorum palæstram, & militiam, quasi vineam diurna vitæ huius contentione excolendam.*

Prius mundum Deus condidit quàm hominem formaret, vt *magna mole*, Tertulliani verba, Tertulliani mens est, *tanquam in* MINORI PROLVDERET, *atq; proficeret.* Homo enim licet quantitate sit minor mundus, perfectione tamen, ac dignitate est maior. In hominis igitur formatione informatur homo, vt & ipse Dei exemplo semper ad perfectiora pergat, & operibus magnis ad maiora ac excellentiora gradum sibi faciat, curam sibi sternat.

Ante hominem prius alias Deus condidit creaturas, nimirum vt tot illi beneficijs occurreret, & donis exciperet. *Ecce quomodo*, inquit Lippomanus in Catena, *Deus voluit* HOMINEM BENEFICIIS SVIS OBRVERE, *antequam conderet, omnibus iam ante creatis, quibus esset opus habiturus, ad gaudium, oblectationem, ac risum quo prouocaretur ad Deum tam beneficum sibi patrem amandum ardentius.*

Omnium postremus homo à diuinæ omnipotentiæ, vt ita loquar, sinu prodit, vt statim proderetur eum natum esse regem. Ita S. Gregorius Nyssenus de hominis opificio cap. 2. *Hæ causæ sunt quamobrem post creata cætera conditus homo sit. Non enim putandum est, iccirco ad extrema reiectum fuisse quod vilis esset sed quod eum statim ab ortu suo reliquorum omnium tanquam subditorum* REGEM *esse oportebat.* Quàm fatuus si rex natus, seruus moriatur, & rerum terrenarum se mancipium faciat!

Sexto die conditus homo est; cur non septimo? vt statim sciret se operi natum, ac labori non quieti, non otio; *Sexta die*, inquit Bercorius, *fuit creatus homo, vt ad denotandum, quod ipse debet esse labori* BONORVM OPERVM DEDITVS, *quia dicitur: sex dies sunt, in quibus operari oportet, & Iob homo nascitur ad laborem.* Licet autem omnes sex dies addicti operi, ac labori fuerint, fuit tamen præcipuè sextus, cum in eo ea quoque præstanda fuerint, quæ fieri sabbato non poterant. 86

Omnium creaturarum postremum Deus hominem produxit; cur non primum, vt qui dignitate omnia antecedebat, antecederet & tempore? *Ne gloriaretur*, inquit Procopius, *& se* QVASI IACTARET COOPERATOREM *Dei*; Vt statim homini constaret Deum eius opera non indigere, sicq; statim humilitatis spiritum, vt ita loquar, biberet.

Post alias creaturas homo formatur, ne paupertate laboraret, sed diuitijs onustus in Dei amorem aliceretur. Ita Nicetas in orat. 43. S. Gregorij Nazianzeni: *Si postremus homo editus est, idque cum ad imaginem Dei factus: manuque diuina effictus fuerit, minime mirandum est. Nam cum eorum quæ terra amplexu continentur, regnum ac principatum habiturus esset, adornandum prius erat palatium & animantia ea quibus præesse debebat, procreanda, sicque demum ipse omnibus iam suis satellitibus stipatus introducendus erat, vt mundum ingressus,* PAVPERTATE *atq; inopia minime laboraret, sed* DIVITIIS *statim & copijs afflueret.* Sancti Gregorij verba ad quæ Nicetas respicit, sunt ista: *Si postremus homo creatus est, idq; cum Dei manu atque imagine ornatus sit, nemini mirum videri debet; construendum enim tanquam* REGI *palatium erat, atq; ita* REX *introducendus, omni iam suo satellitio stipatus.* Tantùm dedignetur seruire, qui tanquam rex prodijt.

Post alia omnia conditus homo est, *vt ille*, inquit Philo de mundi opificio, *in mundum ingressus mox inueniret &* CONVIVIVM, *& Theatrum sacratissimum; alterum refertum copijs, alterum spectaculis &c.* Porrò tanquam conuiuam hominem in orbem adduci notabat ex nostris Sanctus Gregorius Nyssenus de hominis opificio cap. 2. vbi ait. *Vt egregius* CONVIVATOR *antequam cibi parati sunt, conuiuam domum suam non deducit: sed omnibus primum eleganter constructis, edibus, cœnaculo, mensa splendidè exornatis, rebus deniq; ad victum necessarijs omnibus comparatis, tum deinde conuiuam excipit: ita opulentus ille, sumptuosusq; conuiuator noster, domo prius varijs rebus eleganter ornata, epulaque magno instructo quod omnis generis haberet, tum demum hominem introducit: cuius esset opus, non ea quæ abessent parare, sed oblatis frui.* Addit: *Hæ igitur causæ sunt* 87

unt quamobrem post creata cætera conditus homo sit. Non enim putandum est icciico ad extremũ reiectum fuisse, quod vilis esset, sed quòd eum statim ab ortu suo reliquorum omnium tanquam subditorum, regem esse oportebat.

Post conditum Cœlum, homo mundum ingreditur, vt statim mente in Cœlestia ferretur, & sciret natum se Cœlo, ibiq; coronam latere. S. Ambrosius enar. 1. ad Honoratum: *Non immeritò ergo postremus homo ingressus est stadium, cui parabatur corona, vt eum præcederet* COELVM, QVASI SVI PRÆMIVM.

Non solum post alias creaturas homo producitur, sed postquam omnia erant ornata, atq; perfecta, vt statim ex perfectione, ac concinnitate creaturarum in Deum surgeret, efferret Deum; quod tetigit Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Glaphyrorum, dum ait: *Oportebat terram refertam esse ijs, qui ipsum* GLORIFICARE *nossent, & ex concinnitate creaturarum Creatoris gloriam intueri.*

88 Sex dies rerum molitioni Deus destinauerat, sed in postremo hominem tanquam nobiliorem creaturam condidio. Deum in Dei obsequio imitemur, in vitæ nostræ confinio PRÆSTANTIORA, PERFECTIORAQVE IN *DEI* GLORIAM PRÆSTEMVS OPERA, quæ cætera anteactæ vitæ præcellunt vt homo ceteras creaturas.

Post alia omnia creauit Deus hominem ad imaginem suam: Cum viua Dei imago homo sit, imitari omnibus Deum debet. Pulchrè ille: *Sicut* IMAGO IN SPECVLO *tota dependet à corpore, ac omnes illius gestus imitatur, eo stante stat, ambulante ambulat, ridente ridet, flente flet, ita &* HOMO IMITARI *DEVM* DEBET, *si quidem viua eius imago est non mortua.*

Ad imaginem. Ex hebræo aliqui vertunt, *ad vmbram*, vt sicut vmbra corpus sequitur, corpus imitatur, ita sequi Deum suum homo debet, ac imitari.

Vides vt eodem die sexto & animalia, eaq; terrestria condiderit, & hominem. Cur Angelis par, bestijs terræ sociatur? *Ne se*, inquit ille auctor, *ex præsenti inter* BESTIAS *vilitate deprimeret, nec leuiter intumesceret.*

Masculum, & fœminam creauit eos.

86 **M**Asculum, *& fœminam creauit eos*. Vix dixerat hominem ad Dei imaginem factum cum subdit sexus distinctionem, quod non vacare mysterio certum est: *Propter hoc*, inquit hic Caietanus, *scriptura apposuit creationem maris, & fœminæ immediatè creationi hominis ad imaginem Dei; vt intelligeremus, vsum maris & fœminæ in specie humana, debere esse secundum id, quòd* SVMVS AD IMAGINEM DEI; *hoc est*, SECVNDVM RECTÆ RATIONIS ORDINEM, *(quod est per modum coniugij:) & non secundum appetitum sensitiuum, vt reliqua animalia coëunt.*

Cur non plures homines statim Deus condidit, plures fœminas, vt plura condidit animalia, ne cogerentur generi humano multiplicando fratres sorores in coniugium ducere? An vt charitatis vinculum arctius esset? Rabanus hic: *Masculum autem vnum, & fœminam in primis creauit Deus vnam: non vt animantia cætera quæ in singulis generibus non singula sed plura creauit: vt per hoc humanum genus arctiore ad inuicem copula* CHARITATIS CONSTRINGERET, *quod se ex vno totum parente ortum esse meminisset.*

Cur fœminæ nunc fit mentio, quæ nondum ex Adami costa fuerat ædificata? Sanctus Gregorius lib. 32. moralium cap. 9. ita nodum soluit: *Scriptum est; creauit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculum & fœminam fecit eos? Nec dum enim Eua facta describitur, & iam homo masculus & fœmina perhibetur. Sed quia ex Adã latere proculdubio fœmina erat processura, in illo iam computatur per* SVBSTANTIAM, *à quo fuerat producenda per formam.* 87

Sectio XIV.

Bene-

Benedixitq; illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris.

88 CRescite, & multiplicamini. Puritatis, & honestatis exemplum habes, ne impuris verbis quis alienas aures conspurcet. Animaduertite, inquit pius ille auctor, quàm honeste dominus de actu matrimoniali loquutus sit, non dixit, iungite vos vxoribus vestris, sed crescite, & multiplicamini, vt discant homines, si de huiusmodi rebus aliquando agendum est, HONESTE DE IIS ESSE LOQVENDVM.

Crescite, & multiplicamini. Cur numerosè loquitur cum adhuc fœmina producta non esset? An singulari numero vtitur pro plurali? *An quia benedictio data viro*, vt ait B.Dionysius Carthusianus, PERTINEBAT AD FOEMINAM, *quoniam fœmina mox erat plasmanda*.

Crescite, & multiplicamini. Multiplicationem qui imperauit, vt humanum genus augeretur, multiplicationem, augmentum in singulis etiam hominibus quærit, quod virtutibus fit. Præclare Sanctus Gregorius Nyssenus orat. 2. in verba: *Faciamus hominem*, ait enim: *Et benedixit eis Deus & ait: Crescite & multiplicamini & replete terram. Duplex est incrementum vnum corporis alterum animi*. AVGETVR ANIMVS CVM DISCIPLINIS EXCOLITVR *atque perficitur. Corpus autem crescit dum ex paruo ad iustum & congruentem magnitudinis modum accedit. Crescite igitur dictum est ratione carentibus animalibus, vt ad naturalem corporis perfectionem peruenirent. Nobis autem, vt interioris hominis progressu ascenderemus ad Deum, quemadmodum faciebat Paulus, qua quidem retro sunt, obliuiscens ad ea vero quæ sunt priora extendens seipsum. Augmentum fit contemplatione, pietatis cultu, dum ad meliora progredimur dum eorum quæ vera sunt bona cupiditate quotidie magis inflammamur dum quod præcessit post nos relinquimus, & ad id pietatis quod reliquum est, pro viribus contendimus*.

89 Nos quoq; crescere sed ea ratione debemus, vt cœlum repleamus non terram. Opportunè Sanctus Gregorius Nyssenus orat. 2. in verba: *Faciamus hominem*, ait quippè: *Crescite, perfectione illa*, QVÆ DEO PLACET, *quæ fit in homine Interiori. Multiplicamini ecclesiæ fœcunditate, ne in vno concludatur cognitio Dei, sed in omnem terram promulgetur salutis Euangelium. Multiplicamini qui? vos qui in Euangelio geniti estis. Replete terram: carnem vobis ad ministrandum datam bonis actionibus replete. Repleatur oculus earum, rerum aspectu quæ recta sunt. Repleatur manus operibus bonis. Repleantur itidem pedes ad visendos pauperes, & ad ea quæ oportet exequenda proficiscentes omnia deniq; membra nostra repleantur, obseruatione mandatorum Dei, hoc significat ea vox replete terram*.

Replete terram. Hoc nuptiæ præstant, nam virginitas Cœlum potius replet, quod tetigit Sanctus Hieronymus lib. 1. aduersus Iouinianum: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram: necesse fuit prius plantare Siluam, & Crescere; vt esset, quod postea posset excidi: simulq; consideranda vis verbi, & replete terram*. NVPTIÆ TERRAM REPLENT, VIRGINITAS PARADISVM. In eundem ferè sensum idem Sanctus Doctor loquitur epist. 22. ad Eustochium scribens, ait enim: *Glorientur & nuptæ cum à Virginis, sint secundæ, crescite ait, & multiplicamini, & replete terram. Crescat, & multiplicetur ille, qui repleturus est terram*, TVVM AGMEN IN COELIS EST. Vt quantum Cœlum à terra distat, tantum virginitas nuptijs præstet.

Crescite, & multiplicamini. Cur non addidit, *& factum est ita*, quod in alijs Moses fecit? *Cautè*, inquit Honcala hîc, *diuinus Historicus hoc in loco non adiecit, & factum est ita: quia animalium horum fœtura atque multiplicatio non vno die perfici poterat, sed futuris postea temporibus perficienda diuina benedictione decernebatur*.

Cur dominium prius homini tradidit, quam ei escam assignaret? An quia qui alijs præest à ferculorum delicijs, & ijs quæ corporis tangunt curam tantum affectu abesse debet, ac si corporis indigentiæ non esset obnoxius? An quia de ferculis posterior illi vna esse debet? An deniq; hoc innuebat plerosq; futuros, qui maiori auiditati dignitatibus inhiarent, quàm cibis? 90

Et dominamini piscibus maris. Numerosè loquitur, & tamen vnum hominem alloquitur. An id factum quia in futurum prospiciebat, ne ad vnum Adamum hoc imperium coërceretur? Quidam auctor in catena greca Fumani: *Cum de vno dixerit homine faciamus hominem, numero multitudinis adiecit illud:* IMPERIVM HABEANT *in pisces maris, quod sanè dum in futurum prospicit fecisse illum discimus*.

Dominamini. Hebraicè est ורדו *redu*, quod si deducas à רדה *radah*, significat *dominari*; si à ירד *iarad* significat *descendere*. An si statim innueretur; timere descensum debere, qui dominatur; aut eius esse, qui super alios dignitate est, se demittere, & se infra se ponere, *Vt* DESCENSVS A DOMINIO NON ABIVNGATVR. Non meretur dominari, qui ascensum semper cogitat, nec in adepta sistit dignitate.

Et dominamini. LXX. *Principamini*. Hebraicè est ורדו *vrdu*: quod verbum non solum dominari significat, & principari, sed etiam decidere, & descendere; vt vel hinc colligamus quàm pro descensus, & lapsus vicinus sit principatui, aut etiam hoc tam diuersarum nationum sub vno verbo nexu disceremus, principis esse se se alijs demittere. Scitè bonus ille auctor. Puto, inquit, his significationibus aperiri, vt quò alijs maior, & excelsior fuerit, eo humilius, ac modestius se gerat, quantum VERTICE DIGNITATIS supra cæteros ascendat, tantum MODESTIA, ac SVMMISSIONE descendat. 91

Dominamini piscibus maris. Dominium in bruta homini datum audis, non in homines;

Non

Non enim natura, inquit B. Laurentius Iustinianus lib. de Institutione Prælatorum cap. 2. *sed* INFIRMITAS, ET SVPERBIA FECIT HOMINEM HOMINIBVS DOMINARI. *Nam quale imperium, qualeve dominium Deus dederit homini, diuinum super hoc oraculum audi: Dominamini (inquit Deus primis parentibus nostris) piscibus maris, volatilibus cœli, & bestijs terræ. Nusquam quippè reperies, quòd Deus mandauerit, vt hominibus dominarentur homines.*

Tot Deus creaturas formauit, casq; in vnius hominis obsequium, vt vel hac ratione nos doceret, ne sterilis homo in Deo obsequio sit, cum sit Deus in homines tàm effusus. Benè Oleaster in cap. 1. Genesis: *Admonet*, inquit, *hac priori sententia largissimus ille orbis terrarum pater*, NON ESSE STERILES: *neq; apud nos retinere, quæ proximis nostris vsui esse possunt. Quando ipse tam munifice in nos, quæ apud illum delitescebant, effudit. Nihil enim illi magis displicere potest: quam si quis dona eius abscondat, cui rei exemplo esse potest illud, quod apud Lucam 19. cap. legit: quam acriter seruum illum arguerit: qui pecuniam suam in sudario seruans, tradere nummularijs neglexit: quam ipse cum vsuris exigendam fuerat comminatus: Et mirum valde est: quod cum Dominus sit tam largus ex proprijs: seruus sit ex alienis (quæ detinere prohibetur) tam auarus. Et expende (quæso) quæ sint illa: quæ tam abunde pius pater diffundit. Nunquid es? argentum, aut aurum, aut preciosi lapides? Absit: sed quæ? Cœlum: & terram: quæ cœli terraque ambitu continentur.*

Dixitq; Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam, &c. vt sint vobis in escam, cunctisq; animantibus terræ &c. vt habeant ad vescendum.

92 NVnc tandem cibi fit mentio; sed desijt mundus crescere, & alijs ditari creaturis, cum cibus homini decernitur; vt vel sic portenderetur quàm magnum orbi ab escis periculum immineret. Ita S. Ambrosius: *Sexto Die bestiæ sunt creatæ, & cùm bestijs orta edendi potestas est, & vsus escarum. Vbi cibus cœpit, ibi finis factus est mundi. Vbi cœpit sua incrementa nescire: ibi cœperunt diuina circa eum opera feriari: quo indicio declaratum est, quòd* PER CIBOS MVNDVS HABERET IMMINVI, *per quos desijt augeri*. Hactenus ille lib. de Elia, & ieiunio cap. 4.

Vido vt cibum primis hominibus Deus assignauerit, qui facilè digeri posset, vt nimirum facilius mentem in Deum in diuina eueherent. Pulchrè bonus ille auctor. In initio mundi nihil aliud homines propter herbas, & arborum fructus comedebant: Et ita dixit eis Dominus: ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, vt sint vobis in escam. Hos cibos facillimæ digestionis eis assignauit, vt ad DIVINARVM RERVM CONTEMPLATIONEM aptissimi essent.

Vt sint vobis in escam. Mirum quòd Deus noluerit, vt à se homo haberet, quod viueret, sed vitam ab exteriorum rerum vsu esse dependere noluit, quod non casu fuisse factum notabat Algerus his verbis: *Cum omnia posset, non in nobis ipsis sed in* EXTERIORIBVS ALIMONIIS *temporalem vitam nostram retineri voluit; ne nobis debere videremur, quod sumus sed ei potius, à quo sunt illa munera, vnde viuimus.*

Quæri hîc solet, cur præstantior cibus non est homini constitutus, qui animantibus brutis 93
præstantior ab omni parte est? An vt statim superiores discerent delicatioribus ferculis præ subditis non vti? Benè bonus ille auctor: Idem cibus à Deo assignatur Præsuli, & eisdem subditis, tametsi natura & conditione longè inferioribus. Non à Deo, sed à propria gula superiori suppetunt exquisitæ mensarum deliciæ. Esto, nobiliori hominum naturæ debeatur delicatior esca, quam brutis animantibus: at SVPERIORI ALIVS CIBVS NON CONGRVIT, QVAM INFERIORI. Aut repudiet præsidentiæ sublimitatem, aut eandem cum subditis patiatur ciborum vilitatem: ne aut arroganter elatus magis superbiat, aut de subditorum alimento minus curet.

Audis eandem escam homini ac brutis assignatam? igitur qui delicias sectatur brutis ipsis se non solum parem, sed deteriorem facit. Rem ita conficit Sanctus Nilus, dum ait: *Victus secundum naturam idem nobis atque animalibus præfinitus est ab ipso rerum omnium creatore. Ecce inquit Deus cum hominem alloqueretur, dedi vobis omnem herbam agri, vt sit vobis in escam & cunctis animalibus. Cum igitur communem cum cæteris animalibus escam acceperimus, & ad delicias, & luxum conuersi simus*, NON NE MAGIS QVAM ILLA, RATIONIS EXPERTIA MERITO POSSIMVS IVDICARI: *Feræ intra naturæ terminos manent neque recedunt à Dei præcepto: nos qui ratione præditi sumus prorsus à prima Dei constitutione declinamus. Quæ feris sunt obsonia? Quæ condimenta, quæ coquorum artes earum voluptatibus obsequuntur? Non ne pristina frugalitate contentæ herbis vescuntur, & aquam bibunt.*

Vix homini datur in animalia principatus, cum omnis agrorum herba illi statim exhibetur, vt hinc disceremus principatus cum cura subditorum necti. Pulchrè ille: Cur vbi principatus datur tam cito curritur ad herbam procurandam, nisi vt inde commendaretur homini gloria principatus inter animantia, pro quibus sustentandis fœcundi eam si copiosissimam annonam suppeditabant. Quis homo non auersaretur principatum, in quo plures videbat subditos, & annonam paruam, aut nullam? Vt ergo Deus hominem principem animalium creans demulceret illum commendatione, & gloria principatus, non siuit subditos apparere, quin statim COPIOSISSIMAM ANNONAM PRO ILLIS SVSTENTANDIS in promptu constitueret.

Simplex datur homini cibus, quem sponte terra produceret, non occidebantur animalia; 94
Quoniam, inquit Steuchus Eugubinus, *speciem habet crudelitatis quæcumq; sanguinis effusio, simplici autem*

autem seculo nihil immane, sanguinolentumq́, congruebat. Addit esum animalium hanc quoque ob causam fuisse interdictum, *quòd pauca exstarent animalia, pauca inquam in vna quaque esse specie è terra nata, quibus totum erat genus propagandum, quamquam & sub Noe erant ad exiguum numerum redacta: sed illi erant paulo post distribuendi, & cum illis bruta quoq́, animantes*.

Herbas Deus produxit, non in escam tantum, sed & in morborum remedium, quos post lapsum præuisum fore præuidebat. Ita Theodoretus quæst. 13. *Præuidens Dominus, quod homines in morbos prolaberentur, vt pote qui sententiam mortis propter peccatum receperant, iussit terram herbas producere non tantum esui aptas; sed etiam morbis depellendis. Et hoc diligentius quis nosse poterit ab his, qui medicinæ artem exercuerunt, quod hæ, quæ videntur esse venenosa*, MORBORVM REMEDIA *continent. Permixta enim alijs herbis morbi depulsiua fiunt; & sanitatem procurant*.

Idem cibus mensa eadem homini, qui præerat, paratur & brutis, vt statim superiores discerent, eas delicias non quærere, quibus subditi carerent. Benè rem versat nobilis auctor: Scilicet ex Dei consultissimo præscripto EADEM MENSA, CIBVS IDEM ministratur præfecto & subiectis animantibus: nec impar naturæ humanæ dignitas munerata est impari alimonia, ac bestiæ & volucres, etsi id sublimitas hominis exigere videbatur; ne superior alio cibo vesceretur, quam subiectus populus: maligne prouidebit de annona populorum, præfectus delitiosè satur, & opiparè saginatus. Vtatur communi cibo, vt experiatur quam arduum sit subditis tolerare annonam inidoneam, feram, vilem, caram.

Cur eandem escam homini Deus assignauit,
95 ac brutis? An, vt ille ait, *quia tectè innuere volebat futurum vt cibi vetiti esu homo* PAR BRVTIS *esset futurus?*

Vt habeant ad vescendum. Vel in ipsa cibi assignatione temperantiæ monitum habemus, ad *vescendum*, inquit, *non*, quod notabat & Vgo, *ad* LVXVRIANDVM.

Vt habeant ad vescendum. Prouidæ matris munus terra exercet, dum cibos exhibet animantibus ex se natis. Tacitè matres illas accusat, quæ filios nutriendos alijs assignant, nouercæ potius, quam matres dicendæ. Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 22. ita scribit: *Nonne aër, & terra cum cunctis animantibus, partim cibos, partim ducendi spiritus facultatem largiuntur, parentum erga filios amores imitari*. Nunc contra homines ad terram mittendi, vt ab ea discant, quî alere filios debeant.

Sectio XV.

Omnia creata *Dei bonitatem* pro viribus exponunt. *96.*
Qui alia *indicat* à passione & *perturbatione* sit immunis.
Valdè *bona* omnia à *Deo* creata cur dicuntur.
Perstricti *homines* qui cum inter homines versantur non *meliores* sunt, sed peiores fiunt. *97.*
Bona omnia sunt, quia ad *profectum* animæ rationalis sunt facta.
Post creatum *hominem* omnia valdè *bona* cur dicta.
Nostra tunc maximè *bona* cum Dei *obsequio* adijciuntur. *98.*
Ordo rebus quàm magnum *decorem* adijciat.
Quanti referat in *Deum* omnia *referri*.
Christus vniuersi *complementum* & consummatio. *99.*
Bona in præsenti præstanda non in *futurum* reijcienda.
Viri perfectio ex bona *mulieris* societate maximè pendet.
Hominem quanti *Deus* fecerit. 100.
Concordia magnam de rebus *bonitatem* elicit.
Omnia creata *meliora* dicuntur fieri, quia *homini* seruiunt.
Hominem vt *Deus* honorauerit, & extulerit.
Dei cum *homine* familiaritas. 101.
Probæ *mulieris* est *virum* ad omnem pietatem inducere.
Aliorum *commodis aptare* se quisq́; debet.
Maria bonitas vt collecta.
A *creaturis* surgere ad *creatorem* debemus.
Omnia nostra *circumspicienda* & *examinanda*.

Viditq́ Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.

Bona omnia dicuntur, quæ à bonitatis fonte sunt facta bona singula sunt, non solum quia absoluta, & integra in mundi decorem, hominisq́; vtilitatem producta, sed etiam vt Vielmius ait, *vt significaret ea omnia* DEI BONITATEM *suaptè natura, ac tanquam pro viribus exponere*. 96

Erant omnia valde bona sed Dei oculo, alioquin si passione aliqua obsecatus mentis oculus fuerit non omnia erunt valde bona, erunt valde mala. Aduersitates, infirmitatesq́; amore proprio infectus quis aspiciat, & tanquam

pessima iudicabit, repudianda erunt omnia, optima si optimus ille sit, qui aspicit. Pulchrè Theodorus: *Omnia proinde*, inquit, *quæ aspicis oculo à* PERTVRBATIONIBVS IMMVNI *aspice, & vt Deus videbis omnia esse valde pulchra*, valde bona, etiam quæ inuenusta putantur, & mala.

Præterea quæ singula bona, dicuntur simul iuncta, seq; mutuo respicentia, ac adiuuantia valde bona dicuntur, vt colligas perfectionis, ac bonitatis aliquid adijci, si in aliorum vsum auxiliumque quod quis habet dirigat. *Singula quidem*, inquit Honcala, *à Deo creata per se bona sunt: simul verò omnia valde bona; si quidem coniuncta, & mutuo quodam nexu inter se ordinata & mundum perficiunt, & sibimetipsis pro sua quæque portione mirificè prosunt; singula denique creata, per se sunt tantum simpliciter bona, eadem* SIBI CONIVNCTA SVNT VALDE BONA. *Deus autem omnium conditor summè bonus*. A cæteris creaturis homines abeunt qui cùm inter homines versantur non meliores sunt, sed peiores fiunt.

Erant valde bona; etiam ab hoc capite bona
97 omnia sunt, quod ad bonum homines vocant. *Vidit Deus*, inquit B. Laurentius Iustinianus lib. 2. de spirituali animæ resurrectione, *cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Bona igitur quum sint pro sui conditoris gloria, & ad* PROFECTVM ANIMÆ RATIONALIS SVNT FACTA, *quatenus per corporalia ad spiritualia assurgat, & quæ iacet in imis, visibilium adminiculo progrediatur ad summa, atque ex animali spiritualis fiat*.

Valde bona. Quæ singula erant bona, cuncta optima sunt, quia SINGVLORVM BONITAS, vt ille ait, *particula quædam est vniuersæ bonitatis*. Aliter rem versat Ægydius Columna in suo Exameron lib. 2. cap. 31. *Perfectior*, inquit, *est pars in suo toto, quàm in se & ideo de vnoquoq; opere diuino dicitur, quod est bonum, sed de omnibus simul scribitur, quòd vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant* VALDE BONA; *partes ergo singulæ in se sunt bonæ, sed in toto sunt valde bona*; vt inde quilibet colligat, se nihil amittere, sed potius multum acquirere, perfectionis, cum totius se commodis aptat, nec sua quærit.

Nisi dicamus ob creatum hominem cuncta *valde bona*, dici, quæ antea nude bona dicebantur: *Quare*, inquit Beatus Alcuinus, *de solo homine creato non dicitur singulariter. Vidit Deus quod esset bonum, sicut de cæteris creaturis dictum est? Resp. Quia postquam homo creatus est, dicebantur omnia valde bona, quasi ante essent singula bona*: PROPTER HOMINEM AVTEM OMNIA VALDE BONA, *quòd omnia in decore hominis creata essent, homo vero in gloriam & laudem conditoris sui factus est*.

Erant valde bona. Nimirum homine producto, quæ erant bona, valde bona dicuntur, quia omnia vsui hominis erant futura. Tanti refert homini aliqua seruire: *De quolibet ferè opere*, inquit Honcala, *in prioribus diebus producto dictum est, & vidit Deus quod esset bonum; in sexto autem die, homine iam formato, completoque vniuerso, omnibusq; naturis, quæ in eo sunt perfectis: dixit cuncta à Deo facta, ei fuisse visa valde bona. Ante quidem erant singula bona, propter hominem autem omnia valde bona: quia omnia superius enarrata in vsum hominis atque decorem creata sunt; homo verò in gloriam, & laudem conditoris factus est; homo igitur ad imaginem Dei factus, vt esset quodammodo finis omnium non dubium, quin visus fuerit Deo valde bonus, propter quem ipsum vniuersum est valde bonum, licet idipsum non fuerit explicatum propter futurum hominis casum; creato igitur homine omnia* SVNT VALDE BONA, *quia perfectum constituunt vniuersum, cui nihil addi, detrahiue possit*.

Et erant valde bona. Ac si rebus adiecta bo- 98
nitas aliqua, quod in hominis sint seruitium destinatæ. Peritè ille auctor: Cum omnes, inquit, creaturas, & earum perfectionem Deus perspicit sub dominio duntaxat suo, antequam illas velut alienauerit, & homini dederit, non valdè bonæ apparent Deo. At vbi primum easdem sub alieno quodammodo dominio contemplatur, sic velut alienatione venustantur ad gratiam quasi alienationis blandimento, vt tunc quidem arcana placendi vsura, VALDE BONÆ, id est, optimæ, & numeris omnibus absolutissimæ dicantur; Quam fatuus homo, qui se perdere sua credit, dum ea in Dei obsequium expendit.

Et erant valde bona. Hoc est optima, sed cur non etiam ante hoc titulo fuere insignita, sed bona tantum fuere dicta, quæ fuere creata? *Quia nec dum creato homine*, inquit Bonfretius, *propter quem cætera, & necdum vltima manu addita vniuerso, neq; mundus, neq; quidquam cæterorum poterat dici vndequaq; perfectum*.

Valde bona dicuntur quæ prius bona tantum fuere dicta, vt quid rebus ordo, ipse contulerit intelligatur. Pulchrè ille: Cum Dominus singulas quasque res condidisset, easque bonas esse iudicasset, vbi totam mundi fabricam absoluit, eas non bonas modò, sed valdè bonas esse testatus est: sic enim Moyses ait; Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Bonitas enim quæ in singulis rebus erat, in vniuersis conduplicata euidentius eminebat. Singularum enim rerum pulchritudo IN ORDINEM REDACTA (quod in variarum vocum consonantia fieri videmus) velut concentum quendam, & harmoniam suauissimam efficit.

Singula erant bona, sed post hominem conditum, ad quem omnia referebantur, valde bona dicuntur, tanti refert in eum res referre ad quem diriguntur, quod iustius ad Deum transferas; omnia erunt optima, si omnia referantur in Deum, omnia in Deum dirigas.

Post hominem conditum cuncta *valde bona*
dicuntur, cur non id dictum cum homo con- 99
deretur, quin nec illud adiectum, quod adiectum alijs, *vidit Deus, quod esset bonum*. An quia vt Pintus ait, *nondum esset perfectus homo, donec per hypostaticam vnionem, & absolutam in Cruce reparationem per Christum, & in Christo postremum, & nobilissimum tam sibi, quàm toti vniuerso complementum acciperet: sicq; vniuersum quod & in se iam conditum, & in homine quasi collectum bo-*

unum visum erat, quando tamen postremo in homine ipso instauratum est & ad perfectionem completam adductum, iam non quomodolibet visum, dictumue bonum sed consummatum est. Hinc signatè dictum sexta die omnia bona esse, & non ante, *vt ad hominem vnum simul & Deum Christum Verum allusio esset, per quem omnia, & propter quem omnia fecit item sexta cuncta in se, vt in microcosmo collecta instaurarum*.

Valdè bonà, Hebraicè sic iste locus effertur: *Et ecce bonum valde;* quam particulam sic expendebat Caietanus: *Et apponitur aduerbium, ecce, ad demonstrandum, non futuram, non expectandam, sed* PRÆSENTEM HABERI BONITATEM *summam ipsius vniuersi. Et significatur per hoc, quid vniuersum est ita bonum, quòd nihil ei deficit, quòd nihil habet superflui, quòd nullam desiderat additionem*. Præsentem Deus exhibet bonitatem, quid futuram tantum Deo homo, ipse polliceatur, & in crastino tantum sit bonus; quid in vitæ finem rejciat, quod semper debet, & ægrè præstare morti proximus poterit? Quot spes ista in futuro bona præstandi fefellit?

Erant valde bona, quia alia alijs vtilia, & aliorum commodis inseruientia. *Docet charitatem*, inquit hîc Ferus, *in eo, quòd omnes creaturas vsus alicui destinat, & vult vt sibi inuicem seruiant*.

Cuncta non solum bona, sed valde bona dicuntur, sed non prius quàm mulier condita fuit, quod expendens nobilis quidam auctor, ait in mulieris laudem resilire: Quando, inquit, Deus creauit Adam non addidit dicens: vidit Deus quod esset bonum, sicut in cęteris operibus dixit, postquam autem virum, ac mulierem formarat, dicit Sancta Scriptura, vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. In quibus verbis illos etiam comprehendit, quod ita factum fuit, vt MAGNAM PERFECTIONIS VIRI PARTEM EX BONA MVLIERIS SOCIETATE PENDERE COGNOSCAMVS.

100 Post hominem conditum, vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona, & quid erat necesse rursum videre, quod viderat, dum conderet? An sic ostendere voluit, quanti hominem faceret? *In Genesi legitur*, inquit scitus ille auctor, quòd postquam Deus omnia creauerat, ea examinauit. Vidit Deus cuncta, quę fecerat, & erant valdè bona. HIC APPARVIT QVAM MAXIMO AMORE DEVS HOMINEM ÆSTIMET. Cum artifex opus aliquod facit magno cuidam Domino, curat diligentissimè, vt sit perfectissimum, & iterum atq; iterum illud examinat. Cum verò illud opus est homini plebeio, non illud toties videt, & nihil curat quale sit. Animaduertite ergo Dei bonitatem, qui tantopere curauit, vt exactissimum esset opus, quod vermiculis patrabat, nobis in hoc significans, quam maximi nos æstimet. Quare ergo nos ita rustici, & tam parum vrbani erimus, vt opus, quod ad tam Supremæ Maiestatis seruitutem facimus, iterum, atque iterum non examinemus, vt videamus, vtrum aliquid in eo dissentaneum aut imperfectum sit.

Quæ prius nude *bona* dicuntur, nunc *valde bona* vocantur, quia nimirum illis bonitatis multum concordia affricauerat. Appositè nobilis ille auctor: In Genesi legitur quod approbat Deus singula, quæ creabat, & dicebat, quod lux esset bona, cęlum bonum, terra quoq; bona, & in fine dicit. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona, singula erant bona, cuncta vero erant optima. Ita illi PLACVIT CONCORDIA, quæ tam excellens est, vt bona, optima efficiat. Si ergo naturalis concordia fecit, vt res in altiorem bonitatis gradum conscenderent, quid Christiana concordia, fraternitas, & charitas efficiet? quantò gratior erit oculis Dei, cum Deus videt Christianum sibi vim inferentem, na alium consumat, sicut ignis non consumit aërem, nec aër terram destruit? Pulcherrima est concordia elementorum, quam optima illa efficit in lingua & oculis Dei, Pulchrior autem est cordium concordia, quam ipsi domino iucunda efficit.

Valde bona, quæ sunt condita dicuntur, cur non summè bonus dicitur, qui eas condidit? An quia hoc in dubium non debebat reuocari; nam qui bona fecit, quæ fecit, optimus vtiq; probabatur, quod verbis non exprimitur, quorum opera ipsa id clament.

Præterea nunc omnia *valde bona* dicuntur, quæ prius nudè *bona* dicebantur, quia ab homine condito maiorem quandam perfectionem omnia videntur acquirere, cum hominis vsui seruiant, ob quem omnia alia condita fuere. Præstat hîc sistere, quæ habet Sanctus Thomas. *Signanter post productionem naturæ rationalis humanæ, additur, [valde bona.] In alijs autem præcedentibus dicebatur, vidit Deus quod esset bonum, nam ex conditione naturæ hominis dependet sub Deo quasi bonitas omnis naturæ corporalis, cùm finis sit quodammodo omnium, & ex fine habent ea quæ sunt ad finem necessitatem, bonitatem & ordinem, vnde ex comparatione ad hominem ad quem ordinantur & si res qualibet sit bona in se, tamen per respectum ad finem, omnes* SVNT VALDE BONÆ.

Valde bona nunc omnia dicuntur, quia homo iam conditus erat, cui omnia seruire debebant, sed aliquis reponat, cur igitur. Sed in hominis formatione non est dictum, Deum dixisse id esse bonum; An quia ex modo ipso creationis satis id apparebat? Quidam auctor in catena greca Fumani hęc habet in hanc rem: *Quam ob causam in alijs quidem conditis naturis dicitur illud: vidit Deus quod esset bonum: in ipso verò Adam dictum non est? nempè quod illa Deo iubente facta sunt, homo autem molliente ac manus proprias admouente; & consilijs antecedentibus* HONORANTE ILLVM *propter quem omnem, quacumq; cernitur, naturam est fabricatus*.

Denique licet cum hominem produxit non
101 vsus legatur hac formula Deus : *Vidit quod esset bonum*, ac amplius aliquid dixit, dicens *Deliciæ meæ esse cum filijs hominum*. Rem sic expendebat Ioannes Eusebius: Quemadmodum, quia nullum animalium simile inueniebatur Adæ, cum quo societatem, & amicitiam, ac familiaritatem habere posset, creauit Deus Euam tanquam eius sociam, ita creatis rebus omnibus corporeis, cùm nulla esset Dei similis, & cum qua Deus familiaritatem & societatem inire posset, fecit hominem sibi similem, vt esset quem Deus amaret, & à quo vicissim amaretur amore amicitiæ. Et de alijs quidem rebus cùm eas Deus à se factas cerneret, approbasse eas dicitur. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. DE HOMINE AVTEM MVLTO ALITER LOCVTVS EST DEVS PER SALOMONEM, DICENS: DELICIÆ MEÆ ESSE CVM FILIIS HOMINVM.

Cum hominem condidit Deus, adeo non dictum Deum vidisse id esse bonum, vt potius legamus dixisse: *Non est bonum hominem esse solum*, vt ob id asserverit Sanctus Ambrosius: *Sine muliere hominem, non habet laudem*, in muliere prædicatur. Et nuperus auctor: Quare cum nondum bonum reputauerat, quem condiderat omnibus numeris absolutum? Quia non est bonum hominem esse solum. DEERAT ILLI PROBA MVLIER, QVÆ VIRVM AD OMNEM PIETATEM INDVCERET, vnde quamquam reliquis abundè frueretur, hoc vnum est, quod eum & encomijs, & boni appellatione priuauit. Magnam enim vim habet fœmina honesta, vt virum ad pietatem alliciat, ad pietatem trahat. Pudica, & proba fœmina multo honore digna est, & honestatem, & laudem in viros refundit. Ad bonum magnas habet vires mulier si bona, ad malum pariter si mala.

Valde bona sunt copulata, quæ singula bona tantum erant, vt quanti referat se aliorum commodis aptare hinc colligas. Hinc Sanctus Isidorus Hisp. lib. 1. sent. cap. 8. *Attende vniuersaliter creaturam, in principio valdè bonam vocari, singulariter vero tantum bonam; quia & membra corporis cum sint singula bona, maius tamen bonum faciunt, dum singula omnia: valdè bonum corpus efficiunt*.

Valde bona omnia Deus cum fecerit, iustius id fecit cum matrem sibi condidit. Hinc illud Sancti Bernardi serm. 2. de Natiuitate Domini: *Cum enim*, inquit, *fecerit Deus omnia opera sua valde bona, hic melius fecit, consecrans in ea sibi reclinatorium aureum, vt post tumultus angelorum & hominum, & reclinaret, & requiem inueniret. Hoc est quod natura miratur, reueretur angelus, veretur homo, stupet Cœlum, contremiscit terra, infernus exhorret*.

Omnia valde bona fecit, vt à creaturarum consideratione in conditorem raperemur. Scitè S. Augustinus in Psal. 145. *Quid melius in Cœlo, Sole, Luna, Sideribus? totum cœlum cogita; omnia ista simul* BONA VALDE, *quia fecit Deus omnia bona valde: vndiq; pulchritudo operis, qua tibi commendat artificem, Miraris fabricam, ama fabricatorem: non occuperis in eo quòd factum est, & recedas ab illo, qui fecit, hæc enim quibus occuperis sub te fecit, quia sub seipso te fecit. Si harebis superiori, calcabis inferiora; si autem recedas à superiori ista tibi in supplicium conuertentur*.

Cuncta Deus discutit, vt suo nos exemplo doceret, maximè cauendum in rerum initijs, ne malum aliquod lateat, quod temporis processu grandius fiat. Benè bonus ille auctor; De omnibus, inquit, inquirit omnia probat, curatq; ne aliquid lateat mali, quod ideo factum, vt nobis planum fiat, quàm sit necesse, ipsa rerum initia tueri, ne quid mali lateat: nam paruus error in principio, magnus est in fine. Ergo inter nascentis mundi exordia magnum EXAMEN ADHIBET DEVS, & multam circumspectionem, quam non dicitur adhibuisse procedentre rerum ordine: vt nos doceat, multam curam adhibendam circa filiorum educationem, & cauendum in ipsis rerum initijs, ne in malum vergant.

Sectio XVI.

Ordo & *distinctio* in rebus maximè probata. 102.

Paulatim *homo proficere* debet.

Dei *beneficia* dilucenda & distinctè *consideranda*.

Cur omnes *creaturas* simul *Deus* non produxerit. 103.

Confusio in rebus vitanda.

A *Mose* cur illarum rerum *productio* non expressa, quæ oculos fugiant. 104.

Mosis hexameron in manus qui sumit, præstare quid debeat.

Deus plura facit quàm *dicat*.

Curiosa non facilè quærenda, sed ea quæ ad *salutem* sunt necessaria. 105.

Creationis Beneficium quàm magnum.

Mineralium cur à *Moyse* non fuerit mentio facta.

In *mundi* molitione cur *Angelorum* nulla facta mentio.

Mundus propter *homines* præcipuè factus, non propter Angelos. 106.

Peccati occasio vitanda.

Peccantium exempla quàm noxia.

Cauit *Deus* ne quæ ille exhibet *beneficia* alteri tribuantur.

Aliorum se *captui* sacer *scriptor* aptet.

Diei & noctis vicissitudo *latis tristia* misceri indicat. 107.

Sexta diei excellentia vnde collecta.

In omni *atate* bene *operandum*.

Et

Et factum est vespere & manè dies sextus,

102 POterat Dei omnipotentia simul omnia producere, sed noluit. Scilicet paulatim res perficiendæ, ne si vno momento id velimus irritus sit conatus. Præterea distinctè, perq; plures dies res Deus produxit *vt ostenderet*, nuperi auctoris sunt verba, *quid esset proprium cuiq; rei, & quid haberet ex priuilegio, ideo eas sine ornatu creauit, deinde perfecit.* Deniq; dum distinctè produxit, distinctè à nobis eas cogitandas docuit,

Quæri potest cur omnia simul Deus non produxerit hoc ad hominis informationem facit: *Quoniam*, inquit B. Dionysius Carthusianus, *sicut Deus creauit omnia corporalia propter hominem, sic voluit vt modus creationis eorum esset ad hominum informationem perutilis: quod potissimè factum est per hoc quòd per senariam successionem dierum, res creata completa sunt. Ex hoc namque ostenditur, quod oporteat* HOMINEM PAVLATIM PROFICERE, *& omnem distinctionem ornatumque gratiæ ac virtutum expectare à Deo, Denique, ex hoc ipso monstratur, quantum intersit inter animam virtutibus ordinatam, & animam vitijs deordinatam atq; confusam. Rursus, per hunc modum producendi hæc omnia, dedit nobis creator exemplum consultè, ac moderatè, non repentè aut quasi improuisè seu præcipitanter agendi, Iterum, vt suo exemplo doceret nos, Sex diebus operari, & septima die, seu die ei succedente, in Deo quiescere, & solis diuinis vacare.*

Noluit simul Deus omnia efficere, sed per partes, vt ab eo nos disceremus eius beneficia diducere, & distinctè considerare, ac gratias ei agere. Pulchrè S. Ambrosius de Abel lib. 2. cap. 6. *Vtique simul omnia fieri iubere potuit Deus, sed* DISTINCTIONEM SERVARE *maluit, quam nos in omnibus imitaremur negotijs, & maximè in* VICISSITVDINIBVS GRATIARVM, *in quibus non satis est reddere quòd acceperis, sed commendare quod reddas,*

103 Cur non simul omnia produxerit Deus hanc reddidit rationem Gennadius in Catena Græca Fumani, vbi ait; *Quum posset Deus vnico iussu aut nutu vniuersam naturam perficere, neque ipse vt hoc faceret vllo temporis spatio aut vllo dierum numero indigeret,* SEX TAMEN DIEBVS ILLAM MOLIRI VOLVIT, *vt tali fabricatione sigillatim per suas partes disposita seipsum, rationalibus naturis insinuaret, vbi ergo post primas substantias, ipsam lucis naturam, è nihilo protulit, illas abundè docuit, se posse etiam ex nihilo aliquid facere.* Non simul non statim omnia perfecit Deus, sed paulatim, & vt loquitur Tertullianus, *cum* ORDINE *consummauit*, vt ab ipso disceremus in eius obsequijs aliquem seruare ordinem, nec confusè omnia agere. Non simul nec semel omnia Deus fecit, vt ordinem commendaret, ordinem seruans. Pulchrè de mundi Opificio: *Si omnia simul & semel fecisset condita, minus* ORDINIS *fuisset in rebus tam pulchre conditis: nec enim est quicquam pulchri in confuso ordine.*

Potuisset simul Deus omnia condere, sed noluit, *per quod ostenditur*, inquit Sanctus Thomas, *quòd Deus non agit* NECESSITATE *naturæ, sed libertate prorsus.* Deniq; non simul omnia Deus condidit, vt nobis se aptaret, vtq; melius ea quæ ab ipso facta perciperemus, distinctè producta distinctè consideranda sunt. Sanctus Ioannes Chrysostomus: *Dei condescensionem vocat*, dum ait, *Istuc ipsum misericordis Dei* CONDESCENSIONEM *declarat; neque enim inops erat omnipotens illius manus, & infinita Sapientia, vt non posset vno die producere omnia; quid, inquam, vno die? & simplici momento poterat, sed quandoquidem res non ob suam vtilitatem produxit (nullius enim rei indigus est, qui sufficientissimus) sed ob suam benignitatem & bonitatem fabricauit omnia: idcircò non simul, sed successiuè, & per partes condidit, & doctrinam nobis manifestam de rebus conditis per linguam beati huius prophetæ tradidit.*

Totos sex dies mundi molitione Deus exegit, qui omnia in instanti poterat condere, *vt doceret*, sic quidam notabat, *se Deum esse non* CONFVSIONIS, *sed* ORDINIS, *& hortaretur nos suo exemplo ad omnia ordine conficienda, & per agenda.* Diuinæ potentiæ vis, ac virtus fors esset apparitura, si omnia in momento condidisset, at satius Deus duxit ordinatè omnia efficere, vt hinc quoq; colligeremus, diuina beneficia distinguere, non confundere, & distinctè considerare, quæ distinctè partitèq; fuere producta.

Singulis diebus creauit aliqua, nec stetit donec omnia essent absoluta, vt nobis præberet exemplum ea perficiendi, quæ iam inchoauimus, vt nulla negligentia opus inficiat, cui semel manum admouimus. Præterea non omnia simul condidit Deus, vt vel hinc disceremus Dei beneficia diducere, & enucleare. Addit Sanctus Gennadius in Catena, id quoq; factum, *quò magis à creatura participe rationis Deus agnosceretur.*

In rerum, quæ primò fuere conditæ, cur illarum Moses non meminit, quæ aspectum fugiunt? *Omittit Moses*, inquit hîc Oleaster, *illorum productionem, quòd non facilè posset persuadere Iudæis ea esse, aut esse producta, quæ nullatenus* ILLORVM OCVLIS QVIRET OSTENDERE; *inde sumerent homines ingratitudinis ansam, vnde sumenda maioris venerationis materia,* 104

Vtile est, quod his sex diebus factum diligenti consideratione expendere, præsertim si boni doctoris opus omnia expendentem habeamus. Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 20. S. Basilium eiusq; in opus sex dierum opus efferens hæc habet: *Cum* HEXAMERON *illius in manus sumo, atq; in ore habeo, cum creatore coniungor, ac creationis rationes cognosco, creatoremq; magis admiror ac suspicio, quàm prius solebam, cum solo aspectu magistro vterer.*

Præcipua, quæ Deus condiderat, narrat Moses, non omnia recenset, ad Dei mentem, qui plura facit, quàm velit dici; contrà ac homines præstent, qui multa dicunt, operantur pauca; & verbis profusiores sunt, quàm operibus. Deum imitare, in Dei obsequium

multa præsta, nec cura singillatim omnia dici, satis est si numerus operum illi sit notus, in cuius gloriam fiunt.

Pauca nobis de cœlo Moses aperit, multa
105 de terra, terræq; ornatu; quia nimirum hæc erant manifestiora, & ob hominum oculos posita, eorum cognitio vtilior erat futura, & à curiositate alienior; & tamen temere eò se homines efferunt, & à cęlis volunt discere, quæ cœli nec docere volunt, nec si velint sciunt.

Vides vt vbiq; vtilia Moyses exhibuerit, abstinuerit ab his, quæ curiositatem nutrire possunt; notabat istuc Sanctus Ambrosius lib. 6. Exam. cap. 2. dum ait. *Certò Moyses eruditus erat in omni Sapientia Aegyptiorum: sed quia Spiritum Dei accepit, quasi minister Dei inanem illam & vsurpatoriam philosophia doctrinam veritatis rationi posthabuit, & ea descripsit mihi quæ nostra spei accommoda indicauit: quòd terram fecerit Deus, quòd produxerit, terra iuxta Dei omnipotentis imperium operationemq; Domini Iesu virgulta de terris & omnem animam viuentem secundum genus. At non ille putauit dicendum, quantum de spatio aeris occupet vmbra terræ cum Sol recedit à nobis, diemq; abducit, inferiora axis illuminans, & quemadmodum in regionem vmbræ huius incidens Lunæ globus, Eclypsim faciat: quando quæ nihil ad nos, quasi nihil profutura præterijt.*

Curiosa de cęlo, de elementis, rebusq; alijs omisit Moses, quæ solida, quæ vtilia offert, vt statim nos ab inutilibus reuocaret, in nobis quæ profutura essent plantaret. Benè de sacris litteris Beatus Laurentius Iustinianus lib. de contemptu mundi cap. 4. *Sacra pagina tanquam cęlitus per Spiritum Sanctum inspirata, vniuersas scientiarum in se vberrime complectitur veritates, atq; de Deo, & de his quæ ad salutem necessaria sunt notitiam præbet. Cętera autem quamquam curiositati humanæ delectabiliores esse videntur; quia sicut scriptum est Aquæ furtiuæ dulciores sunt, quamuis phalerato sermone ornatiores appareant, à fidelibus tamen à Deo in spiritu militare volunt, atq; ad agnitionem diuinæ veritatis peruenire contendunt postponendæ sunt, ne lutum auro, & fauo mellis commisceatur absinthium.*

Fusè de rerum creatione Moses agit, cum Ioannes se breuissimè expedierit dicens; *Omnia per ipsum facta sunt*, An quia captui se illis aptat, quibus scribit? Iudæi terrena spectabant, Christiani tanquam perfectiores perfectiora, hoc est cælestia, diuina, Deum. Addunt aliqui id factum, quia eo tempore cum non esset facta redemptio creationis beneficium omnium maximum habebatur, & ideo multis exponendum erat, Ioannes verò ad altiora properans, se à creationis factæ memoria paucissimis expedit.

Sed cur mineralium, & gemmarum nulla facta à Moyse mentio hìc est? *Tacuit Moses*, inquit Caietanus, *virtutes minerales inditas terræ, eò quod productio mineralium est occulta, sicut & gemmarum.*

Angelorum mentionem non fecit Moses ad Dei mentem; qui cum Zelotypus sit, noluit occasionem aliquam populo rudi dari Angelis velut quibusdam numinibus adhærendi Moses, inquit peritus ille auctor, eas tantum creaturas recensuit, quibus vtpote abiectioribus diuinitatem non tribuerent Hebræi, & ex quibus, vtpote rebus creatis, omnium creatorem indagarent: non tamen CREATVRAM ANGELICAM, ne in ea sisterent, & conquiescerent, rati eius dignitatem esse ipsam diuinitatem.

Cur ante creaturam corporalem non produxit Deus spiritales mentes, spirituales animas, an quia locus eis prius parandus? An quia, vt ille ait, *noluit Deus vt nulla rationalis creatura* CÆLI CREATIONEM præiret, ne rogatus, aut supplicatione inuitatus cęlos produxisse videretur. Non eguit monitore Deus, qui propriæ bonitatis instinctu operabatur.

Angelorum præterea facta non est mentio
in prima mundi molitione, ne mundus propter 106
Angelos factus crederetur, & non propter hominem: *Dici enim non potest*, Saliani verba sunt, PROPTER SPIRITALES ILLAS MENTES, *licet sint hominis præstantiores creatum esse mundum, cum enim corpore careant, neq; victu egent, neque vestitu ad conseruationem sui.*

Præterea de Angelorum creatione ac lapsu, nihil Moses, aliarum rerum molitionem describens, scripsit, ne peccandi occasionem, & ansam à malis angelis homo acciperet: Res est, inquit nobilis ille auctor, animaduersione digna, quod cum scriberet Moyses mundi creationem, & in ea nonnulla, quæ tanti momenti non esse videbantur, vt est Angelorum creatio, tamen nulla de ea mentionem fecit, quod non temere, sed diuina prouidentia factum est, ne malorum Angelorum lapsus scriberetur, ex quo homines ad malum proni dicere potuissent, quid mirum nos qui ex infirma carne constamus peccare, si Angeli qui spirituales sunt ita peccarunt. O quanta deplorandi daretur materia, si vero, & perfecto amore Deum prosequeremur, & proximos, cum à principibus & optimatibus tot libidinum, ludorum, dissensionum, & aliorum scelerum SVBDITIS EXEMPLA præberi videamus.

Quærunt interpretes, cur Moses Angelorum non meminerit, fors *ne putares*, inquit Honcala, *cælestes illos spiritus quamlibet sublimes in creandis rebus, condendoq; homine, Deo fuisse* COOPERATOS. Nimirum cauet Deus; ne quæ ille exhibet beneficia alteri tribuantur. Præterea, vt Iudæorum se captui Moses aptet, nullam de Angelis mentionem facit, *illa solum memorans*, inquit Procopius, *quæ non supra captum ipsorum esse indicabat*, innuens à minoribus eundum ad maiora, & ab imis ad sublimiora pergendum. Denique Angelorum omisit creationem Moyses, vt hebræis se aptaret ad quos scribebat; præsertim quia ijs, qui diù in Ægypto fuerant, non debebant statim hæc tam sublimia dici,

quorum

quorum non erant capaces. Præstat hîc sistere, quæ habet Sanctus Chrysostomus hom. 1. in Genesim; *Requiris forsitan, cur non prius de Angelis nobis, vel Archangelis indicat. Si enim ex frequentia & magnitudine creaturarum conditor intelligatur, multo magis ex virtutum cœlestium conditione potest agnosci: pulchrum est Cœlum, sed non ita vt Angelus. Splendidus est sol, sed non ita vt Archangelus; & ideo excelsam illam & arduam viam relinquens, per hanc planiorem & humiliorem nos ad rerum scientiam ducit; considera enim qui erant, quibus hæc recitabatur epistola, nonne illis qui educebantur de Aegypto, vbi Dei cultum in Crocodilis haberi, & Canibus ac Simijs viderant? nonne ergo consequens videbatur, eos tunc per excelsiorem viam ad agnitionem conditoris adducere: & ideo ista planiore & faciliore vtitur, cœlum eis terramq; ostendit; & mare, atque omnem visibilem creaturam.*

107 *Factum est vespere, & mane dies sextus.* Hæc porrò diei, ac noctis vicissitudo nobis illam rerum vicissitudioem obijcit, quæ in hac vita contingunt *diem excipit nox, & noctem dies, &* LÆTIS SVCCEDVNT TRISTIA, ET TRISTIBVS LÆTA, vt ille aiebat, non semper durant dura, nec læta semper nobis blandiuntur, & sicut nox ad diei integritatem necessaria, sic & tristitia ad perfectum huius vitæ diem.

Dies sextus. Non caret mysterio, quod soli diei sextæ emphaticus articulus ה est appositus. Rem sic expendebat Mariana: *Cæteri dies positi sunt in Hebræo sine ה emphatico; solus dies sextus eum articulum habet propter eius* DIEI EXCELLENTIAM, *in quo opus creationis perfectum, homo factus, & lapsus, Christus conceptus & passus.*

Sex dies insumpsit Deus in totius mundi formatione, & ornatu, quæ dies respondent etiam sex ætatis partibus, quibus hominis vita continetur, vt vel hinc colligeremus in omni ætate benè operandum, vt ad finem accedimus perfectiora præstemus, hoc enim & Deus fecit, hominem ipsum omnium vltimum creans. Salianus Archiepiscopus Toletanus ita de his sex diebus philosophatur lib. 3. contra Iudæos: *In sex diebus fecit Deus cœlum & terram & omnem à se formatam distinctis diebus condidit creaturam, vnumquemquem diem luce initians, vespere consummans, dicente scriptura: Factum est vespere, & mane dies vnus.* SECVNDVM HOS IGITVR SEX DIERVM NVMEROS *atq; rationes* SEX QVOQVE ÆTATES IN VNOQVOQVE HOMINE PRÆNOSCVNTVR, *in quibus vita ipsa perficitur, infantia, pueritia, adolescentia, iuuentus, grauitas, senectus.* Sex diebus operantem qui Deum cogitat, omnibus vitæ suæ partibus in Dei gloriam operetur.

(†)

CAP. II. GENESIS
Expenditur, & illustratur.
Sectio Prima.

Pro omnibus *Deo gratiæ* agendæ. 108.
Opera bona inchoata *perficienda* sunt.
Omnia pro *Deo militant.*
Ornatus, & *exercitus* nexus expenditur. 109.
Iudæi perstricti, qui de *otio* sabbati gloriantur.
Opera perfecta nouum *complementum* vt exigant.
Homines putidè sua *iactans* aliter ac doceat Deus. 110.
Quies vera in *terrenis* rebus haud inuenitur.
Securitas, & *quies* intra nos quærenda, & in propria conscientia.
Æternam *quietem* qui quærit bona *opera* præmittat.
Homine condito *quieuisse* Deus dicitur quia *benefaciendi*, & innotescendi copiosam in eo materiam habeat. 111.
In *Deo* non in aliquo Dei *opere quies* quærenda.
Hypostaticæ *vnionis desiderium* in Deo.
In *Deo* non in *die requies* nostra.
Quies quærenda non *otium*. 112.
Superior præstet, quod à *subditis* exigit.
Pluribus diebus *laborandum* paucis *quiescendum*:
Ob bona *opera* nemo se *iactet*. 113.
Tempus *quietis* nemo ante *laborem* quærat.
Cur in *homine* non in Angelo *requieuisse* Deus dicatur.
Qui brutales *passiones* fouent *requiem* Deo haud exhibent. 114.
Animæ *quies* in *Deo* quam magna.
Etiam *Christus* vt septimo *requieuerit* die.
Christi quies otiosa esse vt non potuerit.
Ab *operibus*, quæ patrarat cur *requieuisse* dicatur *Deus*.
Homine formato *requieuit Deus* habiturus cui peccata dimitteret.
Perstricti, qui *quietem* amittunt cum *ignoscendi* iniuriam. 115.
Non in *operibus* sed ab operibus *requieuisse* cur Deus dicatur.

Igitur

Igitur perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum,

108 PERFECIT Deus, quod fecit, finis respondet principio, & vtrumque eundem Deum habet auctorem. En tibi, inquit bonus quidam Doctor, & fecisse Deum omnia, ait, & perfecisse: vt non solùm rerum initia noueris Deo deberi; sed etiam fines: vt nihil sit in homine tam de his quæ imperfectiora sunt, & ad principium attinent, quam de his, quæ perfectiora sunt, & ad finem spectant; tam de his, quæ felicitatem, quàm de his, quæ infelicitatem præseferunt; quæ Deo non debeamus; atque pro HIS OPORTEAT DEO GRATIAS AGERE.

Perfecti sunt cæli, & terra. Non satis est opus inchoare, perficere quoq; debemus, quod est inchoatum. Iuit in exemplum Deus, vt Deum suum imitari non detrectaret homo: *Non solet,* inquit hic Oleaster, *potentissimus artifex, & bonus,* OPERA SVA BONA INCHOARE, ET NON PERFICERE *cuius perfecta sunt opera. Admonet nos primum locus iste bona opera nostra non solum inchoare, sed etiam ad perfectum perducere. Sed proh dolor, quod opera nostra mala absoluimus, ita vt nihil malo operi desit: bona verò infecta, aut imperfecta relinquimus. Hoc videbis inter bonos & malos interesse, in bonis, & malis operibus perficiendis, quod boni omnia bona absoluunt, mala verò imperfecta relinquunt.* Vbi opus Deus inchoauit non destitit, quin perfecte absoluerit, contra ac humana negligentia soleat, quæ multis manum admouet, pauca perficit, & absoluit.

Et omnis ornatus eorum. Vertunt aliqui ex hebræo: *Et omnis exercitus eorum.* Sed cur *exercitum* creaturas vocat? An quia rectè dispositæ tanquam exercitus? An quia omnia pro Deo militant, & se vt Dei gloriam contra impios asserant, armant?

109 *Ornatus eorum.* Hebraicè est םאבצ; quæ vox non ornatum solum notat, sed & exercitum, & militiam, ob ordinem, rectamque dispositionem, quàm inter se creata omnia seruant; Cum EXERCITVM audis, pugnandum sibi quisque cogitet, ne rerum creatarum amore superetur; creaturis vtendum est vt Cœlo vis inferatur, expugnetur Cœlum. Si rem ad corporis adscitum ornatum referamus, hic quoq; EXERCITVS quandam speciem refert, nam eo pleriq; vtuntur, vt spectatorum animos expugnent. Caueat quisque in sequiore sexu adscitum ornatum, ne exercitus impetum sentiat, quem nudum putabat ornatum.

Compleuitq́ Deus die septimo opus suum, quod fecerat.

ALiqui codices habent *die sexta*, sed in hebræo esse die septima notabat quoque Sanctus Hieronymus, qua lectione sic Iudæos superstitiosos sabbati obseruatores premit, dum ait quæst. in Genes. *Consummauit Deus in die sexta opera sua quæ fecit: pro die sexta, in hebræo diem septimam habet arctabimus igitur Iudæos, qui* DE OTIO SABBATI GLORIANTVR, *quòd iam tunc in principio, sabbatum dissolutum sit, dum Deus operatur in Sabbato, complens opera sua in eo, & benedicens ipsi diei quia in illo vniuersa compleuerit.*

Compleuitq́ Deus die septimo opus suum: Cum dixerit Moses cœlum terramque perfecta, omnemq; ornatum eorum, quid necesse erat addi hæc compleuisse? quid opus erat compleri, quod perfectum erat? Vtile est, quod hinc elicit scitus, ille auctor dum ait: Nil perfectæ virtuti satis est. O inexplebile quorundam virtutis votum, vltra possibilia audax, nec satis impossibilibus metatum? Quisquis instar cœli, perfectus est, etsi perfectus sit omnis eius ornatus, quasi vacuus virtute foret, adhuc nouam completionem suspirat! ò virtus, quæ perfectæ humilitatis vacuitate plena, ac si inanis foret, NOVVM COMPLEMENTVM piè præsumit. 110

Opus suum. Cur non potius numerosè *opera* dixit, cum verè plura Deus condiderit? Contra hominum morem facit, homines qui SVA IACTANT, & numero, & perfectione augent, quæ præstant, Deus contra in vnum plura contrahit. Vel etiam id fecit, vt vnitatem, ac concordiam commendaret. Denique opus suum vocat, quæcunque opera fecit, quia vniuersum perfectum constituunt.

Et requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat.

E*T requieuit die septimo.* Non cum mundum conderet, & ea quæ in ipso requieuisse dictus est Deus, sed post omnium rerum molitionem, vt innueret eos falli, qui in externis rebus, inque rerum terrenarum vertiginibus requiem quærunt. Festiuè ille rem versat: Vide, inquit, VNDE REQVIEM QVÆRAT DEVS, nempe non dum omnem hanc machinam molitur, dum cœlos torno edit, dum sydera spargit, dum solis lumen accendit, dum igni vires addit, aerem expandit, humorem concludit, terram in orbem cogit, animantibus vitam indit, hominem reliquis præficit; sed dum postquam molem condidit mundi, tandem die septima requieuit, & quodammodo rebus omnibus exterioribus valedicens, & ad se reuersus intra se quiescit, & tanquam rerum mundi circumactus vertigine, & fœda tempestate iactatus, ad se ipsum tanquam ad fidam stationem, & portum securum recurrit; quo nos doceat, QVIETEM ET SECVRITATEM INTRA NOS IPSOS, & in propria conscientia quærendam, non verò in rebus, quæ extra positæ nos circundant, neque in aliarum rerum testimonio, aut in hominum æstimatione, & plausu, sed in testimonio puræ conscientiæ.

Quies sex dierum opus sequitur, vt qui æternam quietem cupit, discat opera præmittere, quæ nos ad illam ducant. Benè Claudius Marius Victor;

Septima

Septima lux docuit veneranda exempla QVIETIS
Quam cælesti omnes sperare iubemur in aula
Si modò non desint operum bona facta piorum.

111 Non prius Deum legimus requieuisse quàm cum hominem condidit, quia in eo erat habiturus, in quem beneficia Deo digna conferret. Religio esset hîc B. Thomæ à Villanoua verba desiderari, qui conc. 3. in die natalis Domini Deum alloquens, ait: *Cum Angelorum innumeras differentias creasses, cęlos, astra terram, maria, corporumq; varias naturas condidisses, in his omnibus non quieuisti, sed homine condito, vt scriptura ait Quieuit Deus ab omni opere, quod patrauerat. In homine quieuit Deus, non in Angelo, non in cęlo, quia* BENEFACIENDI INNOTESCENDIQVE SVFFICIENTEM AFFLVENTEMQ; SIBI IN EO MATERIAM DARI PROSPEXIT. *Cum enim, Salomone teste, omnia propter se ipsum fecerit altissimus, non quidem in seruitium, quia non indiget, sed vt innotescat in eis, homine condito quieuit: quoniam innotescendi in eo plenam reperit facultatem.*

Aliqui sic exponunt hæc verba, vt dicatur Deus requieuisse, quia fecit hominem requiescere, *sed in se*, inquit Ægydius Columna in suo Exameron lib. 2. cap. 44. *cessando ab opere in se* NON QVIESCENDO IN ALIQVO SVI OPERE. Scilicet in Deo quietem debemus quærere non in aliquo Dei opere, & multo minus in nostro; admodum tumultuosa illa quies est, qua quis requiem in suis operibus quærit.

Non prius requieuisse Deum legimus, quàm cum hominem condidit, in homine enim illo vidit à Verbo assumendam naturam humanam, vt cum primum HYPOSTATICÆ VNIONIS DESIDERIO, vt ille ait, *requie, ac festo diem insignit.*

Requieuit die septimo. Ita tamen in die ipso non requiesceret. *Non dicitur*, inquit Porrecta, *quòd requieuerit in die, sicut dicebatur, quòd cessauerat in die. Quorsum hæc? ad denotandum quòd nos die illo requiescere debemus, non in die illo.* IN QVA ERGO CVM DIES FESTVS AGITVR REQVIESCERE DEBEMVS? IN DEO IPSO, QVI EST REQVIES NOSTRA. Alioquin inquies quies illa est, quę extra Deum.

112 *Requieuit.* Quietis diuinæ Moses meminit, non otij; quærere illam possumus, istuc debemus vitare. Pulchrè Petrus Blesensis epist. 9. *Frater vtinam saperes, & intelligeres, & inter* OTIVM & QVIETEM *discerneres. audisti quietem Domini: quieuit enim ab omni opere, quod patrarat, veruntamen eius otium non Legisti. Legitur quod otiositas inimica est animæ: animus namq; qui ad otia resoluitur, reditur inanibus curis: ac testimonio Salomonis desideria rodunt pigrum.*

Septimo requieuit Deus die, vt statim nos exemplo doceret vnum hebdomadis diem quieti dandum, in quo à seruilibus operibus vacaremus. Huc nos vocabat Sanctus Chrysostomus, cuius hæc sunt verba hom. 10. in Genes. *Et Sanctificauit illum? adijcit, eo quod in illo requieuerat ab omnibus operibus suis, qua cœperat Deus facere, iam hinc ab initio doctrinam hanc nobis insinuat Deus, erudiens in circulo hebdomadis diem vnum integrum Segregandum, & reponendum in spiritualem operationem, quippè ob hoc. Dominus completo in sex diebus opificio suo, septimum benedictione dignatus est, & sanctificauit, eò quòd in illo quieuerat ab omnibus operibus suis quæ facere cœperat.* Nimirum quod superior à SVBDITIS EXIGIT, ipse illud præstet prius, vt facilius subditi exsequantur, quod à superiore factum viderint.

Requieuit. Quieuisse Deum legis, sed post tot rerum molitionem, vt discas non prius dare te quieti, quam multa perfeceris opera. *Est*, inquit Olcaster, *quòd hic aduertas, non esse scilicet quiescendum, nisi prius satis laboraueris, quemadmodum & creator tuus.* Addit statim: *Similiter* PLVRIBVS DIEBVS LABORANDVM: PAVCIS QVIESCENDVM. *Operatus est enim rerum omnium artifex sex diebus, & vno solo quieuit, quo exemplo eos arguit: qui parum, aut nihil laborantes, quasi toto tempore vitæ suæ otiari volunt.*

Requieuit Deus ab opere, non requieuit in opere. Aliter plerumq; ab hominibus fit, in opere quippè quod præstiterunt plerique requiescunt, dum in illo sistunt, propter illud se iactant. Et in illo sibi nimis blandiuntur. Sed INQVIES QVIES ISTA EST, & omni tumultu tumultuosior. 113

Diei octaui cur nulla mentio est facta, sicut de septimo, & alijs? Nodum ita soluit Vgo Carensis: *De die octaua nulla, inquit, fit mentio, quia gaudium æternum, quod in octaua ætate exspectamus tantum erit, quod non potest excogitari. Isa. 64. Oculus non vidit, nec in cor hominis descendit.*

Requieuit Deus, sed non prius quam omnia condidisset vt res in exemplum iret, nec tempus quietis anteuerteremus. Hinc illud Sancti Augustini apud Vgonem Carensem in Psal. 54. *Cum audis Deum requieuisse post opera, frustra speras* REQVIEM NISI POST LABOREM. Requie verà beabimur, cum hinc bonis operibus onusti migrauerimus. Idem Sanctus Augustinus lib. de decem chordis cap. 5. ait: *In Genesi scriptum legimus: non ibi habes nominatam Sanctificationem, nisi illo die vbi dicitur; requieuit Deus ab omnibus operibus suis, non enim fatigatus erat Deus vt ab omnibus operibus suis: sed in illo verbo tibi laboranti requiem promisit, quia fecit omnia bona valde; & sic dicitur, requieuit Deus, vt intelligas etiam* TE POST BONA OPERA REQVIETVRVM, *& sine fine requieturum.*

Creato homine Deus requieuit, quia in hominem iam poterat bonitatis suæ thesaurum effundere. Opportunè doctus ille auctor: Angelorum species, cęlum, stellas, elementa, & tot animalium genera creasti, in nulla tamen creatura requieuisse diceris nisi in homine creato. Tunc enim ait Sacra Scriptura, Requieuit Deus die septimo ab vniuerso opere, quod

quod patrarat. IN HOMINE REQVIEVIT DEVS, NON IN ANGELO, non in cœlo, non in terra, quia in eo materiam esse vidit suæ bonitatis exercendæ humanam naturam recipiendo.

114 Non requieuit Deus cum bestias conderet, vt multo minus in corde requiescat, quod brutalibus affectibus scateat. Præstat sistere, quę habet Sanctus Ambrosius lib. 6. Exam. cap. 8. *Qui non requieuit in bestijs, multo magis* NON REQVIESCIT IN PECTORE BESTIALI: *sunt enim animi bestiales, sunt ferè forma hominum induta, de quibus dicit Dominus. Attendite vobis à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ouium, intus autem sunt lupi rapaces. in his ergo non requieuit Deus: sed requieuit in moribus humanis, quos fecit Deus ad imaginem suam, & similitudinem.*

Magna diei septimi laus, cum in eo dicatur Deus requieuisse; quid erit anima, si in illa ille requiescat, qui eam creauit? De die septimo hæc habet Blesensis lib. de charit. cap. 11. *Porrò diei septimi praeminentia omnibus antecellit, in quo nullius rei creatio; sed omnium creaturarum perfectio & diei requies commendatur de singulis diebus scriptum est, factum est vesperè & manè dies vnus, aut secundus, & deinceps, at diei septimo non manè aut vespere, non initium aut finis ascribitur dies enim requietionis Christi immutabilis & æternus.*

Etiam Christus die septimo requieuit, cauit tamen ne eius requies esset otiosa. Rem pulchrè explicat Sanctus Gaudentius, dum ait. *Requieuit planè tunc etiam Dei filius ab omnibus operibus suis quæ cœperat Deus facere quando consummatis mirabilibus vniuersis & impleto sexto die omni opere passionis, die septima, idest, die Sabbathi requieuit sepultus. Sed quoniam Dei operosa est quies,* IPSA REQVIES OTIOSA ESSE NON POTVIT. *Nam corpore in sepulchro seposito Diuinitas cum anima hominis ad inferna descendens, vocauit de locis suis animas Sanctorum, quorum corpora surrexisse Matthaus Euangelista testatur dicens; Et multa corpora Sanctorum dormientium surrexerunt.*

115 Non absolutè requieuit ab operibus Deus, sed ab opere quod patrarat, quod sic expendebat Sanctus Gaudentius ad Neophytos de lect. Exodi serm. 10. vbi hæc habet. *Requieuit ab omnibus operibus suis quæ cœperat Deus facere. cautè loquitur scriptura diuina, non absolute dicens requieuisse Deum ab operibus suis, sed ab operibus quæ cœperat Deus facere; non omnipotentem & imperio sermonis cuncta facientem, laborasse existimes, cum requieuisse & cessasse describitur, cum & alia voluntati suæ placita operari non desinat: Sicut testatur in Euangelio Dominus Iesus, dicens Pater meus vsque modo operatur & ego operor. Requies igitur Dei, non laboris remedium sed cœptorum finis est operum, si quidem postquam perfecit mundum, opus suum regere non desistit. ipsius enim nutu, omnium rerum natura cursum suum, vel iussa peragit vel prohibita subtrahit.*

Die septimo Deus requieuit, quia nimirum hominem iam condiderat, in quem sua conferret beneficia, & cui peccata condonaret. *Gratias ago*, inquit Sanctus Ambrosius, *Domino Deo nostro, qui huiusmodi opus fecit, in quo requiesceret, fecit cœlum non lego quod requieuerit, fecit terram, non lego quod requieuerit, fecit solem, lunam, stellas, non lego quod requieuerit, sed lego quod fecerit hominem & tunc* REQVIEVIT HABENS CVI PECCATA DIMITTERET. Quàm ineptè illi tumultuantur, & quietem amittunt, cum ignoscendi iniurias illis occasio datur. Deum imitare, qui dicitur tunc maximè quieuisse cum hominem condidit, cui remitteret peccata.

Ab operibus Deum requieuisse audis non in operibus, nam etiam ante rerum creationem perfecta in se ipso quiete tenebatur; *Etiam create mundo*, inquit Ferus, NON IN OPERIBVS *quæ fecit, sed* AB OPERIBVS *requieuit, vtpotè nihil habens necessitatis in creaturis requiescere suis, quoniam potius creaturis rationalibus ipse quietem præstat, cum in se ipso perfectè semper requiescat.*

Sectio II.

Ex

Ex *terra homo* productus, quid discere ab ea debet.

Cineris sepulchrum homo cogitet. 122.

Superbiam homo calcet exlimo factus.

Regius splendor & dignitas nobis vilescat.

Mariæ dignitas, quæ *Christi* formationi sanguinem exhibuit. 123.

Ad futuræ resurrectionis fidem, vel ex sua formatione homo vocatus.

Circa *vilia* occupari in Dei *obsequium* homo minimè dedignetur.

Ex *luto* non ex *cælo* homo formatus, vt à *fastu* compesceretur.

Hominis dignitas vnde collecta. 124.

Fragilitas hominis homini statim obiecta.

Anima vt fortiter *corpus* adhæreat.

Humilitatis materiam vt in se *homo* habeat.

Formandi verbum cur in hominis probatione adhibitum, non *faciendi*. 125.

Caro spritui obtemperet.

Virtutis potius habenda ratio, quàm *loci*.

Patriæ vilitas nulli obesse debet.

Homo desinet *superbire* ex luto formatus non ex terra.

Homo cur de *syderibus* minimè factus. 126.

Veræ *magnitudini* secundus & vilior *locus* minimè officit.

Carnis vilitatem *anima* non despiciat.

Ante *animam* cur formatum *corpus*. 127.

Homo in Dei *obsequium* se totum occupet.

Angelis gloriæ loco fuit *puluerem* colligere, ex quo homo formatus.

Anima humanæ dignitas minimè imminuta, licet prius *corpus* fuerit formatum.

Et benedixit diei septimo, & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo, quod creauit Deus, vt faceret.

116 BEnedixit diei septimo. Vt qui operum conditorum à Deo prærogatiua carebat, Dei non careret benedictione. Præiuit Sanctus Chrysostomus, cuius hæc sunt verba hom. 10. in Genesim: *Nihil aliud die septimo producere voluit, eo quod omnia quæ facere voluerat, iam perfecta erant: & vt habeat etiam dies ille prærogatiuam aliquam, & ne videatur minus aliquid habere, eo quod nihil in eo factum sit, benedictione ipsum dignatus est: & benedixit, inquit, Deus diem septimum, & sanctificauit illum: quid igitur? non erant & CÆTERI DIES BENEDICTI? etiam profecto, sed sufficiebat illis pro omni benedictione, quod in singulis illis creatura productæ fuerunt: & ideo de illis non inquit: & benedixit: in solo autem septimo hoc dixit, & apposuit: & sanctificauit illum.*

Cur diem septimum benedixit, ac sanctificauit Deus, & non potius alios, cum ille sterilis esset, alij multarum rerum productione fœcundi? An vt alio ab hominibus more incederet, qui eum diem, illud tempus benedicunt in quo bono aliquo, aliquo lucro fuêre cumulati, commodo aliquo carens tempus carere benedictione sinunt. Ecce tibi, docti auctoris sunt verba ad hæc verba, quem diem Deus sibi benedictum habeat, non equidem diem, in quo volucribus plena fuerunt cœlestia, nec diem, in quo terrena omnia, vel fluctibus apparuerunt plena, vel animalibus. Sed illum sibi Dominus diem benedictum fecit, qui omnium sterilissimus fuit, qui nullum fructum, nullam Creaturam Creatori repræsentauit. Et cur magis benedixit diei, quo terra, & fructus & animalia parturiebat: vel quo cœlestia replebantur auibus? Cur sibi adeo PLACVIT IN DIE STERILI? cauit Deus benedicere diebus, in quibus & fructus, & cætera hominum bona creabantur, ne videretur indignus creaturarum, & ideo sanctificationi suæ elegit diem, quem nullus fructuum partus nobilitabat.

Diei septimæ Deus benedixit, illumq; diem sanctificeauit, cur non idem in alios præstitit? An vt innueret, quanti quietem faceret? *Cæteros dies*, inquit Sanctus Augustinus, *operis sui non legitur sanctificasse, tanquam apud ipsum plus quies, quam* OPERATIO *valeat*.

Et sanctificauit illum. Diem septimum Deus sanctificauit, quod non legimus fecisse, cum alia ratione carentia conderet, aut cum hominem ipsum creasset. *Fecit Deus*, inquit Sanctus Augustinus, *Fecit Deus lucem, non dictum est, sanctificauit eam; fecit lunam & sidera: non dictum est sanctificauit; iussit animalia procedere de aquis natantia & volantia: non dictum est, sanctificauit; iussit de terra exire animalia quadrupedia & omnia reptantia, non dictum est sanctificauit: fecit ipsum hominem: non dixit, sanctificauit. Ventum est ad septimum Diem, vbi requieuit & ipsum sanctificauit,* PER REQVIEM SVAM DEVS SANCTIFICAVIT REQVIEM NOSTRAM: *ibi ergo erit sanctificatio nostra plena, vbi cùm illo sine fine requiescemus;* Sic ille serm. 4. de diuersis. 117

Et sanctificauit illum, Idest, vt probi auctores volunt, ipso actu diem Sabbathi festum instituit, coliq; voluit ab Adamo & eius posteris, vsq; ad illud tempus, in quo in Dominicum diem translatum festum est. Statim sacro otio coli Sabbatum Deus voluit; sed cui præcipuè rei? vt BENEFICIVM, inquit Cornelius, CREATIONIS *sua recoleret, totiusq; mundi, illo die complete*.

Die, quo opus suum perfecit Deus sanctificauit, non quo illud inchoauit, *significans*, vt tetigit Sanctus Augustinus, QVIETEM *non dari nisi perfectis*.

Vt

Vt faceret. Ex hebræo verti potest, *ad faciendum*, quam lectionem sic expendebat Mariana: *Nempè cuncta creauit, non vt essent* OTIOSA, *sed potiùs vt* OPERATIONES *pro se quæque deinceps exercerent*. 118

Sed cur diei septimæ vespera non assignatur? An quia, vt innuebat Sanctus Augustinus perfecta creatura cuius illa dies figura erat, *non habet* FINEM SVÆ PERFECTIONIS?

Non enim pluerat Dominus Deus super terram.

SEd quid referebat referre nondum in terram Deum pluisse? Respondet B. Alcuinus Interrog.47. in Genesim: *Vt intelligeretur, quantum prima terra germinatio à moderna distabat, quæ morulis ad pluuiarum irrigationem vix tandem & tardè perficitur: illa verò ad iubentis imperium mox exorta apparuit*. Porrò quandam beneuolentiæ legem seruat & indicit Cœlum, cum aëri lucem tribuit, & terræ pluuias. Pulchrè Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 22. *Cum cœlum tanto ordine aëri lucem, terræ pluuias impertit, nonne tibi* BENEVOLENTIÆ LEGIBVS *teneri videtur?*

Sed fons ascendebat de terra irrigans vniuersam superficiem terræ.

FOns ascendebat de terra. Quid *fontis* nomine significetur ita docet Eusebius Episcopus in Catena græca Fumani: *Quidam hebræus ait, scripturam non dicere quod fons ascenderet de terra, sed quoddam genus caliginis siue ætheris concreti densissimi, cuius eruptionem de terra fieri affirmat, & eius regere superficiem: vtrum vero ab humida vi, inquit, an Deo ipso moderante id fieret non audeo dicere. Sed Philo hebræus ait considerandum esse, num quemadmodum regis omnes equestres copiæ, equus numero singulari dicuntur, ita & omnis terræ vena, quæ vndique instar pluuiæ aquam potui idoneam redderet atq; innundaret fontis nomine appellata sit: bene autem, inquit, dictum est non omnem ipsam sed ipsius faciem irrigari, optimam videlicet eius & primariam partem & quæ fructus efferre idonea sit: quæ sane fontium auxilio non indiget*.

Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.

119 FOrmauit igitur Dominus Deus. Non protulit illum terra, non aqua, vt in cęterorum animalium productione dictum est, vt in corporis quoq; formationis cæteris animalibus prælatum hominem scires: *In productione enim aliorum animalium*, inquit hic Liranus, *dicitur supra: & protulit terra, vel aqua, quia corpora animalium, piscium, & auium, non sunt ita nobiliter disposita vel complexionata sicut in homine: Dicit igitur: Formauit, ac si diceret*, DILIGENTIVS *ac* NOBILIVS *disposuit*.

Luto animam vestiuit, vt tantam dignitatem ac gloriam veluti contemperaret, ne homo se super se statim efferret, *Erat* quippè, vt ait Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Glaphyrorum in Genesim, *superna gloriæ* SIMVLACHRVM *& diuinæ* POTESTATIS *imago super terram homo*.

Ex luto Deus hominem formauit, sed alio ab alijs artificibus more, nam intimas etiam partes perfecit; cum isti extimæ tantum superficiei rationem habeant. Pulchrè rem expendit S. Gregorius Nyssenus orat. 2. in illud: Faciamus hominem, ait enim: *Nunquid formauit hominem quemadmodum è luto figuli aliquid effingunt, aut quemadmodum ex ære, conflant aliquid statuarij? minimè verò nam statua quidem* EXTRINSECVS TANTVM SPECIEM *ac similitudinem præfert, vidisti quomodo statua mores aliquos exprimat, exempli gratia vel iram indignationemque si referat imperatorem, vel muliebrem leuitatem: si fœminam aliquam: vel aliud quippiam congruens ei, quod effingitur, quatenus arti concessum est, at opus formatum à Deo, non est eiusmodi: sic enim hominem conflauit*, VT OMNES ILLIVS PARTES, INTVS *etiam informaret atque distingueret*. Vt à Deo quisque discat internorum maximè habendam rationem.

Luto manum admouit Deus, vt hominem formaret; abiecta materia ista sit, excellentiam illi conferebat Christus ipse cogitatus. Huc spectabat Tertullianus, cuius hæc sunt verba: *Quodcumq; limus exprimebatur*, CHRISTVS COGITABATVR HOMO FVTVRVS, *quod & limus & sermo caro, quod & terra tunc, sic enim præfatio patris ad filium, faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & fecit hominem Deus: id vtiq; quod finxit ad imaginem Dei finxit illum scilicet Christi: ita limus ille iam tunc imaginem inducens Christi futuri in carne, non tantum opus Dei est, sed pignus*. Nos quoq; vbiq; ad Christum debemus flectere, & vilia quæq; tractantes ad eius celsitudinem mentem eleuare. 120

Ex vno homine omne genus humanum propagauit Deus, cur non idem in animalibus fecit, in his quippè, vt duo ad minus in qualibet specie indiuidua produxit. B. Dionysius Carthusianus nodum proposuit, & ex Sancto Augustino ita soluit: *Vt humanum genus* FIRMIORI CHARITATIS COPVLA CONSTRINGATVR, *dum se tantum ex vno genitum recordetur*. Nimirum ad brutorum accedit naturam, qui recedit ab vnitate, & charitatem euertit.

Cur imbellis, & inermis conditus homo est, cur non vnguium, aut cornuum loco ferrum habuit, quo se tueretur, quo lædentem, & ferientem referiret? An vt statim humanitatis moneretur? Addit S. Gregorius Nyssenus: *Cornuum & vnguium loco ferro vtendum esse potius homines animaduerterunt, quòd illa cum duritie, tum acumine longius vincit. Quamquam ferrum homines non semper vsurpant, sicut illa feris nunquam non adsunt, Sed vtimur eo interdum, quum ita res postulat, ac deinde vicissim deponitur*. Sic ille de hominis opificio cap. 7.

Locus ipse, in quo homo creatus est, humilitatis affectum affricare homini debet. *Deus*, 121

inquit

inquit Pepinus, *non retinuit eum in Cœlo, siue inter* ANGELOS, *sed inter* ANIMALIA *silnestria*, vt ad humilitatem alliceretur.

Ex terra formatus est vir, ex costa mulier, quod mulierum loquacitati, virorumq; silentio sic aptabat Betcorius: *Vir creatus est de terra, quæ est muta & non sonora. Mulier verò facta est de osse: de re scilicet, quæ est sonora & dura. Plenus enim saccus terræ non sonat: plenus verò saccus ossibus tumultuat: & inde fit quod mulieres quæ de ossibus factæ sunt, sunt* LOQVACES. *Viri verò de terra formati sunt* TACITVRNI.

Ex terra cum sit natus homo terram aspicere debet, nec oculos curiosè in ocitura flectere. Hoc facit, quod ex Sozomene scitus quidam auctor narrat, & hic in omnium vtilitatem implaoto. Ibat Edessam Beatus Ephræm, & pro argumento benè auguratæ profectionis, flagitauerat à Deo, vt dum vrbem illam iotraret, monitum aliquid pertineos audiret. In aditu ciuitatis, obuia illi fuit mulier formosa, quæ oculos in eum vibrans, stetit, & interea siluit. Ephræm tristior, vt qui fœminæ periculum, pro salutari alloquio viri, habuerat in occursu suo, sciscitatur, cur fœmioa parum verecunda, ioruitu pertinaci, quasi fascino, venientem se, ibi moraretur? Tum illa, ego te, inquit, aspicio, quia ex te oriot, & ex latere tuo, QVIN TV POTIVS TERRAM ASPICIS, DE CVIVS LIMO FIGMENTVM EXIVISTI? Obstupuit Ephræm, vocem è cœlo missam agnouit, deditque oraculum illud meditationi suæ. Vtinam assiduè nos etiam id meditaremur.

122 *De limo terræ*. Aliqui vertunt *de puluere terræ*; vt statim io sua formatione ad sepulchri cioerem mentem flecteret. Vel etiam vt cum postea homo puluerem in sepulchro hominis iam vita functi videt, futuram resurrectionem animo versaret, nam qui ex puluere hominem formauit, redactum in puluerem rursum vitæ potest restituere, ac reipsa restituet. Perpensè Seuerianus in Catena Græca Fumani: *O felices*, inquit, *Christianorum spes si modo agnoscamus; non enim dixit, quod glebam acceperit, sed puluerem, nam quum ad extremum vident animal in puluerem dissolnendum ipsi anticipas in opificio reuiuiscendi spem collocauit: vt quum in* SEPVLCHRO PVLVEREM *videris tum agnoscas quod qui illud formauit, hoc ad vitam restituit.*

Ex luto formatus est homo, vt dum lutum calcat, calcare superbiam discat, & humilitatem fouere. Peritè Sanctus Chrysostomus hîc: *Formauit hominem puluerem de terra. Hinc si attendere volumus non parua nobis humilitatis affertur doctrina.* Et Sanctus Gregorius Nyssenus: *Formauit Deus hominem de limo terræ, honesta submissè, commonitio naturalis si dixisset, formauit Deus hominem, ex homine materiam sumens, & quando hominem illum vidissemus, vt natura conditionisq; nostræ, possemus admoneri? abiectum sortis nostræ momentum in promptu est ex his quæ calcamus: terram aspice, teque ex humili contemptaq; illius materia genus duxisse recordare: quid igitur* NOBIS VILIVS? QVID ABIECTIVS? *quid magis conuenit nobis, quam vt nos summisse geramus, & pro nihilo putemus.* Sic ille orat. 2. in illud: Faciamus hominem.

Ex luto formatus est; debet cogitatio hæc nos, intra nos cootinere, debet hoc quoque efficere, ne regium splendorem, dignitatemq; nimis admiremur. Hinc illud eiusdem Sancti Gregorij Nysseni orat. 2. in illa verba: Faciamus hominem, ait enim: *Quando principes istos aspexeris cum magna præconis voce prodeuntes, quando videris eos huic, terrorem inijcientes, illum cedentes indignatos, alium proscribentes, alium capite mulctantes, tu ea ne formidaueris, neue illos, qui res eiusmodi iubeant, fueris admiratus: ne te opinio fallat, memento Deum constasse hominem, è* LIMO TERRÆ. *Si quid aliud est extimesce, sin* TERRÆ PVLVIS, *asperuare.*

Ea limo terræ hominem Deus formauit: Virginis hinc priuilegium cogita, quæ ex suo sanguine formauit Christum. Benè Sanctus Bernardinus Senensis: *Deus*, inquit, *formauit hominem de limo terræ: sed* MARIA *formauit eum de purissimis sanguinibus suis, & purissima carne sua, quæ praualet omnibus rebus mundi.*

Ex luto dum hominem Deus format, nos ad futuræ resurrectioois vocat fidem; scitè 123 Claudius Marius Victor:

Nam quod non habuit cum sic è puluere vili
Humanũ in formam compactũ est corpus honoratũ
Perfacile est rursum integrũ de PVLVERE *reddat,*
Quod iam habuit multos celatum terra per annos,
Sic ex antiquis prodibunt iussa sepulchris
Corpora, quæque suas rursum assumentia partes,
Sic nil præteriti est, quod non sit forma futuri.

De limo terræ. Circa tam vilem materiam vides occupatum Deum, vt hominem formaret, & circa vilia occupari homo teooet, vt Deo obsequatur, Deo seruiat? A Deo disce qualis in Deum debeas esse, disce ad omnia te demittere, LICET SINT VILIA, vilitas omnis abit, si in Deum referas, quod facis, & finis nobilitate operis tui vilitatem efferas.

Ex limo Deus hominem formauit, cur non magis de cœlesti materia illum perfecit? an ne futurus prioceps statim intumesceret? cauic in illo vitiorum footem superbiam, lutum adhibuit velut quendam superbiæ aggerem. Pulchrè Theodotus: *Puluerem*, ioquit, *ex terra sumptum efformauit Dominus, suaque Diuinitatis imaginem ipsi impressit. Sed cur, quem tanto ornatu decoraturus erat, & substantia adeò abiecta composuit? Cur materia ex solis splendore sumpta hominem non condidit? sed ex terra terraque puluere, elemento vtique infimo, omniumque pedibus conculcato, illum effinxit? Vis scire, quam ob causam? Quandoquidem hominem sua imagine decoraturus erat: ipsum ex vili natura formauit, ne forte honoris abundantia insolesceret: vt si quando plusculum honoris ipsi deferretur, abiecta natura sua memoria* A FASTV COMPESCERETVR: *simulque reminisceretur, si quem honoris gradum obtineret, eum non ob sua natura dignitatem sibi obtigisse: sed ob largitoris munificentiam.*

E Lutum

Lutum manu Deus accepit, quo hominem
124 formaret, nec munus istuc Angelis demandauit: in materia sui, humilitatis materiam homo habet; si artificem respiciat, admirationis, & amoris. Sanctus Gregorius Nyssenus orat. 2. in illud: Faciamus hominem, ita philosophatur: *Omnibus antecellit hominis procreatio, accepit Deus, manu propria dignatur corpus nostrum formare,* NON IVSSIT ANGELO, *non vt Cicadas, sponte sua protulit hominem terra. Non ministris potestatibus, hoc aut illud faciendum mandauit sed manu sua beneuolus artifex terram accepit: si illud quod sumptum est aspicis, quid homine vilius? sin artificem, consideras quid homine maius? Quemadmodum, propter materiam, eo nihil abiectius, sic propter effectoris dignitatem praclarius nihil.*

Ex luto formatus est homo, vt fragilitatis suæ moneretur. Pulchrè ille: *Ex argilla concretus & luto, panè dum* EFFINGERIS EFFRINGERIS.

Cum audis hominem non nudè formatum de terra, sed de terræ limo, cogita quam fortiter spiritui adhæreat, vt ægrè ab eo separetur. Hinc illud Sancti Bernardi: *Non sine causa*, inquit, *dictum est hominem plasmatum non de terra qualibet, sed de limo. Vide enim quam limosum sit corpus, quod ipsi quoque spiritui tam* FORTITER, & PENE INDISSOLVBILITER INHÆRET, *vt vix cum multa afflictione possit aliquando separari.* Ex luto formauit Deus hominis corpus, animam spiritalem, quæ illud informaret, creauit, vt cum superbia nos extulerit corporis, nos vilitas deprimat, cum indignum aliquid cogitaueris, vile, degenerque, animæ nobilitas ad cœlum subleuet, euehat ad cœlestia.

Condidit Deus hominem, animamque carni copulauit, corpori spiritum; nec casu id factum, sed diuino consilio, vt haberet scilicet in se ipso humilitatis materiam, vtque superas diuitias occultando aptius conseruaret. Peritè rem expendit B. Laurentius Iustinianus lib. de discipl. monast. conuersat. cap. 4. *Duplici*, inquit, *ratione Dei sapientia rationalem spiritum fragili atque passibili copulauit natura, vt qui luteo amictus erat indumento, atque in hoc exilio cum cæteris positus animantibus æquanimior esset, ac humiliter præstolaretur tempus, quo de hac traheretur peregrinatione. Præterea vt ex assidua consideratione corporeæ fragilitatis occasionem caperet conseruandi eximia dona suæ ipsius spiritualis naturæ, quia propalatæ diuitiæ facilè deprædantur, quæ verò latent, custodiuntur sine labore, propter quod Dei sapientia sub carnis velamine munera spiritus celare disposuit. Nam post lapsum & præuaricationem veteris, Adam cum omni sua posteritate tunica pellicea, & carne corruptibili, & mortali contexit, atque in hac miseriarum valle collocauit peregrinaturum, vt ex qualitate exterioris hominis discat non elatè præferre se cæteris. Sed ex continuis punctionibus, quas indesinenter propter infirmitates & necessitates carnis patitur,* SPIRITVS MATERIAM SVMAT SE IN HVMILITATE CVSTODIENDI, *& omni circumquaque se muniens diligentia cum summa alacritate cordis, & animi desiderio ad Patrem, qui in cœlis est, repatriare festinet.*

Formauit. Cur *formandi* potius vsus est verbo, quàm faciendi? Seuerianus in Catena 125
græca Fumani: *Non dixit*, inquit, *simpliciter*, FECIT, *sed* FORMAVIT: *formatio dicitur ad decus: veluti quum faciem formosam intuitus dicis: egregia forma; ex quo etiam Dauid: qui plantauit, inquit, aurem non audit? aut qui formauit mentem non intelligit? omnia enim fecit ad decus & ornatum & vsum accepit puluerem de terra.*

Ex terræ puluere hominis fuit caro compacta, vt vel iam tunc spiritui se subiectam sciret, nec in eum imperium ambiret: *Non vt dominaretur*, inquit B. Laurentius Iustinianus cap. 1. de casto connubio, *sed vt* OBTEMPERARET *caro ex terræ limo plasmata est.*

Inter limosa & vilia factus homo statim in paradisum à Deo ducitur; vt disceres, inquit ille, *Strenuo viro nunquam* PATRIÆ VILITATEM *obesse, quo minus promoueri possit ad altiora dignitatum loca.* Virtutis potius habenda est, ratio quàm loci. Locum plerumque virtuti dedere quos vilia dederunt loca. *Extra paradisum*, inquit Sanctus Ambrosius, *vir factus est, mulier intra paradisum, vt scias, quod non loci, non generis nobilitate, sed virtute vnusquisque gratiam sibi comparat.*

De puluere terræ formatum hominis corpus fuit; animalia verò ex terra fuere producta. *Patet differentia*, inquit Caietanus, *inter materiam animalium, & materiam hominis, quia ista de terra, homo autem de puluere terræ.* Vt statim homo desinat superbire, cogitans ex viliori se principio formatum, quàm formata animalia cætera fuerint.

Ex luto hominem formauit Deus, cur non 126
potius de syderibus? An ne sui corporis venustatem, ac pulchritudinem homo materiæ deberet, & non Deo? *Hominem*, inquit Sanctus Hieronymus, *Deus de syderibus non effecit: quoniam si esset inde creatus, de materia potius claritate, quàm de artificis dignatione polleret.*

Primo formatur corpus quàm anima creetur, cur non prius producitur quæ nobilior? Ea ratio est, inquit bonus ille auctor, quia anima, vt illustrior, de suo splendore secura, siue primum, siue SECVNDVM LOCVM NON REFVGIT, quòd corpori, vt vili, & abiecto erat maximè formidabile. Nimirum veræ magnitudini, veroq; splendori secundus, & vilior locus minimè officit; quod notent qui primas semper vices ambiunt, & dignitatis suæ iniuriam censent omnibus non præire, non præferri cæteris.

Cur quod deterius viliusq; in homine primas in creatione habuit, prius formatum est? Diodorus hanc reddit rationem in Catena græca: *Hominis verò corporis primò instrumentum conformatur, deinde opifex animum inspirat. Et quod in eo potius est, secundum locum obtinuit,* NE CARNEM SVAM DESPICIAT *ille, neque plus nimio se extollat de egregia sua, præstantique natura. Sic solet Deus omnia communiter temperare, vt etiam*

infimis detur aliquid præstantia, quo supremi vincantur, ne infimos despicientes se nimium extollant; sed magis humilientur videntes se ille bono carere quod infimi habent.

Corpus ptius compegit Deus, deinde ani-
127 mam infudit, cur non prius animam creauit? An ne nimis curiosè inspiceret, quæ fiebant. *Nec Deus animam*, inquit Procopius, *ante formationem corporie creat, videlicet* NE SIT EORVM QVÆ FIEBANT INSPECTRIX. Licet potuerint omnia ab animæ notitia subducere. Satis est, si corpus, corporisq; formationem cogitet, postquam vnita corpori est, & amorem notitiæ iungar, affectu feratur in conditorem.

Deum in ipsius hominis formatione occupatum sic nobis depingit Tertullianus lib. de resurrectione carnis cap. 6. *Recogita*, inquit, JOTVM ILLI *D*EVM OCCVPATVM, *ac deditum manu, sensu, opere, consilio, sapientia, prouidentia, & ipsa in primis adfectione, qua lineamenta ducebat.* Et cur non totum se homo in Dei obsequium occupet.

Condidit Deus hominem primum, & honoris loco Angeli habuere puluerem colligere, qui erat formandus. Nec crediderim, inquit scitus ille auctor, Angelorum ministerium aliquod defuisse opifici tanto, qui vt creaturis solet remittere, quæ ipsæ possunt, SIC REMISIT *A*NGELIS PVLVERIS, CÆTERORVMQVE ELEMENTORVM MIXTIONEM, cui ipse summus opifex solus temperamentum indidit proximum carni humanæ. Angelorum ministerium fuit ad summum elementaris materiæ congestio, ab vnius autem Dei virtute, & habitu homo subitò elaboratus exstitit perfectus, & integer, animo, & corpore constans, ingenio præstans, facie venustus.

Prius formatur corpus, quàm anima creetur, sed nihil ab hac parte animæ dignitati detrahitur, quod sic euincebat Sanctus Chrysostomus hom. 13. in Genes. *Si* ANIMA DIGNIOR *est corpore, indignus primò formatum est, & postea quòd maius & eminentius? non vides dilecte, quod & in creaturis hoc idem vsu euenit? Sicut enim cœlum & terra, & Sol, & Luna &c. omnia formata sunt, & expertia rationis animalia, & post hac omnia home, horum principatum suscepturus: ita & in hac hominis formatione prius corpus producitur, & postea anima, qua dignior. Sicut enim bruta animalia ministerio hominis vtilia futura, ante hominem formantur, vt paratum haberet ministerium is ad cuius vsum creabantur: ita etiam* CORPVS ANTE ANIMAM *formatur, vt cum secundum ineffabilem conditoris sapientiam anima produceretur posset suas potentias proferre per corporis motionem.*

Sectio III.

Ex intimo *Dei* affectu hominis *anima* prodijt. 128.
Inspirandi verbum cur in *anima* creatione adhibitum.
Hominis dignitas super cætera animantia, vnde collecta.
Maria hominis *spiraculum* dicta. 129.
Homo quantum Deo debeat, quod à Deo *redemptus*.
In *faciem* hominis cur animam *inspirasse* Deus dicatur.
Quam prætiosa *hominis vita* nec in rebus inanibus occupanda. 130.
Post resurrectionem *Christus* in hominem *insuflauit*, vt incitaret in Deum.
A *terra* surgat, qui vitæ *spiraculum* à Deo accepit.
Adam à Deo non adstrictus *fascijs*, sed *beneficijs*. 131.
Operationi non *otio* homo natus.
Ad mutuũ *amorem* vt nos *Deus* vocauerit.
Locutione homo prodere debet se *spiritum* habere. 132.
Homo pro *mente Deum* habere debet.
Vt insitum à natura *hominis* sit *loqui*.
Caueat *homo*, ne Dei opificium *culpa* deuenustet. 133.

Et inspirauit in faciem eius spiraculum vita.

ET *inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* 128
Non dixit *fiat homo in animam viuentem*, sed vsus est loquendi formula, quæ indicaret ex intimo affectu Dei fuisse, quod homini animam veluti inhalauerit. Quod expendebat hîc Oleaster, dum ait: *Aduerte, qualiter Dominus tuus ex intimo suo flatu vitam tibi communicauit. Potuit enim dicere: fiat homo in animam viuentem, sed hoc non contentus,* QVASI EX SVIS PRÆCORDIIS VITAM EDVXIT. *Cui non sat fuit vatibus spiritum suum communicare, sed noluit vllum hominem spiritus sui expertem: ideoque in faciem ipsius spiraculum vita protulit. Quod si Dei vita viuis: quid tibi cum brutis est: vt beluinam ducere vitam velis? Neque solum humanam naturam à nobis accepit: sed aliam etiam naturalem, & spiritualem contulit meliorem. Quod si intra præcordia tua, vitalis Dei flatus particeps es: quare ferinum spiritum iratus, vt fera emittis.* Paulo aliter sic rem alius auctor versat: *Sicut enim*, inquit, *qui spirat ex intimo pectore producit spiritum, quem emittit; ita Deus* EX INTIMO CORDIS SVI, *hominis animam produxisse visus est.*

Inspirauit in faciem eius vitæ spiraculum: *Afflauit*, inquit ille, *Deus in te, vt te conflaret in se.* Addit. *At non ideo in te ille spirauit* VT TVMIDA

IMPLERES VELA, *naufragus, antequam remex. Statim reflauit Numinis fauor, cum tu non es obsecutus afflanti.*

Inspirauit. Hominis dignitatem supra cætera animantia hinc colligebat Theodorus Episcopus in Catena Græca Fumani, dum ait: *Brutis quidem datum est, vt per flatus inspirationem, ac respirationem quæ ex aëre concipitur & animata sint, & viuant: homini autem ex ipsa immortali & excellente natura: inspirauit enim Deus in faciem eius flatum vitæ, & factus est homo in animam viuentem: & illius quidem vt seruirent sub imperioq́; essent imperatum est: huic autem, vt ipse imperaret ac dominaretur.*

Vt viueret homo, in eius faciem vitæ spira-
129 culum spirauit Deus, vitæ naturali qui consuluit, non defuit dum de vita spiritali, & diuina ageretur: *Maria*, inquit Richardus à S. Laurentio, *est* SPIRACVLVM HOMINIS, *quia peccator per eam respirat in spe veniæ, & gratiæ.*

Inspirauit in faciem eius, spiraculum vitæ, animam ex nihilo creatam corpori vniens. Hinc colligas quam plus Deo homo debeat, quod redemptus, quam quod creatus. *Memento*, inquit S. Bernardus, *iam te etsi de nihilo factum*, NON TAMEN DE NIHILO REDEMPTVM. *Sex diebus condidit omnia, & te inter omnia: at vero per totos triginta annos operatus est salutem tuam in medio terræ. O quantum laborauit sustinens! Carnis necessitates, hostis tentationes, nonne sibi crucis aggrauauit ignominiam, mortis cumulauit horrorem?* Sic ille serm. 11. super Cantica.

In faciem insufflauit Deus, vt innueret præcipuam sensuum habendam rationem esse, qui sedem suam in facie habent. Arnoldus Carnotensis tract. de operibus sex dierum hæc habet in hanc rem: *Ecce Adam in cuius faciem insufflauerat Deus, quasi* OMNES SENSVS, *quorum ibi sedes est, & domestica Cathedra, purificans, & fœcundans, bestiali irrationabilitate oculos & aures & reliquos sensus ad inferiora repressit.* Et Sanctus Ambrosius lib. 6. epist. 42. *Nunc intelligo: quæ causa Dominus Deus insufflauit in* FACIEM HOMINIS: *ibi enim sensus omnis, ibi sedes atq́; illecebra delectationis, in oculis, auribus, naribus, atq́; in ore; vt sensus nostros aduersus delectationem fortiores faceret.* Sanctus Thomas: *Nominat*, inquit, FACIEM, *quia opera vitæ rationalis præcisè in facie relucent.* Vt statim homo proderet se anima rationali præditum. Nisi simplicius *in faciem eius*, posuit pro *in ipsum*, sicut superius super faciem abyssi dixit, pro *super* abyssum?

130 *Et inspirauit.* Sua inest huic verbo vis. Rem sic expendebat nobilis ille auctor: *Posset dicere: Fiat homo in animam viuentem, sed noluit, potius dixit, inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem, quasi hauriens ex corde suo, & ex intimo viscerum suorum vitam, quam nobis communicauit. Vide igitur ò homo, quando hanc vitam consumes*, IN QVIBVS REBVS OCCVPERIS, *crebrò illam examina, cum tam pretiosa sit vita, quæ à Dei visceribus exiuerit.*

Audis in hominis corpus insufflasse spiraculum vitæ: Gratia naturam superat, etiam post resurrectionem in discipulos suos insufflasse Dei filius perhibetur; quæ insufflatio quàm primæ illi præstet à bono calamo habes: Olim cum Dominus ex limo terræ corpus hominis formasset, insufflauit in faciem eius spiraculum vitæ, quo factus est homo in animam viuentem: modò verò in eundem iterum sufflauit, & quem antea limum, afflatu suo mutarat in hominem, nunc eundem hominem, posteriori HOC AFFLATV, QVODAMMODO MVTAVIT IN DEVM. Illic limus assurgit in hominem, hic homo assurgit in Deum. Deus enim quodammodo est, qui intra se Dei spiritum habet: vt hac ratione appateat, quanto plus Redemptori, quam creatori debeamus: quandoquidem creatori debemus, quòd homines sumus: Redemptori autem (vt Petrus Apostolus ait,) quòd naturæ diuinæ consortes effecti sumus.

Vbi accepit diuinum spiraculum primus homo
SVRGIT, & ELECTIS *firmat vestigia plantis*,
ait Diuus Alcimus. Nimirum in hoc se spiraculo diuino, animaque rationis participe donatum probare ostendereque homo potest, si à terrâ surgat, à terrenis affectu abeat, stet, non torpens iaceat.

A Dei manu, vit perfectus prodijt, nullam infantiam sensit in ætate, ò vtinam & in moribus non sensisset, infantiam suam prodidit, cum elinguis in Dei laudibus fuit, non Euam pomi esum suadentem liberè increpauit. *Vir*, inquit scitus ille auctor de Adamo loquens, *antequam puer; non* ADSTRICTVS *est* FASCIIS, *sed* BENEFICIIS, quibus vt fascijs ligari debuerat, ne ad pomum manum extenderet.

Post corpus creata anima est, non tanquam ignobilior, sed vt statim posset actiones per 131
corpus exercere; de qua re ita philosophabatur Sanctus Chrisostomus in Catena Græca Fumani: *Forsitan*, inquit, *dixerit quispiam quanam de causa si anima corpore præstantior est, id quod vilius est prius fabricatur, posterius autem quod honoratius? nonne vides hoc ipsum in omni creatione euenisse? vt enim cœlum & terra, Sol & alia omnia condita sunt, & bruta animalia, & post omnia hæc homo ipse, qui horum omnium imperium erat accepturus: sic & in ipsa hominis formatione prius corpus effectum est, & post corpus anima, quæ illo est honoratior: nam quemadmodum bruta, quæ ad inseruiendum homini vtilia futura erant, ante ipsum hominem condita sunt, vt paratum haberet seruitium is, qui horum vsum erat percepturus; ita & ante animam corpus conditum est, vt* SIMVL AC IPSA QVOQVE ANIMA EDITA FVERIT, EX IPSO MOTV CORPORIS PROPRIAS POSSIT ACTIONES OSTENDERE.

Vnum hominem Deus condidit, ex quo omnes alij prodirent, vt ad mutuum nos amorem sic prouocaret. Rem sic versat B. Laurentius Iustinianus de Charit. cap. 15. Deus, inquit, voluit vnicum hominem primo formare, ex quo omnes procederent, VT TANQVAM FRATRES OMNES SE AMARENT. Non sic legitur factum esse in Angelis, vel in brutis, vnde dilectio

ctio est debitum naturale, quo vnus homo obligatus est alteri, à quo debito nullus absoluitur.

Et factus est homo in animam viuentem.

132 IN *animam viuentem*. Chaldæus habet, *in spiritum loquentem*; tanquam loquutione homo prodere debeat se spiritu præditum, aliter hanc lectionem alius auctor versat, dum ait: Os iam inde à mundi initio, dædala Numinis manu fabrefactum, & singulari instructum cura, & prouidentia ad loquendum, ad honestum & eruditum commercium, ad percipiendam sapientiam, ad prodendam felicitatem. Quare in Genesi vbi noster habet Interpres. Et factus est homo in animam viuentem, Chaldæus habet, Et factus est homo in spiritum loquentem.

Et factus est homo in animam viuentem. Cur *viuentem* potius dixit, quàm *ratione, & mente præditam?* An quia humanæ mentis vsus, veluti rationis abusus, vt scitus ille auctor notabat, *præmaturè timebatur?* An quia, vt ait Sanctus Petrus ab aureo sermone Chrysologus, *in* HOMINIBVS *DEVS* MENS EST*?* Scilicet addit auctor quidam ineditus: Adamus etsi in animam rationalem factus indubiè est, & rationalis homo creatus; tamen factus in animam viuentem, duntaxat dicitur, vt illi intimetur, quòd licet mente humana sit præditus, tamen Deum, Deique consilia, directiones, notitias DEBET HABERE PRO MENTE: In hominibus Deus mens est.

In animam viuentem. Chaldæus legit: *in animam loquentem*; quarum versionum nexum sic quidam expendebat: In Cosmopæia Moses cùm diuinitus de hominis procreatione differit, hoc habet disertè, Factus est homo in animam viuentem, Chaldæus vertit in animam loquentem, quasi nihil esse familiarius, & INSITVM MAGIS IN NATVRA HOMINIS VIDEATVR, QVAM LOQVI.

133 Hominis à Deo conditi est, cauere ne Dei opus aliqua culpa deuenustet, & inficiat: *Cogita*, inquit Sanctus Gregorius Nyssenus hom. 2. in illud: Faciamus hominem, *quemadmodum formatus sis, homo, natura tua artificium considera. Dei manus est illa, quæ te formauit:* CAVE NE DEI OPVS FLAGITIO COINQVINETVR *ne peccato peruertatur, & excidas è manu Dei. Tu es vas à Deo fictum atque conflatum, lauda effectorem tuum: neque enim aliam ob causam factus es, nisi vt ad Dei gloriam celebrandam esses instrumentum accommodatum.*

Sectio IV.

Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis à principio.

PLantauerat. Sed quando? *Credo*, inquit Sanctus Thomas hîc, *quòd* TERTIA DIE PARADISVM PLANTAVIT, *quando fecit herbas, & ligna pomifera*. Sed cur hoc non expressit Sacra Scriptura? An quia id parui referebat scire? An quia vix Paradisus esse videbatur, quia nondum homo aderat, qui eum incoleret & cuius gratia conditus à Deo fuerat? Tunc fit mentio Paradisi, cum homo est factus, quia illius causa factus erat. 134

Plantauerat, antequam scilicet hominem conderet, nam vt ait Moses Barcepha lib. de Paradiso part. 1. cap. 5. *Paradisus* ANTE ADAMVM *conditus est & veluti sponso thalamus à Deo preparatus atque instructus. Nam quod Moses Paradisi conditi mentionem post creatum Adamum facit, ideo fit, quod ad nondum satis explicatam de Paradiso consito narrationem sibi reuertendum.*

eamque absoluendam putauit, non autem quasi ille post conditum Adamum factus sit.

Quæ de Paradiso, & Paradisi arboribus ac fluminibus hic dicuntur ad iustorum vitam transferri posse docet Sanctus Augustinus, dum transfert, sic enim ille scribit lib. 13. de Ciuitate Dei cap. 21. *Nemo prohibet intelligi* PARADISVM, VITAM BEATORVM: *quatuor eius flumina, quatuor virtutes, prudentiam, fortitudinem, temperantiam atq; iustitiam, & ligna eius, omnes vtiles disciplinas & lignorum fructus, mores piorum: & lignum vitæ, ipsam bonorum omnium matrem sapientiam: & lignum scientiæ boni & mali, transgressi mandati experimentum: pœnam enim peccatoribus bene vtique, quoniam iustè, constituit Deus, sed non bono suo experitur homo.* Hactenus ille, qui omnia Ecclesiæ quoque in hunc modum ibidem aptat: *Possunt hæc etiam* IN ECCLESIA INTELLIGI, *vt ea melius accipiamus, tanquam prophetica indicia præcedentia futurorum: Paradisum scilicet ipsam Ecclesiam, sicut de illa legitur in Cantica Canticorum: quatuor autem Paradisi flumina, quatuor Euangelia: Ligna fructifera, Sanctos: fructus autem eorum, opera eorum: Lignum vitæ Sanctum Sanctorum, vtiq; Christum: Lignum Scientiæ boni & mali, proprium voluntatis arbitrium. Nec ipso quippe homo diuina voluntate contempta, nisi perniciosè vti potest: atq; ita discit, quid intersit, vtrum inhæreat communi omnibus bono, an proprio delectetur.*

135 Bonus Paradisus bona conscientia est, quem debemus custodire in quo debemus operari. Audiendus hîc Guilielmus Abb. in meditat. vbi ait: *Creaueras me, sicut dicit Apostolus tuus, in operibus bonis, quæ præparaueras, vt ambularem in eis; formaueras me ad imaginem & similitudinem tuam, & locaueras me in Paradiso voluptatis tuæ, vt operarer & custodirem illum; operarer bonorum studiorum exercitijs, custodirem ne serpens irreperet. Serpens irrepsit, Euam meam seduxit, & per eam præuaricatorem me constituit: propter quod expulsus* DE PARADISO BONÆ CONSCIENTIÆ: *exul factus sum in terra aliena, in regione dissimilitudinis.*

Paradisum voluptatis à principio. Græci legunt. *In Edem ad orientem.* Sed cur loci nomen expressit? An ne fabulas hominibus homines malè feriati obtruderent? Sanctus Chrysostomus in Catena græca Fumani: *Plantauit Dominus Deum Paradisum in Edem ad orientem; & posuit illic hominem quem formauerat: Idcircò autem ipsius* LOCI NOMEN *expressit Moses, ne ijs quo nugis delectari consueuerunt, aures simpliciorum decipere liceat, & dicere non in terra esse hunc Paradisum, sed in cælo, & somniare eiusmodi* FABVLAS *nescio quas: etenim si quamuis tali vtantur diligentia diuina littera, non destiterunt tamen quidam ex ijs, qui cultum linguæ præ se ferunt, & in eo gloriantur & peregrinam iactant sapientiam, ijs quæ scripta sunt aduersari ac dicere, non in terra esse hunc Paradisum: & multa diuersa ab his, quæ dicta sunt docentes non vt scripta sunt intelligere, sed ijs obuiam ire ac resistere, & ea quæ de terra dicuntur, ad cælestia quædam referre: nisi hoc humilitate sermonum vsus esset ac seipsum submisisset, Beatus Moses, Sancto Spiritu ipsius linguam mouente: quo istorum non processisset audacia?*

Ad orientem posuit hominem legis ex LXX. versione. Sed cur in orientali plaga ho- 136
minem constituit Deus, & non in alia? Dubium istuc ita soluit Seuerianus in Catena græca Fumani: *Cur non in alia regione, sed ad orientem? & cur ita vnde initium cursus luminarium, illinc initium habitationis hominum? anticipat Deus significans id quod futurum est: ad ortum enim in Paradiso, Deus hominem collocat, vt ostendat quemadmodum luminaria ab ortu currunt in occasum, ita hunc ipsum oportere* A VITA CVRRERE, AD MORTEM, *& ad morem luminarium occidere, tum alium rursus ortum ex reditu à mortuis accipere.*

Ad orientem condidit Deus Paradisum, vt aromaticæ species, quæ ab orientalibus locis ad nos transferuntur, aliquem Paradisi odorem ac fragrantiam referant odore, & fragrantia, quam emittunt tanquam ijs locis nata producta, quæ proxima Paradiso. Audiendus hîc Sanctus Athanasius lib. quæst. num. 4. *Plantauit Deus Paradisum in Edem ad orientem; docet igitur nos quòd orientalis terræ pars sit Paradisus: vndè perhibent exquisitiores historici, quòd huius rei gratia omnia* AROMATA *suauissimi odoris circa orientaliora loca, seu indiæ fines proueniunt, vtpotè quæ sunt* VICINA PARADISO: *& quemadmodum palmæ masculæ propinquas femellas aspiratione ventorum contactas fructuosas reddunt: sic etiam ex Paradiso ventorum aspiratione fragrantia exhalans propinquiores illis locis arbores aromaticas efficit.* Sed nos cœlestis Paradisi odore potius allici debemus, quàm terrestris.

In quo posuit hominem, quem formauerat.

IN quo posuit hominem. Positus in Paradiso homo est extra Paradisum factus; & iure id fecit Deus, vt statim homo sciret illum voluptatis locum ex natura sibi non deberi, sed Dei munificentiæ, ac liberalitati acceptum referendum hoc donum esse. Benè Abulensis hîc: *Si ibidem factus fuisset, non propriè diceretur positus ibi, & fuit hoc vt sciret homo, quòd ille locus dabatur ei ex gratia, & non* DEBEBATVR EX NATVRA.

Nobiliorem Paradisum Deus condidit, cum Ecclesiam plantauit in qua homo sanctificaretur, qui in primo illo terrestri, à sanctitatis suggestu ceciderat. Pulchrè B. Laurentius Iustinianus præfat. in lib. de Ligno vitæ. *Idem* DOMINVS SPIRITVALEM PLANTAVIT PARADISVM, SANCTAM VIDELICET ECCLESIAM, *vt illic perditum hominem collocaret: quam vt plantaret, mundaret, sanctificaret, & perficeret, descendit à regalibus sedibus, tradens semetipsum & effundens pro dilectione ipsius proprium cruorem. Struem lapidum composuit ad eius custodiam, choros scilicet Angelorum. Inseruit in ea arbores & ligna, id est cælestia sacramenta, quorum*

alimento

alimento nutriantur, qui illic collocandi sunt. Lignum etiam scientia boni & mali ibi posuit, videlicet sacra eloquia.

137 Non contentus totum muodum pro homine condidisse adhuc nouum cogitat Paradisum. *Non est consentus prioribus*, inquit S. Basilius Seleuciensis, *neque rebus* DILAROITIS SVA DONA CIRCVMSCRIBIT, *neque donatoris desiderium vniuersa terra, nec concessum mare satiauit, sed extructum manu sua Paradisum delitiosam sedem dilecto concessit*.

In Paradiso positus est homo, vt à loco disceret transferendum in mentem esse, quod in Paradiso spectabat: *Quis*, inquit Sanctus Ambrosius lib. de bono mortis cap. 5. *ignoras quòd ex Paradiso illo, quem legimus in Genesi habentem lignum vita, & lignum scientia boni & mali, & ligna catera abundantiam virtutum putaueris transferendam, & in* HORTVM MENTIS ESSE PLANTANDAM?

In Paradisum homo translatus, Deo egisse gratias non legimus, vt non mirum si permissus est labi, & in pœnam eiectus à Paradiso. Audiendus hîc Rupertus lib. 2. cap. 39. in Genesim, vbi de primo homine ait: Ab eodem Domino Deo positus in Paradisum voloptatis, NVLLAS EI GRATIAS EGIT, & taciturna ingratitudine tantum tamque facilem deliciarum Dei locum, quasi rapioam arbitratus occupauit.

Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue. Lignum etiam vita in medio Paradisi.

138 O*Mne lignum pulchrum visu*. Hinc aliqui colligunt in Paradiso non solum arbores fructiferas fuisse, sed & infrugiferas, quæ multum ad loci venustatem, & oculorum oblectationem facereot.

Cur in medio vitæ lignum positum? *Ideo*, inquit Raulinus, *lignum vita in medio Paradisi erat, ut per hoc significaretur, quod qui* TEMPERANTIAM *& medium seruat, bene regit vitam natura, acquirit vitam gratia & meretur vitam gloria*.

Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum.

D*E loco voluptatis*. Aliqui virginis cultores flexerent hoc ad virginem. Religio esset hîc desiderati Sancti Petri Damiani verba, ait quippè: *Locum voluptatis* VTERVM MARIÆ INTELLIGO: *in quo cumulauit omnes delicias deliciarum Dominus, de cuius delicijs spiritus sanctus admiratorio sermone sic eructat. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delitys affluens? Nunquid in Angelis voluptatem habet Altissimus, in quibus ipse reperit prauitatem? Nunquid in constellatione, vel scintillatione stellarum, quarum alia conuertuntur in sanguinem, alia cadunt de cœlo, alia in tenebras obscurantur? Nunquid in aëre, vel igne, vel ventis? Nequaquam, quia non igne Dominus, non in commotione Dominus, non in spiritu Dominus. Nunquid in aquis, vbi furans, & tortuosus Leuiathan immoratur, aut in terra, qua sub maledicto Ada spinas emittit, & tribulos? Non est locus voluptatis, nisi vterus Virginis.*

Nomen vni Phison; ipse est, qui circuit omnem terram Heuilath, vbi nascitur aurum.

139 N*Omen vni Phison*. Phison *oris mutatio* hebraicè significat, cohæret nominis interpretatio cum auro, quod bonum fuisse perhiberut in terra Heuilath, quam circuire hic flouius dicitur. Acutè Sanctus Ambrosius: *Merito*, inquit, *os illic commutatur, vt non teneatur promissorum fides, sed sit in ore dolus, vbi est aurum bonum.* AVARITIA ENIM FIDEM FRANGIT, *nec tenet verborum simplicitatem. Ornamenta quoque pretiosa mentem animumque commutant, vt aliud in pectore, aliud in sermone sit*. Addit nobilis ille auctor: Habent enim PRETIOSA DONA VIRTVTEM MIRABILEM COMMVTANDI VVLTVM, ET ANIMVM. Intende: cur alijs fluminibus Gehoni, Tigridi, & Euphrati immutandi oris nomen, & insigne non imponitur? Quia per terram auriferam non fluunt. Gehon namque per terram Æthiopum, Tigris, & Euphrates contra Assyrios, & Babylonios vadunt; at fluuius Phison per terram feracem aori, argenti, prætiosorumque lapidum, cursum dirigit. Genes. c. 2. vers. 11. Ipse est, qui circuit omnem terram Heuilath, vbi nascitur aurum: & aurum terræ illius optimum est; ibi inoenitur bdellium, & lapis onychinus.

Vbi nascitur aurum. Concinit terræ nomen cum auri, quod parturit natura; *Euilath* dolens sonat; cohæret cum auro, quod ab illa prodit, cum DOLORES SOLEAT PARTVRIRE AVRI AVARA POSSESSIO, noxius auri amor.

Aurum & alia metalla tertia die producta aliqui probabile putarunt; addont, & in imo terræ centro eleuata inde portione tot montium, gehennæ locum, & infernum præparatum, vt Delrio notauit, nimirum vt hinc colligeremos, quàm magnus esset NEXVS AVRI, ET GEHENNÆ, aut etiam vt auri argentique distributione, quæ pauperibus fit, inferoum, & gehenoam vitaremus.

Vbi nascitur aurum. Quid Mosi fuit curæ auri ortum describere, ac lapillorum quorundam; poterat id de alijs rebus, quæ alibi nascuntur facere, sed non fecit. An quia ad Sacerdotem qui Dei nomen in auro erat gestaturus mentem flectebat, lapillosq; in pectore habiturus? Huc nos ducit Seuerianus io Catena græca Fumani, vbi ait: *Quæro causam cur hic rerum scriptor quum primi fluuij meminerit, dixerit illic nasci* AVRVM *bonum & carbunculum, & lapillum viridem? Nam si omnino orbem describere cogitabat oportebat illum dicere, itidem quæ in-* 140

in singulis regionibus nascerentur bona: nimirum ergo aurum commemorat, & duos lapides vt SACERDOTII *primitias describat. Si quidem sacerdos ex metallis aurum gestabat in quo scriptum erat Dei nomen: praeterea in eiusdem* SACERDOTIS PECTORE DVODECIM LAPILLI NITEBANT. Innuens aut de auro non loquendum, nec cogitandum, nisi cum eius vsus ad sacra dirigitur.

Nomen verò fluminis Tertij Tygris, ipse vadit contra Assyrios.

I*Pse vadit contra Assyrios.* Benè illis faciendum, qui inferunt nobis malum verba ista docent; quod sic eliciebat Oleaster. *Considera,* inquit, *quod* PRÆCIPVOS HOSTES SVOS PRIVS IRRIGAT. *Nouimus quid populo eius fecerit Assur, & alij vicina terra promissionis: ad quos Paradisi flumen tam copiosè mittit.*

Sectio V.

Homo in Paradiso minimè factus, vt sic *humilior* esset, vt Deo promptior pareret. 141.
Titulum nomenque nemo sibi facilè vsurpet, cui re non respondeat.
Ad *beneficiorum gratitudinem*, vt *Deus* hominem prouocauerit.
Homo in *Paradiso* positus, vt stellæ in firmamento. 142.
Vagatio vt fugienda.
Extra *Paradisum* cur *homo* factus.
Loci puritas & excellentia parum prodest nisi adsint cætera. 143.
Paradisus noster *Dominus* est.
Diuina *munificentia* & *largitas* expenditur.
Alium nobis *Paradisum*, vt *constituere* possimus. 144.
Virtutes in Adamo *Deus* posuit, præcipuè *abstinentiam*, vt illum custodiret.
Otium qui in *exilio* vitandum.
Quid *operari* in Paradiso *homo* posset. 145.
Laborem amet, qui *cælum* quærit.
Præsul in se operetur, vt *subditos* custodiat.
Quæ sine *labore* habentur, facilè *amittuntur* & contemnuntur. 146.
Laus & *gratiarum actio* Deo offerenda.
Mentis operatio maximè cõmendata. 147.
A *delicijs* & nimia *prosperitate* maximè timendum.
Labore potius *homo* quam Paradisus indigebat.
Otiositas multa inuehit *mala*. 148.
A *terra cultura* discere homo debebat, Deo obedire.
Paradisi custodia, vt homini iniuncta.
Paradisi custos, cur *homo* constitutus. 149.
Vbi *innocentia* regnat, arma, aliaque vix necessaria ad *custodiam*.
Hostis sui incipit esse, qui *torpet*, & Dei *præcepta* contemnit.

Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis.

T*Vlit ergo.* Quem extra Paradisum condidit, transtulit in Paradisum, vt statim sciret se tàm facilè inde extrahi posse, quàm facilè illuc esset delatus, sicq; de se humilius sentiret & promptius Deo pareret. Scitè Sanctus Thomas hîc: *Non factus fuerat in Paradiso,* VT EX HOC ESSET HVMILIOR, ET REMOTIOR AB OMNI PRÆSVMPTIONE ET SVPERBIA: *& ex hoc etiam cognosceret quod nisi benefaceret & obediret, Deus qui eum ad illum locum transtulerat, eum inde extraheret.* 141

Dominus Deus. Notatum ab alijs est hîc primùm ineffabile Dei nomen audiri. Aliqui Hebræorum hanc huius rei afferunt rationem: *Cum perfectum esset opus* DEI, *perfecta quoque Dei adhibetur* APPELLATIO. Vt hinc homines discant sibi illum titulum non vsurpare, cui re, moribusque non respondent.

Hominem, quem extra Paradisum formauerit, in Paradisum duxit vt tot beneficiorum aspectu ad gratitudinem prouocaretur. Benè Lippomanus in Catena: *Extra Paradisum,* inquit, *formauit illum, sed mox introduxit, vt re ipsa sensu* BENEFICIORVM *frueretur, sciretq; quantus illi honor esset concessus. Et posuit illic hominem quem formauit. Verbum, posuit, iterum sic intelligamus pro eo quod præcepit illi vt esset illic, vt ex aspectu & conuersatione multam perciperet voluptatem,* PROVOCARETVRQVE AD GRATITVDINEM, *intelligens quantis sit affectus beneficijs, cum nullum adhuc boni specimen præbuisset.*

Posuit. Qui ante dixerat in Cœlo stellas posuisse, nunc ait in Paradiso hominem posuisse, 142
quò eiusdem verbi vsu, innueret diuinæ mentis fuisse, vt diù in illo homo viueret, hominemque mundi lumen esse. Lippomanus in Catena: *Ne mireris,* inquit, *ergo verbum hoc, posuit. Perpetuus enim scripturæ mos est propter nos, & propter nostram vtilitatem humanis vti verbis. Et vt scias, vide quomodo superius cum de formatione stellarum ageret, eadem dictione sit vsus, cum dixit, Et posuit eas in* FIRMAMENTO COELI: *vt discas, quod in cælo ea esse præceperit, quomodo &* HOMINEM IN PARADISO *voluit versari.*

In quo posuit hominem. Aliqui ex his verbis colligunt extra Paradisum fuisse hominem formatum,

matum, quod Eugubino minimè placet, nam inquit etiam de Eua dictum adductam fuisse ad Adam, licet iuxta illum fuerit formata. Addit. *Verisimillimum est tum in loco pulcherrimo, ac dignissimo hominem creatum, non ibi semper mansisse, vbi fuisset creatus. Quid enim opus erat simul ac in lucem venisset vagari, ac circumferri.* Ac si non deceret, vt vagatio primum hominis perfecti esset exercitium, quæ solet esse si nimia imperfectionis aut causa, aut occasio, adeo vt plerumque minus quàm homo euadat, qui huc illuc inter homines vagatur, nec stare loco scit. Melioris tamen notæ, antiquiorisq; censent extra Paradisum hominem formatum, vt superius etiam tetigimus, & infra tangemus; nec facilè elidi debet, quod sancti Patres, veteresque scriptores litteris consignarunt, nisi ratio id cogat, & veritatis argumenta id suadeant.

Et posuit eum in Paradiso. Vt tantæ felicitatis priuilegium non naturæ tribueret, sed gratiæ; extra Paradisum est formatus; ne crederet sibi debitum Paradisum. Sic Vgo Victor. sum. sent. tract. 3. cap. 4. *Tulit Deus hominem, & posuit in Paradisum voluptatis, Quibus verbis plane ostendit Moyses, quòd* EXTRA PARADISVM CREATVS EST, *& postmodum in Paradisum positus, quod ideo factum dicitur, quia non erat in eo permansurus: vel ne beneficium Dei imputaret natura, sed gratia.* Sic ille, nisi quod prima illa ratio videtur claudicare, cum Eua in Paradiso formata fuerit, in quo tamen non erat permansura.

143 Parum loci puritas, & innocentia prodest, nisi quis locum innocentiæ det, & puritati. In Paradiso fuisse nil profuit Adamo, nil nocuit Iobo fuisse in sterquilinio. Rem sic expendebat Sanctus Chrysostomus: *Neque Paradisus in pretio habendus est, nisi Dei mandatum in eo seruetur: neque* VILIA LOCA *sunt ignominiosa, si in eis sit lex Dei regnantis. Adamus in Paradiso propter inobedientiam ignominia afficitur: Iobus autem propter patientiam in sterquilinio coronatur:* NVNQVAM ENIM LOCORVM DIGNITAS COMPARATVR, NISI BONA MENS CONGVRRAT.

Nos quoq; nostro non destituimur Paradiso, quin nobiliori, quam parentis primi donati sumus; Paradisus noster est Christus; hinc illud Sancti Bernardi: *Nunc autem Paradisum habemus multo meliorem, & longè delectabiliorem, quàm primi parentes habuerunt, &* PARADISVS NOSTER DOMINVS EST.

Tam eximia, tam multa Deus homini beneficia contulit, & quod mireris, antequam aliquid laude dignum legatur præstitisse, vt totum diuinæ munificentiæ, non eius meritis tribueretur. Audiendus hic Sanctus Chrysostomus, qui hom. 14. in Genesim hæc habet: *Quum nullum adhuc bonitatis specimen præ se ferret Adam: tanta à* DEO BENEFICIA *accepit: Neque enim dimidiatam illi dedit rerum fruitionem, neq; à pluribus abstinere iussit, & cæteris frui; sed participem omnium, quæ sunt in Paradiso esse voluit: ab vno solo ligno abstinere præcepit, monstrans ipsa, nullius alterius gratia hoc ipsum se facere, quàm vt tantorum beneficiorum authorem agnoscere possit.*

Qui in primo parente Paradisum perdidimus, alium nobis quæramus; quod qui fieri possit egregiè docet Petrus Blesensis epist. 13. 144
Ama quasi claustrum, & abscinde ab animo tuo animam extendi, nam iuxta sententiam cordis mei, si PARADISVS IN HAC VITA PRÆSENTI EST, *vel in Claustro est, vel in Scholis: quicquid enim extra hæc duo est, plenum est anxietate, inquietudine amaritudine, formidine, sollicitudine, & dolore.*

Vt operaretur, & custodiret illum.

IN Paradiso Adamum posuit Deus, vt operaretur, & custodiret illum, sed quid in Adamo locauit, quod Adamus custodiret? virtutes posuit, & præcipuè abstinentiam. Huc voco, quod habet Ioannes Eusebius: Adamo, inquit, vt contineret eum Deus in obedientiâ suâ, promulgauit primogenitam ieiunij legem, & vnigenitam illius felicissimi status; vt magis commendaret nobis amabilem ABSTINENTIAM, quasi quæ sufficiens esset, innocentiam custodire, & reliquas dotes & virtutes; & quæ aptum redderet hominem, ad audiendum Deum, eiq; adhærendum. Non alij nutrici confidit Dominus filium suum Adamum dilectum, & Beniaminum creaturarum, nisi ieiunio, in cuius manus fidelissimas commisit illum, at nutritius hominis esset, & pædagogus obedientiæ. At fracto ieiunio, statim Adam fugit vocem Dei, tam procul ab adhæsione diuinâ, vt non solum ad Deum non vellet accedere, & quærere, sed Deum quærentem se, fugeret. Ineptus fit, qui abstinere non erat: diuinæ familiaritati resistet, & inspirationibus sanctis, abiunctus ab vberibus diuinis.

Operi statim homo adijcitur etiam in Paradiso, vt erret, qui otio se dat in exilio. Peritè vt solet S.Bernardus: *Cum enim legatur Adam in loco voluptatis ab initio positus, vt operaretur, quis sanum sapiens,* FILIOS EIVS IN LOCO AFFLICTIONIS AD PECCANDVM POSITOS ARBITRETVR? *Operemur ergo, sed cibum qui non perit: operemur opus salutis nostræ. Operemur in vinea Domini: vt denarium diurnum accipere mereamur.*

Vt operaretur. Sed quid operis homini præstandum, cum locus ille spontè exhiberet, quicquid pulchrum visu esset, quicquid esset ad vescendum suaue? *Dicendum*, inquit Sanctus Thomas vt hunc nodum soluat, *quòd locus ille daret gratis omnia, quæ deberent exigere per naturalem influentiam, & etiam per occultam Dei administrationem: tamen adhuc aliqua possent* SVRGERE SPECIALIA PER HOMINES INDVSTRIAM, *& posset etiam facere locum illum aliquantulum amœniorem.* 145

Vt operaretur. Paradisi nimirum cultor torpere otio non debebat, ne ab illo eijceretur; quanto magis laborare debet, qui Cœli futurus inhabi-

inhabitator est. *Nec Paradisum*, inquit Ferus, *homini dedit nisi sub conditione, quanto minus* COELVM? Quò maius Cœlum terra est, ac præstantius, eò studiosius laborare homo debet, vt Cęlum indipiscatur.

Vt operaretur, & custodiret illum. Statim otij occasionem Deus submouet. Prælatis hæc verba aptat Vgo Carensis. *Vt operaretur*, inquit, IN SE, *& custodiret* SVBDITOS. Ægrè custodire alios potest, qui sui curam negligit. Scilicet operatio substerni custodiæ debet.

146 *Vt operaretur*. Non tamen legimus aliquid operis Adamum præstitisse; non mirum si facilè omnia quæ sine labore à Deo habuit, Adam amisit. *Quod* FACILE OBTINETVR, inquit Iobius Monachus, FACILE REIICITVR PROPIVSQVE EST VT CONTEMNATVR, *quam vt expetatur: propterea Adam qui sine certamine ac laboribus diuino alloquio cæterisque bonis dignus erat habitus ea, quibus vtebatur, amisit*.

Vt operaretur, & custodiret illum. Hæc Paradisi custodia à Dei laude, gratiarumque actione esse debebat. Pulchrè Rupertus in Ioannem: *Quid*, inquit, *laboris arbitramur illi fuisse iniunctum ab eo, quod dictum est vt operaretur & custodiret eum putamus, ne quod impositum fuerit illi hoc opus, vt operando in sudore vultus sui vesceretur ex omni ligno Paradisi, aut vt poma Paradisi custodiret, ne direptis sepibus, aliquis prædo nocturnus illa decerperet? ergo quod dictum est vt operaretur & custodiret eum hoc esse intelligere debemus, vt creatori suo in* LAVDE ET GRATIARVM ACTIONE *fidelem animum gereret*.

147 *Vt operaretur*. De mentis operatione hæc verba aliqui accipiunt. Hinc illud illius auctoris: Existimo, non ad OPERATIONEM CORPORIS, SED MENTIS REFERENDVM ESSE, nulla quippe operatione, aut cultura Paradisus ille voluptatis indigebat, quia ipse vltroneus, & sua sponte, fructus suauissimos producebat: neque ad hoc aliqua humana industria & arte erat opus. Intelligendum ergo est de operatione mentis, quæ propria est hominis operatio, idest, vt contemplaretur ibi Dei opera, opificemque diligeret & magnificaret, & sic Deus illæsum ab omnique periculo immunem custodiret. Hæc igitur est vera hominis occupatio, hoc illius exercitium, & adhoc à summo opifice conditus est, vt illum cognoscat & laudet. Huc etiam spectauit B. Dionysius Carthusianus dum ait: *Operatio corporalis exterior non fuit ratio principalis, propter quam in Paradiso est positus; imo principaliter constitutus est ibi, vt operaretur* ACTVS SPIRITVALES INTERIORES *diuina vacando contemplationi, ac laudibus Creatoris*.

Vt operaretur. Scilicet statim à nimia prosperitate, ac felicitate homini Deus timuit, statim otio studuit occurrere, ne laberetur. Audiendus hîc Sanctus Chrysostomus, ait quippè: *Posuit illum in Paradiso voluptatis: addit ut coleret illum, & custodiret, etiam hoc magnæ curæ & prouidentiæ nostri, argumentum est; nam cum omnibus delicijs potirentur ibi uitam agentes, tam oblectamentis eorum quæ videbant, quam lætitia eorum quibus fruebantur, vt ne immodica* PROSPERITATE *homo insolesceret, (omnem enim malitiam docuit otium) propterea præcepit Deus, vt operaretur illum & custodiret; quid autem dicet aliquis illius curæ indigebat Paradisus? non hoc dico, sed voluit tum vt paruam quandam sibiq; congruam gereret curam, partim custodiendo, partim operando. Si enim laboris omnis fuisset expers, protinus ex multo otio in ignauiam prolapsus esset*.

Vt operaretur. Ab otio homini Deus timuit, non egebat rurali opere Paradisus, egebat homo, ne otij sentiret damna, præsertim, quia vt ait Honcala, *primus homo lex posteris futurus erat, & ideo legitimi etiam in Paradiso suscepit* SPECIEM LABORIS, *vt nos ad operationem & custodiam debiti officij, & hæreditariæ successionis munus astringeret*.

Vt operaretur, & custodiret illum. Ab otio auocare hominem Deus studuit, sciebat quippè otiosum otium non esse, & multa mala inuehere, in eos, qui otio torpent. Benè Oleaster ad verba producta: *Non vult Dominus hominem seruum otiari:* NOVERAT ENIM QVOT MALA DOCVIT OTIOSITAS, *neque tamen laboribus vrgere voluit, & posuit eum horti custodem, qui seipsum noluit custodire: In quo duo nobis esse necessaria docet. Alterum, vt hortos, qui nos ipsi sumus, excolamus: alterum, vt custodiamus, quæ colimus. Quid enim prodest, si summo studio mutias, & colas virtutem, si eam ab impetu furari volentium non custodias?* 148

Vt operaretur. Vt statim à terræ cultura homo disceret qualis esset in Deum, *vt sicut* AGER, inquit Ferus hîc, *obtemperat colenti, sic homo obediat Deo præcipienti:* Alioquin terram excolens ipse manebit incultus.

Et custodiret illum. A quorum iniuria custodiendus erat Paradisus, cum nullus inuasor esset, nemo qui diriperet? *Potest dici*, inquit Doctor Angelicus hîc, *quòd licet Deus locum illum sufficienter custodiret: & nunc etiam custodiat: decens tamen fuit quod aliqua* EIVS CVSTODIA HOMINI COMMITTERETVR *quamdiu ibi staret. Vnde quælibet incommoda quæ poterant vel ab auibus, vel ab alijs animalibus, vel etiam à Dæmonibus contingere: poterant per hominem remoueri vel impediri*.

Vt custodiret. Sed à quibus Paradisus erat custodiendus, cum nullus adesset qui eum inuaderet & vastaret? multum illi ab otio, & negligentia hominis timendum erat: *Addit*, inquit Ferus, *vt custodiret eum non ab inuasoribus, sed ne negligentia sua amitteret quod tanta gratia susceperat, vel ne aliquid admitteret vnde expelli mereretur*. 149

Et custodiret illum. Paradisi custos constituitur Adamus, optimus fuisset Paradisi custos si fuisset sui; non legis romphæam versatilem illi datam, vt data Angelo postea, vt Paradisum custodiret, nimirum vbi innocentia vernat necessaria arma non sunt. Hortus, inquit scitus ille auctor ad verba producta, paulo post, & romphæam versalitatem, & Angelum pro custo-

custodia tenuit, vbi iustitia floruit originalis, per vnum omnium corporalium regem Adamum manebat firmiter custoditum. Non equidem in statu INNOCENTIÆ REQVISITI SVNT SATELLITES, NEC ARMA INVENTA PRO PARADISI CVSTODIA; vnus rex, & Dominus Adamus per se ipsum florentissimæ sedis erat custos.

Et custodiret illum. Sed à quonam custodiendus Paradisus erat, cum nullus inuasor adesset, nullus prædo? A nullo timere poterat homo extra se, sed maximè à se ipso, nam operari negligens, & Dei præceptum temerans Paradisum amisit. Perpensè Seuerianus in Catena Græca Fumani: *Posuit illum in Paradiso deliciarum, vt exerceret, & custodiret illum: exerceret vtiq; Dei præceptum, & crederet: custodiret autem à quo tandem? num à prædone? num à prætereunte viatore? at qui horum plane erat nullus, neque prorsus quispiam qui insidiaretur: ergo vt custodiret eum sibi ipsi, ne uidelicet* PRÆCEPTVM CONTEMNENS, *illum amitteret*. Ac si sui hostis incipiat homo esse, qui torpet, & Dei præcepta contemnit.

Sectio VI.

Cur *præcepto* potius negatiuo, quam affirmatiuo, *Deus* hominem ligauerit. 150.
Dei *Præcepta* ob *Dei gloriam* adimplenda, non ob nostram vtilitatem.
Obedientiæ exercitium, vel *reges* ipsos instituit, & regno dignos facit.
In *Deum* raptus *Adam* vix *cibi* recordabatur.
Ab *obedientia* discat quisque *imperare*.
Adami inobedientia expenditur.
Obedientia virtutem, vt *Deus* commendauerit.
Qui *imperant* subiectos se *Deo* esse cogitent.
Statim ad Dei *cultum homo* ordinatus. 152.
Præcipiendi verbo, cur *Deus* vsus fuerit non *imperandi*.
Beatitudo Paradisi, absque *abstinentia* non potuit dedicari.
Adam ieiunio tamquam nutrici commendatus.
Cœlum respiciat *cibum* esui paraturus. 153.
Culpa hominem *bestiarum* more in terram pronum deiecit.
De *potu* cur nihil *Deus* dixerit, cibum Adamo assignans.
Obedientia animæ cibus.
Meliora nobis *Deus* exhibet, nos deteriora illi offerimus.
Vnum cum *viro* suo & *mulier* fit. 154.
Mulierem quanto honore *Deus* fuerit prosecutus.
Cur *præceptum* homini datum respiceret sensum *gustus* & respueret.
Gustus aliorum regula, & ordinatio.

Præcepitq; ei dicens: Ex omni ligno Paradisi comede; de ligno autem scientiæ boni, & mali, ne comedas.

Sed quare absque præcepto viuere non permisit Deus hominem? *Præceptum datum est*, inquit Lippomanus, *ut per meritum obedientiæ gloriosius obtineret bonum, & ut homo statim à principio assuesieret ad Dei uoluntatem sequendam*. Sed hîc aliquis reponat, poterat præcepto affirmatiuo eum ligare, præcipiens scilicet vt ex ligno scientiæ boni, & mali comederet; cur igitur hoc Deus non fecit? *Non præcepit*, inquit idem auctor, *comedere de ligno scientiæ boni, & mali, ut pura esset obedientia. Causaretur enim diabolus, dicens, non tantum* PROPTER PRÆCEPTVM *comedere de illo ligno, quantum* PRO SVA VTILITATE. Nimirum Dei præcepta ob Dei gloriam, ac gustum adimplenda, non ob nostram vtilitatem, nostrumque commodum. 150

Regnaturo homini præceptum datur, in obedientiæ exercitium; adeo non officit regi obedientia, vt regem formet, & firmet: Obedientiæ exercitium, inquit ad hunc locum scitus ille auctor, non solum præstat bonos subditos, sed & facit regalissimos REGES, ille enim securissimè imperat, qui & perfectissimè OBEDIT; nescit imperare, qui nescit obedire.

Ex omni ligno Paradisi comede. Cur Deus Adæ dixit, vt comederet? *Vt quid Domine*, inquit ille auctor, *ei præcipis ut comedat: ipse non haberet curam comedendi; creauerat eum Deus in gratiam, tam purum, & illuminatum, ut in Deum transportatus,* NON RECORDARETVR FORTASSE CIBI. Huc facit, & illud illius. *Postquam Deus creauit Adam præcepit ei dicens, ex omni ligno Paradisi comede. Adeo quippe pater Adam in diuinarum rerum contemplatione eleuatus erat, ut* VIX RECORDARETVR CIBI, *nisi ei Deus comedere præcepisset. Res diuinæ efficiunt, ut homines terrestrium rerum obliuiscantur.*

Præcepit ei. Adamo vix creato præceptum cur iniungitur? An vt futurus orbis Monarcha ab obedientia disceret imperare? *Scilicet*, inquit comptus ille auctor, *quem terrarum Præsidem, & orbis Monarcham creat,* STATIM OBSEQVIIS ASSVESCERE *festinat, vt simul cum principandi potestate, iugum parendi obsequenter subeat. Non multum referebat, quod de una arbuscula Adamus ederet, siue abstineret Adamus; at magni intererat, ut cum imperandi orbis Monarchia, parendi eruditionem ediscerет de schola obedientiæ. Malè imperabit omnibus, qui uel uni benè parere nescit. Qui creatus est ut Præsit piscibus maris, & uolatilibus cœli, & bestijs, uniuersæque terræ erudiat* 151

erudiat regendi peritiam in obsequendi gymnasio. Non satis gubernandi peritus nascitur, qui tot natura & gratia dotibus imbutus nascitur, nisi imperandi scientiam instruat subiectione parendi? O arcanam Præpositis eruditionem.

Ab hoc capite augmentum primi parentis culpa sumpsit, quod omnium lignorum vsum concessit ei Deus, vnius tantum negauit. Erat in Paradiso, inquit pius ille auctor, omne lignum liberalissimè Adæ concessit vnicum solummodo sibi reseruauit. Si Deus Vnicum concederet, cætera sibi reseruans, non mirum quod ad aliquod cæterorum manus conuerteret: sed quod videns omnia sibi tradita vnico tantummodo excepto illud solummodo concupisceret, & sibi vendicare vellet, INTOLERABILE FVIT PECCATVS, & tam grandi pœna, ac supplicio dignum.

Obedientiæ virtutem commendare Deus voluit, cum rem homini inhibuit, quæ, inhibitione seclusa, non erat mala. Religio esset hîc desiderari quæ in hanc rem habet Sanctus Augustinus in psal. 70. *Quia nullo abs te indiget Deus, nihil tibi debuit iubere? si autem debuit aliquid iubere, ut te, quod tibi expedit, sentires esse sub Domino, ab aliqua re prohibendus eras: non propter arboris illius, sed propter tuam obedientiam? Non potuit Deus perfectius demonstrare, quantum sit bonum obedientia, nisi cum prohibuit ab ea re, quæ non erat mala: sola ibi obedientia tenet palmam, sola ibi inobedientia, inuenit pœnam, bonum est, nolo tangas. Non enim non tangendo moriturus es, Nunquid qui huic prohibuit, alia subtraxit? nonne est Paradisus fructuosis plenus arboribus? quid tibi deest? hoc nolo tangas: hinc nolo gustes: bonum est, sed obedientia melior est.*

Mundi dominus Adam constitutus, lege tamen statim ligatur: *Vt non*, inquit B. Alcuinus interrog. 7. *tanto extolleretur dominio, sed in obseruatione mandati sciret* SE SVBIECTVM ESSE CREATORI SVO. Scilicet, qui imperant subiectos se Deo esse cogitent.

Statim ac conditus homo fuit præceptum
152 illi Deus imposuit, nec diù distulit. Sed cur
rei? Sanctus Thomas hîc: *Fuerunt*, inquit, *data ista præcepta statim, quia non erat ratio differendi, & debuit ad* DEI CVLTVM STATIM ORDINARI.

Cur *præcipiendi* vsus verbo Deus fuerit, non *imperandi* habes ab aureo ore, sic enim S. Chrysostomus rem expendebat hom. 14. in Genesim: *Dignum & hic fuerit obstupescere benignitatem Dei, quæ omnem transcendit rationem, quam breui hoc verbo nobis exhibet: & præcepit, inquit, vide statim ab initio, quanto honore hominem prosequitur: neque enim dixit* IMPERAVIT, *vel iussit, sed quid præcepit. Sicut amicus amico de rebus necessariis* PRÆCIPIENS *loquitur, ita & Deus erga Adamum afficitur, quasi hoc honore ipsum ad obediendum his quæ à se præcipiebantur, attracturus.*

Vix in Paradiso hominem Deus locauit, cum abstinentiam illi iniunxit, ac si Paradisi felicitas ieiunio, & abstinentiæ inniteretur, & stare sine illa, sine ista non posset. S. Hieronimus lib. 2. aduersus Iouinianum ita scribit: *Ad nostra transiens, docebo primum Adam in Paradiso accepisse præceptum, vt, cætera poma comedens, ab vna arbore ieiunaret.* BEATITVDO PARADISI ABSQVE ABSTINENTIA CIBI NON POTVIT DEDICARI: *quamdiu Ieiunauit, in Paradiso fuit: comedit, & eiectus est.*

Vix Adam à Dei manibus velut ab vtero prodierat, cum ieiunio tanquam nutrici, aut etiam matri commendatur, ex quo ieiunij, & abstinentiæ necessitatem colligas. Præiuit Sanctus Chrysostomus, dum ait: *Deus hominem à principio faciens: illico delatum eum* IEIVNII MANIBVS COMMENDAVIT, VELVTI PIÆ AMABILIQVE MATRI, ET MAGISTRO OPTIMO COMMITTENS. *Nam ab omni ligno, quod est in Paradiso comedes, de ligno vero scientiæ boni & mali non comedetis, species ieiunij est, si autem in Paradiso ieiunium necessarium fuit extra Paradisum multo magis. Si ante plagam vtilis medicina fuerat, multò magis post plagam, si nec dum bello cupiditatum insurgente nobis arma fuerunt opportuna, multo magis, tantum post cupiditatum vitiorumque prælium à dæmonibus nobis illatum*: sic ille hom. 1. de pœnitentia.

Ex omni ligno Paradisi comede. Cur ex lignis,
arboribusque decerpere fructus vt comederet debebat Adam, & non potius ex oleribus herbisque, 153
quæ ex terra nascebantur? An vt Cœlum statim doceretur respicere cibum esui paraturus? *Cibus*, inquit Sanctus Cyprianus, *primis hominibus solus arboris fuit fœtus, nam innocentia homines ad superna subuexit, ac commissum delictum homines* TERRÆ, SOLOQVE DEIECIT. Addit alius auctor id factum: Vt dum erecto in superna corpore arbores vellicantur carpuntur poma, innocentia hominis in Cœlum respicientis, sublimem vultum gestantis designaretur: quem CVLPA BESTIARVM MORE IN TERRAM PRONVM segetibus metendis incuruauit.

De cibo Deus expressit, quid homini comedendum, cur nihil de potu dixit? *Causa*, inquit Abulensis, *quare Deus non dixit quicquam de potu, fuit prima, quia non erat aliquid, quod circa potum dubitari posset: circa cibum enim poterat dubitari, quia multa erant, quæ possent in cibum sumi, vt fructus, herbæ, carnes, pisces: & ideo quid de illis manducare homo debuit diffiniri: sed* CIRCA POTVM NIHIL TALE ERAT, *quia non erat aliquid, nisi aqua: nam vinum nondum erat, & ita cum non esset causa dubitandi, debuit taceri, quasi per hoc innueretur, quæ volebat Deus, quod aquam biberent.* Rem aliter idem auctor versat; dum ait, de cibi nullam factam mentionem esse, *quia non est necessarium ad vitam sicut nunc. Deus autem ea dat, quæ corpori, & saluti conueniunt.* Addit statim rationem aliam. *Secunda fuit, quia Deus posuit quid homo comederet, vt adderet statim, quid non comederet, vt cum dixit: De omni ligno Paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas: sed in* POTV *nihil Deus prohibiturus erat, ideo nihil de potu dixit.*

Ex

Ex omni ligno Paradiſi comede, Suum corpori aſſignauerat Deus cibum, ſuum & animæ, obedientiam ſcilicet; nam & Chriſtus cibum ſuum vocat Patris voluntatem Ioan. 4. Quid igitur Adam? Cibum quidem, corporis curauit comedere, eibi qui animam nutrit oblitus, factus inobedientiæ reus.

Ex omni ligno Paradiſi comede. Cur de herbis nulla mentio eſt facta? Non inuidit illas Deus homini, ſed quod eſt melius obtulit, vt tamen herbarum eſum homini non negaret. *Quamuis herba Paradiſi*, inquit Abulenſis, *bona eſſent, & ſalubres, dixit Deus de lignis ſolum, quia erant* MELIORIS NVTRIMENTI *fructus arborum, quam herba, & erat copia magna fructuum: ideo non erat opus, vt reueniret ad id, quod erat minus boni nutrimenti: & tamen ſiue dictum ſit à Domino de herbis, ſiue non, eſt intelligendum, quod non erant vetita homini herba ad eſcam, ſi vellet illis vti: Deus tamen oſtendebat ei id*, QVOD MELIVS *erat, & præcipuè veſceretur*. Meliora nobis Deus exhibet, nos deteriora illi offerimus.

154 *Comede*. Aliqui totam hanc ſententiam numeroſè legunt. Ita Tertullianus, & Anaſtaſius Synaita; ſed cum nondum formata eſſet mulier cum ipſi præceptum imponit? An vnum eum viro ſuo eſſe innuere ſic volebat? *Conſidera*, inquit S.Chryſoſtomus, *cum alijs etiam hic bonitatem Dei, quanto* HONORE ETIAM MVLIEREM PROSEQVITVR, *quæ ex illo formanda erat: nondum enim ea producta, quaſi vtrique mandaret, dicebat: ne comederitis ex eo: & quocumq; die comederitis, morte moriemini: manifeſtans iam inde ab initio*, QVOD VNVM SVNT VIR ET MVLIER, *ſicut & Paulus, inquit: Caput mulieris vir: & propterea quaſi vtriq; loquitur, vt poſt hac formata ex viro muliere, occaſionem illi præbeat docendi illam ipſius præcepta*. Sic ille hom. 14. in Geneſim.

Cur præceptum homini datum eſt, quod guſtum potius reſpiceret, quàm viſum, quàm tactum, quàm alium ſenſum? *Fuit*, inquit Sanctus Thomas, *præceptum in materia gulæ magis quàm alterius ſenſus: quia* GVSTVS ALIIS SENSIBVS SVBSERVIT, *& ex eius ordinatione vel deordinatione, aliarum ſenſuum ordinatio vel deordinatio multum dependet*.

155 *Ex omni ligno Paradiſi comede*. Hic aliqui Dei præceptum de edendo agnoſcunt. Vt hinc quoq; colligamus, nobis edendum non ſolum cum cibi voluptas nos allicit, ſed quia ita Dei prouidentia vult; felix qui animam Dei voluntate potius paſcit, quàm ferculorum voluptate corpus.

Ex omni ligno Paradiſi comede. Cur non etiam herbarum iniungitur eſus? An quia inter herbas nullus eſus fuerat interdictus, ſicut inter arbores inhibita vna fuit? Propter vnius arboris prohibitionem facultas edendi ex alijs iniungitur, vt ſtatim colligeremus non fuiſſe inuidiæ huiuſmodi eſum negaſſe, ſed hominem ad obedientiæ regulas vocantis.

Ex omni ligno Paradiſi comede. Et cur eſus aliarum arborum iniungitur, & indicitur, cum vnius negatus eſſet? An ne nimia religione, ſtatim homo corriperetur, & ſcrupuloſè abſtineret ab omnibus, quia vnius fructus negatus fuerat? Sic etiam Pererius, dum ait id iuſſum, *ne quia interdictus homini erat eſus vnius arboris eum* RELIGIO INCESSERET *non edendi ex alijs arboribus*. Sicque ſtatim hoc exemplo illis occurreret, qui nimis anguſtè de Deo ſentiunt, ſcrupulis anguntur, & plura ſibi negata religioſè credunt, quàm reuera ſint.

Sectio VII.

Cauendum ne *voluptas* beneficiorum *memoriam* ſpoliet. 156.
Quanti momenti res ſit ea *obſeruare*, quæ *Deus* iuſſit.
Quàm propenſus in Dei *amorem homo* eſſe debeat.
Sanctitatis moles *obedientia* impoſita. 157.
Multa concedant *præſules* ſubditis, vt à *ſubditis* vnum obtineant.
Obedientia qui non litat in alijs *virtutibus* ægre ſe exercebit.
Abſtinentia, quàm *Deo* ſit grata. 158.
Lignum ſcientiæ, boni & mali, cur appellatum.
A *minoribus* ad *maiora* eundum.
Obedientia bonum, quàm magnum, *inobedientia*, quàm malum. 159.
Hominis eſt *obedire* non *iudicare*.
Mortis pœna, quàm validè hominis mentes *commoneat*.
Mortem vicinam longè abeſſe homines credunt, *Deus* contra.
Maximi res momenti *mortis* certitudinem expendere. 160.
Mortis memoria *modeſtiam* & alias virtutes homini inſtillat.
Mors feriò cogitata *negligentiam* auertit.
Felix *martyrum* ſors. 161.
Mortis memoria *peccatum* fugat.

De ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas.

VNius arboris abſtinentia præcipitur,
vt ita benefactoris memoria conſer- 156
uaretur, nec effuſior voluptas, & prorſus libera Dei obliuionem induceret. Sanctus Baſilius Seleucienſis hæc habet orat. 3. *Accipe poteſtatem in omnia, vno ſolo te abſtine, in omnia manus extendatur, & ad vnum contrahatur; vt prohibitore cognito præbitorem quoque agnoſcas, & vnius priuatio recordationem excitet illius, qui dedit vniuerſa*. NE VOLVPTAS VNDEQVAQVE CIRCVMFVSA BENEFICII

MEMORIAM SPOLIET, *ne per inexplebilem voracitatem in ignorantiam delabaris*.

Abstinentiam ab vnius ligni fructu Deus iussit, quo mandato neglecto tot mala secuta sunt. Hinc colligas, quanti momenti sit obseruare, quod Deus iubet. Peritè Sanctus Eligius de laud. Ieiun. hom. 3. *In huius mandati iussione & eiusdem transgressione possumus scire quantum sit bonum obseruatio ieiunij & contra violatio eius*, QVANTVM SIT MALVM, *quandiu interdicto abstinuit cibo Adam, nec legis fuit præuaricatio, nec infirmitatis (quæ antea non erat) cognitio, nec culpa, nec illecebra, nec labor, nec timor, nec mors, nec terrena meditatio, quæ protinus successerunt omnia, postquam manducauit de arbore interdicta, nam mox à Paradisi beatitudine eiectus, & in hanc quam patimur miseriam est proiectus, vita spoliatus mortalitate vestitus*.

Audis pomi esum homini interdici, cur non alio præcepto, ac etiam nobiliori imperium in hominem exercuit Deus? cur non potius ei iniunxit, vt creatorem suum diligeret? An naturæ integræ hoc præceptum non erat necessarium quæ satis perseipsam in Deum ferebatur? Rem præclarè versat B. Thomas à Villanoua, dum ait: *Naturaliter & sponte anima in Deum inclinatur per amorem. Vnde si per peccatum infecta non fuisset natura, & rationis ac fidei lumen obscuratum, nulla vnquam tali homo expressione indigeret præcepti, quod tam impressum habebat in corde: neque enim modo scripto datum est præceptum, vt quisquam seipsum diligat, cum tamen teneamur nos ipsos ex charitate diligere: nam quod in natura insertum est tam tenaciter, non indiget admonitione doctrinæ: naturalius autem &* PROPENSIVS DILIGIT HOMO DEVM, QVAM SE IPSVM, *quare igitur dilectio Dei cum sit naturalior expresse præcipitur, & non sui? Vtique peccatum in causa est, quando oculos anima à Deo diuertit, & in seipsum fixit: totumque amoris torrentem, qui in Deum impetuosè fluebat, in seipso stagnauit. Non ergo tali opus fuisset expressione præcepti, si natura in ea puritate mansisset, in qua condita est, & ea polleret gratia & iustitia qua pollebat in principio. Vnde non legitur homini à prima conditione conditor ipse tale aliquid verbo aut scripto tradidisse, quia videlicet in id ipsum præpeti volatu ferebatur naturæ integritate, & iustitiæ perfectione, quasi duabus alis adiutus: nec alijs calcaribus indigebat, cui lex amoris intimè, & maximè à conditore esset & inserta & infusa*.

157 Stati ligni esum homini statim ac homo est conditus, inhibitum legimus, vt statim ad obedientiam informaretur: *Deus*, inquit Sanctus Bonauentura apud Lippomanum, *prohibuit homini esum illius ligni propter meritum* OBEDIENTIÆ. Tanti hæc virtus à Deo fit, vt illi totam sanctitatis molem imposuerit.

Vnum Deus negat, qui omnia iam concesserat. Idem præsules præstent aliquid prohibituri, quæ possunt indulgeant. Benè Rabanus huc spectans: *Qui ab* VNO BONO SVBDITOS *vetat, necesse est, vt* MVLTA COMEDAT, *ne iacens ab omnibus repulsa, quasi ieiuna intereat*. Plerumque qui omnia negant eò rediguntur, vt nihil obtineant.

Vnam à primis parentibus obedientiam exigit, cur non aliarum quoq; virtutum experimentum in illis fecit? An quia in vna obedientia omnes aliæ virtutes latent? An quia frustra aliarum virtutum exercitium ab eo exigas, qui obedientiæ non litat?

Abstinentiam à ligno scientiæ boni, & mali 158
Deus indixit, sed quando? cum adhuc in statu innocentiæ essent, ne quis deinceps crederet ieiunium, & abstinentiam in pœnam peccati institutam, & non potius in virtutis exercitium. ABSTINENTIA *ab aliquibus cibis*, inquit Porrecta, *est ad ita Deo* GRATA, *vt in Paradiso quoq; eam sub præcepto, non consilio homini intimauerit*. Præterea in innocentiæ statu abstinentia præcipitur, vt qui deinceps seruaturus ieiunium esset, studeret quàm proximè posset ad innocentiam illam accedere, & ab omni grauiori culpa mentem purgare.

Cur arbor ista scientiæ boni, & mali appellata est? Sanctus Augustinus in Psal. 70. ita nodum soluit: *Arbor illa appellata est scientia dignoscendi boni & mali, non quia inde talia quasi poma pendebant, sed quicquid esset arbor illa cuiuslibet pomi, cuiuslibet fructus esset: ideo* SIC VOCATA EST, *quia homo qui nollet bonum à malo discernere per præceptum discreturus erat per experimentum, vt tangendo vetitum, inueniret supplicium*.

Cur non maiora iniunxit Deus Adamo, quàm vt ab vnius ligni fructu abstineret? Vt paulatim per faciliora duceret ad grandiora, *non sinit ipsum*, inquit Moses Barcepha, *rebus* MAIORIBVS *animum suum occupare*. Frustra maxima ab illo expectes, qui in minoribus deficit.

Lignum scientiæ boni, & mali. Non quod ar- 159
bor ipsa scientiam boni, & mali haberet, vt comedenti affricaret, sed quia eius esu discere per experientiam poterat, quam magnum obedientiæ bonum esset, quàm magnum inobedientiæ malum, Scitè Honcala. *Ab accessione igitur pœna inferenda diuinam iussionem transgressuro dicta est scientia boni maliq; arbor, quia illam tolerando pœnam, reipsa expertus est quantum* BONVM SIT OBEDIENTIA, *quantumque sit inobedientia malum. Porrò, sicut hortus ille arbustis erat amanus, sic erat & aquarum abundantia irriguus*.

Sed cur, reponat aliquis, in Paradiso locata illa arbor fuit, si ex illius fructu vesci homini non licebat? An vt sic seruum se esse proderet, & sciret illius esse parêre, non iudicare? Scitè Sanctus Augustinus: *Homo positus sub præcepto, audiuit à Domino Deo, noli tangere: quid? hanc arborem: quid est enim illa arbor? Si bona est, quare non tango? Si mala est, quid facit in Paradiso? prorsus ideo est in Paradiso, quia bona est: sed nolo tangas: quare non tango? quia obedientem te volo, non contradicentem seruum: ad hoc serue, sed noli male serue*. SERVE AVDI PRIVS IVSSVM, ET TVNC IVBENTIS DISCE CONSILIVM. *Bona est arbor, nolo tangas: quare? quia Dominus sum, & seruus es: hæc*

tota

tota cauſa eſt. Si parua eſt, dedignaris eſſe ſeruus. Sic ille in Pſal. 70.

Morte morieris. Cur non potius minatur quod eſt grauius, pœnam ſcilicet flammarum gehennalium? Licet, inquit Pererius, pœna inferni reipſa grauior ſit, quam mors corporis, comminatio tamen CORPORALIS MORTIS, acrior eſt & vehementior ad commouendum hominem.

Morte morieris. Et tamen poſt eſum pluſquam nongentos annos Adam vixit: Mortem Deus vocat neceſſitatem, ac debitum mortis. Quam aliter de morte homines, & Deus ſentiunt! Deus de morte poſt tot annos futura ac ſi eſſet præſens dixit: *In quocumque die comederis, morte morieris.* Homines MAXIME PROXIMAM, AC VICINAM ita reſpiciunt, & de ea loquuntur, ac ſi nunquam eſſet futura.

Morte morieris. Cur non nudè, ſimpliciuſq;
160 dictum *morieris?* Nunc primo mortis fit mentio; Primus Deus de morte loquitur, primus hac vtitur formula, vt mortis futuræ certitudinem ſignificaret, ſciebat quippè maximi eſſe momenti, ſi certam timerent mortem legis temeratoribus indictam.

Morte morieris. Et non poterat alias calamitates minari, Paradiſi carum deliciarum priuationem, tot corporis morbos, afflictionesq; quæ peccatum fuere conſecutæ? Nihil aptius, nihil efficacius à malo debet hominem auocare, quam mortis memoria. *Mortem minatus eſt*, inquit Procopius, *vt Adamum, eiuſque poſteros ad* MODESTIAM, *&* VIRTVTEM *pertraheret.*

Morte morieris, ſeu vt Tertullianus legit, *morte moriemini;* addit ad explicatum lib. 2. aduerſus Marcionem cap. 4. *Benigniſſimè demonſtrauit exitum tranſgreſſionis, ne ignorantia periculi,* NEGLIGENTIAM IVVARET OBSEQVII. Scilicet mors ſeriò cogitata negligentiam euertit, torporem tollit.

161 Quam felicior ſit noſtrorum martyrum ſors hinc colligit Sanctus Auguſtinus lib. 13. de Ciuit. Dei cap. 4: *Nunc maiore & mirabiliore gratia Saluatoris in vſus iuſtitiæ, peccati pœna conuerſa eſt: Tunc enim dictum eſt homini, morieris ſi peccaueris:* NVNC DICITVR MARTYRI, MORERE NE PECCES: *tunc dictum eſt. Si mandatum tranſgreſſi fueritis, morte moriemini. Nunc dicitur, ſi mortem recuſaueritis, mandatum tranſgrediemini, quod tunc timendum fuerat, vt non peccaretur: nunc ſuſcipiendum eſt ne peccetur. Sic per ineffabilem Dei miſericordiam, & ipſa pœna vitiorum tranſit in arma virtutis, & fit iuſti meritum etiam ſupplicium peccatoris: tunc enim mors eſt acquiſita peccando, nunc impletur iuſtitia moriendo.*

Poſt præceptum mortem homini ante oculos propoſuit, *vt illa*, inquit Sanctius, *eſſes cuſtos, & pædagogus eius.* Quod verſutus hoſtis cogitans, hæc ſecum verſabat; *dum iſti* MORTIS MEMORIAM *habuerint, peccatum quodlibet ſubterfugient.* Studuit ergo omnem mortis memoriam ab eorum mentibus auellere, vt poſſet peccatum in eorum anima implantare.

Sectio VIII.

Sanctorum numerum innumerum, vt *Deus* ſtatim cogitauerit. 162.

Vnionem Hypoſtaticam, vt *Deus* ſtatim ſpectarit.

Beneficia non caſu, ſed diuino conſilio nobis obtingere *Deus* ſtudet. 163.

Vxor à *marito* non longè abeat.

Fæmina tota in viri *adiutorium* facta.

In *dignitate* pares ægrè homines admittunt, niſi *vtilitas* & commodum accedant. 164.

Vxor conformare ſe *viro* debet.

Mariæ *ſexus* ob *Mariam* viri adiutorium.

Humanis *auxilijs* nimis *fidendum* non eſt. 165.

Vbi iuncta viro *mulier*, abiunxit ſe à *Deo* vir.

Subditorum ingenia, & ſtudia ex præſentia non ex relatione *ſuperior* cognoſcat.

Adam ante peccatum beſtiæ tanquam Dominum agnouerunt, ſecus poſt *peccatum*. 166.

Obedientia exemplum ſtatim homini *Deus* obiecit.

Piſces cur minimè ad *Adamum* ducti.

Superioris præſentia *ſubditis* ad vitam, non ad mortem.

Fructus *orationis mulier* vt fuerit. 167.

Vel *brutorum* conſpectu in Dei *amorem* duci homo debet.

Praeſſe non audeat qui *ſubeſſe* non didicit.

Deus plura *donat*, quàm dicat. 168.

Ad Dei *laudem* vrgere *mulier* virum debet.

In Dei *amorem* rapi *vir* debuit animalia ſpectans.

Facilè *labitur*, qui facilè alios *indicat*; & pro libito rebus nomina imponit. 169.

Homo ſibi non vileſcat, nec *animam* vili oblectamento vendat.

Cur *nomen* ab Adamo accepturæ *beſtiæ*, ad illum ſe contulerint.

Vt quilibet in ſe ipſo *beſtijs* terræ dominetur, & cœli *volucribus* imperet. 170.

Ad *gratias* Deo agendas vt *homo* ſtatim ſit ſtimulatus.

Neceſſitatem creandi *mulierem* vt ſtatim *Deus* homini obiecerit.

Dixit quoque Dominus Deus, non est bonum esse hominem solum.

162 N*On est bonum esse hominem solum*. Hic non nudam mulieris formationem Deus cogitauit, sed sanctorum numerum innumerum, quos ex primis parentibus futuros præuidebat. Tetigit istuc ex Ruperto Lippomanus dum ait: *Non est bonum, non est utile, non conducit ad propositum nostrum esse hominem solum. Proposuimus enim præscitos & prædestinatos de primo homine propagare sanctos, imagini ac similitudini nostræ conformes futuros. Ergo ut propositum illud impleatur, faciamus ei adiutorium simile sui. Adiutorium (inquam)* AD MVLTIPLICANDAM PRÆDESTINATAM PROGENIEM SANCTORVM.

Non est bonum hominem esse solum. Noluit Deus creatum hominem sentire solitudinis molestias, optabat alterum alteri adiutorio esse, se se inuicem in Dei amorem acuere. Solitudinem in Adamo non tulit Deus, iam tunc cogitabat de Verbo, quod humanæ naturæ vniretur, ne homo solus homo esset, sed esset & Deus. Peritè Anastasius Sinaita: *Dixit*, inquit, *Dominus Deus: Non est bonum hominem esse solum. Et propterea* EI VNITVS EST DEVS VERBVM, *ut non sit amplius homo solus, sed cum Deo totus, non solum in una quadam hypostasi, sed etiam et per virtutem vnitus.*

Faciamus ei adiutorium simile sibi.

163 F*Aciamus ei adiutorium simile sibi*. Hæc verba Adamo audiente à Deo dicta sunt qui putent. Sed cui rei? An vt beneficentiam suam porrigeret? An ne casu datam homini mulierem homo crederet, sed diuino consilio: Adamo facto, inquit peritus ille auctor, & in Paradisi amœnitate constituto, dixit alta, & clara voce Dominus: Faciamus ei adiutorium simile sibi. Et cur necessum fuit hoc coram Adamo à Deo dici? Si tantum illi adiutorium facere volebat, fecisset tacitus, vt tacitus fecit vniuersa bona Paradisi. Cur noluit adiutorium illud tacitus facere, sed de faciendo illo, & præstando claram, & manifestam vocem emisit, quæ posset ab Adamo audiri? Noluit sapientissimus Dominus, vt tam gratum, & vtile adiutorium repentè Adamo obueniret, sed maluit de tanto bono præmonere hominem, vt sic duplicaretur beneficium; dum eius gaudium non SVBITO, sed MORDSTVS præcipitur.

Simile sibi. Aliqui vertunt, *quod sit coram eo*, vt statim moneatur vxor à marito non longè abire, vt adiutorij titulum sustineat. Benè ille: Vbi nos legimus: *Faciamus ei adiutorium simile sibi*. Alia translatio habet; *Faciamus ei adiutorium, quod sit coram eo*. Denotans in hoc, quod quantum fieri poterit, VXOR NVNQVAM DEBET A VIRO PROCVL ABESSE. Si prima mulier coram viro suo stetisset, nec ab eo recessisset, vt cum Dæmone loqueretur, proculdubio quod effecit, nunquam fecisset. Ecce quantum ex sermone fœminæ cum eo, qui non erat vir suus, vniuerso mundo aduenerit detrimentum. Hoc vtique singulare consilium est, nam vir plurimos ludos, plurimas turpitudines, plurima denique peccata vitabit, si cum vxore sua perstiterit, vxorque plurimas effugiet miserias, si cum viro suo fuerit conuersata. Vnde legitimus sensus horum verborum, quod sit coram eo, est, vt assiduè vterque inuicem conuersentur.

Faciamus ei adiutorium. Cur non expressius dixit: *Faciamus ei coniugem, aut vxorem?* An vt statim fœmina sciret se totam in viri adiutorium factam, vt quicquid est, quicquid habet, tota in viri adiutorium sit?

Daturus viro mulierem sub adiutorij titulo 164
illam illi Deus exhibet, vt tantæ dignitatis participem admitteret lubentius, cum audiret ita in consortium venire, vt veniret in adiutorium. Nimirum tam ÆGRE PAREM IN DIGNITATE ALIQVA HOMINES ADMITTVNT, VT NISI VTILITAS, ET COMMODVM ACCEDAT, id non facilè ferant.

Cur similis viro mulier dicitur, & non Deo, nodum ita soluit bonus quidam, licet nuperus auctor, dum ait: Notate hoc mysterium, scilicet illum hominem à Deo ad ipsius imaginem factum fuisse; dixit enim Deus, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, postea vero mulierem viro similem formauit, si quidem dixit, faciamus ei adiutorium simile sibi, & per consequens factum fuit ad similitudinem Dei. Verum attendite diuinum artificium, Etenim quia mulier Deo similis erat, voluit Deus vt hanc similitudinem haberet, & quod viro similis erat, voluit vt eius similitudo cum ipso PER CONFORMITATEM CVM HOMINE FIERET. Vt ex hoc vxor intelligeret ad conformandum se diuinæ voluntati valde necessarium esse in boni viri sui arbitrio adhærere: sciretque si voluntati viri sui repugnet, Deo etiam se fore discordem.

In adiutorium viri mulier est facta, non ab ea parte, qua peccauit, sed vt sexui initium dedit, in quo de Maria Dei mater erat futura: *Bonitas*, inquit Tertullianus, *finxit hominem; eadem bonitas adiutorium prospexit, non est enim bonum hominem esse solum; sciebat illi* SEXVM MARIÆ PROFVTVRVM. Sexus Mariæ in adiutorium viro fuit, sed præcipuè ob Mariam.

Adiutricem mulierem vix Adam accepit, 165
cum infeliciter per eam cecidit, fors nimium fidit tali adiutorio. Hinc illud Sancti Ambrosij: *Quia* ADIVTORIVM *vxoris habiturum se esse credebat*, LAPSVS *est propter vxorem*. Humano auxilio qui nimium fidit, facilè cadit.

Cum solus Adam esset adhærebat Deo, vbi iuncta illi mulier fuit, abiunxit se à Deo. Ita Sanctus Ambrosius epist. 42. *Solus erat Adam, & non est prævaricatus, quia mens eius adhærebat Deo. Postquam vero ei* MVLIER ADIVNCTA EST, NON POTVIT INHÆRERE MANDATIS COELESTIBVS, *& ideo se abscondebat*

quando

quando Deus dambulabat in Paradiso. Scilicet qui nimis vxori hæret, ægrè hærere Deo potest.

Hominem hominis causa factum ex his verbis colligebat Sanctus Ambrosius lib. 1. offic. cap. 28. *Hominem quoque hominis causa generatum esse in libris Moysi reperimus, dicente Domino: Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adiutorium simile sibi. Ad adiumentum ergo mulier data est viro, quæ generaret, vt homo homini adiumento foret.*

Adiutorium non inuenit sibi Adam, inuenit & exhibuit illud Deus; sed cur istuc? vt hoc beneficio hominem sibi magis deuinciret. Ita loquitur bonus ille auctor, dum ait: *Noluit Deus, vt Adam adiutricem, aut comitem inueniret: volebat enim ipsemet illam ei dare, quo illum hoc beneficio arctius deuinceret.*

Adiutorium Deus homini parauit, sed ita, vt ipse quoque, costam exhiberet, *ne putet homo*, inquit peritus ille auctor, *sibi ex Deo ventura efficacia adiutoria, quibus ipse ex propria substantia non coöperetur, & magnum non prabeat sui sumptum*. Nimirum adiuuari qui quærit, præstet ipse quod potest.

De prima muliere dictum est. *Faciamus ei adiutorium simile sibi*. Similiter vt homo Dei adiutor dicatur similis sit Deo, quantum homini licet, sit. Scitè Vgo Carensis: *Adiutorium sunt prælati, & prædicatores. 1. Cor. 3. Dei adiutores sumus. Sed non est verus adiutor, qui non est similis ei. Fecit enim adiutorium simile sibi.*

Formatis terræ animantibus ad Adamum ducuntur, sed cui rei? vt videret quid vocaret ea, & non poterat etiam absentibus nomen imponere? non aptum, non aptè? *Quanto magis*, inquit bonus ille auctor, *rationi est consentaneum vt pastor oues proprias cognoscat, earum curat gerat, & tunc nominatim vocet?* Pergit & rem scito explicat exemplo: *Debet ergo Prælatus velut Struthio, qui oua sua aspiciendo fouet, soloq; aspectu ab ouis fœtum haurire fertur, quæ si intueri desinit inania redduntur; sic subditi oculis prælatorum sunt fouendi, vt eos ad bonum quotidie excitent, & ad bonorum operum conceptum, formationemq; vrgeant.*

Omnia ad Adamum addncta animalia fuerè, vt ex illis cognosceret se omnibus esse præpositum, vtq; ab illorum obedientia disceret, Dei præceptis obedire. Cum tàm propriè tamq; ordinate se Adamo animalia sisterent, par erat ne fineret se ab illis vinci. Adducta præterea fuere; vt videret *se honore omnibus esse præpositum*, inquit Ferus, *Itemq; vt ostenderetur, quanta sapientia præditus esset homo; ne putaretur postea ex ignorantia peccasse.*

Animantia duci ad Adam voluit Deus, vt hinc superiores discerent oues suas cognoscere. Peritè ille: *Vbi excellens documentum præstitit, videlicet, pastorem, idest prælatum subditos debere cognoscere. In sacris litteris sic legitur. Formatis Dominus Deus cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea. Ex quo scilicet, cum Deus Adamo primo parenti iussit, nomina bestijs terræ, & auibus cœli imponere, ea oculis prius videre voluisse, apertissimè significatur. Quanto igitur magis ipse Deus vellet, vt pastor oues suas & cognoscat & videat, & proprijs nominibus vocet.*

Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam.

Adduxit ea ad Adam. Quid erat necesse ab Adamo videri, cui antea diuinitùs infusa fuerat omnium notitia? *Vt exploret*, inquit Lippomanus, *ingenia, & studia eorum*. Quod rectè ad superiores peritus quidam auctor trasfert cuius hîc verba implanto, & sunt ista: Videlicet Adamus omnium animantium Præses, non ex lubrica, & fallaci aurium relatione, neque ex referentium notitia quantumuis veraci: sed ex præsentia, (quandoquidem id fieri potest) & corporali intuitu, subiectorum ingenia & studia exploret. Probè Adam nouerat omnium naturas, at singulorum proprietates: sed nescio quid arcani inest CORPORALI SVPERIORIS VISIONI, PRÆSANTIÆ, ET CONVERSATIONI, VT SVBDITORVM INGENIA, ET STVDIA, quæ mens cogitando non assequitur, citiùs, & certiùs videndo penetret. Nomen & famam subditis dare, res est corporalis visionis, & præsentiæ. Vnde ad omnium Præsidem Adamum instinctu quodam adducuntur, vt exploraret ingenia, & studia eorum. O pernecessariam Gubernatoribus eruditionem, de Paradisi gymnasio ediscendam.

Facilè ad Adam adductæ bestiæ fuerunt, quem, quia nondum peccauerat, tanquam Dominum agnouêre, seruum putarunt, peccati seruum dum se fecit. Idem sic explicat Sanctus Chrysostomus in Psal. 3. *Adam cum nondum peccasset, bestias tanquam seruas & obedientes habentem, & eis tanquam seruis nomina imponentem: postquam autem aspectum peccato commaculauit, & tunc* BESTIÆ EVM NON COGNOSCEBANT, *& quæ seruæ erant ei, hostes euaserunt, & quemadmodum canis qui in domo est, ei seruit, qui eum alit, & eum timet ac reueretur, sed si eum repente vultu fuligine atrate vel personatum, aggreditur tanquam alienum, & cogitat eum dilacerare: ita etiam Adam quamdiu purum seruauit vultum factum ad imaginem Dei, bestia ei tanquam seruæ parebant: quando autem vultum fœdauit inobedientia, non agnoscentes Dominum, tanquam alienum eum odio habebant.* 166

Adduxit ea ad Adam. Ad formatum iam hominem formata animalia Deus perduxit, vel *ministerio angelico*, ait Litanus, *vel suo imperio*. In vtroque promptæ parentiæ exemplum spectare potuit. O ita Dei nuribus homo paruisset, vt bruta animantia paruêre.

Terrena animantia ad hominem fuêre ducta, non ducti pisces, *quia non possunt aquas dimittere*, inquit Sanctus Thomas, *ideo commodè venire non potuerunt. Vnde fuerunt eis nomina imposita postmodum cùm paulatim venirent ad hominum*

minum notitiam : & similitudinem haberent ad animalia terrestria. Sicque innueretur præsentiam superioris subditis ad vitam esse debere, non ad mortem.

167 *Adduxit ea ad Adam.* Vt statim homo intelligeret ad humanam propagationem fœminam deesse, eamque à Deo precibus postularet, fructusque orationis mulier esset. Adduxit animalia ad Adam, vt cognosceret se adiutorio indigere, *utque futuræ mulieris*, ait Catharinus, *creationem ardentius expeteret, eamque à Deo religiosa quadam* SVPPLICATIONE INSTANTIVS POSTVLARET. Sicq; gratius hoc donum esset, quò vehementius esset expetitum.

Adduxit Deus cuncta animalia ad Adamum, vt ipse animalium aspectu duceretur in Deum, Deum diligeret videns se illis omnibus præstare. Hinc B. Alcuinus interrog. 55. quærens: *Cur voluit Deus, vt homo cunctis animantibus nomina imponeret?* Respondet statim. *Vt homo intelligeret seipsum, quanto melior esset cunctis animantibus, ex rationis discretione:* ET EO MAGIS CONDITOREM SVVM DILIGERET, *quò se meliorem alijs viuentibus intelligeret.*

Animalia adduxit Deus ad Adam; vt eius imperio subiecta indicaret. Rectus ordo, nec mysterio viduus, postquam præcepto Adamum ligauerat, & coërcuerat, imperium eius quàm latè porrigatur Deus ostendit vt innueret, illum ritè imperare alijs, qui Deo paret. Scilicet obedientia, quam quisque Dei iussibus debet regula quædam regiminis esse potest, non in animantia, sed quod est maius, in homines. Huc facit illud Sancti Gregorij Magni: PRÆESSE NON AVDEAT, QVI SVBESSE NON DIDICERIT, *nec obedientiam subiectis imperet, quam prælatis non nouit exhibere.* Imperium habere non meretur, qui non paret.

168 In Paradiso animantia omnis generis fuisse non est dubium, cum id summa illius loci perfectio exigat, quod ex illo colligitur, cum dicitur animantia omnia adducta fuisse ad Adam, vt nomen illis imponeret. Quid de volucribus? Etiam hæ in Paradiso fuere, licet scriptura non explicet; SOLET NIMIRVM DEVS PLVRA EXHIBERE, QVAM DICAT, & plura dat, quàm explicet, contra ac homines facere soleant, qui pauciora re ipsa exhibent, quàm promiserint.

Omnia animantia adducta fuerunt ad Adam, *vt homo*, inquit Sanctus Thomas, *probaret sensibiliter, quod nullum sufficiebat sibi* AD DEI LAVDEM, *nec ad amicitiam socialem.* Vt ob id condenda mulier fuerit, cum qua homo in Dei laudem vrgeretur, & à qua excitaretur.

Adduxit ad Adam omnia animantia Deus, vt in illorum comparatione honorem, ac dignitatem suam videns, in Dei amorem raperetur. *Quid*, inquit ex Ruperto Lippomanus, *in hoc tanto studio Dominus intendit, nisi ostendere homini, vt intelligeret honorem suæ conditionis, quod nihil sibi compar esset in iumentis; siue cæteris animantibus cuiuslibet generis?* HOC ENIM AD AMOREM CREATORIS RATIONABILE HOMINI PROFICERE DEBVIT, *quod congregatis omnibus coram se, ipse absque dubio polleret honore singulari, non solum secundum priuilegium rationis, verum etiam secundum figuram corporis, quia cum cuncta videret humi prona, siue quadrupedia, caudamque trahentia, aut etiam toto corpore repentia, solum se recta statura, liberoque pectore principatum omnium obtinere gloriari poterat, si in domino Deo suo gloriari voluisset.*

Cum agitur de imponendo nomine animantibus ipsis, animantia ipsa Dei iussu ad 169
Adamum pergunt, ne videretur se huic muneri obtrusisse; quod cauere detractores deberent, qui sola acti curiositate alienos inuestigant mores, alijsque nomina pro libito imponunt, vt non mirum si errent frequenter. Bellè ille: Non se immiscuit Adam imponendis nominibus; sed iussu Dei volucribus, & animantibus nomina indidit: vnde subdit: Omne enim, quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius. Etenim, qui non requisiti, non rogati se ingerunt ad dandum nomina rebus, frequentiùs errant, & id, quod bonum est, mali nomine compellant: nigrum album vocitant. Vnde detractores, qui alienis rebus DIIVDICANDIS SE IMMITTVNT, facilè labuntur.

Omnia animantia ad Adam adduci Deus iussit, vt singulorum adspectu se omnibus superiorem disceret, sicque non adeo sibi vilesceret, vt vellet se brutis culpa reddere parem. Adduxit omnia, inquit ille, ad Adam, vt eminus expectoraret, & naturas abditas rimaretur, easque datis nominibus circumscriberet, vt hac ratione planum ipsi fieret quantum reliqua superaret, & hac ratione se PLVRIS FACERET, NEQVE PRO VILI OBLECTAMENTO SE IPSVM ANIMAMQVE SVAM DIVENDERET, ratus Deus se hac ratione hominem contra Dæmonis astus armare.

Omnia animantia ad Adamum se contulerunt, nomen ab eo acceptura, vt vel sic eum vt imperatorem ipsorum testarentur. Festiuè ille. Penè imperium cum conditore partitus, ille procreator, tu nomenclator; TANQVAM IMPERATORIS TESSERA brutis est data, cum accurrerunt acceptura nomen, quod militiæ darent tuæ. Omnia quæ in terra sub Adami vexillo militassent, nisi bellum Adam intulisset Cœlo.

Adduxitq; ea ad Adam. Tanquam ad omnium Dominum; omnia parebant in omnibus 170
Deo parenti. Qui nunc quoq; in se ipso quilibet bestijs terræ dominetur, cœli volucribus imperet & maris pisces regat, peritè explicat Guilielmus Abbas in medit. *Non te pœniteat donatæ homini dignitatis, vt sim super bestias terræ meæ, truces & indomitos motus animæ meæ, & reptilia cogitationum humi repentia, & de veneno terræ, cui iugiter inhærent noxia, vel mortifera,* PISCES MARIS, ET VOLVCRES COELI, *cogitatus scilicet de spiritu huius mundi, curiosa sæculi, altitudinemq; diei huius scrutantes & sectantes,*

tes, iumenta & sensus istos corporis, ad hoc vt secundum nomen suum iuuent nos, nobis concreatos. Da nobis, quia ea dedisti nobis, vt patiantur frænum rationis, Zeli boni stimulos, stabulum disciplinæ vbi suis cibis pascantur & nutriantur, producenda ad vsum cum res exegerint: non autem sylvescere permittantur in latitudine publici erroris.

Sed cur adducta ad Adam omnia animalia? non vt eorum cognitionem tunc primum acciperet, hanc enim à Deo inditam habebat: *Voluit Deus*, inquit Pererius hic, *ante Adamum sisti & oculis eius subijci animalia, vt ex eorum aspectu & contemplatione atque comparatione cum sua ipsius natura, perspicuè agnosceret quantum illis differret ac præstaret ipse, quantoque plura & excellentiora dona accepisset à Deo, ob eamque causam ad laudes Dei celebrandas*, GRATIASQVE PERPETVO EI AGENDAS *vehementius incitaretur.* Addit & rationem aliam: *Ad extremum*, inquit, *vt cernens in singulis animalium speciebus esse marem ac fœminam; idem quoque in humana specie fieri oportere intelligeret*, NECESSITATEMQVE CREANDI MVLIEREM FVTVRAM *sibi ad generationem prolis adiutricem planè perspiceret, & vt placet Catharino, ardentius procreationem eius expeteret, ac vehementius religiosa precatione à Deo postularet.*

Sectio IX.

Perstricti qui suorum *curam* negligunt. 171.
Homines honorandi, sed *honor* hominum non quærendus.
Curiositas vitanda.
Homo circa *titulos* & *nomina* occupatus rem ipsam negligit. 172.
Plus quam *homo* qui *humiliter* de se sentit.
Hominis *perpetuitas* à *Deo*.
Sui ipsius *cognitio* quàm *difficilis*. 173.
Ineptus aliorum *superior*, qui *imperium* non habet sui, nec pietati & innocentiæ litat.
Iuris sui *limites* nemo excedat.
Mens ægrè *cognoscere* se potest. 174.
Bestijs similis, qui *vitijs* seruit.
Cur à *vigilante* Adam *costa* sumpta non fuerit.
Mulier caueat ne *virum lædat*.
Rerum diuinarum *contemplatio* & *coniugis* cura possunt inter se conuenire. 175.
Qui ad interiora *intelligenda* rapitur rebus *visibilibus* oculos claudat.
Matrimonium initurus cœlestia *meditetur*, à terrenis mentem abstrahat.
Iudicium nostrum sæpè vacillat cum *nostra* iudicamus. 176.
Mulieris dignitas, quod ex *dormiente* viro prodierit.
Deus nostris rebus *consulit* cum nec cogitamus.
Mulieres sæpè *virorum* mentes deprimunt.
Difficile ab *homine* aufertur quod ad eius *ius* spectat. 177.
Inter *fœminas* tuto qui cupit viuere inter *Angelicos* spiritus mente degat.
Ab aliorum *lapsu* discamus non *cadere*.
Suis *sensibus* non credat, qui *vxorem* ducit, nec solam corporis *pulchritudinem* spectet. 178.
Vnanimitas vt seruari possit.
Mulier ex *latere* viri cur formata, non ex alia materia.
Amor viri in *muliere* minimè peregrinetur.
Mulieris consuetudine virilis *constantia*, labefactatur.

Vt videret quid vocaret ea.

VT *videret quid vocaret ea*. Vt hinc illorum pastorum incuria arguatur, qui ouium suarum nomina ignorant, illarum negligunt curam, quod sic expendebat Oleaster: *Arguuntur hoc loco Domini, qui* SERVORVM SVORVM NOMINA SCIRE DEDIGNANTVR, *& illorum curam negligunt. Tam peculiaris enim debet esse seruorum apud Dominum cura: vt non modo seruorum, sed omnium etiam iumentorum nomina sciat. Quod si Dominus voluit Adam animalium, & pecorum nomina scire, quid facient pastores, qui hominum scire nomina negligunt, ouesque sibi commissas vix in vita semel viderunt.* 171

Cæteris animantibus nomen Adam imposuit, non imposuit sibi, tectè innuens, nostrum esse honorare alios, vt tamen nomen nostrum, gloriamque non quæramus. Aptè ille: Licet opus bonum sit laude dignum, vult tamen Deus vt cum honorem ab ipso expectes, velut eius causâ & fonte. Sic voluit vt Adam imponeret nomina animalibus brutis, non tamen sibi ipsi, sed ipse ei nomen imposuit, quia vult vt alios quidem HONOREMVS NOSTRVM TAMEN HONOREM, titulum & nominis celebritatem ab ipso capiamus.

Vt videret quid vocaret ea. Signatè hoc postremum est additum, nec nudè dictum *vt videret ea*, ne aliqua curiositate laborasse crederetur. Opportunè Sanctus Bernardus serm. 2. in septuagesima: *Denique adducta sunt animalia ad Adam, vt videret quid vocaret ea, non ipse* ALIQVA CVRIOSITATE *ductus est vt videret ea.*

Appellauit Adam nominibus suis. Deus substantiam dedit, nudum nomen homo; à primo homine hoc solum homo didicit circa titulos, 172

ac

ac nomina occupari, res ipsas negligere. Ecce tibi, inquit bonus ille auctor hæc verba expendens, fines potestatis diuinæ, & potestatis humanæ, potestas diuina est quæ dat substantiam, quæ facit vt res vere sint, potestas autem humana non id potest, sed CIRCA TITVLOS, & nomina confingenda versatur.

Animantibus, non sibi nomen vis primus imposuit; alioquin non se à terra *Adamum* vocasset; plusquam homo est qui HVMILITER DE SE SENTIT, nec in se videt nisi vile, nisi terram, nisi nihil.

De nominibus ab Adamo animantibus impositis hæc habet Sanctus Chrysostomus hom. 14. in Genesim: *NOMINA quæ imposuit illis, vsque in hodiernum Diem permanent, ita enim hæc FIRMAVIT DEVS, vt perpetuam habeamus memoriam, quem honorem initio, cum adhuc obediens esset Adam, à Domino omnium accepit, & ablati huius causam illi adscribamus, qui peccato suo hanc suam potestatem mutilauit.* Nimirum nominis perpetuitas à Deo est, & nisi illam Deus firmet, perit.

173 Aliis rebus nomen imposuit Adam, cur non sibi? Docere, inquit pius ille doctor, nos primus ille parens voluit SVI IPSIVS COGNITIONEM, ADEO ESSE DIFFICILEM, & philosophiam tam sublimem, vt facilius rerum quantumuis abstrusarum naturam, quam nos ipsos possimus cognoscere.

Non casu accidit, vt Deus voluerit ab Adamo nomina animantibus imponi non post lapsum, sed cum adhuc in innocentiæ arce staret, vt innueret superioris notam esse cæteris sanctitate prælucere, adeo vt ineptum sit subditos habere, qui sui non habet imperium. Ante lapsum, inquit probæ notæ auctor, nomina indidit Adamus creaturis omnibus, & tanquam subditas aptis vocabulis insigniuit. Quod pulchrè à Deo factum est; quia ille aptius est ALIIS IMPERITARE, & aptis appellationibus vocitare, qui iustitiam, & pietatem seruat, si verò PIETATEM non colat, vix poterit subditos in officio continere, aut vtiles leges ferre.

Animantibus nomina Adam imposuit, cur non astris? An ne imperium suum nimis extenderet? A Deo nomen accepere, quæ in Cœlo, ne nimium sibi homo vsurparet. IVRIS SVI LIMITES NEMO EXCEDAT, nec ad ea imperium, & dominium suum extendat, quæ extra illud, supra istuc sunt.

174 Legimus Adamum rebus aliis nomina imposuisse, non sibi, nimirum, facilius est alia cognoscere, sui ipsius cognitio difficilis est. Philo lib. 1. Legis Allegoriarum ita loquitur: *Quarendum, cur qui reliquis omnibus imposuit nominà, sibi nullum imposuit. Quid igitur dicendum?* MENS QVÆ INEST NOSTRVM VNICVIQVE CÆTERA POTEST COMPREHENDERE, SE IPSAM NOSCERE, NON POTEST, *quemadmodum enim oculus alia videt, seipso non videns; sic & mens intelligit alia, seipsam non comprehendit.*

Nomina dum Adamus imponit bestiis nullum inter illas inuenit adiutorium sibi simile; nil mirum nondum peccauerat. Quomodo, inquit bonus ille auctor, inter bestias simile sibi inueniet, qui bestialibus affectibus nouit imperare; sanè non qui imperat, sed qui seruit affectibus bestialibus, IS SOLVS BESTIIS ASSIMILATVR, & totus in bestiam abit.

Immisit ergò Dominus Deus soporem in Adam, cumq; obdormisset tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea.

Immisit Deus in Adam soporem, & in cœlestia eius mentem rapuit; cum de muliere agitur tota mens migrare in cœlum debet. Censent aliqui non fuisse à vigilanti costam ablatam, ne læderetur. Vgo Victorinus annot. in Genesim cap. 7. ait: *Immisit ergo soporem in Adam; hoc ideo factum est, ne si vigilanti auferret costam,* VIDERETVR DEVS EVM LÆSISSE; *Nunc vero ita leniter eam sumpsit, quòd nec etiam dormientem excitauit;* Sed auferre à vigilanti Deus costam poterat, absq; eo quòd dolorem aliquem sentiret, & absq; eò quod læderetur. Interim mulier à sui formatione discat, sui esse muneris virum non lædere, nec dolore aliquo afficere, eum Deus id cauerit ex viro, eam formans.

Et in ecstasim rapitur Adam, & vxor illi paratur, ne quis crederet rerum diuinarum contemplationem, & coniugii solicitudinem inter se minimè cohærere. Ecstasis, inquit doctus ille auctor, immittitur Adamo, qua, vt ex Augustino, & Eucherio vidimus, rapitur vsque ad Angelicam curiam, & simul ex eius costa vxor fit illi, & facta adducitur marito. Quid mirabilius? Simul dantur Adamo ecstasis, & raptus diuini, & vxor; NE PVTENTVR VXORATI EXCLVSI AB ALTO CONTEMPLATIONES DIVINÆ, possunt enim & qui in cœlestia rapiuntur, descendere etiam, vt vxoribus conuiuant. Vtiliter hunc Adami soporem versat Sanctus Gregorius lib. 30. Moral. cap. 12. vbi hæc habet: *Silentium nostrum bene etiam Adam dormiens figurauit, de cuius mox latere mulier processit: quia quisquis* AD INTERIORA INTELLIGENDA RAPITVR, A REBVS VISIBILIBVS OCVLOS CLAVDIT: *& tunc in semetipso, vel quæ præesse viriliter debeant, vel quæ subesse possint, infirma distinguit.* 175

Pro *sopore*, LXX. habent *ecstasim*, cum de nuptiis incundis agitur totus in Deum, in diuina rapi vir deberet. Benè ille: Sopor hoc loco mentis excessum significat; vt innuere videntur LXX. qui ecstasim transtulerunt: ERGO PRIVS QVAM ADAM MATRIMONIVM INEAT, CÆLESTIA MEDITETVR, ET A TERRENIS MENTE ABSTRACTVS, cælestia timetur; quo doceat omnes qui vxores ducunt, vt prius quàm matrimonium ineant, rem ad Deum deferant, vt ab eo lumen exorent, quo in re difficili instructi, non aberrent. Sunt enim plerique, qui brutorum animantium in mortem libidinis æstro ad connubia aguntur, neque

neque rem cum Deo tractant, quapropter infelices habent exitus.

176 Cur è dormiente Adam formata Eua fuerit hanc quoque causam reddidit Abulensis, ne scilicet eam vir cæteris animantibus nobiliorem hoc ipso crederet, quòd ex ipso formata esset; nam facilè nostrum iudicium vacillat cum nostra iudicamus, & quæ à nostra mente, à nostro calamo, aut alia ratione à nobis exiere. *Dormienti*, ait Abulensis, *ablata est costa, quia hoc pertinebat ad* OSTENDENDVM DIGNITATEM FOEMINÆ: *voluit enim scriptura ostendere eam digniorem omnibus pecoribus, & cæteris animalibus; nam ad hoc adduxerat omnia animalia ante Adam, vt videret si aliquod illorum erat conueniens ei in consortium, & nullum voluit: quando autem adducta fuit ante ipsum fœmina, acceptauit illam: & ita iudicauit illam digniorem omnibus animalibus, & tamen si videret Adam illam de se formari educendo costam de ipso: etiam si illa non esset excellentior alijs animalibus afficeretur ad ipsam, &* IVDICARET MELIOREM ALIIS, *vel eligeret, & sic ostenderetur conuenienter ex eius electione eam esse alijs nobiliorem*.

Cum alto sopore Adam corriperetur, adiutorium illi Deus parat, vt statim colligeremus, DEVM NOSTRIS REBVS CONSVLERE, CVM NEC COGITAMVS, nec sentimus. Felices, qui spem suam totam in Deum iactant, ne iactentur.

Legimus virum in exstasim raptum antequam ex eo mulier formaretur, non reperimus id in eo factum, ex quo ex illo facta est mulier, tanquam tectè doceremur, MVLIERES VIRORVM MENTES CVRIS, RERVMQVE TERRENARVM MOLESTIIS VIROS IMPLERE, raro ad diuinarum rerum meditationem illorum mentes vrgere. Ante Euam effertur Adæ mens, post Euam est depressa, quod in prima muliere accidit, frequenter accidit & in illis, quæ post primam.

177 A dormiente Adamo costam sumpsit Deus, quà Eua ædificaretur; cur non à vigilante? *Ostendit*, inquit Oleaster hîc, *quàm difficile* SIT AB HOMINE AVFERRE, QVOD ETIAM IN EIVS CEDIT VTILITATEM. *Filij Adam genus auarum, non sinunt sibi auferri, etiam quod sibi vtile est: quamobrem opus est ab eo subripere, quod ipse concedere negligit*.

Antequam fœmina formaretur ex Adamo sopor ei immissus, vt à sensibilibus remotus particeps fieret spiritualium, & inuisibilium: *Iste sopor*, inquit Sanctus Eucherius, *ad hoc intelligitur missus, vt ipsius mens per exstasim particeps* FIERET *A*NGELORVM; vt ita se pararet ad mulieris consortium; nimirum qui tuto inter fœminas cupit viuere, debet inter angelicos spiritus mente degere, & eos moribus referre, & vita.

In illo sopore putant aliqui Deum Adamo lapsum Angelorum pœnamque reuelasse, vt statim illorum exemplo disceret lapsum cauere. Catharinus: *Iudicia*, inquit, *reuelauit illis, nempè* TRANSGRESSIONEM PESSIMORVM SPIRITVVM, *& quomodo iudicauerat eos, & damnauerat*. Sed tamen cecidit, nec Angelorum pœna à culpa eum auocauit. Extremæ amentiæ est, à malorum punitione non discere ea cauere, quæ à nobis commissa puniantur in nobis.

Formatur Eua, vxorq; Adamo paratur, dum vir dormit, ne exterioribus sensibus quis credat, dum vxorem quærit ducere. Merito, inquit scitus ille auctor, in compingenda, & designanda vxore cauet Deus ab externis sensibus Adami, & illos facit dormire, vt sic solus Deus, & virtus credatur debere esse, qui coniugem ostendat viris, & designet. Cauit hominem Deus, CAVIT SENSVVM FALLACIAS, & ideo dormienti Adamo costam eripit. Euam effingit, & virium suarum fructum ipsi obijcit, ne ab alio quam Deo, & virtute edoceatur homo, quæ sibi sit vxor futura. Quæris homo vxorem? Vis eius indolem ediscere? Claude oculos tuos, ne ad pulchritudinem aspiciant; Claude aures, ne carnalium, & peccatorum audias consilia; fac omnes terrenos sensus obdormiscere, vnus tibi Deus loquatur, vna virtus menti præfigatur tuæ, & vxorem inuenies, qualem tu nec desiderare scires.

Quid necesse erat ex Adamo costam extrahere vt mulier formaretur? Numquid non suppetebat materia alia? aderat limo, ex quo formatum Adæ corpus; cur ergo minuitur Adami corpus? Curabat Deus, inquit scitus ille auctor, facere Adamo sponsam, cum qua vnanimiter viueret, ideò necessum fuit Adami minuere carnem, nisi enim diminutis, & circinatis carnalibus VNANIMITAS non conseruatur. 178

Tulit vnam de costis eius. E viri scilicet latere; sed cui rei? Gennadius in Catena Lippomani: *Volens*, inquit, *Deus ampliori charitate virum vxori coniungere, fœminam è latere viri formauit, vt quiddam æqualis honoris, vna tamen cum subiectione præ se ferret. Nam si costam ex anteriori parte eduxisset, quasi viro aduersariam mulierem effinxisset, si verò ex posteriori parte exemisset, nimio plus mulier vilis extitisset*.

Ex latere viri formatur mulier; cur non ex corde? cur non ex aliena materia? Pulchrè nodum soluit probæ notæ auctor, dum ait: Nimirum non formatur, ex alienâ materia, ne in ea AMOR VIRI PEREGRINETVR VELVT IN RE EXTRANEA: non accipit materiam è viri corde, ne totus amor in vxorem incumbens, reliqua oscitanter negligat: non è capite, ne de verticis sublimitate mulier insolescat: non è pedibus, ne squalidis cognata vestigijs, ignobilitate vilescat. Sed è latere viri formauit, vt quiddam æqualis honoris, vna tamen cum subiectione præ se ferret.

Repleuit carnem pro ea. Ac si innueretur per mulierem virilem constantiam labefactandam, vt quod os erat fieret caro. Hinc illud Isidori Clarij hic: *Costa ossea erepta carnis mollitiem induit Adam, &* EX MVLIERVM CONSVETVDINE VIRILIS *constantia imminuitur*.

Sectio

Sectio X.

Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.

179 ET *ædificauit Dominus*. Ædificandi vsus est verbo cum de mulieris formatione agere tur, vt statim eluceat, mollioris sexus esse domum incolere, nec facilè, huc illuc vagari; *Aedis*, inquit hîc Honcala, *meminis in mulieris factione, quoniam sicut viri est negociando extra domum euagari, & quæ in rem familiarem sunt conductura, cum acquirere, tum in ædes suas importare, ita fœminei pudoris est,* DOMI SEDERE, *nec non fidelis vxoris, ea, quæ per virum sunt conquisita, penes se ipsam sedulò seruare. Talem eam depingit sapiens, cum inquit, Confidit in ea cor viri sui, & spolijs non indigebit.*

Ex Adami costa formatur Eua, à qua postea prodijt peccatum, vt non mirum, si feriri in costa, ac latere Christus voluerit, innuens peccati gaudium verti in amarorem. Pulchrè doctus ille auctor: Animaduerte Mundi seruatorem hasta in latere & costa percussum, vnde exiuit sanguis & aqua ad peccati labes eluendas, quòd per costam, hoc est Euam, peccatum in mundum introiuisset. Costa peccauit, costa lancinatur & dolet: EXIGVVM OBLECTAMENTVM, lanceæ ferro, & incredibili acerbitate punitur.

Et ædificauit. Formationem suam in suæ formæ cultu mulier æmulatur: tot parat vt se ornet, vt fabricam videatur struere, formæ componendæ. Simplicius rem explicat S.Chrysostomus hîc dum ait: *Non dicit* FORMAVIT, *sed* ÆDIFICAVIT, *quia ex iam formato partem accepit, & quasi diceret aliquis, quod deerat dedit.*

Ex corpore Adami partem tollit, vt mulier ædificetur: *Partitur corpus*, inquit Sanctus Basilius Seleuciensis, *vt mentem coaptet, & naturà vna dissipatur arte formantis vt* VNA MENS *construatur*. Vel sic indicabatur, vt animorum vnio inter coniuges seruetur, non spectanda quæ corpus spectant, & inter lucra computanda quælibet damna, dummodo aptentur inter se animi, & vnitati litetur.

Sed cur Eua non sicut Adam ex terra compacta, sed ex ipsa Adæ costa composita, & ædificata est? an ne natura sua debilior abiectior, & debilior fieret naturam suam contemplans? An vt statim disceremus NATALES NOBILIORES nihil referre, si virtus desit? 180

Aedificauit. Vt domum mulier referat, nec facilè extra vagetur. *Sit*, inquit scitus ille auctor, *ædium simillima, domi contineat se non diuagetur, vtpotè rarò, aut nunquam reditura castior;* & nonnullis interiectis addit: Ædificata fuit à Deo prima Mulier: aliæ vt ab ea non degenerent, INTRA LIMEN, VELVTI PARS ÆDIFICII, MORENTVR, ET ÆDIFICENT VIRO SVO FAMAM, AC POSTERITATEM. Quippe Mulier in domo, est in annulo gemma; si ex leui causa migrat & vagatur, fortassis perseueret margarita: sed cui facile sit, vt proijciatur ante porcos.

Ex vno parente, ex vna matre prodire omnes Deus voluit, vt nullus alium deinceps auderet lædere, cogitans ab iisdem parentibus se ortum. Benè Theodoretus quæst. 43. *Nam si quidem Deus hæc omnia administret, multa tamen* CÆDES ADMITTVNTVR, *quid non perpetrasset, si è diuersis patribus ortos se esse existimassent? Huius rei gratia vnum quidem virum è terra formauit, & ex eo vnam creauit mulierem, & ex eorum genere repleuit vniuersam terram.*

Costa

181 Costa ab Adamo ablata, positaq; pro ea carro, notat miscendam mansuetudinem duritiei, & rigorem cum mititate temperandum. Pepinus hic: Adam designat quemlibet prælatum. Hic igitur Adam si fuerit austerus plusquam expediat, debet auferre partem dictæ austeritatis, & replere carnem pro ea, vtendo tempore & loco, mansuetudine. Nec enim debet talis esse nimium durus, nec nimium mollis, siuo benignus: SED DEBET VTRVMQVE MISCERE SIMVL, ET TEMPERARE RIGOREM DEBITA MANSVETVDINE. Sic enim commodius poterit emendare subiectos.

Ex costa Adami formata Eua est, *si de pedibus formasset*, inquit Abulensis, *ancilla viri videretur*, aut etiam ne DEAMBVLATIONI, & excursui se natam crederet; non rectè mulier ambulat, quæ nimis ambulat, & ægrè pudicitiæ est domus, qui domi se non continet.

Quærunt aliqui, quonam die formata Eua fuerit, sunt qui putant sabbato factam, quod non improbat Eugubinus: *Audiui, inquit, qui dicerent, mulierem die septima creatam. Adductis enim à Deo sexta die cunctis animantibus coram Adam, eoq; in appellandis excogitandisq; nominibus eorum defesso*, (sed nulla defatigatione propriè correptum puto, quem nulla adhuc culpa ab innocentiæ statu deiecerat,) *& in soporem nocturnum lapso, detractam interea costam, & in mulierem ædificatam. Idq; factum matutino tempore sabbati, cum tota nocte Adam obdormisset, euigilantemq; mane vidisse mulierem ex se natam.* A die, qui quieti destinatus discere statim mulier debuit quiescere.

182 Ex costa viri mulier formata est, vt vel hinc constaret quanto amore ferri viri in suas vxores debeant: *Costa*, inquit Abulensis, *adhæret cordi, vt notaretur, quòd vir* VXOREM VALDE AMARE *deberet*; adeo vt amor ex corde exeat.

Costam exhibuerat Adam, & integram accipit mulierem, & omnium creaturarum dominium, vt beneficentiæ diuitiæ statim proderentur. Pulchrè Dracontius.

,, *Et remeat sua costa viro, sua membra recepit*
Accipit et foenvs, cum non sit debitor vllus,
His datur omnis humus, & quicquid iussa creauit
Aëris, & pelagi fœtus.

Quod expendens scitus quidam auctor dixit: *Tantum solet* FOENERARE BENEFICENTIA, *vt vel exhibitum os in tot tantasq; diuitias multiplicetur.*

Ex latere viri formata est mulier, ne homo superbiret, se super omnes efferens, sed vt omnes respiceret vt æquales: B. Aëlredus. *Pulchrè*, inquit, *de latere primi hominis secundus assumitur vt natura doceret* OMNES ÆQVALES, *quasi collaterales, nec esset in rebus humanis superior, vel inferior.*

183 Cur ex costa viri formata mulier sic egregiè philosophabatur Gennadius in Catena Græca Fumani, vbi hæc habet: *Quum vellet Deus in viro secundum naturam maiorem quendam erga mulierem inesse amorem, effinxit illam quidem ex illo: uerum non ex anteriori aliquo membro, ne ad resistendum illi formasse illam videretur: neq; rursus ex aliquo posteriori simpliciter, ne illi uilior haberetur, sed* DE COSTA QVÆ MEDIAM QVANDAM OBTINET RATIONEM, *vt ipsa quoque erga virum medio quodam loco consisteret, æqualitatis videlicet atq; obedientiæ.*

Ex costa Adami Euam formatam scimus, sed ex cuius lateris costa formata sit hoc Sacra Scriptura non tradit. Censent pleriq; costam sinistri lateris ex viro ædificandæ mulieri sumptam: Ex SINISTRO LATERE, inquit Pererius, formata creditur, in quod vergit cor humanum, propter summum amorem, qui inter virum & vxorem esse debet, & propter consensionem animorum & concordiam voluntatum. Quoniam autem sinistrum latus infirmius est dextro, declaratum est infirmiorem esse sexum fœmineum, quàm virilem, quo fit, vt temperamentum mulieris frigidius & imbecillius, ratio quoque, animus, sensusq; exilior atque infirmior sit.

Ex viro, quod formarit Deus mulierem non ex luto, mutuum inter vtrumq; amorem significare voluit; quod Claudius Marius Victor his verbis tetigit.

Hoc nunc turba loco stolidissima desine tandem
Quæsitis animum vanis torquere, nec istic
Quærere cur hominis confecta est fœmina membris,
Cum iam à principio molli de puluere fingi
Posset & ex nihilo, causas desiste latentes
Scrutari: quanquam si coniectare licebit
Ex homine effecta est mulier cognatio quadam
Mutuũ & alternũ inter se vt MISCERET AMOREM,
Semet in alternis cogens agnoscere membris.

Eodem & Dracontius spectauit in suo Exameron dum canit.

,, *Nam posset alumnam*
Puluere de simili princeps formare puellam,
Sed quò PLENVS AMOR *toto de corde veniret,* 184
Noscere in vxorem voluit sua membra maritum.

Summa hîc apparet Dei potentia, qui ex vna costa tot membra formauit, & mulierem condidit, cum qua loqui Adam posset, deque rebus diuinis tractare: *Quanta*, inquit Sanctus Ioannes Chrysostomus, *optimi Architecti Dei potentia, quæ ex tantilla particula, tam elegantia membra concinnauit, tantos formauit sensus, & perfectum & integrum, & absolutum animal fecit, quod possit & colloqui, & communione substantiæ viro multa afferre solatia? nam ob huiusmodi consolationem animal hoc formatum est: vnde & Paulus dicebat: non enim formatus est vir propter mulierem, sed mulier propter virum: vides quomodo omnia propter virum fiunt; condita enim creatura, productis brutis, & cibo, & ministerio vtilibus: quia formatus homo* INDIGEBAT ALIQVO CONFABVLATORE, *& eo qui particeps eius substantiæ multum solatij afferre posset: ideò ex latere illius hoc rationale animal format, & secundum industriam suam & sapientiam, perfectum & absolutum hoc facit, per omnia homini simile.* Sic ille hom. 15. in Genesim. Ad solatium mulier homini data, quia cum illa de rebus diuinis loqui poterat.

Cur vna tantum mulier ex primo viro creata est, & non plures? *Quia*, inquit Pererius, VNA

MVLIER

MVLIER *satis erat, ad id, cuius gratia est condita, vt esset socia viri, & simul cum eo generationis opus consummaret*. Addit: *Vna item facta est, vt vitaretur polygamia. Adhac quo viri amor erga vxorem ardentior, & constantior esset, qui multas in vxores diuisus erga singulas remissior, & instabilior est. Deniq; vna mulier tantum creata est, quo maior esset vnitas generis humani, vt potè quod ex iisdem parentibus primis omne propagatum esset. Vt omittam, etiam hac re adumbratum esse magnum illud mysterium coniunctionis Ecclesiæ cum Christo: Ecclesia vero vna tantum est*.

Ex Adamo Deus formauit Euam, vt eam plus diligeret: *Nouerat*, inquit hîc Oleaster, *sapientissimus artifex amabile bonum vnicuiq; proprium, ideo ex propria carne adiutorium fecit, vt veluti quid* SVVM DILIGERET.

185 Cur prima mulier ex primo homine formata est? *Vt in hoc quoque*, inquit B. Dionysius hic, *primus homo Deo assimilaretur, quod sicut omnia sunt à Deo, sic vniuersum genus humanum prodiret ex vno homine primo*. Addit præterea id factum, *vt fœmina suo marito fidelius, &* AMOROSIVS ADHÆRERET, *tanquam principio suo*. Tantum vnionis, concordiæq; coniugalis studiosus Deus fuit, vt in ipso formationis ordine huc spectarit.

Sed cur viro dormiente ex viro formata mulier est? Vt ex hoc, inquit doctissimus Pater Franciscus Aretinus, vnus in ALTERO QVIETARETVR, adeo vt talis esset mulier, quæ suis moribus quiescentem virum non interturbaret, quod tamen rarò accidere videmus, sæpè & dolemus. Muneri vt respondeant suo coniuges vnus alterius quietem foueat, non auferat.

Ex Adæ costa formata est Eua. Non defuêre, qui crediderint, costam illam Adamo superfuisse: *Vel ista costa*, inquit Sanctus Thomas, *fuit sibi addita super illas, quas habent homines communes, ad illius mulieris formationem*. Cur ex viri costa formata mulier fuerit, fit vt nobiliorem materiam habuerit quàm vir; *& hoc fortè fuit*, inquit Sanctus Thomas, *factum ne ipse* VIR EAM CONTEMNERET. *Nec propter hoc tamen præsumeret, quia quidquid habuit, & locum, dignitatem & materiam, mediante viro habuit*.

186 Adami costam fœminæ ædificio strauit Deus, vt staret firmior, sed mirum *qua ex* OSSE, vt ille ait, *prodijt* CEREA *euasit*, ceream mentem habuit, diu non stetit quod fuit.

Ædificatam ex Adami costa Euæ corpus audis, sed cur nihil de animæ creatione additur, qua fœmineum corpus informaretur? Quæstionem ita offert, ita soluit Pererius hîc: Sed quærat, inquit, aliquis, Cur quemadmodum de formatione corporis Euæ facta est mentio, non itidem fiat de insufflatione spiritus vitæ in eam, per quam significatur creatio animæ rationalis, vti supra de Adamo traditum est? Ad hoc responderi potest, id quo differebat productio Adæ & Euæ modo scilicet, quo vtriusque corpus effectum est, separatim ac distinctè fuisse explicatum: Creandi vero vtriusque animam, quia planè similis fuerat ratio, propterea nihil attinebat bis hoc edocere, sed erat satis in generatione viri semel indicasse. Nec sinit nos scriptura dubitare, quin Eua animam rationalem æquè habuerit atque Adamus: id enim non obscurè ipse demonstrat, cum inducit Deum dicentem, Faciamus ei adiutotium simile sibi: neque enim mulier, aut similis Adamo fuisset, aut idoneum ei adiutorium, si anima rationali caruisset. Similitudo quoq; vtriusq; corporum, similitudinem animorum declarauit, quomodo item Euæ si expers rationis fuisset, à Deo esset lex imposita, vel legis violatæ tam grauis pœna fuisset irrogata.

In Paradiso ædificata est mulier, vir extra Paradisum conditus, vt vel à loco conijcias, inquit Honcala, *quod non* LOCI, *non generis nobilitate, sed virtute vnusquisque sibi* GRATIAM *comparat*.

In Paradiso formata est Eua, sed prima Paradisi fuit contemptrix; magis ferè contemnimus, quæ minori nobis constant labore. Sed cur non hoc priuilegium Euæ inuidit Adam? An quia nondum inuidia eius mentem subiecrat? An non inuidit quia vidit à se fuisse? Festiuè ille Euam alloquens: *Non excepit te beatus hortus vt aduenam, sed vt indigenam. Habuisset vir quod* INVIDERET *in te, nisi te videret ex se*. 187

Sola ex toto humano genere in Paradiso formata est Eua, cæteri omnes extra ipsum. Sed cur hic honor ex mortalibus omnibus Euæ defertur? Crediderim, inquit probæ notæ interpres, sanè in gratiam Mariæ, quæ cæteris in peccati exilio nascentibus IPSA SOLA NASCITVR IN PARADISO SANCTITATIS.

Cur in Paradiso formata est mulier, extra Paradisum vir? Statim honorare infirmiorem sexum voluit Deus, *quia ipse Creator omnipotens*, inquit Beatus Dionysius Carthusianus, *prævidit se ex sexu illo* INCARNANDVM. Addit: *Et rursus ne viri coniuges suas* CONTEMNANT, *sed venerentur*.

Sectio XI.

Prophetia & *meditatio* epulis præferenda.
Pulchritudo in *muliere* non facilè efferenda.
Ex *ossibus* viri, cur mulier dicatur *adificata*. 192.
Anima habenda ratio potius, quàm *corporis*.
Cur in formatione *mulieris ossis* prius facta mentio, quam *carnis*.
In *muliere* firmitas quæsita, timenda *carnis* debilitas.
Particula *nunc* in Adami verbis expenditur. 193.
Illud maximè est *nostrum*, cum *proximo* communicamus.
Ex *sapientia* suggestu non deijci ad *mulieris* conspectum inter mira debet numerari.
Præsules omnem *parentum* affectum à se debent abscecare. 194.
Propter *vxorem parentes* relinqui possunt, contemni non debent.
Coniuges caueant ne *Deum* relinquant.
Amoris compago vt *animos* vniat. 195.
Homo ad *pacem* non ad bella natus.
Veræ *dignitatis* nota *ex vestibus* haut sumenda.
Paupertatis dignitas & perfectio.

Et adduxit eam ad Adam.

188 ADduxit *eam ad Adam*. Ex quo aliqui colligunt, Deum in remotiore quodam loco ex costa illa mulierem condidisse, vt adduci ad virum potuerit. Sed cur id factum? *Vt illam*, ait Honcala, *eminus accedentem homo* PROSPICERET, ET AGNOSCERET, *& miraretur, probaretque eam, quam in ecstasi spiritu prophetiæ è costa sibi dormienti sublata formatam nouerat*.

Adducta ad Adam Eua fuit, tanquam ad maritum vxor, sed non legimus quam dotem viro obtulerit; an diuitem dedit, dum dedit se tot Dei donis onustam? nisi quod, vt ille ait, hanc dotem viro attulit, *quod eum exhæredem fecit*.

Cur ædificatam mulierem statim ante viri oculos Deus posuit? *Ea propter*, inquit Sanctus Basilius Seleuciensis, *ipsius ante oculos fœminam struxit & similis naturæ spectatorem facit, vt in illa quæ circa se sunt velut in* SPECVLO CONTEMPLATVS EX VISIS DISCAT INVISA. Abeunt à Dei mente qui in visa muliere sistunt, & eius pulchritudine decipi se sinunt.

Statim ædificata Eua Adamo sistitur, vt illius causa se factam sciret; scitè S. Chrysostomus hom. 15. in Genesim: *Adduxit*, inquit, *illam ad Adam; ostendens quòd propter illum istam condiderit, adduxit illam ad Adam; quoniam nullus, inquit, in omnibus alijs adiutor tibi inuentus est similis, ecce hoc quod pollicebar: promisi enim tibi facturum me adiutorem similem tibi, nunc perfectum trado tibi*;

189 *Et adduxit eam ad Adam*. Ne scilicet sola per varia loca vagaretur; quod notauit etiam Honcala: *Formata*, inquit, *muliere minimè reliquit eam* INCERTIS SEDIBVS DIVAGARI, *sed secum duxit*. Proxima ferè lapsui vxor, si longè absit à viro.

Adduxit eam ad Adam; tanquam eius vxorem; Euam ad Adamum adductam fuisse audis, non adductam dotem, vt à primo coniugio disceres, SANCTIMONIÆ potius rationem in coniugijs habendam, quàm diuitiarum. Hinc antequam in peccatum laberentur, iungi inter se matrimonij vinculo primos parentes Deus voluit, vt qui postea essent futuri, nuptias celebraturi PVRITATI litarent.

Euam Deus Adamo in coniugem tradidit, sed nullam dotis mentionem factam legimus. An dotis nomine mundus vniuersus datus est, vt mulieri homo debuerit, quicquid in hoc mundo possidebat? Accinit Alcimus Auitus, dum canit lib. 1. Poematum loquens de isto coniugio:

Pro thalamo Paradisus erat, mundusq; dabatur
IN DOTEM, *& lætis gaudebant sydera flammis.*

Tanquam tædæ ac lampades, quæ olim nuptias comitari solebant.

190 *Adduxit eam ad Adam*. Quasi statim producta aufugisset, & simul incæpisset viuere mulier, & vagari; Sanctus Anastasius Sinaita: *Illud*, inquit, *adduxit eam, quod postquam ipsa facta est* ALIQVO AVFVGIT, *& procul separata fuit à suo viro, Deinde Deus eam conuersam reduxit ad Adamum*. Simplicius, fors & cohærentius dicemus adductam ad Adamum Euam non quia longè ab illo esset, quæ ex illius costa ibidem erat formata, sed quia in vxorem tradita, & in eius familiaritatem introducta, indicans à nobis abesse, qui loco sunt nobis proximi, si AMORIS, & CHARITATIS sinu non excipiantur.

Mulierem viri vxorem futuram duxit ad virum Deus, vt hinc disceremus, quæ nuptijs ineundis personæ sint aduocandæ. Opportunè Catharinus: Ipse Deus tanquam conciliator & paranimphus, miris modis instituit matrimonium, & formauit, & tanquam pater ac Dominus iussit, vt hoc exemplo intelligeretur matrimonia liberorum non esse à TVRPIBVS PERSONIS, sed à probis personis honestisue, ac probatis hominibus procuranda & concilianda.

Dixitq; Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro, de carne mea.

191 HOc *nunc os ex ossibus meis*. Primam vocem, quam emisisse legatur Adam, vox charitatem sapit, amorem sonat; vt qualis esse homo debeant hinc eluceat. *Dum euigilat*, inquit Gilbertus apud Tilmannum, CHARITATIS VOCEM PRIMAM EMITTIT, *in compari sua se*

ipsum agnoscens, hoc nunc, inquit, os ex ossibus meis.

Ordinem nota prius prophetiam emittit, quàm cibum gustet: *Ante* PROPHETAVIT, 191 inquit Tertullianus, *quàm* VORAVIT. Addit nobilis, sed nuperus auctor; Neque enim æquum erat, vt os iusti prius cibos ederet, quam MEDITARETVR sapientiam, & lingua eius prius gustaret poma terræ, quam Dei iudicia loqueretur.

Hoc nunc os ex ossibus meis. Non audio Adamum fœminæ pulchritudinem commendasse, in eo eam extulit, in quo ab ipso dependebat: Præclarus princeps, docti interpretis sunt verba ad hæc verba, Adamus, in fœmina sibi adducta, nihil prius laudibus effert, quam nobilem, & ingenuam eius originem, quod non è puluere, sed de viro sumpta sit, & viri omnium primi os, & caro existat. NON AIT; HÆC FORMOSA, HÆC PVLCHRA EST; huius oculi sydereum quid micant, capilli aureas minantur torturas, vultus totus deliciæ; sed ijs omissis, eius cantat originem. Etenim ait: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Nihil prius ab homine ingenuo, & Principe curandum, in sibi adiungenda fœmina, quàm eius perspicuitas originis, & nobilitas.

Os ex ossibus meis. Cur *ex ossibus* dixerit &
192 non ex osse, sicut *de carne*, & non *de carnibus*, sic expendebat Caietanus hîc, dum ait: *Et significanter dicit, os, non ex osse,* SED EX OSSIBVS: *ad significandum minimum virilis roboris saluari in muliere. E contra non dicitur: Et caro de carnibus meis. Sed, caro de carne mea: quia, quamuis imperfectior caro sit mulieris; non tamen minor carnalis affectus: imò tantò maior, quantò minori robori est iunctus.*

In quo auctore illud hîc non placet, quod hæc verba metaphoricè tantum accipienda contendit; *nam si corporaliter ait mulier formata fuisset ex costa viri ibidem iuxta virum fuisset formata, & non aliò abducta, vt inde oportuisset eam venire ad Adam.* Sed in hoc meliores interpretes contra sententes habet Caietanus, nec facilè ad metaphoras est eundum, cum proprius verborum sensus nullam affert absurditatem.

Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea: Displicet quod corpus tantum in muliere extulit Adam, & NON ANIMAM, quæ à Deo solo. Nusquam suæ, nusquam vxoris animæ mentionem Adam interserit. Fortior stetisset, si meliorem sui, & mulieris spectasset partem, ANIMAM. In muliere qui ea tantum cogitat quæ corpus tangunt, non longè à lapsu est.

Hoc nunc os ex ossibus meis. Cur os prius nominat, quàm carnem, nam subdit, *& caro de carne mea?* Franciscus Aretinus: Prius, inquit, ponitur os, quam caro, cum dicatur, hoc nunc os de ossibus, &c. & ratio est, quia os per se intendebatur, & sic scriptura nominat, quod vnam de costis Adæ tulit Deus, CARO AVTEM QVASI PER CONSEQVENTIAM TRACTA EST, quia costæ adhærebat, & ideo verè voluit Adam in hoc signare Euam sumptam esse de latere suo, & non aliquid aliud. Nisi hinc quoq; colligamus in mulieris præcipuè firmitate, timendam carnis debilitatem.

Suum pondus, & suam vim habet illud *nunc,* 193 tanquam innueret non ita deinceps futurum, sed potius è contra virum ex fœmina proditurum. Benè Diodorus in Catena græca Fumanii: *Multis quidem è rebus licet intueri ingenii gratia præditum Adam, sed maximè ex hisce; nam formatæ nam quum ex ipso formaretur non sensit; qui enim id poterat somno oppressus? Sed à Deo ad se adductam cognouit, & more quodam prophetico dixit non eadem ratione amplius mulierem è viro formandam esse, quemadmodum Eua ex ipso; hoc enim, inquit, nunc os ex ossibus meis;* NVNC VIDELICET, DVNTAXAT HOC FACTVM EST, *vt & Symmachus & Theodocion interpretati sunt; hoc semel os ex ossibus meis; nam cunctæ aliæ ex viro & vxore, & lege nuptiali. Sed quare de costa? nempè vt qui in carnem vnam coniuncti essent, seipsos mutuo non solùm omnibus, quæ in vita existimantur bona, sed patri quoque ac matri anteponerent; veruntamen illud: hæc vocabitur mulier quoniam de viro suo sumpta est nullam videtur habere conuenientiam; nam si propterea mulier Eua quod ex costa ipsius Adam, ergo quæ posthac mulieres extiterunt ex viris non sunt.*

Expendo illud: *Hoc nunc os;* cur nunc suum vocat, quasi antea non fuisset? An quia tunc magis aliquid est nostrum CVM PROXIMO ILLVD EXHIBEMVS? Scilicet tunc res nostræ verè nostræ fiunt, cum illas pauperibus communicamus, non sunt nostræ opes, si nostræ tantùm.

Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.

HAec *vocabitur virago.* Mirum quod mulieris adspectu admirationem in stuporem non verterit Adam, & fixus in illius visu non steterit, nulli alij rei vacans. *Nec verò Adam,* inquit Honcala, *gratissimo fœminæ, hoc est suæ comparis adspectu adeo captus est,* VT OBSTVPVERIT, *sed sibi constans sapienter ei nomen indidit dicens: Hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.* Scilicet è sapientiæ suggestu virum non deijci, cum mulierem fixus intuetur, inter mira debet numerari, & inter insolentia poni.

Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.

ERgo & cum præsules Ecclesiæ suæ hæreant 194 tanquam sponsæ, omnem parentum affectum à se debent abscare. Opportunè Vgo; *Quamobrem relinquet homo, idest Prælatus omnem* AFFECTVM CARNALEM CIRCA PARENTES, *& adhærebit vxori suæ, idest Ecclesia per amorem, & solicitudinem.*

Relinquet homo patrem. Propter coniugem relinqui

relinqui parentes possunt non contemni. *Sic relinquant parentes*, inquit hic Ferus, *quo ad cohabitationem scilicet, non quo ad dilectionem, nec quo ad honorem, ac cultum*. Addit: *Obseruandum quòd parentes quidem relinquendi sunt propter coniugem*, AT NON RELINQVENDVS DEVS.

Patrem, ac matrem ob vxorem homo relinquat, non debet tamen relinquere Deum, qui Ecclesiæ, & purarum animarum est sponsus. Sistenda hîc quæ habet Arnoldus Carnotensis tract. de oper. sex dierum: *Propter coniugij gratiam, & complexus vxorios, relinquit homo patrem & matrem, & sunt duo in carne vna*: NON TAMEN DESERI ETIAM DEBET *DEVS, qui spirituali connubio vniuersum Ecclesiæ corpus in vnitate fidei & Charitatis compactum: ex coniugio & continentia & calibatu vnum instaurans corpus & spiritum, vt celebret sibi nuptias modo in spe, in regna vero suo in ipsa veritate disponit*.

195 *Erunt duo in carne vna*. Plenius id amor fecerit, & vnio animorum; nam vt Petrus Blesensis epist. 132. *Si copula carnalis efficit, vt sint duo in carne vna quanto* FORTIVS DVOS VNIT AMORIS COMPAGO, *& vnitas spiritus in vinculo pacis? Anima est potior pars mei. Si anima tua non dissidet, nihil duarum animarum idem volentium preiudicat vnitati*.

Erat autem vterq; nudus, Adam scilicet; & vxor eius, & non erubescebant.

ERat autem vterque nudus. A nuditate in qua homo nascitur discat, se ad PVGNAS, ad cædes minimè natum esse, sed AD PACEM, ac tranquillitatem; alioquin armatus prodire debebat, si natus ad bella fuisset, & ad pugnas. Ab omni sæuitia nudus esse debebat, qui natus est nudus.

Nudus Adam erat, sed obsequentia habuit bruta, vestitus hoc imperio caruit, vt etiam ab hac parte diluceret ab extimo ornatu, vestiumque splendore, *vere dignitatis notam* sumendam non esse.

Nuditatem veneratæ sunt bestiæ, hominem vestitum dominum non agnouêre; vt hinc quoque *paupertatis dignitas* appareat, quæ effert, quos afficit, non, quod plerique putant, deprimit. Homo tunc fuit maior, cum nuditate vestitus, vestibus nudus fuit. Suis, vt alibi dicebam, est vestibus leuior, qui vestibus gloriam, honoremque venatur.

CAP. III. GENESIS
Expenditur, & illustratur.
Sectio I.

A *superbia* tentatus facilè *cadit*. 196.
Calliditate non fortitudine *serpens* vsus fuit, vt *Adam* deijceret.
Sapientia cui *malitia* iungitur desinit esse quod dicitur.
Serpenti qui Euam decepit similis, qui proximo suo *obloquitur*. 197.
In *serpente* non in *columba*, cur Eua tentata.
Dæmon cur simul ambos primos parentes non *impugnauit*. 198.
Maritis inscijs non facilè *mulieres* cum alijs colloquium misceant.
Muliere dæmon vtitur vt *rete*.
Meridiano tempore cur *diabolus* ad mulierem tentandam accesserit. 199.
Mulier mentem potius *contemplatione* pascat, quam *curiositate*, ne cadat.
Ab *oratione* auersus facilè *tentatur*, & cadit.
Nullibi se homo *securum* putet.
Cur prius *diabolus mulierem* fuerit aggressus; quam virum. 200.
Viri vxorum curam habeant.
Serpentis figura, cur vsus *diabolus* fuerit.
Euam tentans *satanas* semel admissus, sæuior contra nos fit. 201.
Dæmon cur grandius animal non subierit, primam mulierem *tentans*.
Serpentis nomen cur sacra scriptura adhibeat non *Satana*.
Cur à *serpente* permissus est homo *tentari*. 202.
Diuinæ *bonitatis* consilium, quod à *serpente tentari* Euam Deus permisit.
Studuit *Deus*, vt *diaboli* fraudes deprehenderentur.
Tentationis vim vt *Deus* in serpente repressérit. 203.
Humana forma indutus *serpens* cur *mulieri* non apparuerit.
Columbas cur Satanas non subierit.
Ex aeris *corporibus* an formatus *serpens* qui Euam tentauit. 204.
Per *mulierem* virum *satanas* venenauit.
A *serpentis* spiris rectum *consilium* sperare *mulier* non debebat.
Cur inuisibiliter ad *hominem* primum *diabolus*, non accesserit.

Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.

196 SEd & serpens. Cur non simplicius dixit, *sed serpens*, absque eo, quod coniunctionem, &, adderet? *Quid aliud*, inquit Ferus, *per hoc ostendit, nisi vt sciamus initium peccati, vel tentationis* NON CÆPISSE AB EXTERIORI TENTATIONE SERPENTIS. *Nisi enim homo victus* PER SVPERBIAM *tumuisset, foris tentatus non tàm facile cessisset*, nimirum à superbia tentatus facilè cadit.

Serpens callidior animantibus cunctis Euam decepit, nihil violentiæ adhibuit, calliditate fuit vsus, non fortitudine. Rem egregiè expendit Sanctus Bernardus serm. de duplici baptismo, vbi ait: *Erit peccatum in foribus, sed appetitus eius sub eo est; tantum ipse aperire renuat, consentire recuset. Deniq; primos parentes, non Vrsus, aut Leo, sed potius Serpens* CALLIDIOR VTIQVE NON FORTIOR CÆTERIS ANIMANTIBVS SVPPLANTAVIT. *Nec mulierem vir, sed mulier virum. Serpens sic Euam decepit, et decepit profectò, non impulit, aut coegit. Mulier tibi, ò Adam, de ligno dedit, sed offerendo vtique, non violentiam inferendo*. Callidior serpens dicitur, non fortior, *ne causaretur homo*, docti auctoris hæc sunt verba, *se* POTENTIA *superatum non* ASTVTIA; seque potuisse resistere, & neglexisse.

Callidior. Aliqui legunt, *sapientior*. Laudari à sapientia potuit antequam diaboli malitiæ iungeretur, illiusque organum fieret, postea nequam, & dici meruit & versipellis, quod in hunc modum expendebat Rupertus: *Serpens antequàm fieret organum diaboli, sapiens, & prudens, dici poterat: vnde, & in alia editione scriptum est: serpens erat* SAPIENTIOR *omnibus animantibus, postquam autem prudentia eius* MALITIÆ *diaboli coniuncta est, nequam sine versipellis rectius potest nuncupari*.

197 Serpenti qui Euam decepit verbis, ille similis est, qui proximo obloquitur, & sermone alienam ruinam quærit, & perdit se. In apophtegmatis Patrum hæc dixisse fertur Abbas Hyperitius: *Susurrans serpens ad Euam, de Paradiso eiecit eam. Huic ergo similis est* QVI PROXIMO SVO OBLOQVITVR: *quoniam & audientis se animam perdit, & suam non saluat*.

Non in agno, vel columba tentata est mulier, sed in serpente, vt minus excusabilis eius lapsus appareret. Peritè Vgo Victorinus Annot. in Genes. cap. 7. ait quippè: *Nota, quod non est tentatus per aliquam simplicem bestiam, vt est columba vel agnus: ne posset follicet* EXCVSARE TRANSGRESSIONEM, *dicens: Quis putaret dolum in se in huiusmodi specie vel forma?* Præterea in serpentis forma diabolus Euam tentauit: *Ne*, inquit idem auctor, NIMIS VIOLENTA *esset eius fraus*.

Callidior cunctis animantibus quod dicitur serpens, hoc ad dæmonem referunt plerique, & inter alios Caietanus. Sed cur brutis eius calliditas, ac prudentia confertur? an quia in aliorum vtilitatem cedit? Sic enim habet Caietanus: *Relatiue ad eum, qui fuit cælestis patriæ, loquendo de dæmone sapit nominatur ipsium nomine bestia, & prudentiam eius recuilet ad cæteras bestias, tanquam ad res sui ordinis: tanquam prudentia eius sit similis prudentia bestiarum: vt potè ad aliquid velle, sibi inutile omninò ad felicitatem consequendam*.

Qui dixit ad mulierem.

AGgressus est Satanas fœminam, sed cum solam vidit, cum aberat à viro; cur 198
non tentauit eos cum simul essent, vt vna victoria duos vinceret? Petrus Aretinus in quæstionem istam soluit: *Primum solitariam fœminam explorauit, vt in ea primum omnem suæ tentationis vim experiretur, & fuit hoc consentiens diabolo, nam si vna non fuerent, & tentaret* VIRVM SIMVL, *& esset difficilior tentatio, quia non posset alterum superare, nisi ambos superare, quia ex consensu communi assentirent dæmoni, vel repugnarent, etiam quia fœmina obediret viro, & suspenderet consensum suum, quousque vir in id consentiret: & tamen dæmon voluit incipere à viro, ideo debuit tentare mulierem solitariam existentem*.

Dixit ad mulierem. Fœmineæ ruinæ occasio fuit, quod serpentem alloqui inscio marito præsumpsit. Decepta est, quia sibi nimium fidit. Benè hìc Oleaster: *Admonet*, inquit, *locus iste fœminas*, NE MARITIS INSCIIS, ET ABSENTIBVS, CVM ALIQVO COLLOQVIVM HABERE PRÆSVMANT: *præsertim cum astutis & callidis; sed agnoscant se facilè posse decipi, & ideo omnia eiusmodi colloquium suspectum habeant*.

Vt virum dæmon deijceret, ad mulierem it, vt virum capiat, decipiatque muliere vtitur tanquam rete; Festiuè Sanctus Amphilochius orat. in mulierem peccatricem, hoc titulo fœminam insignit: *Mulier*, inquit, *natura fragilis, primum illud* DIABOLI RETE, *erroris initiatio, doctrix præuaricationis*.

199 *Dixit ad mulierem*. Ad mulierem serpens accessit, opportunum tentandi tempus nactus. Censent aliqui circa meridiem accessisse, quia ad cibum capiendum ituram mulierem coniiciebat, vt Procopius notauit: MERIDIANO, inquit, TEMPORE *accessit diabolus ad mulierem, vbi eam ad cibum capiendum properantem adoritur*. Scilicet opportunitatem nos decipiendi semper inquirit & lapsus occasione homines ad lapsum allicit. Addit auctor productus, hoc tempus diabolum elegisse, quia illud censuit COLLOQVIIS *opportunum*. Non facilè adortus fuisset prius in oratione occupatam & ab inutilibus sermonibus ferendis alienam.

Sola erat Eua, nam antequam vacarent nuptiali operi, operam rerum diuinarum contemplationi dare eos par erat. Licet à suo munere mulier abierit, curiositatem potius pascens, quam mentem, non orationi se dedit, sed otio. Credo, inquit hìc Catharinus, vt apud quendam me legisse recordor seiunctos tantisper

mutuo

mutuo consensu fuisse, nolentes copulari inuicem carnalibus nuptijs, priusquam gratias Deo agerent pro tantis acceptis beneficijs, vt copularentur Deo secundum mentem nuptijs spiritualibus, sicut dignum erat. Ea quippe via primò quærendum erat regnum Dei. Proposuerant autem saltem triduo abstinere, vitamque à CONTEMPLATIONE INCHOARE, quod mihi valde credibile videtur. Nam ita esse faciendum, in libro Tobiæ diuina Scriptura commonefacit. Non enim debebat sanctus spiritus postponi carnis exercitio. Hoc ipsa ratio dictabat, & status illius integritas ita esse faciendum postulabat. Quo factum est vt vehementius ad tentandum accingeretur Diabolus inueniens MVLIEREM SOLAM AVERSAM AB ORATIONE, quo magis expositam se præbuit tentationi. Firmior Eua stetisset, si se antequam tentaretur oratione muniuisset.

In Paradiso hominem Satan aggreditur; nè aliquis sibi de loco blandiretur, se reipsa sciremus NVLLIBI SECVROS, nos esse dum hîc sumus, vbique diaboli cauendas fraudes, adeo vt illi maximè timendum sit, qui illas non timet.

200 Sed cur primo diabolus mulierem aggreditur? quia minoris sapientiæ eam nouit, debiliorisque constantiæ, denique *quia conijciebat Diabolus*, inquit B. Dionysius, *quia si eam primò, ipsa non quiesceret quousque peruerteret virum*: consortemque eum in crimine foueret, quem haberet in natura; scilicet nescit culpa stare, quæ mulierem corripit, ad alios facilè transmittit, quod ipsa præstitit. Euam aggressus est dæmon, non Adamum, non solum quia istam debiliorem, infirmioremq; nouit, sed etiam hominem diuina contemplatione occupatum vidit; nam tunc Deo Adamum vacasse, cum mulierem serpens est alloquutus censet B. Dionysius, cuius verba alio spectans dedi.

Opportunum explorat tempus dæmon adeundæ mulieris. *Cum vir*, inquit Salianus, MEDITABVNDVS *in altera horti parte remotius inambularet*. Quid hîc illi, laudis vacant, qui longè ab vxoribus ebrietati vacant, & putant vxoribus consultum?

Serpentem subijt dæmon, vt vel sola figura Euam moneret, vt caueret sibi. Sic de hac re philosophabatur B. Thomas à Villanoua: *Poterat Euam intentatæ fraudis, colubri commonere figura, si mens non læua fuisset: quid enim à serpente expectari poterat nisi virus: non agni aut ouis speciem Diabolus assumere permissus est, non vultu Angeli splendore corusco: ne esset potestas in fraude, excusatio in crudelitate. Competentem sibi figuram assumpserat Zabulus, & quæ intus latentis nequitiæ exterius præberet indicia.*

Serpentem, non Leonem dœmon subijt, vt hominem tentaret; quia fraudibus potiùs, quàm vi in eum agebat. *Merito non in Leonis specie*, inquit Ferus, *sed in serpentis apparuit, nihil enim adhuc iuris in homine habebat, nec inuisum ad peccatum trahere poterat: sicque non impugnando coegit, sed blandiendo primum hominem ad peccatum allexit. Quia verò semel admissus deinceps* CRVDELITER, ET FVRIOSE, *super humanum genus tyrranizauit, Leo dictus est.*

Serpentem dæmon subijt; cur non grandius animal, vt Elephantem, Camelum, aut huiusmodi? An ne Euam statim absterreret? Ita Moses Bar-cepha lib. de Paradiso part. 1. cap. 27. vbi ait: *Porro maiorum bestiarum figura non apparuit, quod hæ species* NIMIO METV *concussissent perturbassentque Mulierem, nedum ad auscultandum verbis suis induxissent.* 201

Cum Satanas serpentem subierit, Euam deceperit, deiecerit hominem, cur Moses Satanæ nunquam meminit, sed serpentis semper nomen adhibet? *Respondemus*, inquit idem Moses Barcepha de Paradiso quæst. 4. *Mosem rei gestæ scriptorem, non interpretem egisse: ac proinde qualis quaque res visa est, talem ab ipso esse descriptam; non item explicatum, qui se reuera haberet. Eua autem Serpentem videbat, serpentem secum loquentem audiebat: hoc igitur ipsum Moses suo scripto prodidit; quemadmodum alibi tres illos quos videbat Abrahamus, viros appellauit, cum viri non essent. Ad hoc si Diuus Paulus, qui tanto temporis interuallo Mosem secutus est, cum res iam tum explicatæ essent*, SERPENTI NON SATANÆ IMPOSTVRAM ATTRIBVIT, *inquiens. Vereor sicut serpens decepit Euam, &c. cur non merito Moses, qui tam multis ætatibus Paulum præcessit, fraudem Serpenti adscripsisse videatur? Scriptoris enim est, res gestas narrare.*

Sed cur à serpente permissus est homo tentari? *Vt homo dedignaretur*, inquit Ferus, *tam* ABIECTO, *&* DEFORMI *animali plus credere, quàm Deo.* 202

In eo, quod Euam permisit Deus à serpente non ab alio animali tentari, diuinæ bonitatis consilium licet agnoscere: Si quidem Eua, inquit nobilis auctor Petra Sancta, quæ sicuti, Adam, in statu innocentiæ naturam, & dotes animalium non ignorauit, POTVISSET DISCERE A SERPENTE IPSO, CLAVDENDAS AVRES ESSE IMPROBÆ SVGGESTIONI. Potuisset autem vnam terræ apprimere, considerans originem suam, de limo terræ, ex quo saltem Adam exierat. Potuisset autem alteram, veluti caudæ iniectu (quod serpens agit aduersus venefici sonum) obserare, considerans finem suum, nempe futurum, si delinqueret, vt in terram, & in sua initia per mortem, cuius ei metum intentauerat Deus, resolueretur. Sic eam tentatio non apprehendisset, nisi humana, neque ausa fuisset aspirare ad statum, conditione humana sublimiorem, credens temerè illi persuasioni, Nequaquam morte moriemini, eritis sicut Dij.

Sed cur serpentem potius dæmon subijt, quàm aliud animal? an id Deus voluit, vt facilius eius fraudes retegerentur? *Quod autem*, inquit Liranus hîc, *ad hoc serpentem intrauit, non fuit ex dæmonis electione, sed magis ex diuina dispensatione, quæ non permisit hominem tentari per diabolum in specie gratiosa & nobili, per quam posset facilius decipi, sed magis in specie horribili; in*

qua FALLACIA DAEMONIS CITIVS POTERAT DEPREHENDI.

203 Diuinæ fuit prouidentiæ, quod Satanas Euam tentaturus non Pauonem, non Aquilam subire permissus est, sed serpentem? Præclarè rem versat Sanctius: Hinc duxit originem modus, habitus, & figura, quibus serpens antiquus adortus est primos humani generis parentes. Voluit enim Deus, vt sub Serpentis specie illos inuaderet; cur non sub Pauonis pulchritudine, aut aquilæ agilitate, aut agni mansuetudine, aut cuiusuis alterius animalis pulchri & mansueti effigie? sed serpentis cuius aspectus terribilis est & terrorem, ac formidinem incutit? NOLVIT ENSM DEVS, VT LONGVM SERMONEM CONTRAHERET, NOLVIT, vt Eua fidem adhiberet verbis tabifici & abiecti animalis, sic Dominus TENTATIONIS ILLIVS VIM REPRESSIT.

Sed quæri potest, cur humana potius forma indutus Satan mulieri non apparuerit, fors id Deus non permisit, vt mulieris excusationem anteuerteret, nam vt ait Moses Bar-cephas lib. de Paradiso part. 1. cap. 27. *Humana specie non apparuit, quod sciret Euam non ignorare alium, præter se suumque maritum hominem nullum esse; neque vero Deus ipsi permittebat* VT HOMINEM SIMVLARET, *ne iustam haberet Eua erroris sui excusationem, conspicata hominem sibi similem, à quo falleretur.*

Serpentem dæmon subijt, non columbam, quia columbæ formam Spiritus Sanctus sumpturus aliquando erat, nec par erat, animali quo abusus malus spiritus fuerat bonitatis auctorem repræsentari: Audiendus hic Vgo Victorinus, qui lib. 1. de Sacramentis part. 7. cap. 2. ait: *Venit ad hominem in serpente callidus hostis, qui fortassis, si permissus fuisset, in forma* COLVMBÆ *venire maluisset. Sed hoc vas Spiritus sanctus sibi reseruauit, quia profecto dignum non erat, vt spiritus malignus illam formam homini odiosam faceret: in qua postmodum eidem Spiritus Sanctus apparere debuissee.*

204 Quærunt hîc aliqui, an verum serpentem Satanas subierit, an potius serpentem sibi ex aëre formauerit. Sanctus Thomas ait: *Verisimile est, quòd fuit* EX VAPORIBVS, *quia ille est communis modus dæmonis.* Alijs aliter est visum.

Agressus est serpens mulierem, sciens per eam facilè venenum ad virum transire. *Diabolus*, inquit Sanctus Augustinus tract. 42. in Ioannem: *cum inuideret homini, Serpente indutus locutus est mulieri, & de* MVLIARA VENENAVIT ET VIRVM; *mortui sunt Diabolum audiendo, quem non audissent, si Dominum audire voluissent: positus enim homo inter eum qui Creauit, & eum qui lapsus est, obtemperare debuit creatori, non deceptori.*

In Serpentis forma mulier monebatur, ne serpenti crederet, vt iure scitus ille auctor Euam pungat his verbis: *Scilicet putasti dari posse* CONSILIVM RACTVM AB ANGVE SPIRIS INTORTO; *Flexit ille te flexibus suis, flexisti tu quoq; virum illecebris tuis.* Qui non rectus, sed flexuosus incedit, recta consilia dare non potuit.

Cur non potius inuisibiliter ad primum hominem diabolus accessit, intus noxia suggerens, absque eo, quod serpentem subiret, & visibiliter homini appareret? Nodum ita soluit B. Dionysius hîc ex Alberto. *Ad hoc*, inquit, *respondet Albertus, quod* SVGGESTIO *dæmonis interior competit sensualitati corruptæ, idcirco Christum, & hominem in statu innocentiæ tentauit diabolus suggestione exteriore, hinc quamdiu superior pars animæ mansit in homine Deo subiecta nihil inordinatum contingere poterat in inferioribus viribus animæ.*

Sectio II.

Impatientia exordium in *diabolo*. 205.

Gloria cupida *Eua* statim timuit.

De *præcepto* cur statim *Euam* Satanas interrogauerit.

Interdictam *arborem* cur *Satanas* non explicauit. 206.

Excusationem peccati, vt Satanas anteuerterit.

A nudis *verbis* pietatem redolentibus *sanctitas* haud desumenda.

Elatio, quàm periculosa. 207.

A primorum parentum *ieiunio* statim *Satanas* timuit.

Opera ex *obedientia* præstita *Dæmonem* maximè percellunt.

Ab *interrogatione* cur *pugnam* aggressus *Dæmon*.

Mentis *satanicæ* est *querelas* pro *gratiarum* actione reponere. 208.

Satanas amicum se fingit, cum sit hostis.

Ex primorum parentum *innocentia tentandi* materiam *Satanas* elicuit.

Præcepti memoriam *Deique* præcipientis cur statim *Satanas* mulieri obiecerit. 209.

Diuina *mysteria* ex proprio sensu periculosè homo *speculatur*.

Numerosè cur *diabolus* loquatur solam *mulierem* alloquens.

Sola *voluntas Creatoris* quærenda est. 210.

Primus, qui *Deum* nominasse legitur, *dæmon* fuit, vt colligas in verbis sitam sanctitatem non esse.

Dæmonis astus in *arbore* vetita recensenda.

Satanæ fraus *vilia* exhibere auferre magna. 211.

Superbum mentis assensum *Diabolus homini* suadere non est ausus.

Diaboli astus in *tentanda* muliere suspenditur.

Cur

Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno Paradiſi?

205 CVr præcepit. Scilicet ferre non potuit diabolus hominem Deo ſubiectum, vt proinde impatientiæ exordia, & natales in illo viderit Tertullianus lib. de patientia cap. 5. vbi hæc habet: *N*ATALES IMPATIENTIÆ IN IPSO DIABOLO DEPREHENDO *iam tunc, cùm Dominum Deum vniuerſa opera quæ feciſſet, imagini ſuæ, id eſt, homini ſubieciſſe impatienter tulit: Nec enim doluiſſet, ſi ſuſtinuiſſet: nec inuidiſſet homini, ſi non doluiſſet; adeò decepit eum quia inuiderat: inuiderat autem quia doluerat. Doluerat quia patienter vtiq; non tulerat.*

Vt ſecurius deciperet mulierem ſerpens, inani eam ſpiritu & blanditijs, & adulatorijs obſequijs, affectata quadam reuerentia ſtuduit implere. Quod notabat Sanctus Thomas hîc, dum ait: *Mulier fuit fortè elata ex blando modo loquendi, & reuerenti modo, quem tenuit Angelus loquendo cum ea. Mulier enim quaſi à natura eſt magis* GLORIOSA, *& magis* GLORIÆ CVPIDA.

Cur præcepit vobis Deus. Euam aggreditur, Deique præceptum circa eſum ligni vitæ producit in medium. Cur non aliud produxit? *Quia*, inquit hîc Catharinus, *inuenit eam, vt quidam, aiunt ſuper illo* PRÆCEPTO *cogitabundam.* Dubius nimirum animus facilè huc illuc flectitur, & in quamlibet partem duci ſe ſinit, &, cum de Deo agitur, rebuſq; diuinis, à Deo, rebuſque diuinis auocatur.

206 *Cur præcepit.* Non explicauit Satan, quænam arbor illa eſſet; *Noluit explicare*, inquit Abulenſis, *vt mulier per ſe eam* EXPLICARET, *& daretur ei occaſio plura loquendi, & ſe ipſam mouendi ad diſplicentiam, & deſiderium comedendi.*

Cur præcepit. Mirum quod præcepti diuini meminerit, cum id ad præcepti cuſtodiam allicere mulierem poſſet. Gloſſa: *Mandatum Dei memorat, ne cum peccauerit* EXCVSATIONEM *habeat tanquam oblita.* Notat tamen Caietanus in hæbreo præcepti nomen non haberi, ſed legi: *Qui dixit*, quam lectionem expendens ait: *Non abs re tacet præcepti nomen, & generico vtitur vocabulo, dixit: ad alleuiandum ſiquidem* PROHIBITIONEM *diuinam ex induſtria ſic ſuggeſſit.* Et verò *dicendi* verbum adhiberi cum aliquid præcipitur in diuinis litteris, non eſt inſolens, vt nimis ſolicita Caietani obſeruatio ſtatim ruat.

Cur præcepit vobis Deus. Primus qui Dei nomen protulit, Dei hoſtis fuit, vt hinc colligas à nudis verbis, & pietatem extimè redolentibus ſanctitatem non eſſe deſumendam. *Nota*, inquit Vgo, *quòd diabolus inter omnes creaturas* PRIMO NOMINAVIT *D*EVM. *Similiter in Euangelio primo vocat Ieſum Nazarenum; quia nouitas multum placet ei:* Licet nouitas in bono non ſit mala: ſolidius illud, quod dicebamus plerumque pietatis hoſtes eſſe, qui pia quædam efferunt verba, quibus malitiam ſuam conantur obtegere, aut etiam aliqua bona præſtant opera, quibus malitiam ſuam operiant.

207 *Cur præcepit vobis Deus.* Hæc ſerpens euomuit, ad eam elationem mulierem alliciens, qua Deum præcepta dantem æquo animo, non ferret, præcepta diſplicerent, ſic futurum ſperans, vt tandem iugum excuteret. Audiendus Abulenſis, qui ad hunc locum ait: *Incæpit ergo proponere dæmon quomodo illud acceptum erat valde aggrauatorium, ſcilicetq; homo, qui naturaliter Dominus erat omnium lignorum prohiberetur à comeſtione fructus alicuius eorum. Ex quo mulier mota fuit quadam* ELATIONE, *& inclinata ad diſplicentiam præcepti, & per hoc ad dubitationem de pœna comminata, quod pertinet ad ſuperbos. Cur præcepit vobis Deus: idest quare aggrauauit vos Deus, tantum ſubijciendo in ſeruitutem, vt non comederetis de fructu? Stulta autem Eua, quæ non attendit, quod melius erat ſubditum eſſe Deo,* QVAM IN SE IPSO ELEVARI, *indicauit ſe in hoc præcepto fuiſſe grauatam, quare iugum hoc indicauit eſſe abijciendum de fructu vetito comedendo.*

Cur præcepit vobis Deus ne comederetis. Cenſent aliqui nondum aliquid ex Paradiſi fructibus hominem guſtaſſe, cum ex vetito ligno edidit; Gennadius in Catena Græca: *Porrò diabolus cætera animalia contemplans cibum ſibi comparaſſe de terra ſimul, ac edita fuerant in lucem,* *A*DAM VERO ET *E*VAM NIHIL ADHVC PRÆLIBASSE GVSTV *ita homine à Deo conſtituto, ne aliarum animantum exemplo ventri ſemper ſeruire cogantur, ſed ſtato ei rei tempore, ſi in cenſu generis humani referri, non autem in beſtiarum ordinem redigi velint, credidit omninò hoc non ex modeſtia naturali, ſed quod ita iuſſiſſet Deus, illos non ſoluiſſe ieiunium. Quocirca percontatus eſt Euam, Quamobrem vos Deus ſolet eſſe ieiunos in tantis opibus iuſſit?* Scilicet à primorum parentum ieiunio ſtatim Satanas timuit, & licet multa laude digna, in eos videret, abſtinentia tamen EX DEI OBEDIENTIA præcipuè eum perculit, quod ad alia etiam opera facilè transferas.

Cur præcepit. Quærat hîc aliquis cur ab interrogatione dæmon pugnam cum muliere ſuſceperit: B. Dionyſius rem ita exequitur: *Stans hoſtis ſuperbus coram fœmina, non audebat in verba perſuaſionis prorumpere; metuens deprahendi: ſed ſub* INTERROGATIONE AGGRESSVS *eſt eam, quatenus ex reſponſione eius colligeret, qualiter in tentando procedere poſſet. Itaque diabolus dixit: Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno Paradiſi, hoc eſt, de fructibus arborum omnium, vna excepta.*

208 *Cur præcepit.* Cenſent aliqui præceſſiſſe alia ſerpentis verba ad mulierem, & in querelas erupiſſe, quòd Deus multis primos parentes priuauerit, vnde R. Dauid iuxta hebræum, ſenſum eſſe dicit; Et multo magis miror, quod vobis arborem ſcientiæ boni & mali interdixerit. Nimirum mentis ſatanicæ eſt, de DEO QVERI, cum Deo GRATIÆ AGENDÆ eſſent; & reſpicere ad ea, quæ iuſtè Deus inhibuit, non ad ea, quæ liberaliter conceſſit.

Cur

Cur præcepit vobis Deus. Curam hominis simulat, qui ruinam quærebat; amicum se fingit, qui inimicus est. *Ita se ostendit*, inquit Ferus, *quasi hominis curam agat, & habeat, sic enim semper* FINGIT SE AMICVM, *cum ex vero sit hostis, & tunc maximè timendus, cum nostri videtur solicitus*.

Cur præcepit vobis Deus. Quasi hoc vellet, quod tanquam innocentes ligari aliquo præcepto non deberent. *Quasi diceret*, inquit hîc Pepinus, CVM SITIS INNOCENTES, *non deberetis tali præcepto restringi, maximè cum omnes fructus arborum tanquam inferiores debeant supponi vestræ voluntati. Et tunc mulier prorupit in quandam elationem, & sibi displicuit restrictio præcepti, ex qua displicentia secutus est error, quo credidit serpenti vlterius dicenti: Nequaquam moriemini*; Sicque ex illorum innocentia tentandi materiam sæuus hostis elicuit.

Cur præcepit. Præcepti memoriam, Deique
209 præcipientis nomen cur statim dæmon mulieri obiecit, cum istuc à lapsu auocare illam potuerit? An hoc fecit, vt hac arte falleret, & ad peccandum mulierem alliceret? Rem ita deducit, conficitque Abulensis: *Cupiebat inducere hominem ad peccandum, & non poterat alio modo, nisi proponendo ei præceptum à Deo datum, ideo proposuit illud. Primo, quia Eua habebat in mente, & præ oculis* PRÆCEPTVM DATVM *à Deo de non comedendo: si autem diabolus suaderet comedendum non proposito præcepto, responderet mulier, quæ non licebat ei comedere obstante præcepto Dei, sicut postea respondit, & tunc minus haberet locum excusatio diaboli circa præceptum. Cum autem ipse illud proponeret, magis ei crederetur, quia confidentius se habebat non timendo illud proponere*.

Cur præcepit vobis Deus. Occurrere statim mulier debebat, non esse suarum partium diuina consilia perscrutari; sed serpens nulla alia sagaciori, vt ille ait, mulierem decipi posse existimauit, quam si eam ad diuina mysteria PROPRIO SENSV SPECVLANDA induceret.

210 *Cur præcepit vobis*. Cur numerosè loquitur diabolus vnam Euam alloquens? An quia sciebat præceptum non vni soli datum, sed duobus? An, *quia licet*, vt ait Abulensis, *diabolus soli mulieri loqueretur volebat* EXTENDERE VERBA AD EAM ET VIRVM, VT AD AMBOS POSSET EXTENDI TENTATIO, *sicut & factum est: vnde & diabolus totam suam locutionem extendit ad ambos, cum postea dixerit, nequaquam moriemini: & iterum aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij scientes bonum & malum: & tamen si in singulari loqueretur, non posset extendi tentatio ad vtrumque, ideo debuit dicere pluraliter*.

Cur præcepit. Poterat mulier se facilè expedire, dicens Deum, præcepisse, quia ita illi visum; *Non dicit*, inquit Lippomanus, *sic est* VOLVNTAS CREATORIS, *quare sic, ipse nouit, nobis sufficit obedire, quia vita nostra in voluntate eius. Itaque facile seducta est mulier, & promissioni serpentis credere, & acquiescere persuasioni*. Nimirum sola Creatoris voluntas quærenda est.

Cur præcepit vobis Deus? Obseruatum ab alijs quoque est nunc inter omnes qui primus legatur *Dei* nomen nominasse Dei hostem fuisse, vt nullus deinceps sibi de nuda hac appellatione blandiatur. Sanctus Athanasius quæst. 105. cum quæsisset, *quis* PRIMVS NOMINAVIT DEVM *in terra? Respondet Diabolus, cùm ad Euam diceret: Quid est quod interdixit Deus, ne comederetis de hoc ligno?* Vt hinc colligas in verbis sanctitatem non esse sitam.

Vt non comederetis ex omni ligno Paradisi. Mirum cur non vetitam arborem nudè expresserit, absque eo, quod per modum exceptionis sic loqueretur. *Astutè*, inquit Caietanus, *non proponit arborem vetitam simpliciter, & absolutè; sed per modum exceptionis ab omni arbore, dicendo: Non comedetis ex omni ligno; vt* IPSA EXCEPTIO SVGGESTA DISPLICENTIAM PARERET IN ANIMO MVLIERIS, *prohibitionis diuinæ: exceptio namque, suapte natura, exosa est, præsertim rei eiusdem generis, & eiusdem rationis, ac differentiæ*.

Exiguum fuit, quod dæmon obtulit, grande quod abstulit; *Offert*, inquit Sanctus Bernar- 211
dus, *prohibitum, & aufert concessum, porrigit* POMVM, *& surripit* PARADISVM. Hæc illius est fraus, exilia exhibere vt solida suscipiat, & allicere perituris bonis, vt æternis nos priuet.

Pomi esum homini Satan suasit; cur non magis ad eius montis assensum allicit, ad quem ipse adspirauerat? *Quàm pauci*, inquit Sanctus Bernardus, *euadunt, quibus non dominandi libido dominetur? Nonne iste est mons, in quem ascendit Angelus, & Diabolus factus est? Vel illud aduertite, quod post casum inuidia cruciante male solicitus de supplantando homine, illius tamen* MONTIS ASCENSVM NVLLATENVS AVSVS EST SVADERE EI, *in quo nimirum inani ascensu tam immane præcipitium cognosceretur expertus*. Quasi timuerit aliquid homini objicere, in quo casus memoria refricaretur, quo ipse in infernum fuerat detrusus.

Cur præcepit vobis Deus. Latet hîc veneno illitum diaboli telum, inuidum studet facere homini Deum, ac si auarè negasset, quod alijs reseruaret. Sanctus Basilius Seleuciensis sic loquentem Satanam facit: *Vidi vos in omni bonorum affluentia non ausos frui, & condolens veni: videbam in medio Paradisi esurientes, & in partem tristitiæ veni. Nam quo consilio, dic mihi, cibo Deus interdixit? quid spectabili re commostrata vsu priuauit? Cui oblectationem hanc recondit? Cui uobis oblata dona reseruat? Satius erat non dedisse, quam dato interdixisse*.

Sectio

Sectio III.

Mulier à serpente *interrogatur*, vt eius lapsus esset inexcusabilis. 212.
Vicissemus si Eua *tacuisset*.
Indicare *marito* debuerat, quod à serpente audierat *Eua*.
Nullus *homini* nocentior, quàm qui sub *consulentis* persona hostilem mentem tegit. 213.
Primum primæ mulieris *colloquium* cum serpente, cum potius, cum *viro* diuinis rebus agere deberet.
Aurium custodia, quam necessaria.
Curiositas, quàm noxia. 214.
Prima, quæ *secreta* reuelauit *mulier* fuit.
Diu cum *malis* degere, quàm *periculosum* fit.
Ab aliis *discere*, qui dedignantur, proximi *ruinæ* sunt. 215.
Insidiatoribus se totum nemo *committat*.
Periculo proximus, qui se nimis *securum* putat.
Facilè *mentitur*, qui inconsideratè *loquitur*. 216.
Omnia facilè *credit*, qui *culmina* optat.
Dei timor, quam vtilis.
Reuerenter de Deo *loquendum*. 217.
Mulieris est viri *consilio* dirigi.
Obliuionem mandati in suam *excusationem* abducere *Eua* non potuit.
Præceptum aggrauat, cui præcepti *obseruantia* displicet. 218.
Qui Dei *mandata* eleuant, facilè ea *violant*.
Plus quam *Deus* iubeat *obseruare* debemus, vt obseruemus, quod iubet.
Qui plus *seruant*, quàm *iubeantur*, plerumque iussum violant.
Qui *peccatum* fugere cupit illa *vitet*, quæ ad peccata ducunt. 219.
Peccatorum mos est *conqueri*, quod multa iis præcipiantur.
Ineptus diuinæ *legis interpres* discrimini se obiicit.
Peccati occasio vitanda. 220.
Qui *religiosius* Dei *præcepta* spectant, tandem ea offeruntur, vt penitus contemnant.
Mendacium à *muliere* ortum vt habuerit. 221.
Nihil Dei *mandato* adiiciendum, neque *detrahendum*.
Vt à *mendacio* excusari *Eua* potuerit.

Cui respondit Mulier.

CVi *respondit Mulier*. Mulierem, etiam ab hac parte se prodidit, dum tam facilè, tàm promptè, tam citò interroganti respondit, nec apud se diù cogitauit, quale esset responsum datura, debebat ipsa reponere, quid hoc ad serpentem, vt hoc interrogaret; sed hac in responsione facta est inexcusabilis, adeo vt obliuionem mandati obtendere non possit. Benè Alcuinus rem quærens: *Cur mulier ad interrogata serpenti respondet?* ait. *Vt prauaricatio eius* ESSET INEXCVSABILIS, *cum nullo modo dicere potuit se oblitam esse mandati quod serpenti prodidit.* Sic ille interrog. 62. 212

Cui respondit. Satius fuisset si negasset responsum, & tacuisset, nam vt ait Sanctus Ambrosius in Psal. 38. VICISSEMVS SI EVA TACVISSET: *ergo primum illud processit ex voce peccatum; & serpens ille nequissimus atq; versutus per vocem nos antè tentauit: atque vtinam aut Adam surdus fuisset, aut Eua obmutuisset, ille, ne vocem suæ vxoris audiret: ista, ne loqueretur marito: & lubrica vocis ministerio serpentis in virum venena transfunderet.*

Cui respondit mulier, Felix si tacuisset, lapsa est dum respondere voluit tentatori. TACERE DEBVERAT MVLIER, inquit hic Lippomanus, *&* INDICASSE PROTINVS MARITO. *Periculosum est confabulari veteratoribus dæmonum persuasionibus præbere aurem & obsequi.*

A malo consiliario nihil non mali timendum. Cecidit prima mulier, quia consiliarium serpentem putauit, & fraudes eius, structásque insidias, optima credidit consilia: *Mulier*, inquit B. Dionysius, *credidit eum, qui loquebatur in serpente* NON ESSE ADVERSARIVM, SED BONVM CONSILIARVM. Nihil homini homine nocentius; qui sub consulentis persona hostilem mentem tegit. 213.

Mirum prima verba, quæ loquuta legitur mulier prima, illa fuere, quæ ad serpentem dixit, quin nullum omnino verbum cum viro protulisse proditur. Felicior illa, & nos post illam feliciores, & per illam, SI DE DEO, rebusque diuinis diuinis beneficiis egisset cum viro, cautior cum serpente fuisset & à lapsu alienior. Mulieris est videre, & expendere cum quo loquatur, nec facilè alios ad familiare COLLOQVIVM admittere inscio viro.

Cui respondit. Muneri non benè suo respondit mulier, dum serpenti ad malum allicienti respondit malè. A serpente ipso discere debebat aures occludere serpenti, nam & ipse claudit incantanti. Per aurem igitur Euæ in Euam virus immisit, & per illam in virum. Benè S. Ephræm: *Vnde mors principium habuit? nonne* PER AVRES EVÆ, *dum eam serpens alloqueretur, aditum sibi patefecit? potest enim improbus Dæmon, per os loquentis, tacentem occidere: & quem proprio lædere nequiret ore, per* AVDITVM *interficit.* Sic ille de linguæ malo.

Cur serpenti aures præbuit Eua? *Nihil aliud persuasit* 214

persuasit mulieri, inquit Ferus, *vt serpenti auscultaret, quàm* CVRIOSITAS; *sciebat serpentem esse animal irrationale, miratur tamen loquelam eius*.

Prima, quæ secretum reuelat est mulier prima, à qua defectus in alias est transmissus: Secretum, inquit bonæ notæ auctor, quod Deus Adamo commiserat, MVLIER ARCANORVM IMPATIENS diabolo suggessit; exarmata autem secreto, facilè diabolico telo locum fecit; & à secreti violatione tot postea damna sunt nata.

Euæ erat statim se à serpente subducere, nec longas cum eo moras trahere, traxit moras contraxit culpam. *In hoc etiam peccat Eua*, inquit Ferus, *quod* DIVTIVS CVM DIABOLO CONFABVLETVR, *cum oporteret primam eius suggestionem statim allidere ad petram. Nemo securus loquitur cum diabolo*; quod ad eos quoque transferas qui diaboli vices agunt, diaboli ministri, & vicarij sunt.

215 Respondit Eua serpenti, cum deberet virum consulere, ne malè responderet, & fraudibus caperetur. *In hoc peccat Eua*, inquit Ferus, *quòd virum non* INTERROGAT, *sed sibi ipsi satis videbatur sapiens. Eam imitantur, qui discere, &* AVDIRE AB ALIIS DEDIGNANTES, qui hoc ipso magis indigent ab alijs informari, quò se putant non indigere.

Simplicior mulier fuit, quàm esse debuisset; errauit, quia totam se insidiatori commisit, nec de fraude aliquid cogitauit; nostrum est ab illius lapsi discere non labi. Præclarè S. Chrysostomus serm. contra ignauiam. *Mulier*, inquit, *cum diabolo os occludendum fuisset, cum indignum eum responso ducere debuisset, stultè illa sententiam Domini effutijt: itaq; summam illi occasionem insidiarum præbuit: vides ne, quantum mali in eo sit*, SI QVIS SE SE ADEO SIMPLICITER INIMICIS ET INSIDIATORIBVS PERMITTAT: *hac de causa etiam Christus dixit: nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas ante porcos, ne forte conculcent vos, & canes conuersi disrumpant vos, hoc quidem Euæ euenit: illa enim sanctum cani dedit & porco, qui ea sanctissima verba conculcauit, & conuersus fœminam discerpsit*.

Cecidit Eua, quia non timuit in serpente fraudes, & se putabat securam. *In hoc primo*, inquit hîc Ferus, *peccat Eua*, QVOD NIMIVM SECVRA EST, *quasi nihil periculi ipsi possit accidere, sic & nobis plerumque contingit & ibi præsentissimus est diabolus, & hoc vocatur in Psalmo, dæmonium meridianum, media enim luce apparet, dum scilicet nihil minus timemus, iudicamus omnia salua & sancta*. Omnia illi timenda, qui nihil timet.

De fructu verò ligni, quod est in medio Paradisi præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud.

216 IN medio Paradisi erat non solum arbor scientiæ boni, & mali, sed etiam vitæ, cur ergo absolutè dixit mulier interdictum sibi esum ligni, quod erat in medio Paradisi? *Mentita est*, inquit Rupertus, *nam & lignum vitæ erat in medio Paradisi, quod Dominus Deus non interdicit*. Quæ incautè, inconsideratèque loquuta est, facilè mendacium emisit.

Decepta à serpente est Eua. Sed quæri hîc potest quare Deus Euæ non reuelauit, quod serpens simulatè loquebatur. *Dicendum*, inquit Franciscus Aretinus, *quòd non reuelauit*, QVIA EVA PER SE IPSAM POTERAT ILLVD ADVERTERE, *quia dixerat serpens, non moriemini, & dixerat Deus, moriemini, atque ita dæmon faciebat Deum mendacem, sed quisque poterat videre hoc esse falsum. Et verè illa cognouisset dæmonem falsa dicere, nisi appetitus inordinatus honoris insurrexisset ei, per quem cecidit ab innocentiæ statu*. Omnia facilè credit, qui culmina appetit, & è veritatis suggestu Ioui brachio cadit, qui sublimem honoris ambit gradum.

Præcepit nobis Deus. Cur *Domini* titulum non produxit? Eua sequuta est tentatoris astutiam, qui ab hac appellatione abstinuit, ne timorem aliquem illis inijceret, quo à peccato auocaretur. Catharinus de Eua loquens ait: *Dicit Deum, non Dominum Deum: Abstinuit enim à tremendo illo nomine Tetagrammaton, ne cogitationem* DEBITI TIMORIS *inijceret*. Vt hinc videas quàm vtilis Dei timor sit, & lapsui impediendo opportunus.

Præcepit nobis Deus. Religiosior esse mulier debebat, & in Dei honore liberalior, *Domini* 217
titulum omisit, Deum nudè protulit, & in hoc præeuntem dæmonem sequitur, qui *Deum* dixerat, *domini* mentionem tumidus non fecit. *Vide*, inquit Ferus, *quàm irreuerenter loquatur adijcere debuerat* DOMINVS DEVS ET CREATOR NOSTER, *sed nihil horum fecit*. Quæ intus tumuerat, etiam verbis tumorem suum patefecit.

Præcepit nobis. Indicat hîc mulier sibi quoque præceptum impositum, sed per virum, vt statim moneretur mulieris esse viri consilio regi. Peritè Vgo Victorinus lib. 1. de Sacram. part. 7. cap. 5. *Sanè*, inquit, *hic considerandum, quod non quemadmodum superius videtur soli viro præceptum datum sit. Ipsa enim mulier hic testatur sibi quoque mandatum, vt lignum scientiæ boni & mali non tangeret. Sed voluit scriptura ostendere, quia mulier, quæ viro subiecta fuit, diuinum mandatum non nisi mediante viro accipere debuit: vt sermo Dei primum quasi immediatè ad virum fieret, deinde mediante viro ad mulierem quoque, quæ subiecta viro fuit, &* CONSILIO VIRI INSTITVENDA, *perueniret*.

Præcepit nobis. Iam ipsa sua responsione omnino inexcusabilem se mulier indicat, dicere potuit, se præcepti oblitam, sed hærere memoriæ responsione, quam serpenti dedit, probat. B. Alcuinus interrog. 62. cum hanc quæstionem proposuisset: *Cur mulier ad interrogata serpenti respondet? Resp. Vt præuaricatio eius esset inexcusabilis, cum* NVLLO MODO DICERE POTVIT SE OBLITAM *esse mandati, quod serpenti prodidit*.

Nimi-

218 Nimirum præceptum ille aggrauat, cui præceptum displicet. *Dixerat Dominus*, inquit Ferus, *de ligno scientia non comedes; hac autem dixit de ligno, quod est in medio Paradisi præcepit nobis*, QVOD FALSVM ERAT, *nam & lignum vita erat in medio Paradisi, quod Dominus non interdixit*. Nimirum præceptum aggrauat, cui præcepti obseruantia displicet.

Et ne tangeremus. Adiecit mulier, quod Deum dixisse non legimus: *Deus*, inquit Honcala, *præcipiendo tactus non meminit, ipsa mentiens adiecit: ne tangeremus, vt mandatum Dei* SVPERSTITIOSVM INSINVARET, *& insolens atq; imperiosum*; Scilicet qui Dei mandata eleuant, facilè ea violant.

Et ne tangeremus. Deus de tactu nihil dixerat, fors prudens Adam de suo adiecerat, Dei præceptum mulieri exponens, ne scilicet à tactu ad esum iret. Aliqui ita primos parentes proposuisse asserunt: *Cum haberent*, inquit Procopius, *cognitionem diuinarum rerum apud semetipsos, iam statuerant, & concluserant, Deus dixit, non comedetis*, NOS VERO NE CONTINGIMVS QVIDEM ARBOREM. Benè cum illis actum, si quod proposuerant, obseruassent, plus obseruare debemus, quàm Deus iubeat, vt illud obseruemus, quod iubet; nisi quod hîc illi perstinguntur, qui dum plus seruant, quam IVBEANTVR, & iussum quoque VIOLANT.

219 *Et ne tangeremus*. Hoc dixisse Deum non legimus, fors hoc vir ex suo addidit, vt à gustu mulierem auocaret. Ita Vgo: *Fortè Adam exponens mandatum Domini mulieri dixit, ne tangeret illud lignum, quia* EX TACTV FACILIS FIT CASVS IN GVSTVM. Scilicet qui peccatum fugere cupit, illa debet vitare quæ via ad peccatum sunt.

Euæ factum imitantur illi, quibus Dei præcepta & plura, & difficiliora videntur, quàm sint. Multi similes, inquit ille, Euæ videntur, quæ respondens quæstioni, quam serpens illi proposuit, ait: De fructu ligni quod est in medio Paradisi præcepit Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud. Nòn vtique dixerat hoc Deus, sed tantum ne comederent de fructu illo, cui visum est duas res præcepisse, duoque præcepta imposuisse. Mos EST PECCATORES VALDE VSITATVS CONQVERI, QVOD MVLTA EIS PRÆCIPIANTVR, eaque maximè difficilia.

Et ne tangeremus illud. Hoc Deus non dixerat de suo adiecit mulier, fitque statim TEMERARIA DIVINÆ LEGIS INTERPRES, exposuit se, aliosque multis discriminibus, quæ plus sapere voluit, quàm oporteret, Dei legem temerè exponens.

220 *Et ne tangeremus*. Tacitè his verbis mulier innuit peccati occasionem vitandam ei, qui peccatum non vult admittere. Opportunè ille; Ostendit, inquit, mater nostra Eua, QVAM MALA OCCASIO, quamque potens vt nos in peccatum prolabi faciat. Quam cum dæmon interrogaret, cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno Paradisi? respondit ei mulier: de fructu ligni, quod est in medio Paradisi præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus. Illud, ne fortè moriamur. Notate quæso, Deum solummodo dixisse, de ligno scientiæ boni, & mali ne comedas, non autem dixisse, ne tangas illud vt patet. At intellexit Eua (& optime quidem) Deum ipso facto, quo eis esum prohibuit, tactum etiam vetuisse, nam tangentes arboribus illius fructum, periculo maximo exponebantur edendi illum. Sic fratres mei, ratio atque experientia nos docet, si quidem nobis ex vetito isto fructu comedere non licet, illum etiam tangere nobis non licere: ne vero illum tangamus, valde necessarium est eum non videre. Ne quod edere, aut tangere tibi non licet, aspicias: ibi enim te passio tua superabit: vt diuinam Maiestatem grauiter offendas.

Et ne tangeremus illud. De suo hoc mulier 221
addidit; putant aliqui Adamum cautione ista inhibitioneque Dei præceptum onerasse, alijs mendacium effudisse mulierem. Sanctus Ambrosius lib. de Paradiso cap. 12. de hac re ita sensit: *Plerique putant hoc vitium non esse mulieris, sed Adæ fuisse: ita Adam dixisse mulieri, dum eam vellet facere cautiorem, vt adderet mandasse Deum*, NEQVE TANGETIS EX EO; *habemus enim quia Adam, non Eua mandatum acceperit à Deo: nondum enim mulier formata fuerat: ipsa quidem verba Adæ quibus mulieri dixit formam seriemque mandati, non prodit lectio: sed intelligimus per virum ad mulierem transisse. Viderint alij quid sentiant, mibi tamen videtur, à* MVLIERE COEPISSE VITIVM INCHOANDI
MENDACIVM; *Nam etsi de duobus videatur* 222
incertum, tamen sexus prodit, qui priùs potuerit errare. Hinc etiam idem Sanctus Doctor, nihil Dei mandatis adijciendum, detrahendum nihil; sic ille habet lib. de Paradiso cap. 12. *Tangetis Deus non dixerat, sed non edetis; sed tamen lapsus incipit esse principium; nam quæ addidit, vel superfluum addidit, vel addendo de proprio, semiplenum intellexit Dei esse mandatum. Docet igitur nos præsentis series lectionis*, NEQVE DETRAHERE ALIQVID DIVINIS DEBERE MANDATIS, NEQVE ADDERE. *Nam si Ioannes hoc indicauit de suis scriptis. Si quis apposuerit, inquit, ad hæc adjciet in illum Deus plagas, quæ scripta sunt in libro isto: & qui dempserit de verbis his prophetiæ huius, delebit Deus partem illius de libro vitæ: quanto nihil diuinis mandatis est detrahendum? hinc ergo cœpit præuaricatio prima esse mandati*.

Ne tangeremus. A mendacio excusari mulier potest, si locum non de nudo tactu intelligamus, sed de eo, qui ad esum, vsumque ordinetur. Ita Sanctus Thomas: *Ne tangeremus. Intelligo*, inquit, *de tactu qui ordinatur ad vsum de propinquo*, quo puto inhibitum & mulierem tangere, tactu nimirum impudico.

Sectio

Sectio IV.

Ne fortè moriamur.

222 NE *fortè moriamur*. Mortis memoria eius menti dum firmiter non hæret, vt de ea dubitet, non mirum quod infelix mulier ceciderit, & tot malorum in alijs etiam causa extiterit. Benè Porrecta hîc: *Dum inquit, ne forte moriamur*, NIHIL FERE COGITABAT DE MORTE, *quod nullo fermè illius timore pauebat, vt quæ nec mortem sibi certò affuturam credere se dicebat*. In pœnitenda facilè labitur, qui mortem non cogitat, nec certo futuram credit. Certum timeri exitium potest, cum in dubium mors futura vocatur. Explicari non potest, quot damna oriantur à morte, licet futura credatur, si longius quam sit putetur abesse.

Ne fortè moriamur. Quàm ingentia, quàm multa inuexit in orbem mala hoc *fortè*! Rem luculenter pius auctor versat: Primum, inquit, mendacium, quod dictum fuit in orbe terrarum fuit illud, quod dixit Eua: Ne fortè moriamur, respondens diabolo percunctanti eam. Cur præcepit vobis Dominus, ne comederetis ex omni ligno Paradisi? Hoc fortè quia illa addidit, fuit ianua casus eius, HOC ENIM FORTE apprehendit Satanas, & illo eam decepit, & sic in peccatum lapsa est. Et cum hoc fortè nos omnes modo decipit. Est mala mulier Deum offendens, viroque suo iniuriam inferens; cui conscientia dicit: Ne hoc facias, quia maximum est peccatum, & si vir tuus hoc intelliget, occidet te. At illa conscientiæ suæ respondet, FORTE NESCIET HOC, & sic ad malum perpetrandum audaciam percipit. Vadit latro ad furandum, dicit ei conscientia; Ne hoc facias, quia est patibulum, at ille decipitur, dicens, fortè non sentiam. Proh dolor? quod propter, hoc, fortè multa, atque horribilia peccata committunt, fortè, aiunt, hoc anno non moriar, fortè in posterum agendæ pœnitentiæ tempus habebo. O infelix si forte rem tanti ponderis, ac momenti statuit, sicut est Deum committere perpetuisq; inferni ignibus cruciari.

Ne fortè moriamur. Suspicata nimirum est comminatoriè Deum dixisse, præcepti violatoribus mortem subeundam, sed ex Dei misericordia id non implendum. Vt hinc quisque caueat, ne DIVINÆ MISERICORDIÆ OBIECTV cadat in pœnitenda. Primæ mulieris casus, & pœna clamat, ne nimis nobis de diuina misericordia blandiamur. 223

Ne fortè moriamur. Metu pœnæ agebatur fœmina non amore virtutis, non Dei; vt non mirum si diu in bono non perseuerarit: *Metu magis*, inquit B. Arias Montanus, *quàm voluntate se se duci, & agi fœminea sapientia declarabat*, POENÆQVE FORMIDINE *detentam iussum illud obseruare*; vt non mirum si facilè ab innocentiæ suggestu ceciderit, & Dei mandata violauerit.

Dixit autem serpens ad mulierem nequaquam morte moriemini.

DIxit autem serpens ad mulierem nequaquam morte moriemini. Dubitantem mulierem dum vidit serpens, ad negationem vocauit; hic dæmonis mos, vt in malis suadendis, ac persuadendis à minimis incipiat, vt ad magna perducat, à magnis ad maxima pergat: *Quia vidit mulierem*, inquit hîc Abulensis, *de morte comminata dubitantem, statim constanter asseruit mortem nullo modo pro actu illo secuturam, vt de assertione Dei* AD DVBITATIONEM MVLIERIS, ET DEINDE AD NEGATIONEM DÆMONIS GRADATIM VENIRETVR; & in fine errorem bibat mulier, quem initio statim reiecisset.

Nequaquam morte moriemini. A muliere Satanas didicit apertè mentiri, mulier dubitauit, Satan negat; plerique malitiam inchoant, quam dæmon perficit, & consummat, vt videantur dæmonis esse magistri. Præstat sistere, quæ habet Vgo Victor. lib. 1. de Sacram. part. 7. cap. 4. *Considerate incrementa perditionis. Primum dixerat Deus: In quocunque die comederis ex eo, morte morieris. Deinde mulier dixit. Ne fortè moriamur. Nouissime serpens dixit. Nequaquàm morte moriemini. Deus affirmauit. Mulier dubitauit. Diabolus negauit. Nequaquam autem Diabolus coram muliere verba Dei negare præsumpsisset, si non prius ipsam mulierem dubitantem inuenisset. Quæ ergo dubitauit ab affirmante recessit, & neganti appropinquauit: Ipsa igitur secundum aliquid* INCHOAVIT MALITIAM, *quæ tentatori iniqua*

iniquæ persuasionis dedit audaciam.

Defuit in hoc etiam muneri suo Eua, quæ vbi serpentem mendacia contra Deum proferentem audiuit, diuinæ iniuriæ zelo tacta non fuit, nec serpentem pressit, aut repressit. Benè in principio, inquit doctus ille auctor, mulier correxit serpentis mendacium; sed molliter quidem, atque ignauiter. Debuisset ad primum serpentis sibilum procul inde aufugere: vel saltem vbi mentientem contra Deum audiuit, illicò bestiam impresso pede obterere. NEC ENIM DEO IRROGATAM INIVRIAM FERRE PATIENTER DEBET, qui audit, si virtutis Deique zelo mouetur.

Nequaquam morte moriemini. Cur numerosè
224 serpens loquitur, cum solam mulierem alloqueretur? *Quia tendit ad hoc*, inquit Caietanus, *vt mulier non sola comedat, sed* VT INDVCAT ETIAM VIRVM *ad comedendum fructum vetitum.* Hic dæmonis est astus per vnius lapsum plures in ruinam agere, si potest.

Nequaquam morte moriemini. Vides hic, vt in nequitia dæmon pergat, *prius interrogatiuè dixerat*, inquit Ferus, *cur præcepit vobis Deus, hic manifestè contraria Deo loquitur, sic enim* SEMPER AD MAIORA MENDACIA DVCIT, *si semel admittitur, id quod nunc experimur.*

Nequaquam morte moriemini. Peccati fenestram aperit, dum mortis cogitationem surripit. *Furtim*, inquit Sanctus Basilius Seleuciensis, *demit* MORTIS TERROREM, *vt legis munimenta deprædetur.* Munimentum abit, imbecillitas intrat, si mortis timor absit.

225 *Nequaquam morte moriemini.* Vide hîc quendam in malis gradum: *Deus affirmat*, inquit Lippomanus, *mulier* DVBITAT, *Satan* NEGAT; nisi mulier dubitasset, non ita facilè negasset serpens. Scilicet nostræ malitiæ diabolus superædificat, vt falsi sint, qui totam culpam in eum reijciunt.

Nequaquam morte moriemini. Negat serpens, quod asseruerat Deus, *Audet*, inquit Moses Barcepha, *Dei* VERBVM CONTEMNERE, & contemnenti assensit mulier, ab hoc quoque totius generis humani nata ruina est; qui Dei verbum contempsit eum serpente, contemptibilis vt ille facta est.

Nequaquam morte moriemini. Vbi à nobis metum adimit mortis sæuus hostis, nihil est mali, quod à nobis non eliciat, vt mortis timor nos à pœnitendis auocat, sic dum hunc timorem submouet IN POENITENDA FACILE IMPELLIT. Scilicet multum illi timendum, qui mori non timet, & mortis expuit timorem. Ab hoc mortalium ruina exordium sumpsit.

226 *Nequaquam morte moriemini.* Legis suæ temeratores morituros dixit Deus, non morituros diabolus; Sed eò magis timenda nobis est mors, quò securiores ab eius telis futuros nos asserit hostis vitæ, & mortis auctor. Vt nunc quoque assiduè ingeminet nos non morituros sic explicat Sanctus Augustinus in psal. 73. *Sufficiat prima deceptio: si non potuimus primo permanere in præcepto, saltem corrigamur exemplo; nondum erat exemplum casus humani, quando dictum est ad Adam: morte morieris, si tetigeris: & venit de transuerso serpens, & dixit: non morte morieris, & creditus est serpens, contemptus est Deus: factum est vetitum mortuus est homo. Nonne impletum est potius, quòd minatus est Deus, quàm quòd promiserat inimicus? Sic est certè, agnoscimus hoc; ideo omnes in morte iam vel experti cauti simus; non enim cessat & modo serpens, insusurrare & dicere: Nunquid verè damnaturus est Deus tantas turbas. Liberaturus est paucos? quid est aliud quàm facite contra præceptum*, NON MORTE MORIEMINI? *Sed quomodo tunc, sic & nunc.* SI FECERIS QVOD SVGGERIT DIABOLVS, *& contempseris, quod præcepit Deus: veniet iudicij dies, & inuenies verum, quod minatus est Deus, & falsum quod pollicitus est diabolus.*

Sectio V.

Dei similitudo à *rectitudine* & iustitia non à nuda *scientia* est.
Cur *veri* & falsi non meminerit *Satanas*, sed boni & mali.
Bonum cur prius *Satanas* proposuerit, quàm malum. 234.
Incipit *desipere*, qui cupit plura *sapere* quam oporteret.
Dominatum cur non *promiserit satanas* primis parentibus.
Perstricti, qui *dominatum* noxium experti ad maiorem *adspirant*.
Quàm vilis vel *dæmonis* mente rerum terrenarum *appetitus*. 235.
Notati, qui citiùs currunt ad *scientiam*, quàm ad *vitam*.
Nudam boni *scientiam Dæmon* proposuit non exercitium.
Ineptè *scientiam* homini *diabolus* promisit. 236.
Diù in *tentanda* muliere occupatum *diabolum* aliqui asserunt.

Scit enim Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo aperientur oculi vestri.

227 SCit enim Deus. Tacitè voluit insinuare, hoc bono voluisse Deum primos parentes priuare, ne scilicet scirent bonum, & malum. Sed cur istuc exertè & absq; vllo inuolucro non dixit? *Callidè*, inquit Caietanus, *noluit hoc explicare, ne apertè videretur prouocare mulierem aduersus Deum: SVB SPECIE ENIM BONI SVGGESTIONES SVAS PALLIABAT, vt non cognosceretur hostis, sed suggerens bonum mulieri, & viro eius.*

Scit enim Deus. Inuidus Satan persuadere homini statim studet Deum illi deitatem inuidisse. De inuidia loquens Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 27. hæc habet: *Hæc & Luciferum obscurauit ob mentis elationem prolapsum (indignum enim atque intolerandum ducebat, se cum diuinus esset, non Deum quoque existimari) & Adamum per voluptatem & mulierem circonuentum, è Paradiso expulit: adductus est enim, vt DEITATEM SIBI INVIDERI CREDERET, Dum à scientiæ ligno arceretur.*

Scit enim Deus. Huc spectat serpens, vt inuidiæ notam Deo inurat; *eo hac verba spectant*, inquit Moses Barcepha, *vt persuadeat, Deum PER INVIDIAM ea illis arbore interdixisse, nempè ne dij fierent, qualis ipse esset.* Quo euasit astus dæmonis, vt inuisum homini Deum redderet, reddere inuidum studuit, inuidissimus ipse, Qui maxima laborabat inuidia, inuidiæ insimulare Deum audet. Huc spectat & illud Abulensis hîc: *Nequaquam moriemini. Quasi dicat Deus dixit hoc non quia sic futurum esset: sed vt vos arctaret ad non comedendum, Scit enim Deus. Hic subdit causam falsam prohibitionis, & IN HOC CVLPAT DEVM DE INVIDIA dicens quæ Deus sciebat, quasi comederent de illo ligno efficerentur sicut Dij; ideo inuidit, & prohibuit comedere.*

Scit enim Deus. Quasi Deus bona sua homini inuideat. *Maximè omnium*, ait Ferus hic, *conatur Deum persuadere inuidum qui homini tanta bona inuideat. Ob eam causam etiam nunc maximè quosdam angit, & vexat circa prædestinationem, nimirum vt persuadeat Deum quibusdam INVIDERE BEATITVDINEM, vt hinc in desperationem, & in odium Dei ducat.*

Scit enim Deus. Omnia in peiorem partem trahit Satanas, etiam quæ Deus facit; Satanam imitantur, qui ea, quæ superiores agunt sinistrè interpretantur. Appositè Oleaster ad verba producta: *Ostendere, inquit, nititur versipellis Deum inuidum, qui, scilicet nollet in scientia consortem. Sunt hodie tales in orbe, QVI IN DETERIOREM INTERPRETANTVR PARTEM: aut malo animo fecisse temere iudicant, quæ superiores ex summa charitate præcipisse dignoscuntur. Quo docemur, non esse nostrum superiorum præcepta discernere, sed obtemperare, modo non sit malum: quod præcipitur. Obediendum est, non discernendum.* 228

Aperientur oculi vestri. Infelici omine serpens prædixit fore, vt oculi Adam & Euæ aperirentur; sed hanc serpentis deceptionem prodit pœna inflicta serpenti; nam oculi serpentis, inquit doctissimus ille auctor, qui nimirum dixit, aperientur oculi vestri, velut in pœnam mendacij, quotannis miserè caligant, & necesse habet quoties mutat pelliculam suam, mutare etiam orbes oculorum, & detrahere eis quædam veluti specilla: quæ videntur semper in exuuijs serpentum, vt ex hac etiam re, sumi possit NON INVTILIS RECORDATIO DECEPTORIS.

Eritis sicut Dij scientes bonum, & malum.

ERitis sicut Dij. Cur Euam solam alloquens loquitur numerosè, extendens sermonem etiam ad virum qui aberat? Cur non dixit, *Eris sicut Deus sciens bonum & malum.* Quia in mulieris tentatione maximè diabolo propositum VIRVM DEIICERE, & cum illo viros omnes? An in hoc ÆMVLARI DEVM voluit, qui ambos primos parentes fuerat alloquutus, ambobus præceptum imposuerat, vtrosque ab esu ligni scientiæ boni, & mali reuocauerat.

Eritis sicut Dij. Efferre mulierem studet, vt deijciat; *Quoniam*, inquit Salianus, *exemplo suo didicerat, quàm pellax sit superbia, & quam facile illa in animos eorum, quibus omnia ad arbitrium fluunt insinuet se se, quamque DVLCIS SIT PROPRIA EXCELLENTIA ijs, quos Deus in altum euexerit eo melle linire statuit sagittas suas.* 229

Subdolus hostis cur potius primum parentem honorum promissione non fefellit, aut diuitia-

druitiarum, aut etiam filiorum? Quia hæc inepta putabat deijciendo, quem tentabat; obtulit quod censebat magis idoneum; id quod expendens B. Laurentius Iustinianus in Fasciculo amoris cap. 10. ait: *Hinc sciendi affectum primus homo in sui creatione recepit: quatenus naturali impulsu illum quæreret, à quo fuerat conditus, & in quo omnis scientiæ atque sapientiæ exuberat plenitudo. Cui inuidendo diabolus deceptionis sua parauit insidias.* NON AVTEM DIVITIAS, NON FVGITIVOS HONORES, NON SÆCVLI LENOCINIA, *aut corporis voluptates, seu filiorum propagines, illum vt superaret, pollicitus est. Diuinitatis honorem, boni ac mali scientiam eidem spopondit, dicens: Eritis sicut Dij scientes bonum & malum. Dolosè satis tentationum retiacula tetendit. Naturam quidem illius considerans sola illa promisit, quibus eum allicere posse cognouit. Neque ipsum fefellit meditata iniquitas.*

Eritis sicut Dij. Numerosè Dei nomen pronuntiat Dæmon, vt aliquid, quemadmodum Sanctus Petrus Damianus notauerat, statim contra Dei vnitatem euomeret. Hoc Sataniceæ mentis est, ERRORES VERBIS SEMINARE, & de Deo loqui contra Deum.

Eritis sicut Dij. Vt deciperet hoc dicit, sed interim vel inuitus prædixit vera. Serpentem sic perstringit S. Athanasius: *Vbi nunc sunt tibi, diabole, molitiones antiquæ fraudis? vbi captiosus iste serpens, qui Euam ex paradiso exigat? qui sic dicat, quocumque die comederitis eritis sicut Dij?* PRÆSAGIISTI ETIAM INVITVS VATES BONA MIHI: *quibus enim ad fraudem vsus promissionibus, has reipsa lucratus sum. Enunciationis fucus conuersus mihi est in exploratam veritatem. O miracula incredibilia & aliena à natura! quibus Paradisus est interclusus, illis cælum apertum est.*

230 *Eritis sicut Dij.* Quàm magna hîc hostis Satanici lucet fraus, & nequitia, homini pollicetur quod iam habet, nam ad Dei similitudinem factus, erat sicut Deus; sed ea conditione hoc promittit, qua hoc ipso amittat illud, quod iam habebat, & ab ea perfectione excidat, ad quam euectus à Deo fuerat. Nimirum SATANÆ PROMISSIONES DAMNA NOSTRA RESPICIVNT, & offert nobis, vt à nobis auferat nostra.

Eritis sicut Dij. Falsum honorem dum pollicetur, verum errorem seminat, ac si multi essent in orbe dij, *eritis*, inquit, *sicut dij*, cum vnus Deus sit. Sanctus Ambrosius lib. de Paradiso cap. 13. *Statim agglutinatum mendacium est, quia adiunxit. Eritis sicut Dij scientes bonum & malum:* IN QVO LICET ADVERTERE IDOLOLATRIÆ AVCTOREM ESSE SERPENTEM, *eò quòd plures Deos induxisse in hominum videatur errorem, quadam serpentis astutia.* Quam verò in eius promissione falsus fuerit dæmon sic ab eodem calamo habes: *Fefellit dicens, Eritis sicut Dij: non solum enim sicut Dij esse homines desierunt, sed etiam qui quasi Dij erant, quibus dictum est, Ego dixi dij estis: sui gratiam perdiderunt.* Sic ille loco superius producto.

Eritis sicut Dij. Prima adulationis verba à Satana fuêre; Dæmonem habent patrem, qui adulatione vtuntur, vt ad malos alios alliciant. Suauia videantur ista verba, fuêre nocentiora; duriora illis, quibus Deus hominem terram dixit, & cinerem. Præclarè Sanctus Chrysostomus serm. 13. de diuinis noui testamenti locis: *Hic quidem dixit, Eritis sicut Dij; ille autem terra es, & in terram abibis. Vter igitur magis profuit, hic ne qui dixit, Eritis sicut Dij: an ille qui dixit, Terra es, & in terram abibis? Ille mortem interminatus est, hic immortalitatem promisit. Atqui hic, qui immortalitatem pollicitus est, è Paradiso eiecit; ille verò qui mortem comminatus est, in cælum inuexit. Vides quomodo* FIDELIORA VVLNERA AMICI, *quam* SPONTANEA OSCVLA *inimici?*

231 *Eritis sicut Dij.* Cur numerosè de Deo loquitur? An inuehere plures deos quærebat? Nimirum honorem quærebat suum, qui honorem alijs promittebat. Dæmonem sic percellit Iulius Firmicus: *Cum ei (Euæ) diceres: Eritis quasi dij* TVNC PARABAS TIBI, *ac* TVIS TEMPLA, AC DELVBRA FACIEBAS, *& venenatores illuuiem nefarij sermonis consecrabas.* Superbus dum honore cumulare hominem simulat, ex verò sui mises fundamenta curabat ponere. Inhonorus honor, cui creatoris iniuria substernitur.

Eritis sicut Dij. Dixisset, in cœlum euehemini, super astra Dei exaltabitis solium vestrum. Signatò ab hoc sermone abstinuit, ne homini vel nollens suum casum obijceret, & POENITENTIÆ ANSAM offerret.

Eritis sicut Dij. Qui plusquam homo studuit esse, minus ferè, quàm homo est factus, tam noxium est, se super se efferre, & votis propriæ exiguitatis excedere limites. Benè auctor ab aureo ore: *Quoniam malignus ille dæmon, & nostri generis inimicus vidit protoplasti in Paradiso conuersationem, vitamque illam miseriæ expertem, & quòd is qui corpori sic annexus erat tanquam Angelus super terram ageret, volens illum supplantare & deijcere, ampliorum promissionum spe illum etiam his, quæ in manibus habebat destituit: tantum est malum* NON SE CONTINERE INTRA PROPRIOS LIMITES, *sed maioribus inhiare.* Sic ille hom. 1. in Genesim.

232 *Eritis sicut Dij.* Honoris, vt ita loquar cibus vehementius mulierem flexit, quàm arboris fructus, nam vt ait Sanctus Ambrosius lib. 4. in Lucam cap. 4. *Non Euam cibus inflexit, non mandatorum obliuio destituit, sed* PROMISSI HONORIS AMBITIO ILLECEBROSA *decepit. Quæ si solum Dominum adorare voluisset, indebita non quæsisset. Et ideò remedium datur quo telum ambitionis obtundas, vt soli Domino seruias.*

Eritis sicut Dij scientes bonum, & malum. Cur non potius dixit ascendetis in Cœlum, super astra Dei exaltabitis solium vestrum, præsertim cum hæc via fuerit illi præcipitium? Cauet illud suadere alijs, quod tam infeliciter cesserat sibi, non audet illud homini suggerere, quod ipsi exitij origo fuit, ne illius casus

prodeterur, aut etiam ne NVDVM COELI NOMEN ad meliora, saniotaque consilia hominem vocaret, sicque diabolus de sua cito paratura repercüteretur.

Cum peccatorum omnium radix superbia sit, vnde Eua intumuit antequam laberetur? Sanctus Thomas in cap. 3. epist. 1. ad Timotheum: *Statim, inquit, ad verba serpentis fuit elata eò quod alius esset de ea sollicitus & ex illa elatione seducta est*, VNDE ELATIO PRAECESSIT.

Eritis sicut dij. Quos similes Deo videbat,
233 dijs similes studuit efficere; scilicet quos euehere videtur Satanas deijcit. Lippomanus: *Cum diceret*, inquit, *Eritis sicut dij. Falsis vtiq; dijs, id est sibi, suisque sequacibus angelis apostaticis*, SIMILES ILLOS FACERE INTENDEBAT, *cum aliud (sicut iam dictum est) intelligi vellet in hac promissione sua, cui nimirum suauiter sonanti, quasi vino venenum mortis commiscuerat*.

Scientes bonum, & malum. Erras, Dei similitudo non à nuda scientia est, est à rectitudine, & probitate. Sanctus Bernardus serm. 2. in Natali Domini, dæmonem sic perstringit: *Eritis*, inquit, *sicut dij, scientes bonum & malum. O maleuole, è maligne, ad quid tis huius similitudo* SCIENTIÆ? *Sunt certè sicut dij*, RECTI, IVSTI, VERACES, *sint sicut Deus, in quem peccatum non cadit. Hoc quippe sigillo stante stabit vnitas illa*.

Scientes bonum, & malum. Boni, & mali me-
234 minit, non veri, & falsi; quod notabat his verbis Honcala; *Non dixit*, inquit, *scientes verum, & falsum, quæ ad simplicem scientiam maximè pertinent: sed bonum, & malum, quæ ad voluntatem præcipuè spectant: & quæ non adeò exactè speculandorum meditatione, quàm agendorum experimento cognoscitur*.

Scientes bonum, & malum. Et non vtrumque sciebant, scientia à Deo repleti? *Sciebant*, inquit Honcala, *Adam, & Eua, vt pote scientia pleni, prout ille ferebat status, naturam boni, & mali. Verum, quamuis experti essent bonum illius status, in quo erant: adhuc tamen aliquid aliud ignorabant, quatenus nondum fuerant experti malum, in quod erant collapsuri. Vnde & serpens superiori potentia coactus est*, PRIVS ILLIS BONVM, QVAM MALVM PROPONERE *dicendo, scientes non malum, & bonum, sed bonum, & malum*.

Scientes bonum, & malum. Insipientes reddere studebat Satanas, quibus sapientiæ augmentum pollicebatur; tunc nimirum DESIPERE homo cœpit, cum COEPIT CVPERE PLVRA scire, quàm oporteret.

235 *Scientes bonum, & malum*. Mirum cur Dei similitudinem promiserit, quæ in scientia esset sita, non in dominio. Cur non potius dixit; *Eritis sicut dij domini omnium creaturarum futuri?* Nodum ita soluit nuperus quidam auctor: Scientiæ Dei simulationem proposuit, & non dominij: Nonne ipse prius hunc appetierat dominatum? Plane appetierat, sed tam terribiliter fuerat à Deo in mortem præcipitatus, VT A SE ABIICERET OMNEM MEMORIAM DOMINATVS, nec vellet illius recordari. In hoc diabolo nequiores, qui noxium dominatum experti, adhuc tamen toti in illo sunt, quin ad maiorem adspirant, cui maius imminet periculum.

Scientes bonum, & malum. Mirum cur non potius opes, diuitiasque diabolus primis parentibus promiserit. Quid opes offerret ijs, qui mundi totius domini erant? An TAM VILIS RERVM TERRENARVM APPETITVS, & auaritia est, vt importunum, & ineptum vel dæmon duxerit primos parentes, quos Deus adeo extulerat, hoc vitio tentare?

Scientes bonum, & malum. Plures Adam damnant, qui eum imitantur. Benè Bercorius: *Quidam, inquit, sunt sicut Adam, qui plus diligunt scire, quam viuere*, ET CITIVS AD SCIENTIAM, QVAM VITAM, *& gratiam currunt, & potius appetunt fieri docti, quam boni esse*.

Scientes bonum, & malum. Dixisset *facientes bonum, & vitantes malum*; cauit dæmon ne mentionem de bono faciendo faceret, NVDAM SCIENTIAM PROPOSVIT; non est adeo mali bonum præstandum proponere, nedum ad illud homines inhortari.

Scientes bonum & malum. Scientiam promit- 236
tit, quam dare solus scientiarum dominus potest; sic Satanam perstringit Sanctus Bernardus serm. 1. de Aduentu. *Vnde*, inquit, *protinus inuidens homini, quam conceperat in semetipso, in eo peperit iniquitatem: suadens vt lignum vetitum gustans fieret sicut Deus, sciens bonum & malum*. QVID ENIM POLLICERIS, QVID PROMITTIS MISER: *cùm filius altissimi scientiæ clauem habeat: imò & ipse sit clauis Dauid, qui claudit & nemo aperit? In eo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi: tunc eos ut homini præstes, iniquè furaberis? Videtis quia verè iuxta Domini sententiam mendax iste est, & pater eius*.

Diù in tentanda muliere occupatum serpentem fuisse traditum ab aliquibus est. Catharinus hic. *Exstat*, inquit, *cuiusdam non leue testimonium, aientis Diabolum* PLVRIBVS REPETITIS SVBINDE TENTATIONIBVS *adorsum fuisse mulierem: & item quomodo Adam illam admonuerat ne daret aures serpenti. Ait prætereà, tribus diebus Heuam à viro ita instructam, ab eodem separatam vacasse orationi, & gratiarum actioni. Et postmodo cœpit tentatio, ita vt à die Sabbati qua condita fuit mulier, feriati fuerint in orationibus vsque ad quartam Sabbati, quam nos appellaremus diem Mercurij. Durauit autem tentatio vsque ad sextam Sabbati, qua dicitur Veneris, & ea die peccauerunt, & eiecti fuerunt de Paradiso, non videntes ibi aliud Sabbatum. Hæc ego apud auctorem quendam legi, & vt valde similia vero credidi, præsertim quod ex reuelatione accepta dicuntur. Nihil tamen pro re certa assertum volo*.

Sectio

Sectio VI.

Amoris affectus, quàm *caecus*. 237.
Colloquia praua, quàm *noxia* sint.
Oculorum custodia, quàm necessaria.
Oculus ianitor *Diaboli*. 238.
Impatientia spiritus in *Eua* notatus.
Oculi incontinentia, non sola serpentis astutia ad peccatum traxit *Euam*.
Curiosa *inspectio* rei interdictæ. 239.
Sapere malum, non sapere sed *desipere* est.
Ab *Eua* discamus *oculos* custodire.
Facilè *decipitur*, qui in rebus *dijudicandis* ab exstima specie ducitur. 240.
Corporis *sensus* minimè *custoditi* quantum animæ noceant.
Transgressionem, vt homini *Diabolus* persuadeat, etiam inepta obijcit.
Mali *radix* curiosus *visus*. 241.
Quæ ante *peccatum pulchra* videbantur, post inuisa videntur.
Plus sæpè *placent*, quæ *prohibentur*.
Dæmonis imbecillitas vnde collecta. 242.
Post *culpam* displicent, quæ ante culpam *placuere*.
A *pulchritudine* valdè *timendum*.
Maximi refert ex mera Dei *obedientia* & *amore* fieri, quæ à nobis fient. 243.
Peccati occasio, & *culpa* inditium vitanda.

Vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile.

237 Oculus sibi vsurpat, quod gustus est proprium. Videre, inquit pius ille auctor, quid AMORIS AFFECTVS EFFICERE POSSIT, vt quod proprius est effectus potentiæ gustus, oculo tribuatur. Ita Eua pomum illud amabat, vt illud videns bonum ad vescendum, & gustui gratum iudicauerit. Liberet vos Deus ab homine affectibus cæco, qui vt illi benefaciat quem amat, tibi male facit, & in eo se non errare existimat.

Vidit igitur mulier lignum. Et non etiam antea videret? *Verè dictum est*, inquit hic Ferus, *corrumpunt bonos mores* COLLOQVIA PRAVA: *viderat mulier etiam antea lignum, hoc nihil tamen curabat; nunc autem postquam à diabolo laudatum erat, magis ad ipsum afficitur, ac speciosius videtur lignum hoc omnibus alijs: sic enim quod amamus videtur esse pulchrum etiamsi sit malum, & è contra*. Quò ad mala colloquia hoc quoque antea notauerat Sanctus Chrysostomus, dum ait: *Verè* CORRVMPVNT BONOS MORES COLLOQVIA PRAVA; *quare enim non ante diaboli cum consilium, illi tale quid in mentem venit, nec lignum hoc considerauit, eiusq; pulchritudinem vidit? quia timebat mandatum Dei, & subsecuturum supplicium: nunc autem post quam à mala hac bestia decepta est, ita ut crederet quod per hoc non solum non offendantur, sed & Deo æquales sint futuri: tunc illam spes promissionis ad sumendum cibum impulit: neque intra suos limites contenta, sed inimico & hosti salutis nostræ maiorem fidem habens, quàm verbis Dei*.

Vidit mulier, & postea cecidit, non tam facilè casura, nisi vidisset, si pressisset ipsa oculos, fors non fecisset, quo opprimeretur, dum aperuit oculos, fenestram aperuit lapsui. Hinc colligit S. Gregorius, quam cautè sint oculi custodiendi; ait enim: *Vt munda mens in cogitatione seruetur, à lasciuia voluptatis suæ* DEPRIMENDI SVNT OCVLI, *quasi quidam raptores ad culpam. Neque enim Eua lignum vetitum contigisset, nisi hoc prius incautè conspiceret. Scriptum quippè est: vidit mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum & pulchrum oculis aspectuq; delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit: hinc ergo pensandum est quanto debeamus moderamine erga illicita visum restringere, nos qui mortaliter viuimus, si & mater viuentium per oculos ad mortem venit*. Sic ille lib. 21. Moral. cap. 2.

Vidit. Hoc voluit Satanas, qui tantam homini fœlicitatem inuidebat: oculo vsus est tanquam 238
ianitore, per quem corruptum in animam peccatum veneret. Festiuè Sanctus Thomas hîc vbi ait: *Omne malum intrat per sensus, vnde* OCVLVS EST IANITOR DIABOLI, *qui introducit bestias inferni, quæ animas deuastant*.

Vidit igitur. Tanquam si impatientiæ spiritum à spiritu nequam ebibisset, nam ab impatientia fuisse quod Dei præceptum temerauit mulier, docet in hunc modum Tertullianus lib. de Patientia cap. 5. *Conuenta statim illi mulier, non temerè dixerim per colloquium ipsum eius afflata est spiritu impatientia infecto. vsq; adeo nunquam omninò peccasset, si diuino interdicto patientiam perseuerasset. quid quòd non sustinuit sola conuenta, sed apud Adam nondum maritum, nondum aures sibi debentem, impatiens etiam tacendi est? ac traducem illum eius quod à malo hauserat, facit. perit igitur & alius homo per impatientiam alterius: perit mox & ipse* PER IMPATIENTIAM SVAM *vtrobique commissam & circa Dei præmonitionem, & circa diaboli circumscriptionem: illam seruare, hanc refutare non sustinens*.

Vidit igitur mulier. Consultò hoc adiectum, ne tota culpa serpenti tribueretur. *Liquet ergò*, inquit Sanctus Chrysostomus, *omnem illam fraudem ab amentia & ignauia: non autem vi quadam profectam esse. quod ipsum vt clarius peruideas, attende, quomodo littera sacra mulierculam accusent. Non enim aiunt: fœmina illa decepta: sed, conspicata lignum illud pulchrum comedit. Itaque crimen illud* OCVLI INCONTINENTIS, NON AVTEM IMPOSTVRÆ: *quæ solum diabolum autorem haberet. Sua ipsius enim cupiditate illa, non dæmonis tantum malitia deuicta*

victa est. Idcirco neque veniam consecuta est: sed posteaquam dixisset: Serpens me decepit: sic illa pœnam vltimam quoque luit, vtpote penes quam fuit, etiam non labi.

239 Vidit post serpentis colloquium arborem Eua; ex curiositate fuit ista visio, oculos si cohibuisset, non tàm facilè porrexisset manum. Eximiè Sanctus Bernardus: *Tu quoq;, inquit, ò Eua in paradiso posita es, vt cum viro tuo opereris & custodias illum: si iniunctum perfeceris, quandoque transitura ad melius, vbi nec opus sit te in aliquo opere occupari, nec de custodia solicitari. Omne lignum paradisi tibi conceditur ad vescendum, præter illud quod dicitur scientia boni & mali. Si enim cætera bona sunt, & sapiunt bonum, quid est opus edere de ligno quod sapit etiam malum? Non plus sapere quam oportet sapere.* SAPERE ENIM MALVM, SAPERE NON EST SED DESIPERE. *Serua ergo commissum, expecta promissum, caue prohibitum, ne perdas concessum. Quid tuam mortem tam intentè intueris? Quid illo tam crebrò vagantia lumina iacis: Quid spectare libet, quod manducare non licet? Oculos, inquis, tendo, non manum. Non est interdictum ne videam, sed ne comedam. An non licet oculos quoque volo leuare, quos Deus in mea posuit potestate? Ad quod Apostolus, Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Et si culpa non est,* CVLPÆ TAMEN INDICIVM EST. *Nisi enim mens minus se curiosè seruaret, tua curiositas tempus vacuum non haberet. Et si culpa non est, culpæ tamen occasio est, & indicium commissæ, & causa est committendæ.*

Vidit mulier; melius sibi, melius nobis consuluisset si non vidisset; ab Eua discamus visum custodire, Pulchrè Nicetas in orat. 43. Sancti Gregorij Nazianzeni. *Fructus ille tam visu pulcherrimus tum perceptu suauissimus, nos per primos parentes inescauit, atq; interemit, colorum mitores posthac fugiamus,* VISVM QVI PRINCIPEM INTER SENSVS LOCVM TENET, CASTIGANTES: *nec ad externa; sed ad nos ipsos oculos flectamus, iuxta illud Deuteronomij præceptum: attende tibi ipsi.*

240 *Vidit igitur mulier.* Considerauit arborem, & fructum mulier, vt scilicet exploraret, num aliquod signum mortis in eo appareret, quod notauit Albinus, exq; illius venustate, ac pulchritudine coniecit nihil mortiferi in eo esse. Tàm facilè est DECIPI IN REBVS DIIVDICANDIS, AB EXTIMA SPECIE DVCI. Quod non alienè ad personas quoq; transferas, in quibus iudicandis facile errat, qui externis, & alienis indicijs ducitur.

Vt arborem vidit Eua, Dei abstinentiam iubentis, memoriam posuit, vt hinc pateat, quantum corporis sensus noceant minimè custoditi, quod tetigit Sanctus Diadochus de perfectione spirituali cap. 56. dum ait: *Quod* ASPECTVS ET GVSTVS, ET RELIQVI SENSVS MEMORIAM CORDIS DISTRAHVNT, *cum ipsis immoderatè vsi sumus, Eua hoc nobis prima confitetur; tantisper enim dum illa libenter ad arborem interdictam non aspexit memoriam diuini iussi studiosè retinebat. Quamobrem veluti alis diuini amoris tegebatur, vnde nuditatem suam ignorabat, postquam verò lignum libenti animo vidit, ac valdè cupide fructum eius attrectauit, & cum vehementi gustauit voluptate, continuò ad complexum corporis delinita est, adiungens se libidini, vt nuda, totamque suam cupiditatem ad fruendum præsentibus tradidit.*

Vidit mulier quòd bonum esset lignum. Asseruit mulier, quod experta nondum erat, quia nimirum id eius menti serpens obiecerat, vt facilius ad transgressionem alliceret. Pulchrè ille: Diabolus mulieri arboris illius fructum, quem nunquam degustauerat, suauissimum esse mentitus est. Vidit (inquit) mulier lignum quod esset pulchrum visu, aspectuq; delectabile, & ad vescendum suaue. Rectè quidem scire poteras, mulier lignum hoc aspectu esse delectabile (hoc enim tibi oculi denuntiarunt) qui autem scire, hoc aspectu potuisti, esse etiam ad vescendum suaue, quod nunquam degustasti: nisi quoniam qui tibi diuinitatis gloriam falso pollicitus est, quod nunquam gustaras, AD VESCENDVM SVAVE PERSVASIT?

Vidit mulier. Mali nimirum radix curiosus 241
visus fuit, perdidit se, quia curiosè aspexit; *Si auertisset Eua,* inquit B. Laurentius Iustinianus de Sobrietate cap. 4. OCVLOS AB ASPECTV VETITI, *minimè concupiscentiam ipsius sensisset; sed aspexit, concupiuit, comedit, & maledictionis sententiam incurrit: si radicem extirpasset, stetisset planè, nec sibi, nec nobis varias calamitates acquisisset. Ideo non licet intueri, quod non licet concupisci.*

Vidit mulier. Etiam antea arborem viderat, sed noua cupiditas, quâ iam in eius fructum afficiebatur, fecit vt pulchra illa videretur licet postea eam arborem detestata fuerit, quod notabat his verbis Pererius hic: Viderat antea mulier arborem illam, sed simplici & innocenti aspectu: vidit tunc, sed ardens iam cupiditate illius fructus edendi. VISA EST EI ARBOR ILLA LONGE PVLCHERRIMA, quam tamen eandem mox, violato iam Dei præcepto, factaque cœlestium bonorum iactura, VIDIT ET ODIT ATQVE DETESTATA EST. Idem passim & in alijs accidit, nam quæ ante peccatum placuêre, post culpam displicent.

Placuit arbor mulieri, vbi expendit vetitum illi ex eius fructu comedere, *Duplo placebat,* inquit Lyppomanus, *quod iam fuerat mulieri prohibitum;* sic ferè accidit, vt plus placeant, quæ inhibentur.

Pulchrum oculis. Fructus pulchritudinem, 242
ac suauitatem mulieri Satanas obiecit, tanquam suis id viribus consequi se non posse crederet, vt vel hinc eius imbecillitas eluceat; *Attende,* inquit Oleaster, *hic* SERPENTIS FRAGILITATEM, *cuius suasio non sufficit ad fœminam in peccatum deyciendam. Sed pulchritudinem fructus, gustumque obiectauit: vt quod non faceret consilium, pulchritudo perficeret pomi. Similiter docemur, non affici malis: quoniam, vt*

Aristo-

Ariſtoteles dixit, qualis apparet finis, talia omnia videntur, quæ ad illum conſequendum conducunt. Cum enim fœmina cœpit affici ſcientiæ deſiderio, ſtatim pomum oculis apparuit deſiderabile, & quod mirabilius eſt, guſtui ſuaue. Nunquam guſtauerat, aut ſenſerat; vnde ergo nouerat fructum bonum ad veſcendum, niſi ex corrupto affectu, quo afficiebatur ſcientiæ boni, & mali.

Pulchrum oculis. Ante peccatum primis parentibus placuit iſta arbor, poſt lapſum, ODIO IPSAM *ſunt proſecuti*, inquit Moſes Barcepha. Hæc Satanæ ars eſt, vt maximè poſt culpam diſpliceant, quæ maximè ante culpam placuere.

Quam timendum à pulchris, cum ipſa arboris pulchritudine vſus dæmon fuerit, vt mulierem deijceret? Quando diabolus, inquit pius ille auctor, Euam decipere voluit in inſtrumentum pulcherrimam arborem dicitur accepiſſe. Et ſic illic legitur. Vidit Mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis aſpectuque delectabile, atque ex hac pulchra arbore Diabolus Mulierem accerſiuit, quæ nihil aliud præter arboris venuſtatem conſiderans ſtatim abijt, & fecit omnia quæcunq; illi Diabolus conſuluit. Deus Moyſi pecora paſcenti in rubo ſpinis cooperto, igniſque ſuccenſo apparuit, & illinc eum vocauit, atque allocutus fuit, populoque ſuo præfecit. Itaque Dæmon Euæ in pulchra arbore apparuit, & PVLCHRITVDINE illa eam ſpiritaliter occidit, atque deſtruxit. Deus autem Moyſi in rubo ſpinis cooperto atq; ſuccenſo apparuit, & exinde in ducem ſuum illum elegit.

Sed hîc aliquis credat, cur non potius fru-
243 ctum arboris Deus homini interdixit, quæ viſu eſſet horrida, & cuius fructus non adeo eſſet ſuauis, vt facilius ſeruare præceptum poſſet? An id fecit vt parentis hominis magis elucerct obedientia, & verus in Deum amor? Pulchrè nuperus auctor; Cur Deus, inquit, parentibus noſtris in Paradiſo interdixit eſum arboris pulcherrimæ, & ſuauiſſimæ, quæ clarè conſpectantibus offerebat fructum pulchrum viſu & ſuauem ad veſcendum, in quem appetitus ipſe maximè poterat affectu inclinari? Nonne melius eſſet, iam quod volebat eſum alicuius arboris prohibere, vt illa eſſet ex iis quæ fructum ferunt aſperum aut durum, & figura deformem, qui non ſolum non excitaret appetitum ſedatum, & pacatum, ſed excitatum potius, & accenſum, ſolo viſu compeſceret; vt quercus, caſtaneus, iuniperus? Ita enim ſecurior fuiſſet præcepti obſeruantia. Reſpondet Baſilius, nequaquam ita agi oportuiſſe, ſed optimo conſilio Deum illam arborem prohibere voluiſſe, quæ fructum ferret, ad cuius conſpectum appetitus maximè propenderet, & inclinaretur; vt hoc, quod homo abſtineret ab eo, quod maximè erat ſuo guſtui, & appetitui conforme, oſtenderet ſe illud facere EX MERA DEI OBEDIENTIA, ET AMORE. Oportebat enim, vt hoc modo, tot tantaque beneficia ſuſcepta, & quæ ſuſcipienda ſperabat, perſolueret, purè propter Deum, & eius obedientiam abſtinendo: nam ſi abſtineat ab iis, quæ guſtui ſuo erant contraria, non tam illa abſtinentia propter Deum, quàm propter ipſummet ſui appetitum eſſet, cuius inclinationem ſequeretur.

Peccati occaſio etiam leuis defugienda omnino eſt, ne quis in peccatum labatur. Rem egregiè explicat Euæ exemplo Sanctus Bernardus de gradibus humilitatis, quæ pomum ſpectans, ad pomum tandem manum porrexit, pomum ori admouit. *Quid*, inquit, *tuam mortem tam intentè intueris, Quid illuc tam crebro vagantia lumina iacis? Quid ſpectare libet, quod manducare non licet? Oculos, inquis, tendo, non manum. Non eſt interdictum, ne videam, ſed ne comedam. An non licet oculos quò volo leuare, quod Deus in mea poſuit poteſtate? Ad quod Apoſtolus. Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. Et ſi culpa non eſt*, CVLPÆ TAMEN INDICIVM *eſt*.

Sectio VII.

Eua pomum *editura* æſtuans, & anceps. 244.

Eua omnium *malorum* cauſa.

Viri eſt à peccatis *vxorem* cohibere. 245.

In qualibet *muliere Eua* timenda.

Euam pro *Adamo* ad lignum manum extendiſſe aliqui referunt.

Ineptè in *vitijs conſortes* quærimus. 246.

Mulieris eſt omnia viro *deferre*, nè decipiatur.

Adami infirmitas expenditur.

Nimia cum *ſerpente* familiaritas in *Eua* damnata. 247.

Dei *Verba* quibuſdam mentis manibus tractanda, nè *decipiamur*.

Quam noxius *amicitia* humanæ affectus, niſi coerceatur.

Diabolus per vnius *lapſum* multos deijcere ſtudet. 248.

Primum *munus*, quàm noxium accipienti fuerit.

Eua pomum *Adamo* offerens producitur. 249.

A *muliere*, quam affectus, aut damni timor inuadit, ingentia mala *timenda*.

Diaboli *ianua mulier* dicta.

Malo *perſuadendo*, quàm efficax *mulier*. 250.

Improbus habere in malum *conſortem* quærit.

An *verba* à ſerpente audita viro retulerit *Eua*.

Supe-

Superiores à suis non *abesse* quanti referat. 251.

Prælati non facilè à suis *absint*.

Mulieres sæpè *importunitate* obtinent, quod vi non possunt.

Cur de *ligno* vetito *Eua* comedens idem viro statim persuaserit.

Ineptus *amor* plus aliquando nocet quàm *odium*.

Magni momenti in rebus promouendis, aut deterendis, quæ *religionem* tangunt, *fœmineum* studium habet. 252.

Frustra quis in *fœmina constantiam* quærat.

Eua lapsus in hoc grauior apparuit, quod *liberos* nondum haberet, cum peccauit.

Falluntur qui *socium* in *crimine* quærunt, vt leuius suum crimen reddant.

Et tulit de fructu illius, & comedit, deditq́; viro suo.

244 EVam pomum edituram mente æstuantem dubiam, & ancipitem sui, nobis offert Alcimus Auitus lib. 11. Poematum.

O quoties ori admotum compuncta retraxit;
Audaciśq́; mali titubans sub pondere dextra
Cessit, & affectum sceleris tremefacta refugit;
Dijs tamen esse cupit similis, serpitq́; venenum
Ambitione nocens, rapiunt contraria mentem,
Hinc amor, inde metus: pulsas iactantia legem,
Interdumq́; etiam lex subuenit, ÆSTVAT, ANCEPS
Diuiduæ cordis dura inter prælia fluctus.
Nec tamen incentor desistit fallere serpens:
Ostentatque cibum dubiæ, queriturq́; morari,
Et viuat in lapsum prudentis prona ruina.

Peccauit Eua, & ad peccatum inuitauit Adam, vt proinde omnium malorum mater extiterit. De illa hæc habet Sanctus Vincentius Ferrerus serm. 1. in die Sancta Paschæ; *Dum* EVA *viuebat in hac vita dicere potuerunt, qui tunc viuebant, quando patiebantur aliquod malum; propter te habemus ista mala.* Nullum tamen legimus hæc similiaque dixisse; non legimus dixisse Adamum, qui primus hæc sensit mala, quia primus assensit mulieri ad pomi esum inuitanti.

Euam iure pungit, eiusque leuitati, & graui culpæ Christum patientem obijciebat Marcus Vigerius in suo decachordo chorda 7. vbi ait: O EVA, *tu similitudinem Dei per scientiam desiderasti, serpens per scientiæ appetitum te decepit. Sapientia per te pro nobis ludibrio habetur à stultis, illuditur ab impuris. Sed quomodo illudebant? Velauerunt faciem eius in quem desiderant Angeli prospicere, operuerunt oculos: facies namq́; hoc loco pro sui parte nobilissima sumitur, totum pro parte nominando. Vidisti ò Eua ligni fructum, & quòd esset pulcher oculis, aspectuq́; delectabilis, corruisti; nos in te lapsi sumus. Qui autem te, qui nos releuat, velatur oculos, ne saltem videre liceat vnde læditur. Vtinam & tu oculos velanisses rationis pallio, vt non te decepisset pomi pulchritudo. Stetissemus omnes; velari Regem nostrum, reparatorem, Redemptorem nostrum non oportuisset; sed quia oculos non velasti, non auertisti ne viderent vanitatem, duriora restant velato Domino Iesu subeunda. Quoniam percutiebant eum; velatam quippe faciem percutiebant. Extendisti ò Eua ad ligni pulchritudinem manus; Christus pro te ad turpes derisiones, & faciei percussiones ligatus est manus. Cum tu corruisses, serpens discessit, tibi relicta es: Damnatus illuditur Christus, ceditur caput & faciem; neque tamen hic malorum finis.*

Statim ac comedit ex fructu vetito mulier, comedendum & viro obtulit. Censent aliqui ad viri præsentiam mulierem comedisse, vt 245 hinc omnes calamitates initium sumpserint, quòd vir coërcere vxorem neglexerit, ex hoc etiam factum, vt quod facilè vir fecerit, quod à muliere fieri non prohibuit. Hinc illud Caietani: *In hoc primum peccatum insinuatur; negligentia, scilicet,* COHIBENDI VXOREM A COMESTIONE VETITI FRVCTVS. *In hoc quoque insinuatur facilior aditus datus mulieri ad persuadendum, qui præsens neglexerat ipsam cohibere.*

Deditq́; viro suo. Primum munus, quod obtulisse mulier viro legitur, fuit vetitus fructus, vt vel hinc discamus, quàm in qualibet muliere cuilibet Eua timenda, rem sic vrget Nicetas in orat. 43. S. Gregorij Nazianzeni: *Videndum tibi est, ne cum palpebris abripiaris,* ATQVE EVA TIBI ANIMO PROPONENDA, *quæ quidem dulcis impostura erat, ob conspicuam ipsius formam, & Incantatio Chara, propter illicientem, & delinientem voluptatem, fœmina enim velut esca, Marem ad se trahit, ac veneno inficit, voluptuariisq́; gestibus, & sermonibus, ac rebus, quasi quibusdam præstigijs, ludificatur, quibus ad acerbissimum animæ Interitum & exitium illectus pertrahitur. Nam si illa quæ propria erat, sociaq́; & auxiliatrix data fuerat, virum perdidit, quo pacto meretrix, & aliena saluti futura est?*

Deditq́; viro suo. Ex quo colligitur, Adamum arbori non extendisse manus, vt fructum decerperet, sed ab Eua illum accepisse. Ita Caietanus; *Dicendo,* inquit, *dedit, monstrat,* QVOD IPSE ADAM NON EXTENDIT MANVS SVAS AD ARBOREM; *sed mulier pro se, & pro viro legit fructum ex arbore: vt hinc intelligamus instantiam mulieris ad prouocandum virum.*

Cum delere fletu peccatum suum mulier 246 deberet, auxit, dum in peccatum virum studuit allicere. *Magnum profectò peccatum,* inquit Lippomanus, *quod ipsa mulier virum quoque secum in culpam traxit. Debuit quidem illa peccatum suum deflere, nec addere peccatum peccato. Sed in hoc se putauit habere consolationem, si virum faceret peccati sui participem. Quodammodo enim naturale est, vnumquemq́; velle siue in* VITIIS SIVE IN VIRTVTIBVS ASSOCIARE SIBI CONSORTEM. Ineptè scilicet in vitijs consortes quæri-

quærimus, cum abolere vitia debeamus, non augere.

Sunt qui putent mulierem narrasse viro quæcumque audierat à serpente; errauit in hoc Adam, quod errantem non dixerit & deceptam à deceptione non auocauit. *Vxor*, inquit Abulensis, NARRAVIT EI OMNIA, *quæ serpens loquutus fuerat, quæ non credidit vir, sed comedit, ne vxorem contristaret*. Mulier præstitit, quod est mulieris, vt omnia viro narret, vir non fecit, quod erat viri, vt aberrantem in rectam viam deduceret, & monita offerat, quibus vitentur insidiæ, pericula caueantur.

Dedit mulier fructum viro, & comedit, nihil examinat, non præceptum Dei expendit, in hac parte vxore sua infirmior extitit, & imprudentior: *Virilior*, inquit Sanctus Anastasius Sinaita, *Eua apparuit in transgressione mandati, ipsa enim & sola resistit serpenti, & cum quadam obiectione & contentione, comedit ex ligno*, ADAM CVM NIHIL OMNINO PVGNASSET, *fructus fuit particeps dati à muliere*.

247 In hoc peccauit prima mulier, quod nimiam familiaritatem cum serpente contraxit, ac si eius esset effecta vxor. *Cum comedisset*, inquit idem Sanctus Anastasius Sinaita, *mulier stans prope serpentem* TANQVAM ESSET EIVS VXOR, vt non mirum si repudium iustitiæ dederit.

Ruinæ occasio primis parentibus fuit, quod sine mentis consultatione in optata ruere, nec prius mente tractarunt, quod à Deo audierant. *Nihil Adæ*, inquit Sanctus Ambrosius, *& Euæ fortasse nocuisset verbum* SI PERTRACTANTIBVS *diligenter* QVIBVSDAM MENTIS MANIBVS, *ante tetigisset*; nimirum non adeo facile corporeis manibus vetitus fructus tactus ab illis fuisset, si mentis manibus Dei præceptum contrectassent.

Deditq́ viro suo, qui comedit. A virili fortitudine longe dissitus dum comedit. Habes hîc quam noxius amicitiæ humanus affectus sit. Non veritus est Adam Deum offendere, ne Euam contristaret, cui amicabili quodam amoris vinculo erat ligatus. *Adam*, inquit Sanctus Augustinus, *noluit Euam contristari, quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab eius alienaretur animo, & non quidem carnis victus concupiscentia, quam nondum senserat in resistente lege membrorum legi mentis suæ: sed* AMICABILI QVADAM BENEVOLENTIA, *qua plerumque fit, vt offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus*.

248 Dedit viro pomum mulier, in hoc quoque serpentis secuta consilium. *Dedit viro suo*, inquit Liranus, *inducendo eum ad comedendum, sicut fuerat à* SERPENTE IMBVTA. Hoc maximè dæmon spectat, vt per vnius lapsum alios ad lapsum trahat, parum illi solum aliquem perire, vult comites eum habere.

Deditq́ viro. Prima legitur mulier aliquid viro dedisse, liberalior fuisset si non dedisset, plus fuit quod abstulit, quàm quod obtulit? Mirum quæ costam ad vitam acceperat à viro, viro pomum exhibuit ad mortem; quàm imparia hæc dona, & quàm malo accepto beneficio respondit mulier. PRIMVM MVNVS QVAM NOXIVM ACCIPIENTI FVIT! Nunc primum legitur aliquid homini ab homine datum. Malum omen, cum PRIMVM MVNVS MORTEM SECVM TVLIT; non audis mulierem viro abstulisse ex lectis minimèq; vetitis Paradisi fructibus, aut virum mulieri, quod primum à prima muliere offertur viro morte grauidum erat; quis deinceps munera suspecta non habebit, præsertim si ab alio sexu sint? à primo munere, quod tam noxium fuit discimus ad reliqua formidare.

Porrexit pomum Adamo Eua, quam sic virum alloquentem facit Alcimus Auitus lib. II. Poematum! 249

Et sic orsa loqui, semesum namque gerebat
Asseruans misero pomum exitiale marito.
Sume cibum dulcis vitali ex germine coniunx,
Quod similem summo faciet te fonte tonanti
Numinibusque parem, non hoc tibi nescia donum
Sed iam docta fero; primus mea viscera gustus
Attigit, audaci dissoluens pacta periclo.
Crede libens, mentem scelus est dubitasse virilem
Quod mulier potui, præcedere fortè timebas
Saltem consequere, atque animos attolle iacentes,
Lumina cur flectis? cur prospera vota moraris?
Venturoq́ diu tempus furaris honori?

Videns mulier se pomi vetiti esu diuinitatem minimè adeptam, neque supero lumine eius mentem perfusam, sed potius quadam caligine, cur suasit viro, vt & ipse de pomo eodem ederet? Nimirum, inquit bonus ille auctor, TIMVIT MVLIER A VIRO SEPARARI, si ipse immunis à delicto permansisset, quod ipsa contraxerat. Ergo malum illi molita est, vt idem piaculum vtrumq; inuolueret. QVID NON FACIAT FOEMINA, NE A VIRO, QVEM DEPERIT, AVELLATVR?

Deditque viro. Ausa est mulier, quod non est ausus diabolus; vt iure dixerit Tertullianus lib. de habitu muliebri cap. I. *In doloribus & anxietatibus paries mulier, & ad virum tuum conuersio tua, & ille dominabitur tui. & Euam te esse nescis? viuit sententia Dei super sexum istum in hoc seculo, viuat & reatus necesse est*. TV ES DIABOLI IANVA TV ES ARBORIS ILLIVS RESIGNATRIX, *tu es diuinæ legis prima desertrix, tu es quæ eum suasisti, quem diabolus aggredi non valuit: tu imaginem Dei, hominem, tam facilè elisisti*.

Dedit viro mulier vetitum pomum, & adiecit Moses, *& comedit*, scilicet absque vlla difficultate mulier viro persuasit ne ederet, cum non adeo facile dæmoni fuerit ad esum mulierem allicere, vt ab hac parte malo persuadendo mulier diabolo potentior videatur. Benè bonus ille auctor: Vide quanto astu rem dæmon agat, neque tamen statim initio fœminam deuicit, sed multa vltro, citròque habita sunt. At verò fœmina sine mora virum in malum traxit; deditque viro suo, & comedit. Non distulit, non reiecit, nihil causatus est, sed 250

sine

sine mora dicenti acquieuit. Scilicet ACRIVS MVLTO AD MALVM HOMINEM PROPELLIT FOEMINA, QVAM DIABOLVS; quapropter eos, quos fortissimos agnouit, & ad resistendum validissimos, per fœminam aggreditur; inualidos autem, & infirmos per se ipsum.

Deditq; viro. Non satis fuit mulieri deliquisse, peccati consortem habere virum voluit: *Hoc malum*, inquit hîc Oleaster, *vsque hodie grassatur in orbe: vt omnis malus* VELIT HABERE CONSORTEM, *& quod deterius est, etiam amicos. Vtinam sic eos velimus habere ad bonum socios, quemadmodum ad malum. Hoc autem ex amore, quem erga nos gerimus, accidere reor, vt amicos in malo velimus habere consortes, ne si contingat ex hoc malum aliquod, sine consortio, & solatio in supplicio simus.*

Dedit viro fructum mulier; aliqui putant & verba retulisse, quæ illi serpens dixit: *Est probabile*, inquit Beatus Dionisius hîc, *quòd* RETVLIT VIRO QVÆ A SERPENTE AVDIVIT, *& per verba consuluit viro suo, vt de fructu illo comederet. Cui vir consensit, quamuis non crederet verba serpentis esse vera, nec ex esu illo commoda adipisci.*

Cecidit Eua, quia Adam præsens non fuit;
251 tanti refert superiores à suis non abesse, licet etiam deuotionis prætextu id fiat; nam iuxta aliquorum mentem, Adam, cum Eua est lapsa, Deo vacabat. Sistenda hic sunt quæ habet idem B. Dionysius: *Vbi fuit Adam, quando Eua comedit? Planè apparet*, QVOD PER ALIQVOD SPATIVM ABSENS FVIT A FOEMINA, *ità quòd nec serpentem vidit eam astantem, nec eam de fructu arboris manducantem. Quia enim spirituali mente praditus fuit, Deo vacauit, nec tunc de corporali mulieris curauit præsentia; quamuis paulo antè fuisset ex eo formata, & ei adducta.*

Non debebat Adam ab vxoris præsentia se subducere, aut Euam sinere longius ab eius latere ire, vt superioris titulum sustineret, & sua præsentia, lapsum anteuerteret. Fuerit Adamus, inquit pius ille auctor, animo sensibusq; in altissima Dei cœlestiumque rerum contemplatione defixus: at gratius multo foret ipsi Deo curam gerere suæ vxoris: hoc enim esset pro Deo Deum relinquere. Iudicium durissimum ijs, qui præsunt, fiet, vt dicitur Sapient. 6. Prælato enim non tam demandatur, vt solitudinem oraturus quærat, quam vt in campo & in acie vigilet.

Non contenta cecidisse mulier & in lapsum virum suum traxit; dedit ei de fructu ligni vetiti: *Nimirum*, inquit Ferus, *muliebri importunitate non cessando donec vinceret, sic enim solent mulieres, & in hoc admodum efficaces sunt, vt patet de Sampsone, à Dalida importunitate deuicto.*

Deditq; viro suo. Hoc quoque à Diaboli suggestione fuisse sunt qui putent; nimirum hic dæmonis est genius, vt per vnius culpam ad aliorum lapsum aditum sibi faciat. *Cum iuxta serpentis suggestionem edisset*, inquit hîc Beatus Dionysius, *puto quòd* SERPENS MOX EI SVGGESSERAT, *vt virum ad idem alliceret. Ipsa quoq; volens virum, quem valdè amauit, habere facti sui socium & consortem, & quia ipsa iam delectata fuit in esu fructus prohibiti, atque ex hoc putauit se adepturam, quæ serpens promisit, voluit virum suum hac eadem obtinere.* Sic sæpè accidit vt ineptus amor plusquam odium noceat. Certè Eua plus amando virum viro obfuit, quàm odio alioquin obfuisset.

Quæ prima Dei timorem, religionemque 252 erat professa, à Dei cultu prima discedit, vt frustra quis in fœmina constantiam quærat; facilè mulier, quæ pietatis sunt bibit, facilè & reijcit. Rem sic Arias Montanus expendebat: Non parum MOMENTI HABET FOEMINEVM STVDIVM IN IIS PROMOVENDIS, VEL DETERENDIS, VEL IMMVTANDIS REBVS QVÆ RELIGIONEM SPECTARE VIDENTVR. Prima enim antiquissima illa omnium hominum mater Eua fuit, quæ timorem atque religionem erga Deum profiteri visa est. De fructu, inquit, ligni, quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Rursus verò eadem à Dei iussu, & cultu prima DISCEDENS, discessionem quoque verò persuasit. Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro suo, qui comedit.

In hoc grauior apparuit Euæ lapsus, quod liberos nondum suscepisset, quibus ad lapsum facilior redderetur, rem sic expendebat Sanctus Ambrosius: *Adhuc Eua liberos non habebat, quorum gratia vti dulcis ad amorem, ita* ESSET FACILIS AD LAPSVM.

Sed cur statim pomum viro mulier porrexit? *Quia iam*, inquit Sanctus Thomas, *in aliquo se peccasse sensit, & ex societate viri in crimine*, EXCVSATIONEM SVI CRIMINIS QVÆSIVIT. Tanquam culpam eleuaret, socium culpæ dum virum haberet; & non potius augeret, cum alterius lapsus causa extiterit.

Sectio VIII.

Notata Adami *inobedientia*. 253.
Cereos *homines* reddit, diuinæ *iustitia* inflexibilitatem non cogitare.
Amor inordinatus, quàm noxius.
Vbi *mortis* metus ponitur, nihil non mali *timendum*. 254.
Dei *dona* sine *labore* accepta facilè amittuntur.
Salutem *gula* vendere amentis est.
De *pænitentia* cogitasse *Adam* antequam caderet; aliqui putant. 255.
Mali *exempli* vis, quàm vehemens.
Magis *cupimus*, quod *prohibetur*.
Carnis vox audienda non est, ne pares *Adamo* simus. 256.

Ne

Ne facilè quisque se alijs *credat*, nec humano *auxilio* nimis fidat.
Bonus *latro* cum *Adamo* collatus.
A *coniuge* vir timeat. 257.
Perstricti, qui minimè *necessaria* quærunt, *salutaria* negligunt.
Delitiæ & *amenitates* periculosæ.
Ferax vt *peccatum* sit. 258.
Dei *seueritas* timenda, ne facilè *veniæ* spe peccetur.
Primi homini *lapsus* ad experimentum *peccandi* nobis seruiat.
Qui *alijs* non *consulit*, nec consulit sibi. 259.
In ea *peccata*, quæ quis commisit non facilè iterum *relabatur*.
Peccati emendationem maximè *Deus* spectat, non nudam notitiam.
Cauendum *viro*, ne serpentis exerceat munus; mulieri, ne *Eua* viro sit. 260.
Satanæ malignitas in *hominem* expenditur.
Nemo sibi de *loco* blandiatur.
Adam cadens vt *mæstitia* omnes affecerit.

Qui comedit.

253 QVi comedit. Promptius mulieri vir paruit, quam Deo, Euæ, & Adami inobedientia eò maior fuit, quò facilius poterat exerceri, & quò minor illa res, quæ præstanda erat. Rem sic versat S. Augustinus: *Sicut Abraha non immeritò magna obedientia prædicatur, quia vt occideret filium, res difficillima est imperata; ita & in Paradiso* TANTO MAIOR INOBEDIENTIA FVIT, *quantò id quòd præceptum est, nullius difficultatis fuit. Et sicut obedientia secundi hominis eo prædicabilior, quò factus est obediens, vsque ad mortem: ita inobedientia primi hominis eo detestabilior, quo factus est inobediens vsque ad mortem: vbi enim magna est inobedientia pœna proposita, & res à Creatore facilis imperata, quis nam satis explicet, quantum malum sit, non obedire in re facili, & tanta potestatis imperio, & tanto terrenti supplicio.* Sic ille lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 15.

Qui comedit. Mirum quod tam facilè mulieri vir obtemperauit: *Fecit istuc*, inquit Sanctus Thomas, *quòd* INEXPERTVS DIVINÆ SEVERITATIS ÆSTIMAVIT *se in Dei oculis ita charum, quod sententiam de morte non exequeretur super eum.* Nihil ita molles cereosque homines reddit in bono, quàm diuinæ iustitiæ inflexibilitatem, & seueritatem non cogitare, aut etiam non credere.

Comedit vir ex fructu vetito, *vt mulierem*, inquit Abulensis, NON CONTRISTARET, *credidit enim, quod si non comederet de fructu, quem ei mulier præsentabat ipsa tadio moreretur.* Sed satius erat mori mulierem, quam virum Dei iussa temerare. Quàm noxius amor inordinatus.

Qui comedit. Fors quia comedisse mulierem videbat, nec mortuam; vbi mortis metus 254
ponitur, nihil est mali, quod timeri non possit; iuuat hanc mentem Beatus Alcuinus, qui interrogat. 67. in Genesim cum quæsiuisset: *Vnde vir consentit fœminæ? Resp. Quia fortè illam eo cibo mortuam non esse cernebat; & potuit fieri vt putauerint* ALICVIVS SIGNIFICATIONIS CAVSA *dixisse Creatorem, si manducaueritis ex eo, morte moriemini.*

Qui comedit. Quàm facilis cecidit Eua, & Euam secutus est Adam. Nimirum qui nullo labore Dei ditati fuere donis absque vllo labore victi ab hoste fuere. Benè S. Bernardinus Senensis: *Vnde Adam & Eua nostri primi parentes tam citò ruerunt, quare Salomon apostatauit à Deo? Vnde etiam Petrus Ecclesiæ pastor à Domino constitutus, & alij plures per prospera, aut pro tempore reliquerunt Deum,* NISI QVIA ABSQVE SVDORIBVS, ET ÆRVMNIS, *adepti sunt altiora dona largitatis diuinæ, vt discat quilibet nostrum de acceptis gratijs exultare in Domino cum tremore. Etsi* SINE LABORE *acceperit dona, possideat illa cum magno timore.*

Magna intemperantia vsus Adam, qui totas Paradisi terrestris diuitias, deliciasque dissipauit pro vno pomo. In quem inuehitur Tertullianus: *Facilius ventri, quàm Deo cessit, pabulo potius, quàm præcepto annuit,* SALVTEM GVLA VENDIDIT. Accepit pomum, & dedit se.

Cecidit Adam, sed de pœnitentia cogitasse
antequam laberetur aliquorum doctorum sen- 255
tentia est; vt ab hac parte lapsum eius eleuent, & excusent. Vgo Victor. summa sent. tract. 3. cap. 6. ait: *Mulier in hoc dicitur seducta, quòd auditis verbis illis, Eritis sicut Dij, adeo intumuit, vt crederet verum esse, quod dicebatur. Adam vero non est seductus, quia non (vt ait Augustinus) credidit illud verum esse, sed putauit veruntque fieri posse, vt & vxori morem gereret, &* PER POENITENTIAM DEO SATISFACERET. *Minus ergo peccauit, qui de venia cogitauit. Ex quibus apparet, quo maior fuerit in muliere superbia, quam in viro: igitur & maius peccatum. Mulier quoque peccauit in Deum & proximum, vir in Deum tantum. Item mulier magis punita fuit: cui dictum est, In dolore paries filios; vnde apparet, quòd plus peccauit.*

Multis vsus est verbis diabolus, vt Euam ad diuini præcepti violationem alliceret, nullis ipsam vsam legimus, vt Adamum deijceret. Tantum habes; *Comedit deditque viro suo, qui comedit.* Et non Euà constantior Adam fuit, cur igitur tam facilè se sinit vir vinci? At quia, vt superius ille auctor ait, vehementior est tentatio per malum exemplum, quam per verbum suasorium; vnde quod Diabolus vix persuasit subtiliter argumentando, persuasit EVA PERPERAM OPERANDO.

De ligno vetito comederunt parentes primi; fors de illo non edituri nisi vetitum fuisset. Hinc illud Raulini Abbatis Cluniacensis. *Natura*

tura filiorum Adam nititur in vetitum. Si fortè NON FVISSET VETITVM *illud lignum, nec Adam, nec Eua comedissent*. Inhibitio inuitatio fuit.

256 Ne mulierem Adam offenderet offendit Deum. Vtinam adhuc plures non essent, qui Adami vestigia non premerent, & Euam suam potius audirent, quàm Deum. *Multi*, inquit Raulinus, *dedignantur aduersus Adam quod obedierit voci vxoris suæ magis, quàm diuinæ, & ipsi quotidie* EVAM, CARNEM SVAM *videlicet audiunt plusquam Deum*.

Ex lapsu Adami per vxorem, quæ tamen ei in adiutorium data fuerat, hoc quisque cautionis debet elicere, ne facile se cuilibet credat. *Ille*, inquit Sanctus Ambrosius, *qui adiumentum vxoris habiturum se credebat, lapsus est per vxorem. Vnde* NEMO DEBET FACILE ALTERI SE CREDERE, *nisi cuius virtutem probauerit*.

Cum Adamo manum ad lignum porrigente conferabat bonum Latronem Sanctus Athanasius Archiepiscopus Alexandrinus sermone in Parasceuem, huncque illi præferebat dum ait: *O Latro Paradisi custos*. *O* LATRO ADAMO LONGE FIRMIOR. *O latro primogenito illo quòad Paradisum, longè tutior. Ille enim importunè manum ad lignum extendens; mortem in mundum inuexit, tu verò in cruce opportunè manum expandens, perditum Paradisum recuperasti*.

257 Obtinuit à viro mulier, quod per se ipsum obtinere dæmon desperauerat, vt iure exclamauerit Sedulius:

Heu noxia coniux
Noxia tu CONIVX *magis, an draco perfidus ille?*
Perfidus ille DRACO, *sed tu quoq; noxia* CONIVX.

Ex ligno vetito Adam comedisse legimus non legimus comedisse ex concesso, idem vt nunc à multis fiat, sic explicat Raulinus: *Non legimus Adam vsum fuisse ligno concesso, sed tantum prohibito, quia* MVLTI NEGLIGVNT BONAM VITAM ET QVÆRVNT SCIENTIAM INFRVCTVOSAM. *Sap. 3. Vana spes illorum & labores eorum sine fructu. Plus enim diligunt scire, quam viuere, citius currentes ad scientiam, quam ad vitam: potius appetentes fieri docti quam fieri boni, currentes potius ad rumores audiendos, vel ad ioculatorem quam ad prædicatorem, & ad lignum scientiæ vt Adam, quam ad lignum vitæ. Ideò tales de Paradiso id est de statu salutis facilè eijciuntur*.

Tutus Adam in paradiso non fuit, per placentia ad illicita iuit, inter amænitates deliquit. Benè Theodorus Abucara: *Blanditia ipsius* VOLVPTATIS *primum deliniuit eum cupiditate: deinde dubitauit. Nisi pulchrum ei visum esset quod interdictum erat, nunquam mentem suam decepisset. Et aduerte quod dico, si diabolus ostendisset ei signum, vnde sumpsit vetitum cibum, tetro odore, & spinosum & amarum, dixissetq; si ex hoc comederis, eris Deus, nunquam sine probatione, & indignatione locum fallaciæ eius dedisset, quin potius curiosè de ea re inquisiuisset, ac respondens dixisset, vndè hoc scis? aut vnde hoc mihi probas? & me certum reddis? & denique nunquam sine vna demonstratione fidem verbis eius adhibuisset. Postquam verò cupiditas eum molliuit, fefellit ipse suam cogitationem*.

Post mulieris lapsum labitur & vir. Ferax 258
peccatum est, ex vno plura solent germinare; paucos repetias culpam aliquam grauem commisisse, & stetisse in illa. Vix multa crimina anteuertere? ne sinas te ab vno euerti.

Facilis lapsus est Adam, quia facilem ad veniam Deum putabat, cuius seueritatem nondum tenuerat, nec ab aliorum exemplo didicerat, sed Deus tam seuerè puniuit, vt in primo legem violante disciplinæ rigor statueretur. Ita loquitur Arnoldus Carnotensis tract. de oper. sex dierum. *Sciebat Adam non violandum mandatum Dei, sed facilem indulgentiam æstimabat non expertus iram vel iudicium, quia nondum* SEVERITATEM *vel supplicium. Oportebat omnino vt sibi statim, in primis parentibus rigor inciperet disciplinæ*, NE FACILIS VENIA *in contemptum Dei filios Adam genus humanum erigeret, & creatura præuaricans, & inhonorans Deum, non esset in gloriam, sed in contumeliam creatori*. Cecidit Adam, quia de Dei misericordia nimium præsumpsit, *inexpertus diuinæ seueritatis*, inquit Sanctus Thomas in cap. 3. epist. 1. ad Timotheum, *credidit quod* FACILE SIBI REMITTERETVR. O plures Adam non imitarentur, qui eò facilius in pœnitenda labuntur, quò faciliorem sibi veniam per pœnitentiam pollicentur.

Primi parentis lapsus à lapsu nos debet reuocare, nam vt ait Sanctus Augustinus in psal. 47. *Casus primi hominis* AD EXPERIMENTVM CAVENDI DEBET NOBIS VALERE, *non ad imitationem peccandi. ideo ille cecidit, vt nos surgamus. respondeamus talibus suggestionibus, quod respondit Iob. nam & ipsum per feminam tanquam per Euam tentauit, & vicit in stercore, victus in paradiso*.

Cecidit Adam, & secum posteros traxit; ni- 259
mirum posteritatis non expendens damna, sibi alijsq; grauissimè nocuit; ita ferè accidit, vt qui alijs non consulit, nec sibi, rebusq; suis consulat. Adamum sic alloquitur B. Laurentius Iustinianus præfat. ad Lignum vitæ. *Q*VARE POSTERITATIS DAMNA NON CONSIDERASTI? *cur beneficiorum munera perdere non es veritus? Tuo crimine progenies tua vulnerata est, ò Adam, tuo scelere humana est deteriorata conditio, & hominum genus diri per te tyranni seruitio mancipatum est. Inde infirmitates, hinc lachrymæ, gemitus, dolores, labores, seruitutes, rixæ, contentiones, auaritia, luxuria, & quicquid Deo aduersatur, effluxum est. Breuis fuit consensus, sed calamitas diuturna. Et quis potest fari multifarias pressuras, quæ mortalibus irrogatæ sunt per te, ò protoparens noster*.

Peccatum in mundum Adamus inuexit, nunquam tamen litteris traditur in eadem scelera incidisse, malum quod fecit, semel fecisse legis. Ab eius exemplo disce ad eadem non redire. *Redi in Adam vel priorem*, inquit Tertullianus,

si in

si in nouissimum non potes, semel gustauit ille de arbore, SEMEL CONCVPIIT SEMEL PVDENDA PROTEXIT, SEMEL DEO ERVBVIT, SEMEL RVBOREM SVVM ABSCONDIT, SEMEL DE PARADISO SANCTITATIS EXVLAVIT. In malo quod primus parens fecit hoc bonum sequere, ne bis eadem te culpa liges, satis sit semel cecidisse, vbi resipueris ne amplius desipias.

Hominum lapsum disertis verbis Moses manifestat; cur de Angelorum culpa nihil dicit? Sanctus Petrus Damianus: *Ob hoc forsitan Angelorum peccatum in scripturis non inuenitur expressum: ne scriptura commendaretur quod* EMENDARI *non poterat*. Nimirum peccati emendationem Deus quærit, non nudam notitiam. Qui homo ceciderit Moses edisserit, non quomodo Angelus, quia ille cecidit vt resurgeret, istius desperatus est casus. *Angelicum vulnus*, inquit Sanctus Augustinus lib. 1. de mirab. Sacræ Scripturæ cap. 2. *verus medicus, qualiter factum sit, indicare noluit, dum illud postea curare non destinauit. Et qualiter sit eiectus per sententiam vindictæ reticuit, quem per pœnitentiam nullo modo reuocauit. Peccatum verò hominis, quomodo factum fuerit, profertur: ipsum namque, quandoq̃,* PROMERERI VENIAM NON DESPERATVR. *Et qualiter eiectus sit homo, indicare Deus maluit, quem ad statum pristinum in nouissimo iterum reuocauit*. B. Alcuinus interrog. 3. Genes. sic rem versat: *Quare Angelicum peccatum silentio in Genesi absconditum est, & hominis patefactum? Resp. Quia Angelicum vulnus Deus non prædestinauit curare,* HOMINIS VERO SANARE PRÆDESTINAVIT.

260 Cauendum viro ne serpentis exerceat munus, mulierem decipiat, cauendum mulieri ne Eua viro sit. Sanctus Augustinus in psal. 93. ait: *Putas quia Deus curat quomodo viuant homines? & hoc fortè non in platea tibi dicit amicus, sed in Domo vxor, aut fortè maritus vxori fideli bonæ, & sanctæ deceptor ipsius. Si mulier marito, EVA est illi: Si vir vxori* DIABOLVS *est illi: aut ipsa tibi Eua est, aut tu illi serpens es.*

Mirum cur post ligni vetiti esum non suaserit serpens, vt de ligno vitæ statim primi parentes comederent, quò eorum miseriam & infelicitatem æternaret. An id non fecit quia huiusmodi lignum non nouit? *Nec Adam*, inquit Rupertus, *cognouit esse, nec ipse serpens diabolus sciuit quod etiam lignum vitæ plantasset Dominus Deus in medio Paradisi, si enim vel ille sciisset nunquam* CONSILIVM SVÆ MALIGNITATIS *ita dimidiasset, sed sicut illud lignum temerare persuasit, vt miseros faceret sic & illud præripere suasisset, vt æternaliter miseros, vel miserè æternos efficeret.*

Ceciderunt in Paradiso primi parentes, ne deinceps quis de loco sibi blandiretur; *si desit spiritus*, inquit Raulinus huc spectans, NON ADIVVAT LOCVS; *nusquam est securitas, neq̃ in Paradiso, multo minus in mundo. In cœlo enim cecidit Angelus sub præsentia diuinitatis. Adam in paradiso loco voluptatis, Iudas in mundo de schola Saluatoris. Ex quo patet, quod locus non facit hominem sanctum, sed sanctus locum sanctificat. Adam in paradiso cecidit, Iob in sterquilinio stetit.*

Dum Adam cecidit omnes creaturas mœstitia quadam affecisse Deumque ipsum, si esset capax, sic explicat S. Macarius Senior hom. 30. *Die illa qua lapsus est Adam, accessit Deus deambulans in Paradiso: Luxit (vt ita dicam) vbi vidisset Adamum, ac dixit: quibus è bonis talia excitasti mala? Ex qua gloria, talem geris ignominiam? cur tenebrosus es modo? cur aspectu teter? cur exoletus? quali ex lumine tales te obuelauerunt tenebræ? Cum itaq̃ cecidisset Adam, & à facie Domini mortuus esset, luxit illum creator, Angeli, virtutes omnes, cœli, & terra, cunctaque creatura,* LVXERVNT MORTEM ET CASVM ILLIVS, *quia viderunt eum, qui rex erat datus illis, factum esse seruum aduersariæ peruersaq̃ potestatis. Suam igitur ipsius animam tenebris induit, tenebris (inquam) acerbis ac diris, cum regi cœperit à principe tenebrarum.*

Sectio IX.

Operum potius ratio habenda, quàm *verborum*. 266.
Qui sibi *infestus* est, incipit alijs esse infestus.
Externa omnia, vt *consui* indigeant.
Bonum *verecundiæ* omen.
Voluptas hominis decidua, & citò transiens. 267.
Vera *perfectio* & *pœnitentia* in *habitus* asperitate minimè sita.
Pudor peccati frænum.
Peccati fœditas *verborum* folijs, haut tegenda. 268.
Opera tegenda, non *iactanda*.
Qui *peccata excusant* Deum contra se armant.
Post *peccatum caro* vexanda & corpus. 269.
Sartoria Ars vnde originem habuerit.
Sartoriæ arti rapacitas vt fere adiuncta.
Peccator quàm malè de rebus *iudicet*.
Peccatum peccatorem vt prodat. 270.
Peccator ad *folia* currit, cum deberet ad *fructus*.
Diabolus valdè *deijcit*, quos decepit.
In *vestibus gloriari*, quàm ineptum.

Et aperti sunt oculi amborum.

261 QVàm fuere cæci, qui post lapsum oculos aperuisse leguntur? nos alia à nostris parentibus mente, claudere oculos debemus, quos ipsi aperuêre. Benè Richardus Victor. tract. de differentia sacrificij Abrahæ, & Mariæ: *Qui vult huic* MVNDO *mortuus esse, oportet illum* OCVLOS ILLOS CLAVDERE, *quos in primis parentibus legimus apertos fuisse, & oblectamenta sensuum non attendere, nec aduertere. Sed & tunc qui eiusmodi est quasi post mortem sepulturam inuenit, quando per sapientiæ studium, æternitatisq́; desiderium à mundanis in supermundana transiens, in eiusmodi statum profuit: qualem carnalis quilibet non dicam scire, sed nec suspicari possit.*

Aperti sunt oculi amborum postquam peccauerant, idem quoque vt nunc fiat in ijs qui peccant, explicat Serapion apud Lippomanum in Catena, dum ait: *Fit quotidie quod factum est in prioribus illis parentibus. Quando namque peccamus, quasi cæci sumus, cum peccatum est,* TVM VERO AGNOSCIMVS QVOD FECIMVS.

Cumq́; cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.

ET non etiam antea nudi erant? sed adeò rerum corporearum erant obliti, vt minimè aduerterent se nudos esse; Pulchrè ille: Nostri primi parentes in statu innocentiæ, in SPIRITVALI DEI CONSIDERATIONE OCCVPATI, adeo corporum obliti sunt vt se nudos incedere non aduerterent. Scilicet corporis, & rerum corporearum obliuiscatur, ad innocentiæ statum accedere qui vult.

Nudum hominem Deus fecit, sed hoc in eius 262
gloriam cedebat, vt in hac re Angelis esset par; qui vestes non habent, nec illis indigent. Benè Sanctus Chrysostomus hom. 15. in Genesim. *Neque, inquit, vllis vestrum indumentis indigere illum permisit, sed* QVASI ANGELVM TERRESTREM *super terram versari voluit.*

Sed cur adiecit eos nudos fuisse? quia illa nuditas honoris, & gloriæ non ignominiæ erat. *Quid referebat*, inquit Ferus, *Adam nudum dicere nisi gloriam egregiam contineret nuditas? Non erat* IGNOMINIÆ *sed* HONORIS, *quòd nudi essent. Non erat insipientiæ sed securitatis, quod nuditatem suam non erubescebant.* Pulchra nuditas, quam innocentia vestiebat, malè vestitus est, qui caret hac veste licet purpura tegatur.

Cumq́; cognouissent se esse nudos. Cum crederent se eo honoris titulo exornandos, quo essent sicut dij, tunc cognouerunt se esse nudos; sic ferè fit, vt magnitudinis, & excellentiæ APPETITVS HOMINES DOTIBVS SPOLIET, quibus enitebat, non nouas adijciat.

Post lapsum cognouerunt se nudos esse pa- 263
rentes primi, *quos*, inquit Rabanus, *nunquam Deus permisit aduertere nuditatem suam, eorum* INTENTIONEM IN SVPERNA SVSTOLLENS. Licet in illo statu, & nuditas ipsa etiam cognita, & cogitata ad superna vrgere hominem potuerit.

Nudi erant antequàm parentes primi peccarent, iure id factum, ne scilicet vestiendi solicitudo eos à rerum diuinarum contemplatione auocaret. Lippomanus ex Sancto Basilio: *Oportebat, inquit, hominem sine peccato non erubescere, neque attendere nuditatem suam, ne illorum mens contemplationi diuinorum intenta,* DISTRAHERETVR CIRCA VESTIMENTORVM SOLICITVDINEM, *neque par erat, vt carnis cura mentem à Deo auocaret.*

Dei præceptum vt Adam temerauit statim stimulos sensit carnis, dum sub obedientia fuit, fuit liber, vt hinc obedientiæ & castitatis aliarumque virtutum nexus colligas, collegit Ioannes Eusebius, cuius hæc sunt verba: *Qui habet obedientiam, habet in compendio alias virtutes: qui* OBEDIENS EST, ET CASTVS ERIT, ET PAVPER. *Adam postquam non obediuit, statim sensit stimulos carnis, & quæsiuit vestitum; dum fuit obediens, castissimus & virgo mansit, & sua nuditate contentus pauperrimus.*

Nudum se Adam vidit, cum se virtutibus 264
spoliauerat; quod folijs se operit, leuitatis indicium dat, quæ comitari peccatores solet. *Virtutes exuens*, inquit ille, *induit folia, indumentum* LEVITATIS, & INCONSTANTIÆ.

Folijs se vestiunt, quòd erubescerent; sed cur erubescunt, cum nullus adesset, qui illis peccatum exprobraret? Adeo erubescendum, inquit

inquit bonus ille auctor, est peccatum, vt ETIAM SINE TESTE CONFVNDAT, vnde primi parentes vbi peccarunt, statim erubuerunt, suam nuditatem folijs obuelantes.

Folijs se vestit Adam, tanquam in truncum, de suæ dignitatis suggestu delapsus, degenerasset; quod in eos torquet scitus auctor Ioannes Eusebius qui nimis cupidè feruntur in cibos gulæ mancipia: *Si* PRÆCVPIDE, inquit, EDAS, TIMOR SIT TIBI NE DEGENERES, NON TAM IN PECVS, SED IN ARBOREM ET TRVNCVM. *Adam gula victus, statim instar arborum folijs vestitus est, quasi vellet fieri arbor; quam intromisit se, fugiens Deum. Gula & nutritio non est vita propria irrationalium solùm, sed & insensibilium plantarum, quibus peculiaris vita est nutritio. Ideò plenus venter obturat sensus, inanit mentem ad insensibilitatem traducens, impediendo vsum rationis, quæ post prandium nimium torpet: & contrahendo statim somnum, in quo nihil omnino distat homo ab vlmo & platano; nisi quod statu suo hac ferat fructum vmbra; vita verò comedentium est vita dormientium, & vita dormientium, vita cucurbitarum iacentium. Inde qui minus abstinet, minus rationi obediet, quippe insensibilior est: sola vita arborum incapax imperij est.*

265 *Consuerunt folia ficus*. Vides vt ijs folijs se se proderet, quibus se volebat occultare! nam vt ait Sanctus Augustinus serm. 2. de verbis Domini: *Quando primo peccauit (Adam) de folijs ficulneis succinctoria sibi fecit, significans in* ILLIS FOLIIS PRVRITVM LIBIDINIS, *quo peccando peruenit, &c.* Sicq; peccator ijs se prodit, quibus se studet occultare.

Quam leuis qui ad folia currit, qui in fructu peccauerat; sic seriò quidam illum irridet. *Scilicet à folijs quæsisti præsidium, qui vel in fructu reperceras damnum.* Addit: *Cum esses gentis humanæ radix, tunc voluisti videri* VIRIDIS FRONDE CVM EXARVERAS TRVNCO. Sic sæpè accidit, vt circa exstima, & vilia homo occupetur, cum quod erat maximum, maximique faciendum amisit.

Consuerunt folia ficus. Igitur primum vestimentum humani generis fuere folia, FOLIIS SVNT LEVIORES HOMINES, dum adeo circa vestium luxum insaniunt, & tam sedulam curam de corporis indumento habent, animæ vestitu neglecto.

Fecerunt sibi perizomata. A prima veste habes, vestes non necessitatis, sed pudoris inuentum, non enim contra vlla frigoris, aut æstus incommoda, sed ad velandam turpitudinem sunt prima vestimenta parata. Nuditate conspecta primi parentes non caput & humeros velarunt non totum texerunt corpus, quod vtique ab illis esset factum, si calorem, aut frigus spectassent, aut illum, istudque timuissent. Pudenda velarunt, pudori vt consulerent, non frigoris, aut æstus incommodis.

Consuerunt folia ficus. Discere à vestis primæ
266 materia potuerunt, factorum potius rationem habendam, quàm verborum; in ficu, vt Plinius obseruauit, *serius* FOLIVM *nascitur, quàm* POMVM. Ficus referunt, qui potiorem de operum fructibus curam habent, secundam de verborum folijs.

Statim ac peccauit Adam, folia quibus operiatur quærit: *Planè*, inquit ille, *nudatus*, NVDAT ARBORES. Sic ferè fit, vt qui sibi infestus est, incipiat & cęteris esse, tales reddere alios malus studet, qualis ipse est, ac si crimen diluat suum, si pares habeat.

Consuerunt folia ficus. Externa omnia INDIGENT CONSVI, nihil integrum reperias, nisi quod mentem subit; diuisionem omnia patiuntur, atque adeo diuidunt etiam mentem.

Consuerunt folia ficus. Bonum omen cum verecundia corripiuntur qui peccauerunt, spem exhibent emendationis, dum erubescunt. Meliora speranda sunt, cum eius qui lapsus est mentem VERECVNDIA SVBIT. Licet in hoc parentes primi aberrarint, quod ob corporis nuditatem erubescerent, non ob animæ, quæ nuda originali iustitia vidua, remanserat.

Folijs se arborum vestiuit Adam, vt vel sic innueretur, voluptatem omnem cito transire: 267
Benè Ioannes Eusebius: *Gymnosophistas scribit Clemens Alexandrinus Arborum modò folijs vestitos. Id ipsum accidit Adam, comparatus enim non solùm iumentis, sed truncis arborum instar folijs amicitur. Sed* ET DECIDVAM, ET CITO TRANSEVNTEM VOLVPTATEM FOLIA DICTANT.

Cur ex folijs ficus operiendæ turpitudini sibi potius parentes primi compararunt, quàm aliundè? Aliqui censent eos non casu, aut temerè in eam arborem incurrisse, sed id fecisse, vt manifestam darent significationem pœnitentiæ, quam hac corporis maceratione declarare volebant; folia enim ficus carni admota pungunt, & affligunt eam. Ita Sanctus Irenæus: *Per succinctorium*, inquit, *quod sibi Adamus circundedit, ipso facto ostendit suam pœnitentiam, folijs ficulneis semetipsum contegens, existentibus & alijs folijs multis, quæ minus corpus eius vexare potuissent: condignum tamen inobedientiæ amictum fecit conterritus timore Dei, & retundens petulantem carnis impetum: quoniam indolem & puerilem amiserat sensum, & in cogitationem peiorem venerat, frænum continentiæ sibi & vxori suæ circundedit, timens Deum, & aduentum eius expectans, & velut tale quid significans.* Sed quia pœnitentiæ signum dedit, habitum pœnitentiæ induit, at fateri peccatum tunc noluit, sed excusauit, parum illi profuit habitus asperitas; vt hinc quilibet colligat, vitæ perfectionem, & veram pœnitentiam non esse in habitus asperitate sitam.

Consuerunt sibi folia ficus, quia pudore afficiebantur; nimirum statim post peccatum rubor, pudorq; eos corripuit, quod in peccati frænum Deus fecit. Benè Gennadius in Catena græca Fumani: *Ego arbitror illis Dominum Deum* PVDOREM ADDIDISSE POST PECCATVM, *vt eo ipso cohiberentur, ne in peccatis proficerent.*

Folijs ficus fœditatem coram occultant, qui 268

leuibus verborum folijs tegunt; rem ita versat Sanctus Hilarius Canon. 21. in Matthæum, vbi Synagogam perstringens ait: *Iam in exordio Genesis in huius rei formam pudorem suum Adam atque Eua huius* ARBORIS FOLIIS TEXERVNT, *cum seipsos ad aduentum Domini vocantis occulerent, quia synagoga infidelis, & legis mandata transgrediens, impudentia sua fœditates, & turpidinum confusionem infructuosis esset verborum velamentis tanquam ficus folijs contectura.*

Folia ex ficu sumpsere, vt vestes sibi parentes primi pararent. Nollem ficui aliquos homines esse pares: *Reliquis arboribus*, verba sunt Plinij, *pomum sub folio nascitur, vt protegatur* EXCEPTA FICV, *cui folium maximum, vmbrosissimumque, & ideo supra id pomum*. Referunt ficum, qui opera sua iactant, & ostentant, non tegunt, nec ab hominum notitia, vt par esset, subducunt.

Folijs se velant, folijs leuiores; & verò parum hæc velamina profuerunt, quin potius contra se Deum armarunt, quod præstant, qui tegere, & excusare peccata volunt: Peritè ille: Adam & Eua nudi, pudenda corporis ficulneæ folijs velant, id est, peccatores criminum suorum turpitudinem ficta exterius sanctitate contegunt, & verò latebras statim Deus detegit. Perizomata iubet deponere, indumenta deridet, vtrumque parentem pœna ferit, quia maximè ad Dei virtutem spectat, vt hos dolos non patiatur occultos diu permanere, sed statim prodat, & euulget. Ergo dum turpitudinem suam vterque PARENS FOLIIS CONTEXIT, DIVINAM VIRTVTEM CONTRA SE ARMAVIT, & veluti conniuentem lacessiuit.

269 Quod ad folia ficus post lapsum confugit, indicat post peccatum currendum ad corporis afflictationem, ad ea quæ carnem pungunt, non quæ mulcent. Præclarè nobilis auctor circa istuc philosophatur: Post admissum scelus iniectum illis consilium est diuinitus, vt seminarium voluptatis, arcem concupiscentiæ, iam prælium & contentionem molientis, & tegerent & coercerent. Consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Cuius inuenti rationem hanc attulit S. Irenæus: Adamus inquit ipso facto suam ostendit pœnitentiam, folijs ficulneis seipsum contegens, cùm alia essent folia benè multa quæ minus eius CORPVS VEXARE POTVISSENT. Condignum tamen inobedientiæ amictum fecit, conterritus timore Dei, & retundens petulantem carnis impetum &c. Addit paulò post, ea folia mordere, & pungere corpus. Ego etiam occultum mysterium ea in re contineri putem. Notat enim eruditissimus Teophrastus, folia fici & laciniata esse, & cruciformia. Quasi primi illi satores humani generis docuisse iam inde videantur, ad edomandam carnis petulantiam, & pruritus libidinis cohibendos, nullum præsentius adhiberi posse medicamentum, quàm crucis mortificationem in corpore suo circumferre.

Consuerunt folia ficus. Vides sartoriam artem auspicium habere primordialis delicti pœnam. Gratulabor huic arti, inquit comptus ille auctor, quòd in Adamo absque vlla RAPACITATE primò dedicata sit? Quid, & à quo aliquid furto raperet, qui solus cum vxore erat in toto orbe, cuius erat dominus? Audiendus tamen est Basilius Seleuciensis. Consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Ipsi (inquit) nudati nudant arbores. Verum enim verò tametsi tunc Adamus omnium dominus, nil poterat furto rapere; ne tamen suendi officium sine rapina dedicaretur, dum ad facienda sibi succinctoria, suendi dedicat artem, ipse nudatus nudat arbores; vt etiam vbi impossibile erat furtum, Sartorum furacitas non deesset. Non negauerim, plurimos esse, qui suendi officium inculpatè exercent, sed aliquorum sagacissimam RAPINAM perstringere iuuat, ne impunitas pro lege sit, malitiæ præscriptione.

E rudi ficulneæ folio vestimentum sibi parentes primi quæsiere; & cur non meliorem, aut saltem molliorem vestem induerunt? PVRPVRAM *esse regalem*, ait Leontius, FICVS FOLIA *existimarunt*. Iustum de rebus haud iudicium efferat, qui à iustitia excidit. In hoc mundi homines falluntur, qui quæ vilissima sunt tanti faciunt, quia nimirum animam peccati veneno infectam circumferunt.

Folijs se arboris tegere studuerunt, qui peccauerant; quàm stultè folia illa quædam linguæ 270
erant quæ eos criminis clamabant reos; folia arboris dum circunferunt docebant se arboris fructibus manum admouisse. Benè bonus ille auctor: Familiare est hoc peccato, vt signa mille proferat quibus SVAM TVRPITVDINEM OMNIVM OCVLIS MANIFESTAM FACIAT. Caue homo peccatum, quod &si occultissime in corde admiseris, tamen ipso in sole præmittit signa quibus pateat, non enim lux sic tenebras sequitur vt sequuntur patentissima signa peccatum, primi illi peccatores cum pomo glutiunt peccatum, cuius pudorem & pædorem, vt tegant, confugiunt ad folia arboris. Quid facitis miseri, tegmen quæritis & profertis ramum? Sane ramus potius est vendibilium præco, & signum manifestatiuum, vt noscas quam inseparabilis sit à peccato eius publicatio, quando eodem habitu serpens antiquus peccatum suggerit & præfert ramum, vt vendibilior appareat peccatoris infamia.

Hæc peccatoris amentia, vt statim ac peccauit ad folia currat, cum deberet ad fructus: *Docet me Adam*, inquit Sanctus Ambrosius lib. de Paradiso cap. 13. *quid sint folia, qui postea quam peccauit, de folijs ficus fecerit sibi succinctorium, qui de fructibus magis eius gustare debuerit:* IVSTVS FRVCTVM ELIGIT, FOLIA PECCATOR. *Quis est fructus? fructus, inquit, est Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, modestia, continentia, castitas, non habebat fructum, qui spiritum non habebat.*

Ad quam vile ministerium homines diabolus deiecit, quos sicut dij futuros promiserat, nunc eò redigit, vt folia ficus consuant. Pulchrè

chtè tem vrget Sanctus Chryſoſtomus hîc hom. 16. *Conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi metipſis ſuccinctoria, obſecro dilectè cogita, quomodo, & à quanto faſtigio in profundum præcipitium deiecit illos diaboli conſilium. Nam* TANTA GLORIA *dudum circundati, nunc* FOLIA FICVS CONSVVNT, *& ſibi ſuccinctoria faciunt; hoc diabolicæ* DECEPTIONIS *lucrum eſt: hoc machinabatur illius conſolatio, vt non ſolum maiora non conferret, ſed & acquiſitis nudaret, & destitutos ab his quæ habebant oſtenderet.*

Propria veſtis hominis innocentia eſt, extrinſecæ veſtes peccati quædam ſigna ſunt, vt valdè ineptiat, qui in illis gloriatur. Benè Raulinus: *Primi parentes erant prius veſtiti pulchritudine ſua, ſicut ſol vel lilium ſua luce, vel formoſitate. Tunc verò in ſignum* FVRTI PROBROSA VESTIMENTA *acceperunt. Ideò qui de veſtimentis in ſuperbiam attolluntur: idem eſt ac ſi fur de aduſtione cauterij ſibi facta propter furtum glorietur.*

Sectio X.

Salutis remedium vbi Dei *audiuntur verba*. 271.

Medici munus in Adamum vt exercuerit *Deus*.

Vera *ſuperioris* nota à ſua celſitudine ſe dimittere, cum de *ſubditorum* agitur ſalute.

Ad *paſſionem* ſuam vt ſtatim ab initio *Deus* cogitauerit.

Dei deambulatio in Paradiſo quid ſignificauerit. 272.

Clementiam induat alios *puniturus*, Dei exemplo.

Infelix *peccatoris* ſtatus.

Ad *pænitentiam* vt peccatores *Deus* expectet.

Deus puniturus cunctatur *benefacturus* aduolat. 273.

Deambulare cur Deus dictus ſit, non *ambulare*.

Verecundos non pertinaces amat *Deus* peccatores eſſe.

Peccantium conſuetudo omnia habere *ſuſpecta*. 274.

Conſcientia tumultuatio in *peccatore*.

Peccatores non ſolum verbis, ſed etiam factis *increpandi*.

Compunctionem à peccatore vt *Deus* elicere ſtudeat. 275.

Locum *pænitentia Deus* Adamo vt dederit.

Tardus ad puniendum *Deus* venit.

In Paradiſo vt *Deus* nunc quoque *deambulet*. 276.

Pacatè ad *corripiendos* peccatores eundum.

Præceps Dei exemplo nemo ad *vindictam* currat.

Aliena *peccata* in ſolem non facilè protrahenda. 277.

Correptio qua induſtria admouenda.

Vt inuitus *peccatores Deus* puniat.

Cautio in *correptione* ſeruanda. 278.

Iram peccantem *puniturus* ponat.

Statim poſt peccatum de *pænitentia* cogitandum.

Dei amor & *benignitas* in hominem vnde collecta.

Peccatoris amentia dum tempus *pænitentia* impendendũ in exterioribus deterit.

Et cum audiſſent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiſo ad auram poſt meridiem, abſcondit ſe Adam, &c.

Licet peccauerint, ſalutis adhuc erat ſpes, cum Dei deambulantis vocem audierint, nec eius contempſerint vocem. 271
Deambulabat Deus, ſed Dei vox firmiter in peccatorum auribus ſtabat, qui ab aure ad cor ſtatim ierat; ibique firma manebat. Sanctus Ambroſius: *Adhuc*, inquit, *in his* REMEDIVM SALVTIS, *quia* AVDIVNT *Dei verba*. Non eſt prorſus ſalus deſperata, vbi Dei verba audiuntur.

Vocem Domini audiuit Adam, cuius contempſerat præceptum. Hic quoque inuertitur ordo, Adami iam lapſi, erat ad Deum clamare, eiuſq; auxilium implorare. Omiſit iſtuc Adam, Deus accurrit medici munus exercens: *Veluti* MEDICVS, inquit auctor ab aureo ore, *ad inualidum & ægrotantem, iacentemq; ac indigentem cura, & medici manu, protinus ad illum accedit*. Hæc vera ſuperioris nota à ſuæ celſitudinis ſuggeſtu SE DEMITTERE, cum de ſubditorum agitur ſalute.

Cum audiſſet vocem Domini. Diceres hanc vocem, hunc clamorem, illum reſpicere, quem Chriſtus in Cruce emiſit, ac ſi ſtatim ad remedium ſpectarit, & omnis peccati medicinam. *Nonne*, inquit Vgo Carenſis, *illa vox Dei deambulantis in paradiſo fuit aliqua lamentanti ſimilis? iam tunc præfigurans illum clamorem validum, & lachrymas, in quas demum effuſus* IN CRVCE *Dominus expirauit*. Vt videas ſtatim ad paſſionem ſuam, & mortem in Cruce Dominum cogitaſſe.

Audis Deum deambulantem, ſuo nimirum motu, ſignificat hominis motum, quo à Deo ſuo abierat. *Dominus deambulauit*, inquit Beatus Dionyſius, *quaſi ſuo motu deſignans ſe receſſiſſe ab eis, in quibus ante per gratiam manſit, quia in ſua obedientia non ſteterunt*. 272

Iſta Dei deambulatio rectè ſignificat clementiam,

mentiam, humanitatemque Deum induisse, cum esset Adamum puniturus idemque ei præstandum, qui aliorum delicta castigat. Aptè nuperus auctor rem versat: Illa, inquit, deambulatio paradisi non puto posset fieri, nisi in specie humana, ibat Deus puniturus hominem, & induit se homine, antequam verus homo fieret, vt significaret, se sicut hominem clementer, & benignè de homine supplicium sumere. O quam singularis doctrina tibi, ò homo, qui quando alium HOMINEM PVNITVRVS fueris, te hominem induas & sicut homo clementium & compatientium viscerum de homine supplicium sumas, si hoc tibi ex officio competit, Dei misericordiam, imitare, qui si quidem hominem puniturus inquirit, homine indutus deambulat.

Deambulantis in Paradiso. Mirum, puniturus erat Deus hominis ingrati culpam, & deambulat? Iudex, inquit scitus ille auctor, vt interroget reum, alto sedet solio, vultuque minaci, & fulminibus verborum transgressores legis prosternit: quid est, quod Deus non sedens pro tribunali, sed huc illucque cursitans in Adamum inquirit? Vt gressus ille, & motus, status mutationem in Adamo protenderet; & CONVERSIONEM SVAM AB IMMVTABILI BONO, ad labentis sæculi mutabilitatem ipsa deambulatione redarguit.

Deambulantis. Non impetu ferebatur, non
273 currebat vt peccatorem puniret, qui tamen cum ad sponsam iret saltibus ferebatur; *velut cunctabundus*, inquit Galfridus in allegoriis Tilmanni, *& mutare paratus, quod intendebat Dominus, deambulabat, nec ferebatur impetu. sed quasi moras nectens retractando & EXPECTANDO AN POENITERE PECCATOR VELLET, hinc inde pergebat. Retardabatur & LENTIS GRADIBVS incedebat, vtpote qui veniebat tristem mortalibus inferre sententiam. Ad sponsam verò veniens festinat, & latis admodum saltibus ADVOLAT, æterna reparationis afferens medicinam*.

Cur *deambulare* potius Deus dicitur, quàm *ambulare*. Vgo Victorinus rem sic versat: *Non AMBVLAVIT sed DEAMBVLAVIT huc & illuc, quasi errabundus & vagus; in directum non vadens sed pergens quocunque hoc est deambulare: & quare deambulare itaque voluit? vt ostenderet se talem foris qualis intus ille caperat esse: iam enim in eo mota erat veritas & fluctuabat, & ideo foris deambulabat*.

Deambulans Dominus refertur, qui antea stabat, peccatoris statum non sermonibus, sed verbis aperit, per deambulationem *mutabilitatis suæ inconstantiam*, vt loquitur Sanctus Gregorius, Dei legem temerantis expressit.

Paulatim deambulat, non improuisus in peccatores irruit Deus, *non vult eos subito conuenire*, ait Vgo Victorinus, *ne amissa VERECVNDIA inuerecundi fiant, & PERTINACES*. Salutis ferè omnis spes amissa est, si verecundia pereat, & pertinacia lapsos corripiat.

Domini Dei deambulantis. Et quis primis pa-
274 rentibus indicauit, eum qui deambulabat Deum esse? An id peccatum fecit, quod in conscientia latebat? Hinc illud S. Chrysostomi hom. 8. ad Pop. *Sed quod aliquis deambularet, sensit: vnde verò cogitauit, quod Deus deambulabat? TALIS EST PECCANTIVM CONSVETVDO, OMNIA SVSPECTA HABENT, vmbras tremunt, omnem strepitum timent, quemque putant contra se venire, multos igitur sæpe conspicari, ad aliud ministerium currentes, ad se venire cogitauerunt peccatores: & alijs alia inter se differentibus, peccati sibi ipsis conscij putant illos de se sermocinari. Talis enim res peccatum est, nullo prodit arguente, nullo condemnat accusante, pauidum facit & timidum peccatorem, sicut iustitia contrarium*.

Deambulantis in Paradiso. Quod hic deambulasse Deus dicitur, qui vbique est, aliqui ad animi consternationem, quæ primos parentes inuasit referunt. Ita Sanctus Chrysostomus hom. 17. in Genesim: *Non ambulat Deus, absit, quomodo enim ambularet, qui vbique præsens est, & omnia implet? Cui Cælum thronus, & terra scabellum, ipse in horto continetur? quis cordatus hoc diceret? quid igitur est audierunt vocem Domini Dei deambulantis in horto, ad meridiem? voluit illos hac tali modo sentire, vt in magno mentis angore constituerentur: ad quod & factum est, tantum siquidem sensu affecti sunt, vt cum aduenisset Deus, se se occultare conati sunt: mox enim vt intrauit peccatum, & prauaricatio, TVMVLTVATIO SIMVL EOS INVASIT, & erubescentia: quippe index incorruptus, conscientiam puta, tum aduersus hominem exurgit, clara voce clamat, & accusat, & ostendit, & quasi ante oculos scribit peccatorum magnitudinem*.

Deambulat, non stat Deus, vt hominem, qui in Dei obsequio non steterat veluti repræsentaret, sicque non solum voce eum qui fuerat lapsus reprehenderet, sed & factis homini, hominis statum obijceret. Festiuè ille: Quid est, inquit, quod post peccatum hominis in Paradiso Dominus iam non stat, sed deambulat? nisi quod irruente culpa se à corde hominis motum demonstrat, quem iam in suo præcepto stabilem non videbat. Quid est quòd ad auram post meridiem, nisi quòd lux feruentior veritatis ab eo abscesserat, & peccatricem animam culpæ suæ frigora constringebant? Increpauit ergo Adamum deambulans, vt cæcis mentibus nequitiam suam NON SOLVM SERMONIBVS, SED ETIAM REBVS APERIRET, quatenus peccator homo, & per verba (quod fuerat) audiret, & per deambulationem amisso æternitatis statu, mutabilitatis suæ inconstantiam cerneret, & per auram feruore charitatis à se expulso, torporem suum animaduerteret, & per declinationem solis agnosceret, quòd ad tenebras propinquaret.

Deambulatio ista Deum significare potuit ab homine paulatim abeuntem, & ab eo reuo- 275
cari cupientem. Arnoldus Carnot. de operibus sex dierum huic sensui accinens, aiebat: *Deambulabat autem Deus ad auram post meridiem, cum vocaret Adam, in vocatione increpationem, in deambulatione migrationem significans: quia iam*

tepescente

nuescente charitatis fomite, & veritatis luce ad vesperam ignorantiæ propinquante, deserto homine de corde eius emigrabat, & lento incessu protrahens allocutionem forsitan ideo morabatur, & pedentim accedebat: vt si COMPVNCTVS HOMO *in illo, quantocunq; spatio cognosceret facinus, & seipsum indicans pœniteret, vel ex toto dimitteretur flagitium, vel aliquid sentiretur clementius in humiliatum.*

Deambulantem se audiri Deus voluit, priusquam primis parentibus se tanquam iudicem sisteret, ne subitò timore consternarentur, vtque se ad pœnitentiam pararent. Aptè Vgo Victorinus in annot. in Genes. *Ecce quanta est misericordia Dei: non vult eos subitò conuenire de culpa sua, ne amissa verecundia inuerecundi fiant, & pertinaces. Sed* DAT EIS LOCVM POENITENTIÆ, *& consilij: vnde deambulat vt audiant, & sic fiant memores ipsius Dei.*

Deambulasse ad auram Deum audis; *ad* pro *contra* in diuinis litteris frequenter poni alibi notabam. Quid si hoc sensu hic quoque particula ista accipiatur? vt statim doceremur quàm lente ad peccatores puniendos Deus eat. Benè Abulensis: *Ambulare dicitur ad auram, idest contra auram, quia qui contra auram, idest ventum ambulat* TARDVS *mouetur: sic enim Deus ad* PVNIENDVM *peccatum tardus veniebat, quia Dei misereri proprium, & parcere.* Deambulabat Deus, non currebat, quia nimirum de peccatore puniendo agebatur, vt innueretur cunctari, nec velociter ad sumendam de malis vindictam currere Dei iustitiam. Peritè ille: *Deambulabat Dominus in Paradiso* NON CVRREBAT, *sumpturus de scelere vindictam*; à qua mente abeunt, qui appetentes vltionem, ad illam velocissimè non tam currunt, quàm volant.

276 Vt nunc quoque in Paradiso Deus deambulet docet his verbis Sanctus Ambrosius epist. 41. *Et nunc* DEAMBVLAT IN PARADISO DEVS, *quando diuinas scripturas lego. Paradisus est Genesis liber, in quo virtutes pullulant patriarcharum. Paradisus Deuteronomium, in quo germinant legis præcepta. Paradisus Euangelium, in quo arbor vitæ bonos fructus facit, & æternæ spei mandata diffundit per vniuersos populos.*

Ad auram post meridiem deambulabat, vt vel tempore ipso innueret pacatè ad punitionem peccatorum eundum, nec in iræ feruore labentes corripiendos. Præiuit Raulinus, dum ait: *Dominus post meridiem deambulabat ad auram, vt quasi se refrigeraret antequam hominem de paradiso eiiceret, quia non in meridie aut iræ feruore, sed* LEVI ANIMO ET PACATO *insistendum est vindictæ. Sicut dixit quidam sapiens suo famulo qui eum offenderat. Nisi iratus essem te optime verberarem.*

Ad auram ambulat Deus, nec statim ad pœnam inferendam currit. Ante pœnam, inquit scitus ille auctor, aliquantulum refrigerari voluit in aura leni, ne iratus eam irrogaret. Nempe Deus, qui propriè ira non exagitatur vt nos, veluti è scena, ita vt erat personatus, instrueret: NON RVIT PRÆCEPS AD VINDICTAM, sed ad auram ambulat, iramque suam tempori tradit, ac videtur sibi obstare, donec illa subsidat. Discant verò, præsertim Principes, non statim ad pœnas Reorum ire præcipites, dent iracundiæ spatium, iustius punituri, si prius illa remiserit.

277 Post meridiem aduenit Dominus, cur non in ipso, vt cum maior solis effulgeret lux, maiori verecundia peccatores primi corriperentur? *Peccatum hominis*, inquit Procopius, IN SOLEM NON PROTRAHIT *Deus*, vt exemplo suo indicet non facilè aliena peccata publicanda.

Ad auram post meridiem. Tanquam scilicet aliud Deus ageret, exhibens aptam corripientis formam, quod notatum quoque ab alijs est. Docti hæc sunt verba Doctoris: Illud, inquit, ad auram post meridiem, innuit, Deum non eo animo in Paradisum deuenisse, vt facti ab Adam rationem exigeret; sed ea mente Paradisum ingressum, vt animum recrearet, & dulce blandienti Zephyro sub vesperam oblectaretur: casu verò in Adamum incidisse: quod nostro modo intelligendi dictum accipe. Scilicet, sæpiùs oportet his, & alijs correptionem moliri, dum id nos NON DE INDVSTRIA QVÆSIVISSE; sed casu illud obiectum nobis insinuemus.

Post meridiem Adamum puniturus ambulasse Deum legis, vt vel à tempore discas, quam inuitus nos Deus puniat. Peritè peritus auctor: Cum peccasset, inquit, Adam dicit Sanctus Textus. Et cum audissent vocem Domini deambulantis in Paradiso, ad auram post meridiem. Siccine? Ad conducendos operarios, qui lucrentur, surgit summo mane, summa cum celeritate, at vero ad puniendum venit pedetentim, ambulans vesperi, & ad auram. O fratres mei hoc significat, quod talem Deum habemus, QVI AD PVNIENDVM VENIT QVASI INVITVS, ac si capillis apprehensus traheretur, sed ad conferendam nobis gratiam, ac maxima beneficia, talis est eius in nos amor, qui non patiatur illum deambulantem, nec post meridiem venire, sed eum summo mane faciat exurgere.

278 Non statim post lapsum nulla interposita mora Adamum conuenit Deus; sed expectauit aliquantum; oportet enim, inquit pius ille auctor hunc locum expendens, eum, qui corripit, vt cum fructu id faciat, non in ipso limine peccati in delinquentem prosilire: tunc enim feruet animus desiderio, vel delectatione peccati. Cùm autem libido deferbuerit, faciliùs MONITIONEM, ET CORREPTIONEM SVSCIPIT. Cum iam peccatum consedit, lubentes correptionem, & admonitionem suscipiunt.

Mirum quod post peccatum Deus non iratus Adæ apparuit sed lenis. Abulensis: *Non apparuit Deus immediatè* IRATVS *Adæ* AD PVNIENDVM, *sed venit mansuetus vocans, quasi volens, quòd Adam procederet coram ipso pro delicto veniam petiturus.* Nimirum iram peccantem punitu-

punitutus ponat, vt vtilior, salubrior euadat punitio.

Postquam peccarunt parentes primi adfuit Deus, vt ad pœnitentiam eos alliceret, & prouocaret, ne callum in peccato obducerent. Quidam in Catena græca Fumani: POST PECCATVM ILLICO *DEVS* ILLIS APPARVIT, *vt & peccati cognitionem in illis ingeneraret, eosdem vocaret ad pœnitentiam. Scilicet statim post peccatum de pœnitentia obeunda cogitandam.*

Statim se homini peccanti Deus sistit, nec diù distulit; vt citum afferret remedium sicq; vel ab hac parte amotem suum in hominem ostenderet. Ita rem terigit S. Chrysostomus hom. 17. in Genesim. *Nec absque ratione tempus assignatur audiuerunt enim, inquit, vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso in meridie: sed vt discas* DOMINI BENIGNITATEM, QVOD NE MODICVM QVIDEM DISTVLIT: *sed max vt vidit, quod factum erat, & vlceris magnitudinem, ad opitulandum festinauit: vt ne vlcus grassando fieret incurabile vulnus: ideirco vt prauenias accelerat, & velociter crescenti vlceri adest, & pro sua bonitate neque ad paruum tempus à cura sua illum destitutum relinquit.*

Post peccatum Deus affuit, ita ramen vt non nihil differret, vt locum pœnitentiæ daret, licet tempus quod pœnirentiæ impendendum erat, ipsi in suendis perizomatis insuerent. In qua re illos imitatores habent, qui in peccatum lapsi in exterioribus occupantur, cum intus ad se redire deberent. Abulensis: *Non statim*, inquit, *venit ad dandum eis locum cogitandi de se, & pœnitendi, & sic possent redire in statum priorem. Si autem Deus statim veniret, vt illi peccauerunt* INVENIRET EOS TVRBATOS *pro magnitudine verecundia nouiter insurgentis, & ita non considerarent, vt veniam peterent, quia hoc est animi tranquilli.*

Sectio XI.

Ingratitudo verecundiam ingenerat. 279.
Fœmina delinquentis *consortium* virum à Dei consortio facilè auocat.
Peccati reus se prodit, qui se *excusat* & occultat.
Peccatum delinquentis mentem *obcacat*. 280.
Passione impellente facimus aliqua, quæ non *prosunt*.
Nullus in *ladentem saniat*.
Dei *suauitas* in *corripiendo* peccatore.
Eminens *Dei clementia* expenditur. 281.
Dei facies in *confessione* præoccupanda.
Virum à Deo vocarum, cur *mulier* statim secuta fuerit.
Lapsi clementer & suauiter *vocandi*, non crudeliter rerrendi. 282.
Ad *pœnitentiam*, vt nos *Deus* inhortetur.
Dei mititas ex eo quod Adam vocauit non Euam.
Veritas facilius à *viro*, quàm à *muliere* elicitur. 283.
Peccatum in peccatore non sinatur *inueterascere*.
Peccator in culpa *veterascens* ægrè ad salutem reuocatur.
A Diuina *gratia* excidisse, quàm ingens malum. 284.
Amorem suum in hominem, vt *Deus* ostenderit.
Mansuetudo in *peccatores* exercenda.
Superiores subditorum *curam* sibi reddendam sciant. 285.
Mulier cur vocarum *virum* secuta non vocata.
Peccator cogitet vbi sit.
Viri *exemplum* multum in *mulierem* potest. 286.
Silentij præiudicia in *peccatore* præcidenda.
Iudiciarius ordo seruandus Dei exemplo.
Peccator ad se ipsum redire debet, seque inuenire.
Superiores magis reprehensibiles apud Deum dum peccant. 287.
Res *humana* numquam in eodem *statu* permanent.
Pœnitentia ex nudo *timore* non fit.
Formula *vbi es* quo sensu accipienda. 288.
Vbi maior *scientia* vbi districtior *ratio* reddenda.
Dei misericordia, & lenitas in *corripiendo* peccatore.

Abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni Paradisi.

A*Bscondit se Adam, & vxor eius.* Cum de verecundia hîc agatur, quæ mulieres magis afficit, mirum cur Eua se prius non absconderit, quàm vir. 279
Sed ob eandem causam cum vterque erubesceret, simul hoc cogitarunt, vt se à quærentis Dei oculis subducerent. Præterea non ob nuditatem tantum verecundia fuêre correpti, sed ob ingratitudinem, quam se incurrisse statim cognouerunt. Benè Abulensis: *Quia ambo simul erant, & absconderunt se ex* VERECVNDIA INGRATITVDINIS; *quia contra Deum benefacientem eis peccauerunt, & propter verecundiam nuditatis, quam nouiter senserant.*

Abscondit se Adam, & quod est peius à facie Dei; desine mirari, secum fœminam habebat, in quam nimio ferebatur amore. Mirabar, inquit ille, quod homo sapiens se à Dei facie vellet abscondere: cur tanto te exilio, ò

Adame

Adamę plectis? Cur non magis amas Dei faciem? Quid habes in latebris, ob quod amittere Dei faciem non pertimescis: Ait textus: Abscondit se Adam, & vxor eius, & HABEBAT FOEMINAM consortem latebrarum, & vnam fœminam hanc habens non dubitat perdere, & Deum & quidquid à Deo creatur. Delinquentis scilicet fœminæ consortium virum à Dei consortio facilè auocat.

Abscondit se Adam, vt suum delictum absconderet. Sed vbi? *In medio ligni Paradisi*, idest vt ait Vgo Carensis, *sub* LIGNO SCIENTIA *boni, & mali*. Præstabat ab ea arbore fugere, sub qua deliquit, ne se reum statim indicaret, ferè ita accidit, vt peccati reum prodat qui peccauit, dum peccatum excusat, & occultat.

Abscondit se Adam, quasi latere, quem nihil
280 latet, possit; hoc inter peccati fructus numeres, quòd statim mentem delinquentis obcæcet. Pitrite ille: PECCATVM per se solum ita MENTEM OBCÆCAT, vt cum Adamus in statu innocentiæ esset sapientissimus (atque adeo vt ad ostendendum Dominus sapientiam eius, coram eo animalia terræ, & aues cœli posuerit, vt eis secundum vniuscuiusque naturam nomina imponeret) statim postquam peccauit, tanta ignorantia, & cæcitate obtenebratus est vt crediderit, sibi locum, vbi ab oculis Dei latere possit minime defuturum esse: & ita audiens vocem ipsius Dei abscondit se ab oculis eius in medio ligni Paradisi. O miserabilem hominis cæcitatem, qui cum tanta sapientia esset prædıtus, eo stultitiæ deuenit, vt crederet, se ibi à Domino non esse videndum.

A facie Domini. Vides vt passio obcæcet eos, quos corripit, putauerunt se latere cum posse, quem nihil latet, qui omnia videt. Scitè Abulensis hîc: *A facie Domini, idest, vt non videret eos Deus; sciebant autem, quod vbicunque essent, Deus eos videret, sed fecerunt hoc ex passione verecundia. Aliquando enim* IMPELLENTE PASSIONE FACIMVS ALIQVA, QVÆ NON PROSVNT.

Vocauitq́, Dominus Deus Adam, & dixit ei: Vbi es?

VOcauit Dominus Adam, qui peccauerat, nullam tamen contumeliam, audis, nullum acerbius verbum, quod Adam exasperaret; *non adduntur exprobrationes*, inquit Porrecta, *dicendo, vbi es ingrate, superbe, gulose, tui nimius amator, Dei contemptor voluntatis tua adimpletor, mea transgressor*: nihil horum dicitur, vt exemplo Dei, quisque disceret non sæuire in eum qui læsit; Addit Porrecta: *Nullo addito, suauitas inuitationis in textu denotatur dum dicitur: Domini deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem. Hoc etenim modo loquendi* SVAVITATEM QVANDAM DEI *in inuitando, voluit indicare scriptura: quasi per hoc dixerit. Licet Deo corporeus modus neque deambulandi secundum se conueniat, neq́, capiendi auram post meridiem; tamen his rebus sensibilibus suaue quiddam secum importantibus describitur tunc, quando inuitauit Adamum ad pœnitentiam: vt ex talibus sensibilibus circa vocantem Deum ascriptis percipiat homo; quod inuitatio illa qua Deus inuitat peccatores ad sui ipsorum conuersionem, est inuitatio dulcedine suaui valdè conspersa*. Quod illi expendant, qui nimis duri, seueri, asperique in peccantes sunt.

Vocauitq́, Dominus. Et cur per alium non
vocat Adamum, qui Dei se præsentia indi- 281
gnum reddiderat? Sanctus Chrysostomus hom. 17. in Genesim: *Vocauit*, inquit, *Dominus Deus Adam, & dixit illi, Adam vbi es? vel ex ipsa interrogatione hac dignum est, vt obstupescamus ad* EMINENTEM DEI CLEMANTIAM: *non solum quod vocauit, sed quòd per seipsum vocaust. Id quod homines facere nunquam ferrent inter se, licet eandem naturam sortiti sint. Scitis enim, cum iudices, in alto solio sedent, supplicijsque malefactores afficiunt, nec suo eos responso dignantur; hoc ipso ostendentes illis, quanta ignominia se se asperserint suis flagitijs: & iudex quidem respondet, sed alius quispiam à iudice hac excipiens, reo annunciat & iudici quoq́, qua reus dixerit; & his fermè vbique iudicantium mos est: verum Deus non sic agit, sed quomodo? ipse per se se vocat: & vocauit, inquit, Dominus Deus Adam, & dixit illi: Adam vbi es?*

Vocauit Dominus Deus Adam. Hoc quoque malum post malum, quod qui prior vocare, & inuocare Dominum debebat, torpuit, & vocari maluit, nisi quia nec vocari fors noluisset, timens puniri. *Surrexit Deus, & indignans*, inquit Rupertus, *quod non fuisset vocatus*, PRIOR IPSE HOMINEM VOCAVIT. Indignè Deus tulit, quod ipsum non prius Adam quæreret, nec præoccupauerit faciem eius in confessione.

Vocatur Adam à Deo, & Deo se statim sistit; sed cur secuta est eum Eua non vocata? An ne liberum viro esset absente muliere totam in eam culpam reijcere? An ne peccatum suum fuga augeret? Franciscus Aretinus ita quæstionem istam soluit: Dici potest primùm, quia se vocatam putauit, nam vocato viro, videbatur & ipsa vocari; quare quasi vocata venit. Secundo, quia cum ipsa esset cum viro, forte vir suasit ei, quod exiret. Tertio, quia occultatio ista fuit propter timorem, sicut dixit Adam, audiui vocem tuam, & timui, & tamen deterius sibi futurum putabat sine viro, quam cum eo, ideo exiuit cum illo. Quarto, quia latuerant ambo, vt Deus non haberet eos obuios, & ita quæreret aliud ab eis, quod alias quærere non intenderet; & tamen nec ipse quæsierat, pro Adamo; Ideo neque ipse, neque illa possent latere, ideo prodijt scilicet quia si illa non exiret sponte, quæsiuisset Deus forte ab Adamo de ea atque ille eam proderet, ideo voluit sponte exire, ne culpabilior videretur, si Adamo prodente, ipsa se occultaret.

Adam Deus vocault, leniter interrogat, nec
peccantem conuitijs onerat, pœnis statim 282
adijcit;

adijcit; Vt hinc homines discant in homines non nimis sæuire, cum peccauerint. Pulchrè Sanctus Chrysostomus hom. 17. in Genesim: *Cum posset nec responso quidem dignari eum, qui peccauerat, sed statim pœnam infligere, quam prius statuerat prauaricaturo: longanimis tamen est, & suffert, & interrogat, quasi ad defensionem eum prouocans: at arrepta occasione etiam post tantam prauaricationem, suam erga illum misericordiam declaret: quo etiam nos docet, vt quando & nos reis ius dicimus, non tam* CRVDELITER ILLIS LOQVAMVR, *neque ferina in illos vtamur sæuitia: sed longanimiter & misericorditer agamus, vtpotè nostris ipsorum membris ius dicturi, & cogitantes illos nobis secundum naturam cognatos, supplicium misericordia temperemus.*

Interrogat Deus Adamum, vt ab eo humilem confessionem criminis exsculperet, & veniæ postulationem eliceret; Ita Sanctus Dorotheus Abb. de abrenunt. doctrinæ 1. *Venit ad eum, dicens, Adam vbi es? ac si diceret, à quanta gloria in quantam ignominiam lapsus? interrogat ergo eum: vt quid peccasti? vt quid transgressus es? Speciatim ad eum reuersus, ac si ipsi innueret vt responderet,* DIMITTE DOMINE: *& nusquam, nusquam, parce, auditur, nusquam humilitas, nusquam pœnitentia conspicitur, sed oppositum magis; respondet enim, mulier quam dedisti mihi causa fuit.*

Vocauit Deus primum Adam; cur non prius Euam, quæ in peccato præiuerat? An vt hac ratione mititantem suam, lenitatemque ostenderet, & probaret? Rem sic deducit S. Chrysostomus hom. 7. ad Pop. *Considera* CVRAM *Dei: non* EVAM *vocauit, non vocauit serpentem, sed qui omnium leuissimè peccauerat, hunc ad iudicium primum accersit: vt ab eo incipiens, qui aliqua potest venia potiri, etiam in eam quæ multum peccauerat,* MITIOREM *ferat sententiam.*

283 *Vbi es?* Cur prius virum Deus interrogat, quàm mulierem? An vt tanquam à fortiori, veraciorique veritatem citius exsculperet? *Interrogat*, inquit Sanctus Thomas, *virum prius, quia* VERITAS, *vt est virtus moralis est ex quadam constantia, & audacia est dicere rem sicut est: In timore autem sunt audaciores homines quàm mulieres, & fortes quam molles. Item quia naturali complexione est homo* VERACIOR: *& citiùs confitetur culpam; ideò à pœna suæ nuditatis inquiritur & concludit suam culpam, quia per culpam inciderat in illam pœnam, cum dicit (Quis verò ostendit tibi, quod nudus esses, nisi quod de ligno de quo tibi praeceperam, ne comederes, comedisti?)*

Statim post Adami lapsum, inclamat Deus *vbi es?* & cur tanta in Deo festinatio? An statim vocat, vt statim à lapsu hominem auocaret? Et quidem, inquit peritus ille auctor, tanta festinatio in perquirendo peccatore non de ira venit, sed de misericordia singulari, quæ NON SINIT PECCATVM INVETERASCERE IN HOMINE, quem ad salutem Deus volebat euocare. Vtinam nunquam peccata inueterascerent, sed adhuc ijs calentibus remedium festinaret; fallar, nisi omnes peccatores facillimè reuiuiscerent in gratiam.

Vbi es, Placidè loquitur non altè clamat non asperè loquitur, aliter factum, cum Lazarum iam mortuum Christus resuscitauit; tanti refert cito à lapsu quempiam reuocari. Cur Dominus, inquit bonæ notæ auctor, vt Adamum vocet, non eleuat vocem, non fremit, non clamat, sed simpliciter dicit, Adam vbi es? At, vt vocet Lazarum, & lacrymatur, & flet, & fremit, & magna voce clamat, Lazare veni foras? Adamus recens erat peccator, Lazarus iam quatuor dies agebat in vmbra mortis, & PECCATOREM VETERASCENTEM in culpis repræsentabat: ideò non sine ingenti voce, & multis clamoribus poterat reuocari, quando qui recens erat, & NOVITIVS IN CVLPIS, FACILI NEGOTIO IN MELIOREM FRVGEM TRAHEBATVR.

Vbi es? Quasi esset à veritatis oculis absconditus, & erroris tenebris per peccatum obuolutus, Sanctus Gregorius lib. 2. Moral. cap. 3. sic rem expendit: *Adæ peccanti conditoris voce dicitur, vbi es? neque enim diuina potentia nesciebat, post culpam seruus ad quæ latibula fugerat: sed quia lapsum videt in culpa, iam sub peccato velut ab oculis* VERITATIS ABSCONDITVM, *quia tenebras erroris eius non approbat, quasi vbi est peccator ignorat, eumq; & vocat & requirit.*

Vbi es? Nescio an acutiori telo ferire labenti mens potuerit. 284 Deum Deus quærit vbi sit, iam indicat non esse cum Deo, & à diuina gratia excidisse, dum peccauerat. Hinc illud Claudij Marij Victoris:

Quærentem latebras, mox audijt vbi es Adam,
Quid verò est, quod te quærit Deus, inscius an ne id
Fortè rogat cui te Domino subducere summo
Nec mors ipsa potest, frugali, quam mente subisti.
Cur vbi sis quærit, nisi quod te morte doloris
Lapsum sponte tua, secum non esse fatetur,
Et cœlo cecidisse sacro.

Vbi es? Aliqui codices Adami nomen habent in hunc modum: *Adam vbi es?* Quod singularis amoris signum exstitisse, sic notabat Sanctus Chrysostomus hom. 7. ad Populum: *Non tantum prior vocans, sed etiam ex suo ipsum nomine appellans, & dicens: Adam vbi es?* AMOREM SVVM, *& multam circa ipsum curam ostendit. Iam enim omnes nostis, quod hoc est legitimæ amicitiæ indicium. Sic & mortuos reuocantes facere consuerunt, continue ipsorum nomina versantes: sicut vicissim odio habentes, & inimicè erga quospiam affecti, nec nomina eorum qui se læsere, ferunt commemorare. Ideo Saul nullam quidem iniuriam passus, multas verò & magnas iniurias in Dauid machinatus, postquam ipsum auersabatur & oderat, nec illius appellationem commemorare sustinebat, sed considentibus omnibus, postquam non venisse vidit, quid inquit? non dixit vbi est Dauid? sed vbi est filius Iesse? à patre ipsum vocans.*

Vbi es? Ac si diceret, quo te peccatum tuum perduxit? vbi te culpa tua posuit? *Non enim*, vt ait Beatus Laurentius Iustinianus lib. de humilitate cap. 2. *de loci tantum qualitate sciscitatus est Dominus, sed nuditatis turpitudinem, & ignorantiæ suæ tenebras ex obliquo eidem delinquenti obiecit.*

Vbi

Vbi es. Blandè interrogat, nec vllum iræ ostendit signum, vt ad pœnitentiam alliceret, vt veniæ petendæ locum daret: Expensè Abulensis: *Vbi es? Non apparet Deus immediatè iratus Adæ ad eum puniendum; sed venit* MANSVETVS VOCANS, *quasi volens quod Adam procederet coram ipso pro delicto veniam petiturus. O quam tunc felix fuisset genus humanum, quod quotidianis ærumnis, & calamitatibus conquassatur.*

285 *Vbi es?* Adam, qui nominatim euocatus rei gestæ rationem reddere potius debebat quam Eua, *vt potè*, ait Salianus, *familiæ caput*; vt deinceps qui præsident, scirent, sibi subditorum reddendam rationem, maximè si culpæ aliorum sint participes, ac multo magis si cæteris in malo præeant, qui in bono præire debebant. Addit productus auctor; *Cum oportuisset in genua procumbere, & culpam fateri, ad intentionem magis, quam ad verba interrogantis respondet, latebrarum causam præfert timorem, seu pudorem ex nuditate profectum.*

Vbi es? Vocatur vir, sed cur non & mulier? An in viro mulier vocabatur? *Putauit se* VOCATAM, ait Abulensis, *nam vocato viro videbatur ipsa vocari, ideo quasi vocata veniret*. Addit: *Præterea si illa non exiret sponte, quæreret Deus forte ab Adam de ea, & ille eam proderet; ideo voluit potius venire ne culpabilior videretur, si Adam prodeunte ipsa se occultaret.*

Adam vbi es? Istud idem occinere sibi quisq; potest, quisque potest ab ijs, quæ cogitat, & quibus est mente addictus discere vbi sit. Pulchrè Richardus Victorinus in Psal. 134. *Adam vbi es? vbi te vides? in paradiso, an in exilio? Adam, inquam vbi es?* COGITA QVID COGITES, ET INVENIES VBI ES. *Si vanitatem cogites, in vanitate es, si vanitatem amas, vanitas es. Nec iam tibi dico Adam vbi es, sed dico Adam quis es? Credo confunderis, & confiteri erubescis.*

286 *Adam vbi es?* Et non dixit. *Eua vbi es?* consequens enim erat vt mulier virum sequeretur, & se statim proderet, si se vir prodidisset, aliqui putant, Adamum suasisse, vt statim etiam ipsa exiret, & occurreret Deo. *Cum ipsa esset cum viro*, inquit Abulensis, *fortè vir* SVASIT EI, *vt exiret*. Et licet voce non suaserit, persuauit exemplo.

Vbi es? Interrogat statim hominem, vt respondere coactus, silentij præiudicia præcideret, quibus ferè peccator obnoxius post lapsum. S. Chrysostomus hom. 7. ad populum ad hanc mentem. *Adam vbi es? non ignorans vbi degeret, sed quoniam his qui peccauerunt os consutum est, peccato linguam auertente, & conscientia ipsam cohibente, & stupidi remanent,* SILENTIO TANQVAM QVODAM VINCVLO COERCITI. *volens itaq; Deus ipsum ad fiduciam & libertatem loquendi prouocare, & in eorum quæ admiserat purgationem inducere, vt aliqua frueretur venia, ipsum prior ipse vocauit, anxietatis multum appellatione recidens, & expellens timorem, osq; per hanc aperiens appellationem.*

Cur non statim primorum parentum peccatum Deus puniuit, sed quasi nesciens interrogat? An vt iudiciarium ordinem supremus iudex seruaret, & seruandum doceret? Opportunè Abulensis: *Sciendum*, inquit, *quòd licet Deus cognosceret peccata Adæ, & Euæ tamen prius quam puniret interrogauit eos*, VT SERVARET ORDINEM IVDICIARIVM, *prius inquirens, quam condemnans; à serpente autem nihil interrogauit, quia iam damnatus erat diabolus, qui in eo loquebatur, & de cœlo empyreo eiectus.*

Vbi es? Scilicet Adamum Deus ad Adamum reuocat, & inuentorem sui constituit, qui se perdiderat. *Sanè*, inquit Rupertus lib. 3. de Trinit. & operibus eius cap. 14. *quod vltro nolebat agnoscere vbinam esset, id est, quantum in malum decidisset, hac saltem percunctatione Dei pulsus, euigilare, & videre debuerat vbi esset, hoc enim benignitas quærentis intendebat, vt si is qui* QVÆREBATVR SEIPSVM INVENIRET, *& sciret quid perdidisset, quod commeruisset.*

Sed cur prius Adam Vocauit Deus, quam 287
Euam; quia licet ambo peccauerint, & prior mulier, vir tamen tanquam superior maiori reprehensione reddidit se dignum, dum peccantem sequutus est, qui debebat corripere. *Vocauit Deus Adam*, inquit Beatus Dionysius, *magis, quàm Euam, quoniam principalior fuit. Ad insinuandum, quod* SVPERIORES *dum peccant* SPECIALITER FIANT REPREHENSIBILES *apud Deum.*

Vbi es? Ex Philonis mente, *propriè respondere* poterat: Nusquam eo, quod humanæ res omnes nunquam IN EODEM STATV MANEANT.

Vbi es? Cur non statim illum de peccato arguit? cur hac, vt ita loquar, circuitione vsus est Deus? An vt nonnihil hominem erigeret, timorem excluderet, & libertatem loquendi daret? Benè Theodorus in catena græca Fumani, hæc verba expendens. *Ideirco*, inquit, *longius intendit sermonem, vt* AVFERAT TIMOREM, *& excitet libertatem loquendi*; neque enim ex nudo timore pœnitentia esse debet.

Vbi es? Hanc interrogationem sic vrget Tertullianus lib. 2. aduersus Marcionem cap. 25. *Nec enim simplici modo, id est, interrogatorio sono legendum est, Vbi es Adam? sed impresso & incusso, & imputatiuo, Adam vbi es? id est, in perditione es, id est, iam hic non es? vt increpandi & dolendi exitus vox sit.*

Adam ubi es? Cur non primò interrogat, 288
& ad iudicium vocat, quæ peccauerat prima? *Quámuis à muliere*, inquit Ferus, *peccatum inceperit, primò tamen uirum interrogat, ipsi enim mandatum dederat; quò enim* MAIOREM SCIENTIAM, *& cognitionem diuinæ uoluntatis quis acceperit, eò* DISTRICTIOREM REDDIT RATIONEM.

Singularis hic quoque Dei misericordia elucet, quod leuibus eum verbis interrogat, non duris, asperisque terret. *Non uulgaris misericordia est*, inquit Ferus, *quòd primò non asperis uerbis, sed admodum* LEVIBVS *hominem aggreditur, ut uel sic homini nimio terrore correpto fiduciam loquendi, & orandi daret.*

Sectio

Sectio XII.

Peccatoris impudentia *Deum* sine *honoris* præfatione alloquentis. 289.

Pro se solo cur *Adam* responderit.

Quanti referat qualis ille sit, qui Dei excipit *verba*.

Salutis remedium est cum Dei *verbum* auditur. 290.

De externis malis *querimur*, nec cogitamus, quod à peccato sint.

Quàm futilis, & nulla coram Deo *peccati excusatio* sit.

Animæ *nuditas* maximè cauenda. 291.

Quam insipiens euadat, qui *Dæmoni scientiam* pollicenti credit.

Vagiens *Deus*, & *paruulus* nos ad se vocat.

Pudor salutis prodromus. 292.

Peccatoris impudentia, vt ea quæ circa se sunt *arguat* non se.

Aduentitius *decor* & *ornatus*, nuditatis ruborem non tollit. 293.

Ex *opinionis* potius regula, nos potius viuimus, quàm *veritatis*.

Summa Dei in *peccatoribus* corripiendis *mansuetudo*.

Doctrina vniuersalis parum vtilis ad ea, quæ magis sunt noxia admouenda est. 294.

Adami intemperantia expenditur.

Cautum ne *edendi* penuria ad *peccatum* impulsus homo crederetur.

Qui ait: Vocem tuam, audiui in Paradiso, & timui, eò quod nudus essem.

289 VOcem tuam audiui. Quam inurbanus, & rusticus Adam, dum Deo respondet? *Sine* HONORIS PRÆFATIONE, inquit Lippomanus, *& cognomine, sine digno epitheto Deum alloquutur. Vocem inquit tuam audiui, nec addis Clementissimus Deus, & creator meus.* Qui operibus Dei honorem tentauerat lædere, non curat verba promere, quæ Dei honorem sonent. Hæc superbi peccatoris nota, suis alios titulis priuare, nam cum id in Deum præstet, quid facturum in homines credamus?

Vocem tuam audiui. Licet ambo laterent, ambo Dei vocem audirent, DE SE TAMEN SOLO *rationem reddebat*, inquit Abulensis, *quia ab eo solo quæsierat Deus cum dixit: Adam ubi es?* Fors mentem ab vxore auocauerat, timore Dei vocantis consternatus.

Tanti refert qualis ille sit qui alterius verba excipit, *primum enim*, inquit Arias Montanus, *cum Dei vocem audiuit, quam* INTEGRIS ANTEA AVRIBVS, *& sensibus* DVLCEM, *suauem, atq; salutarem percipere solebat*, HORRORE *rursus, auersari, atq; pauere cœpit.*

Vocem tuam audiui. Spes veniæ affulget, dum 290
qui peccat Dei se vocem audiuisse affirmat, desperata res videtur, cum Dei negligitur vox. *Adhuc*, inquit Sanctus Ambrosius huc spectans, *in his* REMEDIVM EST, *qui audiunt verbum Dei.* Conclamata videtur res, cum Dei non auditur clamor, aut eorum qui Dei verba prædicant.

Vocem tuam audiui, eò quòd nudus essem. Timoris sui causam in nuditatem reiecit, cum verius, ac salubrius in culpam suam deberet reijcere. *Adam*, inquit Ferus, *causam tanti* TIMORIS, ET CONFVSIONIS NON ADSCRIBIT PECCATO SVO, *sed nuditati corporis, quasi Deo displiceret nuditas, cum melius illi placuisset, si homo sic permansisset ut creatus erat. Sic & nos adhuc externam nuditatem erubescimus, non autem internam*, DE EXTERNIS MALIS QVERIMVR, NEC COGITAMVS, QVOD E PECCATO SINT. Nil frequentius quàm homines in querulas erumpere voces, cum malis, & aduersitatibus premuntur, nihil interim cogitantes, aduersa omnia à nostris culpis nata.

Timui, eò quod nudus essem. Et cur se nudum vocat, cum folijs se ficus, ea qua ratione poterat, vestiuit? Antequam Deus aduenirет, inquit pius ille auctor, folia illa ficus optimum nuditatis suæ remedium videbantur, at ADSTANTE *DEO* HOC NIHIL PROFICERE INTELLEXIT, & ideo se nudum fatetur. Idem omnino peccatoribus accidet: nam cum adolescens hoc tempore peccat, excusat se dicens nobilem se esse, & ita fieri inter adolescentes. Mulier, quæ tot horas in se ornando consumit, excusat se & statum suum hoc requirere ait, illa vero quæ castitatem suam turpissimo pretio vendit, se se paupertate excusat. Et hoc, antequam Deus veniat, fit, at cum clamabit, Adam vbi es? tunc in diuinæ suæ maiestatis conspectu excusationum suarum folia peccata occultare non poterunt.

Timui, eò quod nudus essem. Nuditatem cor- 291
poris spectauit, cum potius ab animæ deberet nuditate timere. Rem egregiè vrget S. Macarius Senior hom. 20. vbi ait: *Ille primus homo se nudum conspiciens erubuit: tantam habet nuditas annexam ignominiam: Si ergo in rebus corporeis tantum pudoris facit nuditas, quanto maiore pudore ac ignominia affectionum circundata est anima,* DIVINA VIRTVTE NVDATA, *non gestans nec induta arcanum incorruptibile, ac spirituale indumentum (nempe Dominum Iesum Christum) in ueritate? itaque quicunque uacuus est gloria illa diuina, illum ita sui pudere debet atq; ignominiam suam agnoscere, sicut Adam corpore nudus cum esset, etsi è folijs ficus uestimentum sibi aptauit, pudore tamen ducebatur, animaduertens mendicitatem suam, ac nuditatem.*

Fugit Adam à facie Dei, vt vel hinc diluceat, quid ab illo sapientiæ ebiberit, qui scientiam boni & mali promittebat. Iure eum vellicat

Sanctus

Sanctus Chryſoſtomus hîc: *Animaduerte obſecro, quàm inſipienter agit nunc, qui antea tanta pollebat ſapientia: qui reipſa traditam SIBI SAPIENTIAM NOBIS DECLARABAT, qui talia prophetabat; audita voce Domini deambulantis in horto ad meridiem; occultauit ſe tam ipſe quam vxor ipſius à facie Domini Dei, in medio ligni Paradiſi: quanta hoc eſt inſipientia, quòd à Deo qui vbique præſens eſt, qui ex nihilo res vt eſſent produxit, qui abſcondita ſcit, qui finxit ſingillatim corda hominum, & nouit omnia opera eorum, qui ſcrutatur corda & renes, qui etiam ipſas cordis motus cognoſcit, abſcondere ſe tentant?*

Timuerit Adam, cum Dei vocem in Paradiſo audiuit, vagientem, Deum paruulum qui cogitat, exuere timorem debet. Audiendus hic Sanctus Bernardus ſerm. 1. in Natali Domini, vbi ait: *Noli fugere, noli timere, non venit cum armis; non puniendum, ſed ſaluandum requirit. Et ne fortè dicas etiam nunc: Vocem tuam audiui, & abſcondi me: ECCE INFANS EST, ET SINE VOCE. Nam vagientis vox magis miſeranda eſt, quàm tremenda. Aut ſi cui fortè terribilis, ſed non tibi. Paruulus factus eſt, tenera membra virgo mater pannis alligat, & adhuc timore trepidas? Vel in hoc ſcies, quia non venit perdere te, ſed ſaluare: eripere, & non ligare.*

292 *Et abſcondi me.* Reſipiſcentiæ, & ſalutis prodromum pudorem habemus; peccatoris erubeſcentiam dum videmus, ſperari cita ſalus poteſt. Peritè Sanctus Ambroſius: *Nota, qui abſconditur erubeſcit, QVI ERVBESCIT CONVERTITVR, ſicut ſcriptum eſt; confundantur, & conuertantur valde velociter.*

Eo quòd nudus eſſem. Adeo nudus Adam fuit, vt etiam à pietate fuerit nudus; eum, fateri delictum ſuum deberet, nuditatem in medium affert, quæ à Deo fuerat, atque adeo à culpa erat aliena, imo innocentiæ indicium fuerat. *Notandum*, inquit hic Rupertus, *quod culpam ſuam tacuit, quæ cauſa erat ſibi pudendæ nuditatis: & ita nudum ſe eſſe queſtus eſt, vt Deum potius incuſaret, quod talem fecerit ſe hominem formaſſet: non enim dixit, vocem tuam audiui in Paradiſo, & timui eo, quod præceptum tuum præuaricatus eſſem, ſed timui, inquit, quod nudus eſſem: NON ERGO FACTVM SVVM, SED FACTVRAM DEI IN SEMETIPSO REPRÆHENDIT.* Hæc peccatoris impudentia, vt ea quæ circa ſe ſunt arguat, non ſe.

Eò quòd nudus eſſem. Statim poſt peccatum inſipientiam ſuam prodit, nuditatem ſuam obijcit, quaſi nuditas cum innocentia non cohæreret, & confuſionis eſſet occaſio, quæ ad gloriam erat. *Iſta reſponſio*, inquit B. Dionyſius, *quantum ad formam verborum, fuit inſipiens. Cum enim à creatore nudus eſſet formatus, & in nuditate relictus ſine pudore, non debuit dicere, abſcondi me, quoniam nudus ſum: ſed potius, quia peccando nunc habeo eribeſcibilem nuditatem.*

293 *Eò quòd nudus eſſem.* Et cur ſe viridantibus folijs veſtierat? An oſtendere voluit aduentitium decorem nec ad ornatum eſſe, nec nuditatis ruborem tollere? Veſtitus, inquit ille, ornatum à folijs viridantibus factum habebat Adam; SED VT TOTVS ILLE ORNATVS ADVENTITIVS ERAT, ET AB EXTRINSECO, ARTE, DILIGENTIA QVÆSITVS; SIC IN EO MAGIS ANIMADVERTEBAT ADAMVS MENDICITATEM, QVA ERVBESCERET, quàm gloriam, qua præſumeret. Vt ex tanto parente ediſcant eius filij erubeſcere, in ornatibus, & ſplendoribus, quos ab alijs creaturis emendicare cernuntur.

Nudum ſe vidit, quia putauit ſe nudum, non talem ſe antea vidit, quia talem ſe non putauerat, adeo verum nos ex opinionis potius regula viuere, quàm veritatis. Pulchrè Sanctus Ambroſius in apol. 2. Dauid cap. 8. vbi ait: *Ergo ille (Adam) ſe nudum ſenſit & vidit. Vnde ita eſt omnis noſtra conditio, VT QVI SE NVDVM PVTAVERIT NVDVM SE VIDEAT ET SENTIAT. Denique qui diuitias concupiſcit nudus eſt, qui contemnit opulentus eſt.*

Cui dixit: *Quis enim indicauit tibi, quod nudus eſſes, niſi quod ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comediſti?*

QVis indicauit tibi, quod nudus eſſes: Summa Dei manſuetudo in peccatoribus corripiendis hic elucet, quam nobis imitandam monebat S. Chryſoſtomus hom. 25. in epiſt. ad Romanos, dum ait: *Cum tranſgreſſum*, inquit, *INCREPARET VIDE QVAM MANSVETE. Non enim illi dicebat: Sceleſte, cùm tanta beneficia per me receperis, poſt illa omnia fidem habuiſti diabolo, benefactoremque tuum relinquens, attendiſti malo dæmoni: Sed quid dicebat? Quis tibi dixit, quòd nudus ſis, niſi quod de ligno, de quo ſolo ne comederes tibi præceperam, comediſti? Quemadmodum ſi pater cum filiolo ne macheram contingeret præcepiſſet, deinde eum non obediuiſſet, vulneratuſque tam eſſet, diceret; vnde vulneratus es? Hinc ſcilicet, quod me non audiſti. Agnoſcis verba plus amici, quam Domini, amici, inquam, contempti quidem: neque ſic tamen ab amore ceſſantis? Imitemur ergo illum & nos, & ſi quando delinquentem increpauerimus, eandem, ſeruemus manſuetudinem. Nam & mulierem eadem manſuetudine increpauit. Imò ne increpatio quidem erant quæ dicebat, ſed magis admonitio. Propterea ſanè ad ſerpentem nihil dicebat. Erat enim is malorum iſtorum fabricator: neque habebat cui facti cauſam imputaret, vnde & vehementer illum punuit.*

Cum multa peccata commiſiſſet Adam, & & Eua, cur reprehenſio vnum tantum impetit? 294
Quia, vt ille ait, DOCTRINA VNIVERSALIS SOLET ESSE PARVM VTILIS; quòd ſi deſcendatur ad multa particularia, ſolet etiam valde grauis, applicata autem ad EA QVÆ SVNT MAGIS NOXIA, vtilior erit ac fructuoſior. Cuius exemplum licet videre in prima reprehenſione, quæ adhibita fuit in mundo ab ipſomet Deo. Quamuis enim Adam & Eua multa peccata admiſiſſent, ſuperbiæ, infidelitatis, curioſitatis, gulæ, & inobedientiæ: ſolum

K eamen

tamen eos reprehendit, quod ex ligno, de quo præceperat eis ne comederent, comedissent: in eo enim reliqua continebantur.

De quo. Aliquæ editiones habent; *de quo solo*; Quam lectionem, sic expendebat Sanctus Chrysostomus: *Non caret* EMPHASI, *&* LATENTI QVADAM VI, *quod dicit de quo solo: quasi diceret, num adeò angustos fruendorum lignorum limites tibi præscripsi? nonne omnem copiam præbui? nonne omnium quæ in paradiso sunt potestatem tibi dedi? & duntaxat ab hoc vnico abstineres præcepi? vt scire posses te sub Domino quodam esse, cui obedientiam debes? quæ igitur tanta negligentia illa, vt tantis fructibus non contentus, ab hoc vnico abstinere nolueris, & sic statim ad violandum mandatum, quòd, dedi proruperis? temetipsum tantis malis immergendo?*

De quo præceperam tibi ne comederes. Aliqui ex græco vertunt. *Ne de eo solo comederes*. Sed cur istuc adiectum? vt innueret statim datam homini facultatem de alijs fructibus comedendi, ne quis crederet ciborum penuria peccatum admisisse. Perpensè Seuerianus in Catena græca Fumani: *Illud, de eo solo, significat omnibus alijs vescendi factam illi fuisse potestatem,* NEC VLLA PENVRIA EDENDI *ad peccandum impulsum*. Plerique hanc excusationem suis culpis peccatores obtendunt, vt necessitate ad peccatum perpetrandum adactos se dicant, cum sola eò eos malitia duxerit.

Sectio XIII.

Peccatoris impudentia, dum *Deum* incusat non se. 295.

Plerumque *vitium* est, quod *virtus* videbatur.

Leuiori *pœna* mulctati, qui humiliter *peccatum* suum fatentur.

In *sermone* vt *mulier* sit, quàm vir, effusior. 296.

Caueant *Prælati*, ne nimis *seueri* in subditos sint.

Mulier, quàm cuique timenda.

Sæpè qui *peccatum excusat*, grandius facit. 297.

Cauendum Dei exemplo, ne nimis *peccator terreatur*.

Impietas leue ducit aliorum *supplicium*, vt ipsa impunis euadat.

Adam cecidit, quia voluit. 298.

Peccatum suum *fateatur* ignoscentem Deum, qui vult.

Quàm grande piaculum alios ad *peccandum* allicere.

Muliebris nota, cum de peccatis *confitendis* agitur leuiora producere, grauiora supprimere. 299.

Suo sexu maior *mulier*, si *accusata* crimen non retorquet.

Eua in *Serpente* Angelum latere vt crediderit.

Superioris exemplum facilè inferiores imitantur. 300.

Erroris medicina *confessio* est.

Serpentis gestus *Satanæ* mores exprimit.

Euæ imitatores, qui plus dolent, quod *diaboli*, promissa caruerint, quàm quod *deliquerint*. 301.

Nihil refert, aliquem *peccata* sua *excusare*.

Vnicuique *Eua*, quam caueat, *caro* propria est.

Cauendum *mulieri* ne nimia *verecundia* correpta, peccata in *confessione* supprimat. 302.

Infecta *muliere* alij facilè inficiuntur, & illa *lapsa* labuntur.

Ægrè *peccati* veniam petit, qui se *excusat*.

Qui *excusat* crimen, aggrauat. 303.

Mulier virum facilè sequitur, & imitatur.

Cur de vno *interrogata mulier* de alio respondeat.

Dixitq; Adam: Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.

Mulier, *quam dedisti mihi sociam*. Dixisset, vxor mea, ne in Deum culpæ suæ causam reijceret. *Neq; ait*, verba sunt Sancti Dorothei doctrina 1. de abrenuntiat, *mulier mea mihi illusit: sed quam dedisti mihi: ac si dicat, calamitas ista quam tu in caput meum induxisti. Neque illi sat est (fratres mei) quod se se accusare non vult*, DEVM QVOQVE IPSVM INCVSAT. 295

Qui prius timebat, & abscondebat se, nunc tumet, & se nimis prodit, vt tunc appareat, non fuisse timorem ex Dei amore. Plerumque vitium est, quod virtus videbatur. Audiendus Sanctus Gregorius, qui lib. 4. moral. cap. 25. ait: *Primus homo post culpam audacior extitit, dicens: Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi: qui quidem per timorem semetipsum absconsurus fugerat, sed tamen requisitus innotuit, quantum etiam* TVMENS TIMEBAT. *Cum enim ex peccato præsens pœna metuitur, & amissa Dei facies non amatur, timor ex tumore est, non ex humilitate.*

Audis vt in mulierem reijciat culpam, & mulier in serpentem. O cum humilitate essent fassi, quod superbè commiserant, mitiori eos pœna Deus inligasset. Ita B. Thomas à Villanoua: *Si humiliati, inquit, fuissent, & confessi peccatum proculdubio* LENIORI ET MINORI POENA MVLCTATI *fuissent.*

Ter

296 Ter tantum loquutum Adamum, si spectemus verba, quæ sacræ litteræ recensent constat, quater verò Eua; malum etiam à verborum fusu omen, cum effusior in sermone sequior sexus est.

Mulier quam dedisti mihi. Mirum cur in hac excusatione non seuerè sæuierit Deus, Adami malitiam in medium producens. Hoc loco, inquit Catharinus, Dominus Prælatis exemplum præbuit, ne semper velint ad minutum cuncta exigere à subiectis, scientes hic non esse tribunal iudicij IN VINDICTAM, sed IN CLEMENTIAM, ac misericordiam. Cauere enim diligenter debent, ne arundinem quassatam confringant, & ne linum fumigans extinguant: sed vt paulatim & suauiter trahatur peccator afflictus ad pœnitentiam salutarem. Ad hanc enim oleo potius mulcendus est, quàm ferro exulcerandus. Vnde & sæpius nonnulla dissimulanda & in aliud tempus reponenda sunt, Quædam etiam deuoranda, & omninò prætereunda more prudentium medicorum, qui nonnulla relinquunt naturæ beneficio curanda: Sic fecit Dominus hac in parte nequis miretur, si non acerbius in reum intenderit veritatis & iustitiæ aculeos.

Ab Eua discere quisque debet, quàm timendum ab alia muliere sit, quæ non sit ijs dotibus insignita, quibus prima fuit. Pulchrè ille rem premit: Si primus parens noster Adam Domino dixit. Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi; (quod perinde est, ac si diceret: Mulier quam dedisti mihi decepit me) si inquam MVLIER, quam Dominus Adamo dedit, tot, tantisque donis cœlestibus adornata, ipsum fefellit, quid obsecro putas illam, QVAM TV ELEGISTI, vt appetitui tuo absq; alia ratione diuini cultus satisfaceres, facturam esse?

297 *Mulier quam dedisti mihi*. Crimen suum grauat, dum conatur se excusare. Vide, inquit hîc Catharinus, PECCATI NATVRAM PECCATO PECCATVM CVMVLANTEM, nisi protinus confessione expuatur. Pergit hic infelix perpetuo meditari rationem qua se purgèt, & (quod est horrendum) etiam noxam in ipsum Deum & mulierem reijciat.

Auget peccatum suum Adam, dum excusat, dum in vxorem reijcit magis in se transfert. Sed cur de hac inepta excusatione, qua Deus ipse tangebatur, non arguitur à Deo, asperisque verbis increpat tam fatuam defensionem? *Omnibus abstinuit uerbis*, inquit Moses Bar-cepha, *quæ cum illo expostulare potuisset iure Deus, quia non accusationibus* PERTERRERE *hominem, sed patrati facinoris* POENITENTIA *reuocare cupiebat*.

Mirum qui ne Euam contristaret, Euæ obedierat, nunc omnem culpam absq; vllo charitatis, & amoris affectu, in mulierem reijcit. *Peccauit Adam in hoc*, inquit Ferus, *quod culpam omnem in mulierem conijcere voluit, sine omni misericordia, & qui prius nimium misericors fuerat consentiendo mulieri, ne eam offenderet, his nimium crudelis est, Vera charitatis fuisset uxorem excusare vt infirmiorem, & minus instructam. Verum contrarium facit*, IMPIETAS ENIM LEVE DVCIT ALIORVM SVPPLICIVM, DVM IPSA IMPVNIS EVADAT. Frustra charitatis legem in eo quæras, qui Dei temerauit legem,

Dedit mihi. Dedit, non vim intulit, non coëgit, vt videas cecidisse virum quia voluit, 298
quod sic expendebat Sanctus Chrysostomus hom. 17. in Genesim: *Dilecti ne transeamus simpliciter, quæ nunc dicuntur, sed diligenter scrutemur: nam plurimam inde vtilitatem percipiemus: terribile enim iudicium est, & horrore plenum: & sane quisquis bene audierit, magnum thesaurum menti suæ inferet: considera igitur & virum dicentem, mulier quam dedisti, vt sit mecum, ipsa mihi dedit, & comedi*: NVSQVAM NECESSITAS NVSQVAM VIOLENTIA, SED ELECTIO, ET VOLVNTAS: *dedit solum & non coegit, nec vim attulit: quin & ipsa quoque Apologiam, concinnans, non dixit: serpens coegit me & comedi: sed quid? serpens decepit me: vt autem deciperetur, aut non deciperetur, in ipsius erat potestate*.

Et comedi. Fatetur Adam se comedisse, non fatetur se peccasse. *Numquid*, inquit Porrecta, *ipse dixit vnquam, peccaui? quære in omnibus verbis eius; & non inuenies. Comedi, inquit, sed nusquam peccaui. Immò peccatum excusauit. Quid miraris si* DEVS NON IGNOSCIT: *quando ipse non agnoscit? spe ergo illa sua, quam ante peccatum habuit, Adam frustrari meruit; & meritò frustratus est*.

Et dixit Dominus Deus, ad mulierem, quare hoc fecisti?

QVare hoc fecisti? Vt sit sensus, quare viro tuo pomum comedendum exhibuisti? Sed cur non potius eam arguit, quod ex fructu vetito ipsa comederit? An quia illud erat grauius; vtque hinc colligeretur, quàm grande piaculum sit alium ad peccandum inuitare, & lapsus occasionem alijs porrigere? *Non ait*, inquit Honcala hic, *quare comedisti, sed quare fecisti hoc? Quia comedisse fructum tanta autoritate, tantaque interminatione inhibitum, manifestissima contemptionis fuit opus, & inexcusabilis culpæ crimen, sed de illo mulierem arguit: quod grauius fuit, & nocentius, nempe illam eundem fructum vetitum viro suo vescendum porrexisse*: QVOD QVIDEM FVIT GRAVIORIS CVLPÆ; *quoniam* GRAVIORIS CVLPÆ PROCVLDVBIO EST ALIVM AD PECCANDVM INVITARE, *quàm propria libidini cedere. Fuit & maioris nocumenti; quod ab Adæ iustitia pendebat totius humani generis salus. Etenim decretum Dei positum erat, vt Adam aut Deo parens beatos gigneret filios, aut non obtemperans, infelices*.

Quæ respondit: Serpens decepit me, & comedi.

ALiud à muliere quærebat Deus, aliud ipsa respondet; quod erat grauius, virum sci- 299

licet ad peccatum inuitasse, reticet, quod læuius erat futili excusatione tegit; quod notabat etiam Honcala hîc: *Mulier*, inquit, *malum docta subticuit, quod grauius erat, se virum suum ad præuaricationem incitasse, seque ipsam comedisse, quod leuius erat, excusauit*. Muliebris ferè nota est, cum de peccatorum confessione agitur, leniora producere, grauiora supprimere, hoc ab Eua sui sexus principe didicerunt.

Serpens decepit me. Mirum quod virum de sua paratura non repercusserit mulier, & crimen in virum non reiecerit, quod sit lapsa, quia auxilium vir non porrexit, quia ab ea se elongauerit: In hoc sexu suo maior fuisse videtur Eua. Benè S. Ambrosius: *In iudicio ipso quanto clementior mulier viro? Ille mulierem suam accusauit, ista serpentem: hoc est*, NEC ACCVSATA CRIMEN RETORSIT, *sed ipsum accusatorem suum maluit (si posset) absoluere, quàm ligare*. Sic ille de Instit. Virg. cap. 4. Sua nimirum sexu maior in hoc mulier, si iniurijs lacessita, easdem non regerat.

Serpens decepit me. Cur non & Adam dixit à muliere se deceptum, sicut mulier à serpente deceptam se dixit? *Ex hoc patet*, inquit Sanctus Thomas, *quòd capiebat in* SERPENTE IPSA EVA ALIQVAM SVBSTANTIAM RATIONE VTENTEM, *quia nunquam natura brutali imponeret, quod decepisset eam, quia decipere est naturæ sagacioris & astutioris. Ideò etiam ipse homo de muliere non dicit, mulier decepit me, quia tunc recognouisset mulierem aliquo modo astutiorem & simpliciorem, vnde mulier in serpente credidit esse Angelum sagacioris & astutioris naturæ*.

300 *Serpens decepit me*. Etiam mulier se excusat, quæ se excusantem audierat virum. FACILE SVPERIORIS EXEMPLVM INFERIORES IMITANTVR, & quod præstant, qui præsunt, exsequuntur, qui sequuntur. Ac si maiorum facta præcepta quædam minoribus indicta essent.

Serpens decepit me. Fatetur culpam, quæ deceptam se fatetur, licet aliquam partem, & in serpentem transferat. Sanctus Ambrosius de instit. Virg. cap. 4. hæc habet: *Quanto maior mulieris absolutio? Ille arguitur, hæc interrogatur. Adde illud, quod & prior culpam fatetur. Etenim quæ se dicit esse seductam, testatur errorem*, ERRORIS IGITVR MEDICINA CONFESSIO EST.

Serpens; Serpentem nominans discere debebat, quid caueret. Serpentis gestus, ac motus Satanæ mores exprimit. Hinc Tertullianus de spectac. *Primos homines diabolus elisit;* IPSE GESTVS *colubrina vis est tenax ad occupandum, tortuosa ad obligandum, liquida ad elabendum*.

301 *Serpens decepit me*. In hoc vera Eua fuit, quod dixit à serpente se deceptam, non coactam, licet in hoc aberrarit, quod molestè potius tulit se non adeptam, quod serpens promiserat, quàm quod assensum deceptori præbuerit, quod non debebat. Benè Arnoldus Carnotensis: *Deceptam*, inquit, *se dixit*, AMPLIVS DOLENS QVOD DIABOLI PROMISSIO EFFECTV CARVERIT, *quàm quod eius suggestioni assensum præbuerit*. O Vtinam plerique Euæ imitatores non essent, plus aliquando mortales dolent, quod Satanas non exhibuerit, quod promiserat, quàm quod promittenti ipsi crediderint, deliquerintque.

Serpens decepit me. Excusat peccatum suum mulier, sed pœnam non euasit, vt statim intelligeremus nihil referre aliquem peccata sua excusare. Hinc illud Olcastri ad hæc verba: *Docemur, quàm* PARVM VALEAT EXCVSARE PECCATA *apud Dominum, cum post excusationes tam homo, quàm vxor eius dent pœnas*.

Tot malorum artifex Eua fuerit; & verò habet quilibet in se ipso Euam, cuius insidias caueat; Eua nostra caro est. Pulchrè ille: Videat homo qua cura & solicitudine sibi prospicere debeat: INTRA SE ENIM QVISQVE NOSTRVM DECEPTRICEM EVAM GESTAT: nempe carnem spiritus inimicam, ideoque sæuiorem inimicam; quæ non vulnerando, sed velut altera Sampsonis vxor blandiendo, periculosius insidiatur. Est hic hostis domesticus tanto magis timendus, quanto interior & propior nobis est. Si enim in gratia conditus & in Paradiso constitutus homo, ab hac Eua deceptus est, quis à Paradiso expulsus, & illa originali iustitia nudatus, non timeat?

Cauendum mulieri dum peccata sua sacerdoti in confessionis tribunali objicit, ne verecundia os eius obstruat, & integrè peccatum suum non referat; hoc fecit & prima mulier, quæ à supremo iudice interrogata; dixit *serpens decepit me, & comedi*; cur non etiam addidit, culpæ suæ grauitati exprimendæ, se Dei similitudinem, quam serpens promiserat, appetijsse? quia noxia verecundia correpta est. *Nec dixit*, inquit Salianus, *quare comederit, ingenti enim* VERECVNDIA OBSTRVEBATVR OS EIVS, *ne coram ipso Deo diceret se similem Deo fieri voluisse per eam comestionem. Accedebat & proprij supplicij metus ab eo, qui index esset in propria causa*. Scio me legisse inter ea crimina, quæ mulieres æternis adijciunt flammis istue tanquam præcipuum esse, quod verecundia victæ integrè peccata sua non exponant. 302

Cum à muliere Deus quæreret, quare Adamo lapsus occasionem præbuerit, virum ad peccatum pomi porrectione traxerit, respondet se à serpente deceptam comedisse; tanquam esset consequens, vt infecta muliere ceteri inficerentur. Acutè doctus ille auctor: Requiritur ex Eua, quare Adamum traxerit in vetitum cibum, pro quo ipsa respondens, solum fatetur delictum suum, nimirum, inquit: Serpens decepit me, & comedi. Non quæreris mulier an tu comederis? Sed quæreris, quare Adamum comedere fecisti? Ad hoc vt induceres Adamum in tantum scelus, quid interest, quod tu comederis? Multum per omnem modum; eo enim ipso, QVOD MVLIER VNA MALA FIAT, ET PERVERSA, IAM

CON-

CONSEQVENS EST, VT VNIVERSOS PROXIMOS IN OMNE FACINVS MALITIAMVE IMPELLAT.

Serpens decepit me; Nullibi veniæ auditur petitio, excusauit se vir, excusat se Eua. Sanctus Augustinus lib. 4. de Ciuitate Dei cap. 14. ait: *Serpens seduxit me, & manducaui: & ille dixit: mulier quam dedisti mihi, hac mihi dedit de ligno, & edi*, NVSQVAM HIC SONAT PETITIO VENIÆ, NVSQVAM IMPLORATIO MEDICINÆ; *nam licet isti non sicut Cain, quòd commiserunt, negent, adhuc tamen superbia quærit in aliud referre, quòd perperam fecit: superbia mulieris in serpentem, superbia viri in mulierem. Sed accusatio potius, quàm excusatio vera est, vbi mandati diuini est aperta transgressio*. Scilicet ægrè peccati veniam postulat, qui se excusat.

303 *Serpens decepit me*. Dum crimen excusat, aggrauat, *nam*, vt nobilis auctor aduertit, *plus serpenti, quàm Deo credidisse criminis* EXAGGERATIO *est*. Plerumque eò euadit humana fatuitas, vt dum excusat crimina, crimina faciat grauiora.

Serpens decepit me. Statim à viro mulier didicit peccatum in alium transferre. *EVA* SECVTA EST *ADAM*, inquit Franciscus Aretinus, IN EXCVSATIONE, *nam ille transtulit peccatum, in mulierem: mulier autem in serpentem, putans ex hoc, vel totaliter transferre, vel saltem alleuiare culpam*. Aptius Adam respondisset, fassus nudè peccatum suum esset, & sequentem facilè habuisset mulierem.

Aliud à muliere Deus quærebat, aliud illa respondet, quæsierat Deus, cur viro de fructu ligni vetiti dedisset, & ipsa, *serpens*, inquit, *decepit me, & comedi*. Cur istuc fecit? Dicendum, inquit Franciscus Aretinus, quòd mulier quantum apparet ex verbis eius non respondebat principaliter ad id, de quo petebatur; sed ad aliud, & causa esse potuit ex ignorantia: imperiti enim quando interrogantur de aliquo pertinente ad aliquod negotium, respondent totum, quod nouerant de negotio, eo quod nesciunt distinguere id, quod est vnius partis ab eo, quod est alterius, quia habent notitiam confusam, & non distinctam: ita Eua quæsita cur dedisset viro de fructu, non solum de illo, sed etiam de toto, quod ad illam pertinebat respondit. Secundo potest dici, quod ita respondit, quia animus mulieris erat ad excusationem, ideo non potuit respondere ad quæstionem, nisi ad id, quod videbatur eam excusare, aut illud principaliter ponere. Tertio potest dici, quod mulier non solum respondit ad verba Dei, sed etiam ad intentionem eius, vt ipsi videbatur: non enim putabat mulier, quod Deus vellet solum scire, quare viro dederat, siue an dederat de fructu, sed totam rem gestam, atque adeo adhoc respondit incipiens à primo scilicet, quod serpens seduxerat eam, atque ita comedit, & dedit viro suo.

Sectio XIV.

Et ait Dominus Deus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ.

AIt Dominus Deus ad serpentem. Cur prius pœna serpenti infligitur, quàm Adamo, quàm Euæ; quia peccati causa exstiterat. Benè Olcaster: *Qui prius* FVIT CAVSA PECCATI, *prius det pœnas*. 304

Cur serpentem Deus alloquitur, & non potius eum, qui in serpente fuerat loquutus? *Vt homo*, inquit Delrio, AD PECCATI MAGNITVDINEM, *& vindictæ seueritatem contremiscat, sicut & Christus ficulneam idcirco maledixit*.

Præterea serpentis nomen vsurpat Moses, non nequam spiritus, ne alienum aliquid de illo sentirent hebræi, esse nimirum spiritalem potestatem, quæ Deo ipsi præualeret. Ita Moses Barcepha de Parad. part. 1. cap. 27. *Ad hac propter HEBRÆORVM* QVOQVE IMBE-

CILLITATEM *noluit Moses Spiritum, intra Anguem, latentem prodere; ne scilicet illi aduersariam Deo Potestatem esse vllam opinarentur, quæ maioribus freta viribus posset aliquid inuito agere Deo. Nam ideo etiam Angelorum nulla est à Mose facta mentio ad Agaris vsque ætatem, ne Iudæi suspicarentur plures esse Deos.*

305 Mirum, quòd statim serpens non abierit, primis parentibus victis; Satanicum hoc est artificium, ab ijs non discedere, qui à Deo, Deique lege discesserint, ne scilicet pœnitentiam ineant, & salubriora consilia bibant, vt denique seruos diaboli factos sic probetur; Docti auctoris sunt verba: Verè miseram sibi comparat societatem qui peccat, cui manet assistens diabolus, EVM COMITANS: Cùm in Paradiso parentes nostros subiecit serpens, non recessit, nec illos vllatenus reliquit: sed comitabatur ad quæcumque loca, ad quæ se recipiebant. Vnde, & aduenienś Dominus, serpentem cum eis manentem, & in eorum societate existentem inuenit. Non momordit, & fugit, non virus iniecit, & recessit, sed potius hoc ipso, quod vicit & superauit, eos fuit comitatus, vt ostenderetur, dæmonem cum eis manere, quos vicit, quos misera seruitute subiectos retinet.

Quia fecisti hoc. Non dixit; *Cur hoc fecisti*. Adamum, Euamque Deus interrogat non serpentem. Vt aduertant IVDICES, inquit scitus ille auctor, & PRÆLATI, se tanquam dæmones tractare subditos, quos suspectos de aliquo crimine, illos non interrogant: nec est iustitiæ zelus, sed sæuitia, & furor.

Quia fecisti hoc. Cur non potius peccati expressit genus? Cum Eua dixerit serpens decepit, interrogandus hac formula videbatur serpens. *Quare decepisti eam*. Vel à deceptionis nomine Deus abstinuit, hinc illud illius: Dominus ad serpentem ait, Quia fecisti hoc, Quid est hoc, quod serpens fecit Domine? Quasi DECEPTIONEM NOMINARE PVDEAT eius nomen subticet, & nec per os suum proferre vult peccatum, solum ait. Quia fecisti hoc. O magna exaggeratio, quam aperte in hoc grauitas abominationis & sceleris, quod committit ille, qui alium ad peccandum persuadet, explicatur.

306 Cum Satanas, qui serpentem subierat lapsus causa fuerit, cur pœna infligitur serpenti? An vt à serpentis pœna, qui culpæ instrumentum fuerat, colligeremus quanta affectus ignominia diabolus fuerit? Ita philosophatur Sanctus Chrysostomus hom. 17. in Genesim, vbi ait: *Forte dixerit aliquis: cùm diabolus serpentis opera vsus, malum attulit consilium, cur bestia illi pœna infligitur? est & hoc ineffabilis benignitatis Dei opus; Nam sicut clementissimus pater puniens eum, qui filium suum occiderit, & gladium, & ensem, per quæ filius suus occisus, destruit, & in multas partes diuidit: eodem modo Deus egit: quippe serpens quasi gladius quidam diabolicæ seruiuit malitiæ, vnde & perpetua ipsi pœna intentata est: quò per visibile & sensibile hoc ratiocinemur & experiamus, in quanta ignominia sit & diabolus: nam si is qui VT INSTRVMENTVM MINISTRAVIT, tantam expertus est indignationem, quale supplicium verisimile est suscepturum diabolum?*

Quia fecisti hoc. Statim in serpentem sententiam iacit, quod non fecerat in hominem, vt illum à pœnitentia alienum esse indicaret, hunc ad pœnitentiam alliceret. Ita Vgo Victorinus annot. in Genesim: *Quia hoc fecisti, maledictus es. De homine peccante non statim dedit sententiam: sed proposita quæstione dedit* EI SPATIVM VT COGITARET DE CAVSA SVA, ET POENITERET. *Super diabolum autem statim ponit sententiam: quia & ante peccauerat in se, & modò hominem ad peccandum impulerat.*

Quia fecisti hoc. Mirum quòd adeo in homines diabolus sæuiat, & omnibus quibus potest modis ad æterna trahere supplicia studeat, cum damnatorum hominum pœnæ dæmonum augeant supplicia. Hic inuidorum mos, vt non curent sua damna, dummodo illos, quibus inuident, paribus, aut similibus videant subiacere. *Sciendum*, inquit hîc Abulensis, *quòd diaboli, quia perdiderunt gloriam æternam malitia sua, videntes homines posse peruenire ad vitam æternam, valde inuidebant, ideo licet maior pœna sequatur in dæmonibus, dum plures damnati homines fuerint, sicut magis gaudent Angeli boni, quando plures vitam æternam recuperant; quia de bono cuiuslibet actualiter lætantur; tamen desiderauerunt hominum damnationem, & sic voluerunt* SE ALIQVO MODO DAMNARI MAGIS, VT ALIJ DAMNARENTVR. Dæmonis mentem circumferunt, qui cum suo damno alijs student officere.

Adam quæritur, & interrogatur, non est quæsitus serpens, non est interrogatus, quia nimirum pœnitentia ab eo sperari non poterat. 307
Ita Sanctus Gregorius lib. 33. Moral. cap. 24. *Serpens iam non requiritur, quia nec* EIVS POENITENTIA *quærebatur*. Ad dæmonis statum accedit, qui pœnitentiam non vult, eamque quibus potest modis repudiat.

Punitur serpens, qui causa fuit vt Eua laberetur, & cum ipsa ipsius vir. Sed cur pœnam non præuidit, & præuidens non vitauit? Inuidi hîc notam habes, qui maius sustinere malum mauult, vt minori alij subiaceant, quos odio prosequitur. Scitè hîc Oleaster: *Considera*, inquit, *quàm verum sit prouerbium illud. Malum, scilicet, velle sibi duos oculos frangi: vt alteri frangatur alter oculorum.* EXPOSVIT SE SERPENS *tot malis, quot illi hic inflixit Deus: vt videret homines sua dignitate priuatos*. Tanquam si alterius damnis sua minora redderet, cum reddat maiora.

A serpente non quæritur cur mulierem deceperit, quia inutilis interrogatio videtur esse quam nulla emendatio sequitur, correctio nulla. Ita Arnoldus Carnotensis tract. de operibus sex dierum: *Nihil quæritur à serpente, nulla omnino interrogatio flagitij sciscitatur originem: quia illa in vanum voluitur quæstio, quæ sine fructu est, &* QVAM NVLLA COMITATVR CORRECTIO.

Male-

Maledictus es inter omnia animantia. Ex græ-
308 co aliqui vertunt, *execrabilis tu ex omnibus iumentis*; Addit statim eius pœnam: *super pectus tuum gradieris*. Serapion in Catena græca Fumani ad hæc verba hæc habet: *Execrabilis tu ex omnibus iumentis. Cor enim decepisti, & ventri suasisti, vt cibos attingeret proinde super pectus tuum & ventrem gradieris: ex quo palam est, articulatam vocem non habuisse serpentem: nam si habuisset, ipsa hac mulctatus esset, per quam verba illa protulit: cæterum illud est obseruandum, vt serpenti quidem dixerit: execrabilis tu ex omnibus bestijs: ipsi autem Adam: execrabilis terra in operibus tuis: & ipsi Cain: execrabilis tu de terra: Si pedes ne antea quidem habebat, quæ fuit hæc execratio? fortasse maiore corporis parte rectus incedebat*. Tanquam maxima esset pœna illam rectitudinis amittere partem; quàm ineptus homo, qui rectus à Deo factus totum se curuat, vt terræ, vt terrenis hæreat, spectet ima, neglecto cœlo.

Inter omnia animantia, & bestias terræ. Et non satis erat dicere serpentem maledictum esse, cur inter animantia dixit, & bestias terræ? in superbi dæmonis pœnam, nam quæ hîc in serpentem dicuntur, in illum resiliunt. *Præponit*, inquit hîc Liranus, *ei bruta animalia, non quantum ad conditionem naturæ, sed quia seruauerunt statum suum, quod non fecit diabolus: & hoc est* MAGNA POENA SVPERBO, *quod inferiora & vilia ei præponantur*.

Maledictus es inter omnia animantia. Cur non grauiori pœna punitus serpens fuit, quàm homo, cui insidias struxerat? Abulensis: *Licet animalia bruta laboribus subiecta sint, tamen diabolus magis maledictus est; quia* MAGNA POENA EST SVPERBIS, QVOD ALII EIS PRÆPONANTVR. *Deus autem præponit hic bestias dæmonibus, dicens maledictus erit inter omnia animantia*. Torqueri vix grauius superbus potest, quàm cum vilibus postponitur.

Super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.

NImirum prædicit hæc potius serpenti, quam præscribit, vt notabat Sanctus Ambrosius lib. de Paradiso cap. 15. *Ergo hic non dixit, facio te supra pectus tuum, & vtero tuo ambulare, & terram manducare omnes dies vitæ tuæ: sed ambulabis, inquit, & manducabis: vt prædixisse magis de serpente, quæ futura sunt videretur, quam præscripsisse, quid faceret*.

Super pectus tuum gradieris. Respondet sce-
309 leri pœna, qui in terram deijcere hominem studuerat, super terram graditur, & terram comedit. Ita Claudius Marius Victor.

Ergo vt digna nefas pœna mensura sequatur
Ex quo hominē TERRÆ IMMERSTI, *tu stratus iniquo*
MEMBRA SOLO *duram sulcabis pectore terram,*
Et vetitos tentare cibos, quia feceris hinc iam
Viles semper edes squallentia viscera terræ.

Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Si hæc pœna Satanam respicit, cur terminus affigitur temporis, quousque ille viuet, cum æternum victurus sit? An intelligitur de illis diebus, quibus vt serpens viuet, homines ad peccatum inducendo, quod erit vsque ad finem iudicij nam amplius non tentabit, nec vt serpens viuet; tanquam si tunc tantum VIVERE SERPENS VIDEATVR, CVM HOMINEM TENTAT, & spe illum deijciendi, decipiendique se iactat?

Terram comedes. Respondet pœna culpæ, & fraudi supplicium: *Persuaserat esum pomi*, inquit Delrio, *ad esum pulueris condemnatur*.

Terram comedes. Apud Isaiam puluis in cibum serpenti decernitur, *serpenti puluis panis eius*, cap. 65. v. 25. Quæ loca ita inter se conferebat nuperus auctor. Olim Deus serpenti dixerat, terram comedes, cunctis diebus vitæ tuæ, & per Isaiam inquit, serpenti puluis panis eius, quia puluere terreno etiam minimo delectatur, & dum puluerem deglutit, spem concipit DEVORANDI TERRAM, NAM EX MINIMIS PECCATIS MAIORA DEDVCIT.

Sectio XV.

Illi præcipuè *inimicitias* cum *satanicæ* hoste habere debent; qui primi & præcipuè ab illo prostrati. 310.

Malorum *amicitiam* dissoluere magnæ virtutis est.

Tanquam *inimicus* eijcitur, qui quasi *amicus* deceperat.

Hominis nomine indignus, qui *inimicitiam* cum homine habet. 311.

Magna *Diaboli* pœna, & *superbi* cuiuslibet ab imbecillioribus vinci.

Tunc maximè *insidiatur Satanas*, cum eius caput contriuerimus.

Qui improbè *loquitur* comprimendus est 312.

Peccatum ibi *corrigatur* vbi nascitur.

Perniciosa *peccati initia* conterenda.

Serpentem Deus puniuit, ne *Eua murmurando* peccaret grauius. 313.

Fœmineam faciem intueri quàm noxium.

Erectum hominis statum conuellere *satanas* studet.

Diuinæ rigor *Iustitiæ* timendus, nec nimium de Dei *misericordia* præsumendum. 314.

Mitiori pœna *punitur*, qui confitetur *delictum*.

Cur partus *doloribus Eua* punita.

Nimius *coniugum affectus* noxius, 315.

Mala *consilia*, qui præbet *puniri* grauiter meretur.

Præceptores aliorum, deceptionis *pœna* puniēntur.

Gratias agere Deo *Eua* etiam punita debebat. 316.
Vir mulieris *portus* & refugium.
Mulier viri *consilio* regi se sinat.
Dominum se maximè *vir* debet ostendere in *mulierem* cum illa illi subdi non vult. 317.
Eorum *consortium*, cautè vitandum, quos noxios experti sumus.

Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius.

310 INter te, & mulierem. Cur mulieris meminit viro relicto? *In hac locutione*, inquit Beatus Dionysius hic, *magis exprimitur* MVLIER QVAM VIR, *quoniam serpens mulierem immediatè fefellit, specialiterque & directè in eam peccauit.* Scilicet illi præcipuè inimicitias cum satanico hoste habere debent, qui primi ab illo prostrati.

Inimicitias ponam. Quàm est bonum cum bonis habere amicitiam, tam est malum habere cum malis. *Vides*, inquit hic Oleaster, *Deum discordiæ auctorem, vt discas non esse minoris virtutis* MALORVM AMICITIAM DISSOLVERE, *quàm bonam fouere.* Scilicet tam bonum est bonorum amicitiam quærere, & fouere, quam malorum vitare.

Inimicitias ponam. Qui amicam speciem præse tulerat, & quasi amicus esset deceperat, merito in hoc quoque plectitur, vt inimicitiarum sentiat damna. Benè bonus ille auctor in catena græca Fumani: *Propterea quòd* QVASI AMICVS DECEPISTI, TANQVAM INIMICVS EIICIERIS, *idque ipsum verbum illico euasit in legem, nam quibuscum pax perniciosa, cum ijs bellum conducibile.*

311 *Inimicitias ponam.* Nunc primum inimicitiæ auditur nomen; Bona, & probanda inimicitia est, quæ in satanam exercetur, alia omnis damnanda, cum adeo cum satanà non sit, vt ab eius sit mente, ex eius præscripto. Hominis non meretur nomen, qui cum homine inimicitiam habet, & vt satanico hosti faueat, hostilem cum proximo animum circumfert. Hinc illud Hesychij Hierosolymitani: *Ad discipulos loquebatur: Pax vobis.* DIABOLO ENIM RESTAT BELLVM, *& aduersus illum tantùm est inimicitia.*

Inter te, & mulierem. Cur non potius dixit: *Inter te, & virum?* Vt dæmonem grandiori pœna feriret, superbos maximè ferit, cum ab imbecillioribus vincuntur. Benè Abulensis: *Hæc*, inquit, *magna* POENA DIABOLI, *quia superbus est, superbi autem valdè dolent, quandò aggrediuntur, & vincuntur maximè* A SEXV FRAGILI.

Et semen illius. Signatè mulieris semen nominat vt Christum signet, qui viri semen in sui generatione exclusit: *Illud*, inquit Sanctus Isidorus Pelusiota, *mulieris semen, quod Deus inimicum, & infestum serpenti esse iubet, Dominus noster Iesus est: nam ipse, mulieris semen, solus ex ea ortus est: sic nempe, vt nec viri semen intercesserit, nec castitati quicquam decesserit.*

Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.

ORdo inuertendus potius videbatur, vt prius serpens mulieris calcaneo insidiaretur, & postea mulier serpentis contereret caput, nam qua ratione post contritum caput insidias moliri serpens potest? Tunc maximè, inquit nobilis ille auctor, insidiatur serpens, CVM EIVS CAPVT CONTRIVERIMVS. Reliqui serpentes omninò deficiunt, si eorum caput attriueris: hic autem serpens, idest, Dæmon, tunc vires assumit, & duriùs aggreditur; scilicet, cùm reliqua vitia debellaueris, tunc assurgit per superbiam, quæ sæpiùs de ipsa victoria originem trahit, & tunc acriùs nos impetit.

Conteret caput tuum. Cur caput potius conterendum dicitur, quàm alia corporis pars? 312
An quia caput per tumorem erexerat? An quia linguâ ea, quæ non decebant, euomuerat? Benè Moses Barcepha: *Quia*, inquit, *per superbiam elatum fuit caput tuum, &* IMPROBA LOCVTVM EST, *qui ex fœmina nascetur conculcabit caput tuum.* Scilicet, qui improbè loquitur comprimendus est.

Quinam caput serpentis conteratur docet Vgo Victorinus in regulam S. Augustini cap. 9. vbi ait: *Hinc est quod Dominus de muliere ad serpentem dicit. Ipsa conteret: caput tuum: caput serpentis conteritur, quando* PECCATVM *ibi* CORRIGITVR VBI NASCITVR.

Calcaneum nostrum serpens obseruat, quia fini nostro præcipuè insidias struit, nostrum est eius caput conterere; quod qui fiat egregiè Cassianus docet lib. 4. de instit. Renunt. cap. 37. *Versutus*, inquit, *serpens calcanea nostra semper obseruat; id est insidiatur exitui nostro, & vsque in finem vitæ nostræ nos supplantare conatur. Et idcirco bene cœpisse nihil proderit, nec pleno feruore renuntiationis arripuisse principia, si hæc congruus etiam finis similiter non commendauerit atq; concluserit; Christique humilitas, atque paupertas, quam nunc coram ipso professus es, vsque ad extremum vitæ quemadmodum arrepta est, à te non fuerit custodita. Quod vt possis implere, tu eius capita, id est cogitationum principia semper obserua; ad seniorem scilicet mox ea deferens. Ita enim disces* PERNICIOSA EIVS INITIA CONTERERE, *si nihil ex eius seniori tuo erubueris reuelare.*

Sed cur serpentem sua pœna Deus afficit, idque coram muliere? *Ad impediendum*, in- 313
quit Salianus, *ne mulier contra Deum* MVRMVRANDO PECCARET GRAVIVS, *quasi hominem peccatorem puniret, serpentem auctorem peccati, vt apparebat innoxium dimitteret.*

Insidiaberis calcaneo. Vt in hoc quoque eius superbia prematur, quod ad calcaneum mulieris se demittit; vide quanti illi constiterit fœminam

fœmineam faciem fuisse intuitum. *In os*, inquit hîc Martinus Delrio, FOEMINAM INTVITVS, *calcaneo nunc insidiatur*; vt vel hinc conijcias quam cautè mulieris spectanda facies, cum vel serpenti tam hoc noxium fuerit.

Nihil adeo displicet dæmoni quam erectus hominis status, quem corporis hac erectione repræsentat, vt ob id *insidiari calcaneo* dicatur, *veluti* RECTVM STATVM *eius*, vt ille ait, *conuulsurus*.

314 Sed cur ante Adam, & Euam pœna plectitur serpens? *Quia*, inquit Beatus Dionysius hîc, *transgressio ista à serpente mulierem interrogante, cœpit exordium serpens primò punitur, non quia peccauit, sed in detestationem tanti peccati, ad insinuandum quantum displiceat Deo peccatum. Locutus est quoque Deus serpenti, non propter serpentem, vt intelligeret serpens, sed propter primos parentes, vt ipsi ex diuina locutione & serpentis punitione addiscerent* DIVINÆ RIGOREM IVSTITIÆ, *qui de misericordia Dei nimis* PRÆSVMPSERAT.

Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos; In dolore paries filios.

Mitiorem in mulierem quam in virum sententiam fecit, notatum ab alijs est, causam discriminis in illud aliqui reijciunt, quod simplicius culpam suam confessa fuerit; hinc illud Sancti Ambrosij lib. de Paradiso cap. 14. *Neque potest quisquam iustificari à peccato, nisi fuerit peccatum ante confessus: vnde Dominus ait, Dic iniquitates tuas, vt iustificeris; ergo quia* EVA IPSA CONFESSA DELICTVM EST, MITIOR SEQVITVR *& profutura sententia, quæ condemnaret errorem, & veniam non negaret, vt ad virum suum conuersa seruiret.*

Multiplicabo ærumnas tuas. Iure quæ multiplicare scelus voluit, multiplices subire debebat ærumnas; Opportunè Claudius Marius Victor, de Euæ pœna loquens ait;

Casibus & verò (inceptum quoniam prior ausa es
MVLTIPLICARE NEFAS) *semper versabere multis*.

315 Sed cur partus doloribus punita Eua est? Punita, inquit ille, in his mulier est propter quæ in pretio habetur, & HONORATVR IN PARTV filiorum. Statimque se demitteret, nec superbiret, quòd hominem gigneret, Præterea in ordine ad fœtus, & ad virum imponit mulieri pœnas; cur ita? *eò quòd*, inquit Caietanus, CONIVGALI AFFECTV *traxerat virum ad peccatum*.

Alij censent grauius punitam mulierem, sed cur ita? An quia mulier virum improbo consilio ad lapsum impulit? Hinc illud illius: *Quia de arbore vetita pomum decerptum comedit, morte & infœcunditate soli damnata est, at verò quia improbum dedit consilium doloribus partus punita est. Vide quantum apud Deum malum sit*, MALA PRÆBERE CONSILIA, ET QVOD SVPPLICIVM MEREATVR. *Tum etiam pende quantam habeat similitudinem pœna cum culpa; dolore partus percutitur, quæ improbe consuluit. Nam qui mala præbet consilia, filios, quos Deus susceperat, necat; qui autem improba suggerendo filios, quos Deus genuerat, interficit, Deum parentem eximio dolore afficit, quem protendere volens, iniqua consilia instillantem dolore partus punit.*

Si mulieris pœnam cum pœna viro inflicta conferamus, illa maior videtur, ista minor, vt hinc colligamus quanti sit criminis lapsus ansam alteri præbere. Rem sic vrget, expenditque Sanctus Chrysostomus; *Quoniam ab initio ob hoc grauiorem pœnam accepit mulier, &* DECEPTIONIS MAIOR CAVSA FVIT, *propter hoc & decipientem magis, quàm deceptum puniuit Deus: quod & nunc erit, si non volueritis corrigi, & ad propriam redire nobilitatem: propter hoc enim & mulier tunc reprehensa, quod viro dedit de fructu, non audebat dicere, quod oportebat, cum vir esset, non persuaderi, neque decipi; sed hanc quidem vtpote frigidam defensionem tacuit, ad aliam autem venit infirmam quidem & ipsam: attamen plus hac habentem rationis: vnde manifestum, quod qui prætexunt deceptores, rectius in se deceptos, quàm in deceptores culpam ingerere possunt.*

In dolore paries. Etiam cum irascitur misericordiæ recordatur Deus, ita dolores Euæ prænuntiat, vt indicet parituram; Eius erat statim in gratiarum actionem prosilire. Benè B. Thomas à Villanoua in aduentu Domini: *Ipsa tua Domine increpatio, benedictio erat, cum velut iratus, præuaricatrici mulieri sententiam protulisti, dicens: In dolore paries. Cui tunc flexis in terra genibus cum omni deuotione respondendum fuerat.* GRATIAS TIBI DOMINE, GRATIAS TIBI, *quia vtcunque tamen paritura sum: dolore libenter accepto, postquam prolem ex meo crimine non amitto.* 316

Sub viri potestate eris; & ipse dominabitur tui.

Sub viri potestate eris; Legunt aliqui: *Ad virum tuum conuersio tua*, ex quibus verbis Dei, vel in puniendis peccatoribus benignitatem colligebat Sanctus Chrysostomus, ait quippè: *Vide hoc loco Dei benignitatem, nè enim audiens, ipse tui dominabitur, grauem censeret esse dominatum, prius posuit nomen curæ dicens, ad virum tuum conuersio tua, hoc est* REFVGIVM TVVM, PORTVS, *& securitas tibi erit ille: vt in omnibus quæ ingruent, malis ad ipsum te conuertas & confugias, tibi concedo.*

Sub viro in pœnam videtur mulier esse, quæ non contenta ipsa perire, virum deiecit, & secum in rebus allexit: Scitè Claudius Marius Victor de Eua loquens, ait.

Et tu quæ minimo solam te perdere fructu
Non contenta, virum similes temeraria in ausus
Traxisti; instar eris famulæ, subiectaque duros
Arbitrium sensura viri patiere labores;

Sub viri potestate eris; ne scilicet ad errorem deinceps virum traheret, sed viri consilio sineret se duci. Ita Sanctus Ambrosius lib. de Paradiso cap. 14. vbi hæc habet huc spectans; *Primum ne eam facilè delectaret errare: deinde vt sub fortiore vase locata non traduceret virum, sed magis* VIRI CONSILIO ET IPSA REGERETVR.

Ipse

Ipse dominabitur tui. Cur non præceptum est viro, vt mulieri dominaretur? *Non dixit viro*, inquit Catharinus, *Dominare mulieri, sed mulieri dixit: Ille dominabitur tui, ac si dixerit. Si se pro Domino aliquando gesserit, patienter ferto: Est enim Dominus tuus. Et re vera cum mulier ceruicosa est, & ita contumax, vt viro dominari velit, tunc vir potestate sibi data à Domino vti debet*, SEQVE DOMINVM OSTENDERE. Scilicet tunc maximè dominum se in mulierem vir debet ostendere, cum illa illi subdi detrectat. 317

In hoc sapuit Eua, quod serpentis consortium, ac familiaritatem tam noxiam experta, non legimus amplius ad illum accessisse, loquutam cum illo fuisse; quod expendebat Sanctus Anastasius Sinaita: *Cum esset ad maritum reuersa non inuenimus eam amplius appropinquasse, aut* CVM SERPENTE FVISSE LOCVTAM. Scilicet eorum consortium cautè vitandum, quos noxios experti sumus.

Sectio XVI.

Fæmina potentia ad *impugnandam* quanta sit. 318.
Ab homine *lapso* nihil est quod obtinere se post *dæmon* diffidat.
Obedientia, quæ malis præstatur inobedientia sit.
Quàm magna in *suasionem mulieris* vis. 319.
Viri est mulierem *corripere* & castigare.
Cur *terra*, & non aqua *maledictione* percussa.
A *maledictione* cur immunis Adam. 320.
Per *aquam maledictio* diluenda.
Cur simili *pœna* non *puniti* primi parentes.
Humani *corporis* terra qua *maledictione* percussa. 321.
Vel in *pœnis* infligendis Dei *indulgentia* apparet.
Pœnas beneficio *Deus* insignit.
Ad *sepulchri* cogitationem, vt Deus nos vocet.
Labor homini coniungitur, qui *otio* abusus fuerat. 322.
Peccatum mentem lacerat, & *pungit*.
Spinarum & *peccati* nexus.
Spinæ ad peccati *memoriam* nos vocant. 323.
Nobis terra nostra, vt *spinas* germinet.

Adæ verò dixit: Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo,

QVia audisti vocem vxoris tuæ. Vna fœminæ vox virum deiecit: *Quanta quæso*, inquit pius ille auctor, EST POTENTIA FOEMINÆ AD IMPVGNANDVM, EVINCENDVMQVE VIRVM, si reliqua ex fœmineo armamento expediet, & exeret arma ad virilem animum debellandum; quando sola vox tantum, illud ac tam mirabile mentis, ac sapientiæ Adami ædificium solo æquauit. 318

Quia audisti. Huc serpens spectauit cùm ad vetiti pomi esum Euam allexit. Sed cur inobedientiam primos parentes suasit, & non potius inanium Deorum cultum proposuit? Cur non quod postea ille fecit, falsa numina adoranda obiecit? An quia hominem, qui nondum peccauerat, erectiorem credidit, quàm vt posset huc flectere, vt inanima adoraret, lapsa natura hominem ligno subijcere studuit; tanquam nihil esset adeo vile, QVOD AB HOMINE POST LAPSVM OBTINERE SE POSSE DÆMON DIFFIDAT. Nisi dicamus in obedientiæ violatione omnia mala latere dæmonem vidisse.

Quia audisti. Ex hoc constat non omnem obedientiam probandam esse, nec omnibus per omnia obtemperandum. Benè Sanctus Bernardus epist. 7. *Pro eo quòd obedisti voci vxoris tuæ plusquam meæ, maledicta terra in opere tuo. Igitur facere malum, quolibet etiam iubente*, CONSTAT NON ESSE OBEDIENTIAM, *sed potius inobedientiam*.

Quia audisti. Audire hic *obedire* significat, vnde Pagninus legit: *Paruisti*, Vatablus: *Obedisti*. Hæ duæ notiones rectè inter se cohærent, maximè cum de muliebri agitur voce. Tanta vis, inquit nuperus auctor, EST IN SVASIONE MVLIEBRI, vt simul fuerit in viro & audire mulierem, & mulieri obtemperare. 319

Quia audisti vocem vxoris tuæ. Singula verba pondus habent, quo Adæ leuitas maximè arguitur: *vocem* dixit non *præceptum*, adeo vt mulieris voce Dei præceptum temerauerit. Vxoremque tuam adiecit, non mulierem, vt innueret illius fuisse eam corripere, ac castigare. Opportunè Honcala: *Et vocem*, inquit, *dixit non præceptum, vt ostendat culpabiliorem multò Adæ facilitatem in obsequendo illius voci, cui superiore dignitate præditus* SILENTIVM IMPONERE DEBVISSET. *Vnde & vxoris tuæ adiecit, non mulieris, quæ potuisset esse aliena, vt eum admoneret iuris, quod habebat*, AD CORRIPIENDAM CASTIGANDAMQVE EAM, *cui maluit iniquè obtemperare, quam ipsius improbitatem maritali autoritate cohibere*.

Maledicta terra. Terram maledictione Deus percussit, cur non aquas? B. Alcuinus in Genesim interrog. 11. respondet. *Quia*, inquit, de-

de terra fructu contra interdictum manducauit homo, NON DE AQVIS BIBIT: *&, quod prædestinauit Deus in aquis abluere peccatum, quod de fructu terræ contraxit homo.*

Maledicta terra. Cur non potius Adamum,
320 qui peccauerat maledictione percussit? An propter honorem, quem defert Deus iustis, quos ab Adamo nascituros præuiderat? Moses Barcepha. *Non est*, inquit, EXECRATVS *Adamum, quia ex eo nascituri erant multi mortales probi iustique, vt Prophetæ & Apostoli, ne per illum ei quoque execrabiles, atque detestabiles haberentur, sed maledixit terræ propter illum quippe ex qua ipse esset procreatus*.

Terram maledictam audis non aquam; *quia*, nimirum vt ait Sanctus Augustinus, PER AQVAM DILVERE MALEDICTIONEM PARAVERAT, *quod in diluuio factum, & nunc per baptismum indulgetur*. Vt hinc discant, qui alios ad sanctitatem vocant moribus sanctitatem referre, ne aliud alijs suadeant, aliud ipsi eligant.

Maledicta terra. Cur non simili puniuntur pœna, qui simili se culpa inuoluerant? *Notandum*, inquit Vgo, *quòd Adæ* EXTRINSECA *imponitur pœna cum dicitur: Maledicta terra in opere tuo; mulieri verò* INTRINSECA, *cum dicitur multiplicabo ærumnas tuas, quia seducta seduxit virum*. Tanti refert ad peccatum alios allicere, & prouocare.

Maledicta terra. Cur maledictione percussit, non percussit aquas. *Terræ maledixit*, inquit ex Alcuini mente Honcala, *non aquis, quia homo de fructu terræ contra vetitum manducauit: non de aquis contra præceptum aliquid bibit: & quia peccatum erat in aquis abluendum de fructu terræ contractum. Animalia quoque terrestria plus maledictionis habent, quàm aquatilia: quia plus viuunt de maledicta terra: Vnde & Christus post resurrectionem de pisce manducauit, & non de terrestri animali*.

321 Quod de terra hîc dicitur elementari ad humanum corpus transtulit B. Laurentius Iustinianus de Interiori conflictu cap. 3. vbi ait: *Diuina scientia istud nouimus esse supplicium, vti sacra testantur eloquia, sic enim primo homini delinquenti est dictum: Terra germinabit tibi spinas, & tribulos. Non solum de hac elementari terra, verum etiam* DE HVMANO CORPORE PERHIBETVR, *cui post peccatum dicitur, Terra es, & in terram ibis. Hac profectò terra quantumcunque virtutibus excolatur, quantumcunque animi censura purgetur, in ea quod euellitur, exoritur. Hinc in sudore vultus vtriusque panis homo vescitur alimento*.

Maledicta terra. Vel in pœnis insligendis Dei benignitas apparet, dum non hominem maledictione percutit, sed hominis labores. Pulchrè Nouatianus lib. de Trinitate cap. 1. *Cuius tamen pœnam, nihilominus* INDVLGENTER TEMPERAVIT, *dum non tam ipse quàm labores eius maledicuntur super terra*.

In terræ maledictione ostendit Deus se pœnam beneficio insignire; terræ labore homini addicto terra requiei suauissimæ fundamentum offerebat, SEPVLCHRVM, inquit Sanctus Basilius Seleuciensis, *in ea inueniens vitæ succedaneum*, sicque sepulchrum cogitans libentius, fortiusque labores ferret.

Maledicta terra. Cur terram potius maledicit, quàm aërem? vt statim ad culpam mentem flecteret, in ligno, quod terram produxerat Adam peccauerat, terra ergo maledicitur, quia ex terra hauserat, quod peccaret. 322
Addit Oleaster: *Ad serpentem dictum est, Maledictus tu: homo verò non maledicitur, sed terra propter eum. Nouerat omnipotens Deus, quod aliquando esset naturam humanam assumpturus, ideò noluit eam maledicere*.

In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ; spinas & tribulos germinabit tibi.

IN *laboribus comedes*. Iustè labor ei iniungitur, qui otio abutens à iustitia declinauerat; quod tetigit etiam Ferus, dum ait: *Congruè* LABOREM *homini impositit, qui* OTIO ABVSVS FVIT. In hoc autem Dei misericordia elucet, quod ei pœnæ hominem addixit, quæ nuda non esset pœna, sed etiam esset in remedium, in medicinam.

Spinarum mentio statim post peccatum fit, quod non antea factum, vt indicio esset, peccantis mentem post lapsum pungi, ac lacerari, *& ob peccatum*, inquit ille, *dulcitudinem in dolorem, &* AMARITIEM *conuerti & in lætificum* SENTICETVM *peccatorem mutari*.

Spinas, & tribulos. Et non etiam ante spinas & tribulos terra germinabat? germinauerat, sed post peccatum plures, & pluribus in locis, ante peccatum paucas, paucisque in locis, quod notabat hîc Martinus Delrio: Igitur terræ spinæ, tribulique nos peccati admonent, clamantque vt peccata vitemus. 323
Benè B. Alcuinus interrog. 78. Cur spinas, & tribulos germinauit terra? Resp. Per peccatum enim hominis terra maledicta est, vt SPINAS pareret, & venenosas herbas: vel ad pœnam, & exercitationem mortalium: vt ante oculos homo semper habeat originale crimen, & vel sic ADMONITVS SE AVERTAT A PECCATIS.

Nobis quoque terram nostram spinas germinare, germinare tribulos asserebat, & sic explicabat Sanctus Ambrosius serm. 36. vbi ait: *Spinas & tribulos tibi germinabit terra. Germinat enim mihi terra mea spinas, si me corporalis libidinis titillatione compungit. Generat mihi tribulos, cùm me diuitiarum secularium cupiditate discruciat. Spina enim Christiano, auaritia sua radix est. Spina viro bono honoris ambitio est. Videntur enim specie apud suos grata esse, sed lædunt*. His ergo nisi vigilando & ieiunando carere non possumus quin potius per abstinentiam ipsæ spinæ vertentur in rosam.

Herbæ noxiæ, & spinæ, quas terra germinat tacitè inclamant, vt homo peccati à primo commissi sit memor. Benè Raulinus ait, *quòd terra*

terra propter hoc nobis germinat vrticas, & venenosas herbas, & spinas: VT ANTE OCVLOS SEMPER HABEAT HOMO ORIGINALE CRIMEN, *& sua conditionis miseriam, scilicet quod propter eum talia nociua crescant in terra.*

Sectio XVII.

Labor & *pœna* est medicina. 324.

Aerumna ad *Deum* quærendum nos excitant.

Sola *Eucharistici* panis vmbra omnium *laborum* leuamen.

Eucharistia viget, vbi mundi *delicia* disparent.

Punguntur qui de *terra litigant*. 325.

A Deo *homo misericordiam* semper expectet, vt terra à cœlo *pluuiam*, & lucem.

Culpa damna vnde collecta.

Mortis consideratio, quàm vtilis ad salutem. 326.

Inanes *titulos peccator* quærit.

Pij viri aliena facta *curiosè* non *rimantur*, rimantur peccatores.

Ad *mortem* non *cogitare*, quàm noxium. 327.

Ex *Christi passione* vita etiam inter mortes.

Superbia amuletum *mors* & pœna.

Immortalis *anima memoria* miseriarum solamen. 328.

Parentes in *filijs* viuunt.

Mortalium dementia de *vita* cogitare, cum cogitanda *mors* est.

Solus homo *viuere* dicitur ob *anima immortalitatem*.

In sudore vultus tui vesceris pane; donec reuertaris in terram, de qua sumptus es.

324 IN *sudore vultus tui*. Hoc non nuda peccati est pœna, est culpæ medicina. Benè Iobius Monachus: *Postquam*, inquit, *laboris, & doloris expertem vitam præcipitij causam sibi fecit, tunc sapientissimus medicus Deus, contrarijs omnino* MEDICAMENTIS MORBVM CVRAT, *vt in sudore vultus non corporalis tantum cibus sumeretur, verum & ij quibus spiritualis amor spiritualem mensam solet exornare.*

In sudore vultus tui. Cur vultum tantum exprimit, cum sudorem etiam aliæ corporis partes emittant? Caietanus ita nodum soluit. *Describitur autem sudor in facie: quia ea pars facillima est ad sudandum ex magnitudine, & humiditate cerebri: fluit enim, non ascendit sudor.*

Debitas vtrique parenti soluendas imponit pœnas, ærumnis afficiendos indicit, *quibus*, vt ille ait, EXCITARENTVR AD QVÆRENDVM DEVM, *quem in tranquillitate prioris status contempserant.*

Vesceris pane. Nunc primum panis mentio in sacra scriptura fit, antea olera, herbæ, poma homini offerebantur, nunc panis offertur, vmbra Eucharistici. Nimirum sola figura panis huius omnium ærumnarum grauitatem poterat imminuere, & pressum animum recreare; nisi quod panis mentio nunc facta indicat Eucharistici panis delicias tunc gustari, cum terrenæ omnes deliciæ euanuerunt. Peritè scitus ille auctor: Illud, inquit, venit maximè notandum, quod dum Paradisus ditabat hominem, nulla ibi vmbra panis supersubstantialis dabatur; ex quo autem hominibus emarcuit Paradisus nudusque & incultus terræ campus proponitur, tribulis scatens, & spinis statim ibi vmbra exhibetur panis diuini: quippe ait, in sudore vultus tui vesceris pane tuo. Quid plura? Non equidem viuificus Dei CIBVS VIGET, & claret, nisi cum EMARCANT, & disparent vniuersæ MVNDIALES DELICIÆ; vbi istæ vigent, illius sapor, & vis obtunditur.

Quia puluis es, & in puluerem reuerteris.

QVia *puluis es*. Aliqui codices habent; 325
terra es, & in terram ibis, Sanctus Augustinus serm. 91. de diuersis pungens eos, qui de terra litigant, terrenis adhærent, ait: *Quare* LITIGANT DE TERRA, *qui nolunt esse terra? audiuit enim ab initio peccator homo: terra es, & in terram ibis: vnde sic discutiamus, & perscrutemur vocem, quam iustus debet audire è contrario. Si enim rectè dictum est peccatori, terra es, & in terram ibis: aut non sunt iusti cœlum, cùm de Euangelistis apertissimè dictum sit, Cœli enarrant gloriam Dei.*

Puluis es; vel vt aliqui codices habent, *terra es*. Ab hoc titulo colligit Sanctus Augustinus nostri esse misericordiam à Deo expectare, vt terra pluuiam. *Homini*, inquit, *dictum est, terra es, & in terram ibis. Debet autem homo de Deo præsumere, & inde sperare auxilium non de se. Non enim terra pluit sibi, aut luces sibi: quomodo autem terra de cœlo,* EXPECTAT PLVVIAM, *& lucem sic homo de Deo debet expectare* MISERICORDIAM, *& veritatem*. Sic ille in Psal. 47.

Puluis es. Non legimus hoc titulo donatum Adam, antequam peccaret, vt hinc quoque culpæ damna colligeremus. Sanctus Chrysostomus hom. 2. de Proph. obscur. ait: *Vt discatis sic eum nos appellare cum peccauerimus, Adamum ita post peccatum appellauit, dicens, terra es, & in terram reuerteris: tametsi non terra tantùm erat, sed & animam habebat immortalem.* CVR IGITVR TERRAM IPSVM APPELLAVIT? QVIA PECCAVIT, *Sanè quidem cum ipsum formaret, non ita illum appellauit: quid ergo? faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & domi-*

& dominentur piscibus maris, & bestijs terræ: & erit timor eorum, & tremor super omnem terram: vides qualis esset naturæ prærogatiua? quales honores? qualia præconia? veruntamen ante peccatum; post peccatum autem deinceps: terra es, & in terram reuerteris.

Quam multus in mortis commemoratione
326 Deus est? nimirum sciens plurimum contra peccatum mortis memoriam valere. Benè, & opportunè Porrecta: *Attendendum est*, inquit, *diligentissimè primò: quantam vim ad viam salutis humanæ ostenderit Deus esse positam in consideratione mortis, per hoc quod sæpius, & in tam breui compendia discursus scripturalis*, MORTIS RECORDATIONEM ANTE OCVLOS ADAMI PONERE CVRAVIT. *In cap. 2. de ea ad illum mentionem fecit per ly in quacunque die comederis ex eo morte morieris; in cap. 3. item per ly puluis es, & in puluerem reuerteris; & mox iterum non amplius verbo, sed facto, quando scilicet eos induit pelliceis tunicis. Quare primò commemorat mortem? vt à peccando Adamum auertat. Quare secundò? Vt de peccato commisso dolorem incutiat. Quare tertio? vt dolori interno de commisso pœnitentiam externam adiungat.*

Et vocauit Adam nomen vxoris suæ Eua; eo quòd mater esset cunctorum viuentium.

VIx pœnas, & calamitates peccanti homini denuntiauerat, cum ipse inanes titulos excogitat. *Præposteram*, inquit hîc Mariana, *hominis lapsi rationem. Deus illi graues calamitates denuntiat*, IPSE OBLECTATVR INANIBVS TITVLIS. Verè præposterus ordo est, tunc in titulis magnis adipiscendis operam dare, cum quis à iustitiæ suggestu, & titulo excidit.

Nomen vxori imponit, licet id iussisse Deum non legamus, vt fecit quando nomen animantibus tribuit; Rem sic expendit bonæ notæ auctor: Notandum alijs animantibus, mandante Deo, nomina imposuisse Adam: Adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea. Vxori verò, nemine impellente, nemine mandante, scilicet Adam adhuc iustus, nomina dedit animantibus: post lapsum verò Euæ. PII VIRI ALIENA FACTA NON RIMANTVR, & ab imponendis rebus nominibus longe absunt, nisi Deo iuuante, & mandante: at PECCATORES ALIENIS REBVS SVNT INTENTI, & ad perscrutanda, & nomina imponenda se ingerunt. Fortè Adam assuetus alijs rebus nomen facere, etiam & vxori non rogatus infert: facilè enim, qui ex munere aliena facta rimantur, metas iustitiæ quandoque transcendunt, & ea, quæ ad se non pertinent, speculan-
327 tur.

Cecidit Adam, quia mortis memoria ab eius mente exciderat; mortem non cogitasse sic euincit Porrecta: *Si Adam de* MORTE *vsque etiam ad pulueriZationem*, COGITASSET ATTENTE; *nunc de vita sermonem facere, Euam matrem viuentium nominando, non curasset: sed talem nomenclaturam mente occupatus in opposito vitæ distulisset aut forsan à maternitate moriturorum seu mortalium nomen mulieri imposuisset.*

Cum morti addicti Adam, & vxor essent, tunc Euam viuentium dixit matrem. Quid vitæ titulus cum morte, cum morituris? Vbi in latere, inquit bonus ille auctor, Adami dormientis, ex quo vxor ædificata est, latus Christi præfiguratum est, lancea in cruce apertum, non est, cur non speret Adamus sibi, & vxori, & posteris omnibus etiam INTER MORTES ESSE VIVENDVM.

Mirum quod primæ mulieri nomen est impositum, quod vitam sonaret, idque postquam peccatum perpetrauerat, & post latam sententiam mortis; Eua appellata est, quod futura esset omnium viuentium mater; cur à tam singulari titulo non abstinuit, ne hinc superbiendi ansam arriperet? An superbiæ amuletum mors, & pœnæ quibus subiecta erat, erant? Quòd mortalis effecta, inquit nuperus auctor, & peccati miserijs damnata, OMNIS SVPERBIENDI OCCASIO ab ea ablata est. Mors corporis à morte animæ, quæ per superbiam incurritur, eam præseruauit, & ideò rectè post mortem contractam, nomen vitæ illi imponitur. 328

Nomen vxori imposuit Adam, vt dominij, sic ait Delrius, *quod in vxorem acceperat quasi possessionem hoc facto inchoaret:* Viuentium matrem eam vocat, vt hominis animam immortalem significaret, & innueret, *mortem illis Deus subeundam*, sic loquitur idem auctor, *sanciuerat dicendo, in puluerem reuerteris, nihil ad animam pertinere.* Aptum tot miseriarum solamen parat, immortalitatis animæ memoriam.

Cur vxorem à vita *Euam* vocat Adam? *Vt se & vxorem*, inquit Cornelius, *ad mortem damnatos solaretur, quod per Euam gignet posteros viuentes, in quibus & ipsi licet morituri, tamen quasi* PARENTES IN FILIIS VICTVRI SVNT PERENNITER.

Eò quod mater esset cunctorum viuentium. Morti adiudicatus Adam nomen imponit vxori, quod vitam sonat; potius nomen debebat imponere, quod mortis memoriam refricaret: hæc mortalium dementia est, tunc maximè DE VITA COGITARE, cum totos in mortis meditatione par esset eos esse. An matrem omnium viuentium vocat, propter Christum vitæ auctorem, è semine eius nasciturum? Nihil non vitale, vbi Christus vel in spe, & expectatione est.

Sed cur viuentium omnium mater Eua dicitur, cum bruta viuant, nec tamen illorum mater illa sit? An solus homo viuere dicitur, quia solus habet animam immortalem? An ita innuitur cætera animantia ad hominis vitam dirigi? *Quæritur*, inquit Honcala, *qualiter Eua sit mater omnium viuentium, cum reliqua viuant animantia, & eorum non sit Eua mater. An per ἀντονομασίαν homines insignitè dicuntur viuentes, quia ad humanam vitam, vel fouendam, vel instituendam contigit, vt cætera animantia, cum pro-*

L *crearen-*

crearentur, cum viuerent? An potius, QVIA SOLÆ ANIMÆ VITAM HABENT IMMORTALEM? *eademq; sola corpora sua sunt iterum olim animatura?*

De Euæ, & Adæ nominibus, quæ in paruulorum vocibus resonant, hæc habet B. Dionysius: *Masculus recens natus, dicit A, quasi filius Adæ, & similis ei in sexu: Fœmina verò, E, quasi filia Euæ, & ei sexu consimilis.* Tanquam taciè moneremur vocem, verba vitæ copulare, vt non aliud loquamur, aliud simus.

Sectio XVIII.

Superiores quales in subditos, & *peccatores* esse debeant. 329.

Assidua *peccati memoria* seruanda.

Damnatus *vestium luxus*, & *vita* nimis dissoluta.

In texendis *vestibus* primi lapsus *mulieres* recordentur. 330.

Peccati pœna *mors* ob oculos semper habenda.

Ex *vestibus moriturum* se homo deputet.

Nudos operire quanti sit meriti. 331.

Vestes ad necessitatem non ad luxum.

Vestium cultus ad Paradisi acquisitionem nihil facit.

Belluina peccatoris *cupiditas*. 332.

Sub *religioso habitu* mores *seculares* haud tegendi.

Foliorum leuitatem ostendit, qui in superfluo *vestium* cultu totus est.

Vestiendi ars, quæ à Deo, *luxum* omnem damnat. 333.

Quàm turpes à *Diabolo pannos* susceperit peccator.

Nihil adeò *vile* esse debet, quod hominis causa *homo* non faciat.

Magni res momenti *superfluitatem* anteuertere. 334.

Vestimentorum abusus è *Paradiso* multos eijcit.

Mortis memoria carnis rebellioni remedio vt sit.

Christum induere quisque debet. 335.

Vestes peccati *memoriam* ingenerent.

Homo post *peccatum* iumentis, & *pecoribus* similis fit. 336.

Mortis memoria Dei *præsentiam*, vt suppleat.

Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius, tunicas pelliceas, & induit eos.

FEcit Deus tunicas pelliceas primis parentibus pœnæ rigorem hac ratione 329
temperans, ait hinc superiores discant, quales esse in peccatores debeant. Peritè Oleaster hîc: *Docet*, inquit, *locus iste Prælatos non solum castigare subditos suos ob peccata, sed etiam amoris signa castigatis ostendere, neque propter ea: illa quæ sibi necessaria sint: auferre. Nam & si peccator puniendus sit,* HOMO TAMEN FOVENDVS EST, *qui modus Domino peculiaris est*, & esse quoque nobis debet.

Cur pelliceas eis vestes fecit? An vt assiduè peccati recordarentur, quo mortem incurrerant? Folia ficus, inquit peritus ille auctor, peccatum abscondebant: & carnem non tegebant, aut tunicæ pelliceæ carnem omnino tegebant, sed detegebant peccatum, quia tunicæ illæ ex animalibus mortuis factæ, MORTEM ac per consequens PACCATVM, per quod mors intrauerat, AD MAMORIAM QVOTIDIE REDVCEBANT, quod non leuem occasionem ad deflenda sua peccata illis conferebat.

Hæ pelliceæ vestes vestium luxum damnant, austeram, asperamque vitam ineundam suadent. Sic auctor ab aureo ore, qui verbum *fecit* hic significare ait, iussit fieri: *Verbum fecit accipe pro eo, quod est imperauit vt essent, iussit enim tunicis pelliceis vestiri in perpetuam memoriam, quod inobedientes fuissent Domino. Audiant opulenti, & qui luxuriant in vermium operibus, & vestiuntur sericis, discantque quomodo ab initio humanam naturam benignus Dominus docuerit: quia propter transgressionem, pœna mortis reus factus erat homo primigena, opusque habebat veste, quæ confusionem tegeret, pelliceas fecit vestes: quo docuit nos,* VT MOLLEM ET DISSOLVTAM VITAM FVGIAMVS, *neque inertem & remissam sectemur, sed magis austeram amplexemur.* 330

Exhibet Deus vestes primis parentibus, vt tamen Euæ postea esset vestes viro conficere, & reficere, sicq; fieret peccati memor. Peritè nobilis ille auctor: Vt mentibus altiùs inhæreret, quantam vim ad NVDANDVM HOMINEM PACCATVM habuisset, hanc pœnam imposuit Euæ, vt vestes marito suo conficeret, lacernamque texeret, quam væcordi mente nudauerat. Eua Adamo, inquit Epiphanius, aspectabilia vestimenta contexuit, quippe huiusmodi est labore damnata. Nationes imitatæ deinde multæ, apud quas, mulieres viris amictus conficiebant, etiam regia dignitate præditæ, & opulentissimè coronatæ, quod in Regia Persarum magnificentia videre licet.

Cur ex pellibus tunicas primis parentibus fecit Deus? *Vt mortuorum pellibus indutus*, inquit ille, *quam pœnam mortis incurrerat,* ANTE OCVLOS *semper haberet*; sicque se contra peccatum armaret. Benè est, quod vestes mortem homini obijciunt, vt pudeat nouæ se morti nimio vestium luxu damnare.

Vestiuit

Vestiuit Deus hominem, sed ita vt vestes ad remedium essent, non ad luxum. Consuluit Deus, inquit peritus auctor, hominis verecundiæ, sed humanitate singulari, cùm pelliceas illi vestes inicit, VT SE MORITVRVM APVD SE REPVTARET, melotis illis admonitus, & iam belluis similem factum, qui antea par beatis mentibus videbatur.

331 Hinc habes quanti debeat fieri nudos operire, cum istuc fuerit primum Dei, vt ita loquar, artificium, vnde illud Ioannis Eusebij: *Primum Dei artificium in illis agnosco tunicis pelliceis, quibus Adam & Euam exules Paradiso induit Optimus Dominus, qui pessimos seruos noluit* NVDOS ATRIIS SVIS PELLERE; ne hinc aliquis ansam arriperet, nudos homines à se dimittendi.

Pellibus primos parentes Deus induit, aptè ad nostrum exilium, vt ille ait, significandum in hac lachrymarum valle, nam pelles referri possent: nam lugentes quoque, scribit Festus, diebus luctus in pellibus sunt. Antiquitus sincerus, & vtilis ferè omnium amictus fuit è pellibus, ideo idem Festus scribit; Pellem habere Hercules fingitur, vt homines cultus antiqui admoneantur. Absque dubio frugalitatis commendatio in ipsis tunicis pelliceis apparet. Non purpura, non serico, non panno debebat indui, qui immortalitate nudus è Paradiso exul euasit; ad NECESSITATEM quippe vestitur, NON AD LVXVM.

Qui nudus ad Paradisum ductus fuerat vestitus à Paradiso eijcitur, vt statim intelligeremus, vestimentorum vsum AD PARADISI ACQVISITIONEM NIHIL FACERE, sed plerumque officere, si nimius, & extra modestiæ limites sit.

Sed cur animalium pellibus Deus parentes

332 primos vestiuit? An vt foris apparerent, quod intus erant? *Voluit*, verba sunt Sancti Gregorij Nysseni, *vt foris pelle belluina vterentur, qui intus* BELLVINA CVPIDITATE *animam deformarant*. Noluit vt extimo vestitu sanctitatem mentirentur, qui illa intimè carebant, quod procurant, qui sub religiosi instituti habitu MORES TEGVNT NIMIS SECVLARES, & sub sacra veste vitam occultant ab omni pietate alienam.

Primæ vestes, quibus hominis ab homine nuditas incæpit operiri folia ficus fuere, vt vel tunc innueretur, foliorum quandam leuitatem hominem in superfluo vestium cultu imitaturum; Solidi nihil habet, qui totus in vestium est cultu, ac paratura.

333 Quod vestiuisse primos parentes Deus dicatur sic aliqui accipiunt, quia nimirum illis hoc consilium, & hanc industriam dederit, vt vestes sibi ex pellibus conficerent, tanquam Deus facere videatur, quod à Deo adiutus, instructus à Deo facit homo. *V*ESTIENDI ARTEM CVM A *D*EO statim acceperit, cur ea luxui litat, & contra Deum pugnat? Hodierna ars, quæ luxuriam fouet, Satanam auctorem videtur habere.

Pelliceas vestes dedit Deus Adæ, quam turpes à Diabolo pannos susceperit explicet Sanctus Augustinus: *T*VRPES PANNOS SVSCEPIT *Adam, quando à Diabolo expoliatus pudicitia, accinctus est impudicitia: amissa temperantia, intemperans effectus est: perdita charitate malus inuentus est: expoliatus immortalitate, morti propinatus est. Quid perdidit & quid accepit? Ad hoc enim per* TVRPISSIMOS PANNOS SVOS *posteros obligauit*.

Deus ipse, qui cœlum, terramque fecerat adeo se demisit, vt pelliceas vestes primis parentibus faceret: vt ostenderet homini, inquit nobilis ille auctor, NIL ADEO VILE ESSE, & exiguum, quod hominis causa non faceret. Quid par esset hominem in Dei obsequium, cultumque præstare? Addit: Qui paulo ante Cœlum in ornatum mundi sicut pelles extenderat, homini nunc quasi PELLIFEX, & CORRARIVS vestimenta conficit. Et vilis homo in alterius obsequium ad vilia se ministeria detrectabit abijcere?

Totius orbis imperium homini tribuit, id 334
vnum sibi Deus reseruauit, vt primò vestes homini tribueret; iudicans magni hanc esse rem momenti, si excessus, & superfluitas hîc non appareat. Scilicet, inquit probæ notæ auctor, nouerat Dominus, quantùm esset periculi, si viri, vel fœminæ pretiosioribus, aut CVLTIORIBVS VESTIBVS se induerent, quam par esset: quapropter hoc sibi munus reseruauit.

Vix primos parentes vestiuit Deus, cum emisit è paradiso; indicans fore, inquit nuperus auctor, vt vsus nimius vestimentorum MVLTOS DE PARADISO EIICERET, & in barathrum disturbaret. Quot nunc inferni flammis amicti æternùm cruciabuntur, quòd extra modestiæ legem & honestatis, noxio ac superfluo superfluarum vestium affectu, animam macularunt?

Cum post peccatum carnis paterentur pruritus parentes primi, tunicis pelliceis eos induit; non vt nuditati tantum consuleret, sed & carnis contumaciæ, mortis enim memoria quam pelles mortuorum animalium excitabant, remedio carnis rebellioni esse potuit. Benè ille: Pelles extraxit ex mortuis animalibus; ac si diceret: Vos quidem pruritus carnis, & corporis rebelles motus patimini; ast contra hæc mortis meditatione pugnate, si victoriam portare satagitis. Sanè ad omnia VITIA DEBELLANDA VALET MORTIS MEDITATIO; præcipuè tamen ad comprimendas corporis voluptates. Igitur ne terrenis cupiditatibus voluptatibusque quis immoriatur, cogitet se moriturum, mortisque memoriam veluti vestem, qua totus ambiatur homo, circumferat.

Vestiuit primos parentes Deus, qui pietatem 335
exuere nunquam potest, quia nec spoliare se potest se ipso. Sed vnde illæ pelles, aut cuius animalis? Ouis fuisse bonorum auctorum est mens, vt statim Christum induerent, cuius ouis erat figura. Pulchrè diuinitùs edocta Sancta Hildegardis in epistola ad Prælatos Moguntinenses:

ses: ,, Ouis præ aliis animalibus patiens humilis, mansueta, & munda existit. Vnde etiam Deus pelliceas tunicas primis hominibus, per inobedientiam à claritate, quâ vestiti erant, denudatis pelles, scilicet ouium pro veste tribuens, significationes ouis calliditati antiqui serpentis opposuit, & tali veste eos obtexit, ne nudi Paradisum exirent. Ipse enim æternus Deus, qui in scientia sua æternaliter habuit tunicam, id est humanitatem filij sui, ad cuius imaginem hominem fecit, quemadmodum Moyses ipsum ad imaginem & similitudinem Dei creatum esse testatur, hominem deceptum vocauit & TALI VESTE INDVIT; in hoc ostendens, Verbum, scilicet vnicum Filium sibi coæternum, ad requirendum & liberandum ex virginea natura humanitate induendum, iussione in significatione ouis, patiens, humilis, mansuetus, & absque omni macula vllius contagij mundus existeret. Ioannes enim Baptista, & cæteri Prophetæ, idem in Spiritu Sancto intelligentes, cum nomine agni & ouis sæpissime appellant.

Pelliceas eis dedit vestes Deus, vt vestium ipsarum aspectus ad peccati cogitationem, quod mortem attulerat eos alliceret. Benè Hypolitus in Catena græca Fumani. *Mortuum confecit segumentum, ei qui* PROPTER PECCATVM *sub iugum mortis transierat. Mortis enim peccata habenti pellis circum corpus corruptionem significauit.*

336 Mirum qui hortulanum primum hominem constituit post lapsum eum Deus induit tanquam pastorem, tunicis nimirum pelliceis; id non sine mysterio esse factum nefas est ambigere. Præstat hîc sistere, quæ in hanc rem habet Ioannes Eusebius: Nec sine causa, inquit, non Pastorem sed Hortulanum hominem in Paradiso Deus constituit, eiectum tamen Paradiso, pastoritio habitu donat, & deinde pastoritia arte seruos suos priscos voluit exerceri Abelem, Iacob, Moysem, Dauidem; namque ante peccatum nihil in nobis brutum erat, nihil repugnans, omnia quæ in nobis erant sine diuersò impetu rationi parebant, velut plantæ Horticolæ, quem non fugiunt, cui non resistunt, quæ non vagantur. At postquam extorres Paradiso sumus, insunt NOBIS PECORA PASSIONVM, ET BRVTVM ALIQVID, quod diuersum à ratione impetum habet; grex sensuum iam procax, & cupiditatum armenta, quas oportet corrigere, & in officio continere, ne palentur à ratione, in vetitaque se immittant & vagentur. Meritò quidem, quoniam homo, cùm in honore esset, non intellexit comparatus iumentis & pecoribus, & similis factus est illis; atque simili habitu, vt id agnosceret, debuit amiciri.

Postquam primos parentes pelliceis vestibus induit, non legimus ampliùs illos sua præsentia donasse, cum tamen si eius statum post lapsum consideremus, plus Dei colloquio videretur indigere. An id factum, quia vestes illæ cum mortis memoriam excitarent, Dei præsentiam supplebant? Benè bonus ille auctor: Conuenienter dispositum est, vt cum Adam peccauerit, Dei gratiam amiserit: Deus de remedio prouidens, vestes dederit pelliceas, in quibus mortalitatis admonebatur; atque adeo, mortem memoria recolens, diuinis visitationibus non indigere quodammodo videretur: & ideo, quamuis sæpe quidem alias vices apparuerat Deus Adæ, & Euæ; quia tunc non aderat mortis memoria postquam verò peccatum admiserunt, animalium mortuorum pellibus induit. Tunicas pelliceas induit eos, quibus significatur mors, quæ post peccatum debetur naturæ: ET SVCCEDENTE MORTIS RECORDATIONE, IAM DIVINIS VISITATIONIBVS OPVS NON HABERE VIDEBANTVR. Tantum mortis memoria potest, vt præstet, quod diuina erat visitatio præstatura.

Sectio XIX.

Cauendum nè abundatiori *tristitia* absorbeantur *peccatores* dum *corripiuntur*. 337.

Iumentis similis, qui *peccat*. Tactus Dauid.

Qui *supra* se affectat esse *infra* se esse incipit.

Quasi vnus ex nobis *Deus* pro nobis est factus. 338.

Mortis memoria similes homines Deo facit.

Hominem lapsum *redimendùm*, vt statim *Deus* docuerit.

Pænitentia totam vitam *Adam* sacrauit. 339.

Adam per *pænitentiam* sanctior euasit, quàm alias fors fuisset non cadens.

Morum *leuitas*, & *loquacitas* in *mulieres* per Euam.

Immortalitatem homini *Deus* non inuidit. 340.

Terrenis adhærere morituros, quàm absonum.

Ieiunium ad vitam hominem reducit.

Lapsum suum seriò, & sæpè *peccator* cogitet. 341.

Semper *peccator* peccatum *detestetur*.

Delicia nihil *peccatori* conferunt.

Mulieris cultus in virum. 342.

A *Paradiso* cur post lapsum eiectus *homo*.

Dei benignitas, quod ad *laborem*, & *ærumnas* homo fuit post lapsum.

Laborum vtilitas, & fructus. 343.

A *muliere* sibi vir *caueat*.

Peccatori ea *loca* vitanda, in quibus deliquit.

Oppor-

Opportunus *pœnitentiæ locus* eligendus. 344.
Semel lapsis peccatoribus vitanda *peccati occasio*.
Adami in peccatum lapsi *infelicitas*.
Creaturarum in *hominem* obsequium, de sola Dei bonitate prouenit. 345.
Pœna peccati in remedium fit.
Peccatum suum sibi *peccator* obijciat. 346.
Deliciæ cum *pœnitentiæ* actibus haud cohærent.
Non *felicem* facit *locus* sed vita.

Et ait: Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum, & malum.

337 Ecce *Adam*. Sed cur istuc idem & Euæ non obiectum? *Responderi potest*, inquit B. Dionysius, *quòd Deus condoluit & pepercit in hoc mulieri, quæ adhuc virgo fuit, propter teneritudinem verecundiæ suæ & fragilem sexum*, NE ABVNDANTIORI ABSORBERETVR *tristitia*. *Veruntamen ambos simul eiecit, nec priuauit eos in toto mutuæ societatis solatio, neque custodia Angelorum, à quibus priùs dirigebantur, deinceps grauiter ac intimè pœnitentes*. Quod notent, qui dum peccatores corripiunt, nimis durè in illos agunt.

Quasi vnus ex nobis. Censent interpretes hoc à Deo dictum per ironiam. Iumenta si loqui possent verè id dixissent. *Puto*, inquit Sanctus Bernardus, *iumenta dicerent si loqui fas esset, ecce Adam factus esset quasi vnus ex nobis, & optime, nam de eo ait Psalmista: homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est* IVMENTIS INSIPIENTIBVS, *& similis factus est eis*.

Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est. Irridentis hæc esse verba notant interpretes. Sanctus Ambrosius lib. de Elia, & ieiunio cap. 4. sic Adamum perstringit: *Dixit Deus: ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis: irridens vtique Deus, non approbans dicit: hoc est, putabas te similem fore nostri? sed quia voluisti esse quòd non eras, desisti esse quòd eras: intra te eras, sed dum* SVPRA TE ESSE AFFECTAS, INFRA TE ESSE COEPISTI; supra se fuisset, si studuisset esse infra se, seque sibi demitteret.

338 Quod in hominem dixit Deus, ad Deum dicere homo potest, postquam pro homine factus est homo. *Possumus*, inquit ille, *nunc illud vsurpare:* ECCE DEVS QVASI VNVS EX NOBIS FACTVS EST, *quia nempè homo voluerat esse sicut Deus*, vt hinc homo videat, quanti à Deo sit, factus, cum vt eum erigeret Deus homo factus sit.

Quasi vnus ex nobis factus est. Aliqui vt sonant hæc verba accipiunt, propriè non per sarcasmum, & irrisionem dicta; vt verè Adam Deo similis dicatur, cum pelliceis vestibus, quæ mortem referebant, & mortis memoriam ingenerabant, est indutus. Festiuè nuperus auctor: Adam Deo similis non erat, ad illusionem tamen dæmonis, similis Deo dicitur, Ecce Adam quasi vnus ex nobis: Et hoc quando pellibus erat indutus, quæ sunt mortis symbolum, & verò mortis memoria tantum habet Deitatis, vt cum Deus vellet Adamum DEITATIS SPECIEM REFERRE, illum pellibus animalium mortuorum, hoc est mortis memoria induerit, & hinc iustè dicere potuit. Ecce Adam, quasi vnus ex nobis.

Sed cur post lapsum primorum parentum non nouam condidit Deus creaturam, quæ fidelius eius mandata exequeretur? Sanctus Bernardus serm. 1. de aduentu Domini: *At verò hominis vice nullam postea condidit creaturam*, INNVENS EX HOC IPSO REDIMENDVM ADHVC HOMINEM: *quippe quem supplantauit aliena malitia: ideòque prodesse ei potest charitas aliena*.

Cecidit Adam, sed post lapsum diuturnam pœnitentiam egit, neque enim satis illi fuit, 339 decem, viginti, aut centum annos illi sacrare, sed totam sacrauit vitam, quæ vsque ad nongentisimum annum peruenit, vt notauit Sanctus Irenæus lib. 3. cap. 37. Quod illi notent, qui grauissima cum commiserint scelera, & multis annis expianda, de leui breuique pœnitentia sibi blandiuntur.

Cecidit Adam, sed resurrexit, & fors per pœnitentiam euasit Sanctior, quàm fuisset, si minimè cecidisset. *Opinor*, inquit Ioannes Eusebius, *fortasse magis piè quam temerè, ipsum Adamum* SANCTIOREM FVISSE, *post lapsum, quam antea foret, prorogata licet esu arboris vitalis per millia annorum vita*. Vt hinc videas, quanta sit pœnitentiæ virtus.

Mors per Adam in omnes homines peruasit, quid per Euam in ceteras mulieres? Animorum leuitas, an loquacitas? Hinc illud Hesselij: *Perindo atque in Adam omnis natura moriebatur, sic per Euam in omnes* LEVITAS *peruasit, per quam sane leuitatem ipsa transgressio locum in ea primum habuit*. Vt videatur mulier se supra sexum extulisse, quæ leuitatis non laborat morbo, qui hoc ipso est grauior, quò maior est leuitas ipsa.

Nunc ergo ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum, & emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis.

Nunc ergo ne forte mittat manum suam. Non 340 caret suo pondere particula, *nunc*. Honcala sic illam expendebat: *Cum ait nunc, subaudiendum est caueamus. Nec putandum est, quòd otiosè dixerit, nunc, quoad præsens tempus pertinet: sic enim positum est, ac si diceret, nunc caueamus, nè is, qui ab immortalitatis statu cecidit, gustato ligno vitæ viuat in æternum, nunc ergo caueamus: nam futurum est postea tempus, in quo mittet ad lignum vitæ manum fidei, credens in eum, qui ex nobis futurus est homo, & viuet in æternum*. Igitur immortalitatem homini Deus

non inuidie, sed tempus, quo eam commodè conferret, elegit.

Cauet statim Deus, ne de ligno vitæ homo sumeret, idque vt eius profectui consuleret; nam vt ille ait, *generatione reperta si simul adfuissent* CONTRA MORTEM REMEDIA, *nimis sibi placiturum, hæsurumque rebus terrestribus fuerat humanum genus*. Vt nunc dementiæ non ferendæ sit, cito hinc abituros tàm fortiter hærere homines terrenis rebus.

Ne fortè mittat manum suam. Rursus abstinentiam indicit, vt prioris defectum, inquit probæ notæ auctor, posterioris obseruantia compensaret: & qui comedendo mortem incurrerat: IEIVNANDO AD VITAM REDVCERETVR.

341 *Et emisit*. Ex Paradiso Deus Adamum eduxit, vt tamen non longè ab ipso esset, sed ita vt Paradisi adspectus, & in pœnam peccati esset, & peccati memoriam semper conseruaret, & cautiores deinde filios redderet: Opportunè Eusebius in catena græca Fumani: *Habitatio, inquit, illa ipsi Adam pro supplicio data est: vt intuens Paradisum*, CASVM SVVM AD MEMORIAM REVOCARET, *& filios suos redderet cautiores: ergo flammei illius gladij visio, & Cherubim tantisper vtilia fuerunt dum ipse Adam vixit*.

Eduxit è Paradiso Deus diuinæ legis remeratores, sed ita vt non longè à Paradiso distarent, vt vel loco ad peccati pœnitentiam allicerentur: *Ex aduerso Paradiso*, inquit auctor catenæ græcæ, *collocauit, vt prioris iucundæ vitæ* SEMPER MEMORES PECCATVM DETESTARENTVR, *vtpote vitam apportans duram & pœnitendam*.

Post sententiam in hominem latam hominem eiecit è Paradiso; cur non ante, cur non statim ac lapsus? Arnoldus Carnotensis tract. de operibus sex dierum: *Non statim post præuaricationem eiectus est homo de loco voluptatis; sed conscio sceleris* NIHIL DELICIÆ PARADISI CONFEREBANT; *non felicem facit locus, sed vita: quæcumque prius subditam Deo animam delectabant, in tormentum versa sunt transgressori: tum quia sciebat se cito amissurum, nec sibi posse stare, quæ stans ipse possederat: tum quia quicquid sine Deo potest de temporibus affluere, non implet possessorem, sed semper vacuum & inanem, quantuscunque sit nebularum globus, vtrem dimittit*.

342 *Vt operaretur terram*. Cum labori Adam adijciatur, cur non adijcitur & Eua? An hoc erat viri, mulieris curam, custodiamque habituri, eam & exemplo, & iussu ad laborem vocaturi? Ex terra sumptus Adam terram debebat exercere, & mulier ex viro nata ea opera præstare debebat, quæ ad cultum viri, victumque spectabat. *Mulieri*, inquit Rupertus, *magis congruit, vt* ERGA CORPVS VIRI IN QVOLIBET OPIFICIO SIMILITER OCCVPETVR, *proinde cum dicitur, vt operaretur terram de qua sumptus est, commodè subauditur, vt mulier operaretur circa cultum viri de quo sumpta est*. Vt abeant ab hac lege mulieres, quæ totæ in sui corporis cultu sunt, adeò vt circa aliud operari non videantur, quàm circa se.

Eiecitque Adam.

IVre post culpam eiecit Deus Adamum ex Paradiso, nam vt ait Moses Bar-cephas de Paradiso parte 1. *Æquum non erat, vt locum obtineret sacrum posteaquam illum lege violata per peccatum profanasset. Postremo idcirco est Paradiso eiectus, vt suum peccatum agnosceret, sedulamque operam pœnitentiæ daret, & supplex à Deo contenderet, vt se in pristinum restitueret locum*.

Eiecit è Paradiso Deus parentes primos; hoc autem singulare diuinæ benignitatis beneficium fuisse, in hunc modum euincit Sanctus Ioannes Chrysostomus serm. 60. de diuersis noui testamenti locis, vbi hæc habet: *Abstulit munus illis, quò indigni euaserant: hoc ipsius bonitati tribuendum est. Et qua tandem hac bonitas est rem datam auferre? Expecta, & omnino audies. Cogita namque quis futurus Cain si post homicidium in Paradiso mansisset. Si enim cum ab illa habitatione excidisset*, SI AD LABOREM ET ÆRVMNAS DAMNATVS, *& mortis minas intuens imminentes, si cum ante oculos positam parentis calamitatem haberet, & obiecta pedibus suis ira Dei vestigia cerneret, ac tantis malis, circumseptus esset, in tantam erupit improbitatem, vt naturam ignoraret, communionis partus obliuisceretur, eum, à quo nulla fuerat affectus iniuria, necaret, fraternum sanguinem funderet, dexteram cruentaret, cumque Deus illum admoneret, vt quiesceret, non pareret, sed conditorem suum probro afficeret, parentibus ignominiam inferret, hic si in Paradiso versatus fuisset, expende in quantam nequitiam prorupisset. Nam si tam multis frenis iniectis, tot lethales saltus dedit; si sublati obices isti fuissent, quò non seipsum præcipitem egisset?*

Eiecit Deus è Paradiso, qui in Paradiso peccauerat, vt à laboribus meliorem eliceret mentem, quàm elicuerat à delicijs: Ita auctor ab aureo ore hom. 23. in epist. ad Roman. *Quod Paradiso illos eiecit*, LABORIQVE ADIVDICAVIT, *eo magis illum adorare, & admirari oportet. Quoniam enim ad istam socordiam deliciæ illos deduxerant, abscissa lætitia tristitiam veluti morum socordiæ propulsandæ perstruxit, quatenus ad dilectionem suam reuerteretur*. 343

E Paradiso emittitur Adam; hoc ab illa fuit, quæ fuit ab illo; ab Eua scilicet, quod menti cuiuslibet insidere debet. Hinc Sanctus Hieronymus: *Omnes puellas & virgines Christi aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige; ne sub eodem tecto mansites: nec in præterita castitate confidas: nec sanctior Dauid, nec Sansone fortior, nec Salomone potes esse Sapientior: memento semper, quòd Paradisi Colonum de possessione* SVA MVLIER *eiecerit*. Sic ille epist. 2. ad Nepotianum.

Eiecit è Paradiso peccantes Deus, nec enim merebantur paradisi delicijs frui, qui lapsu Paradisi conditorem contempserant. Nisi quod docere hac eiectione Deus voluit, peccatori EA LOCA VITANDA, IN QVIBVS DELIQVIT, vt loci mutatione mentem mutet, nec sinat se aliqua lapsus occasione rursum decipi.

Post peccatum è Paradiso eijciuntur, vt 344

com-

commodiùs vacarent pœnitentiæ, cui non adeo opportunæ Paradisi deliciæ. Hinc illud Sancti Bacchiarij: *Deiecti de paradisi* DELICIIS, *vt malagmate* POENITENTIÆ *sanarentur*. Ex quo habes & opportunum agendæ pœnitentiæ locum post lapsum eligendum.

Eijciuntur è paradiso parentes primi, non in pœnam tantum, sed in cautionem, ne scilicet iterum ad lignum vetitum manum extenderent, sicq; doceremur, eis, qui lapsi fuere, labendi denuò vitandam occasionem esse. De Eua ita loquitur Sanctus Ioannes Climacus gradu 2. *Qui à seculo peregrinatur, mundum tam nullatenus attingat.* SOLENT ENIM DIV SOPITA VITIA FACILLIME REVIVISCERE. *EVA* IN PARADISO INVITA EXVLAT, *monachus patria sua se sponte abdit. Illa enim rursus ad concupiscendum inobedientia lignum pertracta fuisset, Fuge non segnius, quam infestissimum flagellum ruina proxima loca. Eius enim fructus, qui non adest, non vsque adeo desiderio mouemur.*

Hominis à paradisi delicijs eiecti infelicitatem miseriamque sic expendebat B. Laurentius Iustinianus præfat. in Lignum vitæ: *De loco* DELICIARVM, *in quo honorificè fuerat collocatus, cum dedecore maximo eiectus est, vitaque priuatus est inuitus, quam pro voluntate possidebat; lumen quoque mentis, quod perspicuè perceperat (per quod Dei, sui ipsius, naturaque notitiam habebat) pro magna parte amisit, & praeminentiam obedientia, qua cuncta ei animantia subiecta erant, perdidit. Sicque miser varijs circundatus calamitatibus, vnde obtemperando potuit angelicis spiritibus associari; inde transgrediendo corruit in brutorum opera; & qui vt Deus fieri voluit, iumento peius prostratus est. Sic nimirum, sic debuit mulctari humana præsumptio. Sic iustum fuit, vt puniretur vana elatio, quæ dum metas naturæ suæ transcendere voluit, amisit concessa; & dum diuinis noluit subdi legibus, astricta est carnis passionis.*

345 Vbi peccauit Adam, extra paradisum eum Deus eiecit, & multis miserijs illigauit, ita tamen vt creaturarum ministerium illi penitus non denegaret, quò palam faceret, creaturarum in hominem obsequium non ab hominis meritis esse, sed à diuina bonitate. Rem ita versat idem B. Laurentius Iustinianus in fasciculo diuini amoris cap. 9. *Attende*, inquit, *diligenter, & agnosces primum hominem conditoris arte, manuque plasmatum post delictum in huius exilij regionem protectum, ac de opificis manu duplicia recepisse. Cui tamen ex toto non deserunt, quæ facta sunt, ministrare, vt* OMNE CREATVRARVM OBSEQVIVM DE SOLA OMNIPOTENTIS BONITATE PROVENIRE NON DVBITET. *Porrò inferiorum famulatus diuinæ charitatis indicium est.*

Ita è Paradiso hominem eiecit, vt non longe à Paradiso eum vellet degere, quo pœnam remedio copularet: *Adam*, inquit Arnoldus Carnotensis tract. de operibus sex dierum, *educitur, quia voluptas & luctus, non bene cohabitant, nec deliciæ & religio ad inuicem complectuntur, & tamen ante Paradisum satisfacturus statuitur, vt* SÆPE VIDENS VNDE EXIERAT, *& intuens quis fuerat & quis esset, humiliato animo exterreretur superbiam, & experiretur post contumelias afflictionum, quantum esset subiectionis, & obedientiæ bonum: per quam etiam lapsus, & repulsus rediens; & restitutionis suæ non desperaret prouentum.*

Non longè à Paradiso locatum fuisse Adamum post peccatum notatum à multis est, vt scilicet loci conspectu sui lapsus recordaretur. 346 *Aduerte*, inquit Oleaster, *Deum post peccatum, hominem extra paradisum, & ante non longè collocasse: vt quoties ante se locum videret amœnissimum, & se eo priuatum; ingemisceret, &* PECCATVM SVVM ANTE SE PONERET.

E loco voluptatis hominem Deus eiecit, vt pœnitentiam iniret, tanquam difficilè cohæreret locus voluptatis, cum actibus pœnitentiæ, nec benè simul coalescerent deliciæ, & luctus.

Aliquandiù post lapsum in paradiso primos parentes fuisse probæ notæ auctores censent; sed cur non statim eiecti, cum se illo loco indignos reddiderint? An quia parum referebat in loco tàm nobili, deliciarumq; referto esse, qui Deum à mente excluserant sua? *Non statim post præuaricationem*, inquit Arnoldus, *eiectus est homo de loco voluptatis*; sed nihil hoc illi contulit, *tota enim*, subdit idem auctor, *nostra non in loco, sed in mente est gloria*, QVIA NON FELICEM FACIT LOCVS, SED VITA; & felix alioquin locus ad maiorem infelicitatem facit, si intus habeas, quod torqueat.

Sectio XX.

Satanas diuitijs, & *vita diuturnitate* homines decipere studet. 347.

Inordinatus *scientiæ appetitus* homini obiectus.

In *terra Paradisus* haud quærendus.

Oculatissimus sit, qui aliorum *custodiæ* præficitur. 348.

Cherubim, quid significet.

In *Præsulibus scientia* præcipuè commendata.

Leges, & *statuta* prudenti regentis arbitrio dispensandæ. 349.

Pœna misericordiæ colliganda.

Adulatio ab ijs absit, qui alios *custodiunt*. 350.

Cur *Cherubim* ad Paradisi *custodiam* positus.

Per acres *pugnas* in *Paradisum* eundum.

Celeriter *reicienda* prauæ *cogitationes*, & quicquid menti officere potest. 351.

A ma-

A malitia ad virtutem homo conuertatur.
Rebus varijs se variè aptet, qui præsidet.
Flammeus gladius ad Paradisum positus quid innueret. 352.
Amoris indicia in flammeo gladio.

Et collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendum viam ligni vitæ.

347 CHerubim ad Paradisi custodiam positus est, vt diabolum arceret; sed cui rei Paradisum diabolus ingrederetur, cum in hominis lapsu iam voti compos esset factus? An vt inde de ligno vitæ surculum aliquem surriperet, sicque homines deciperet, vitæ illis diuturnitatem promittens? Audiendus Abulensis: *Cherubim, & flammeus gladius fuerunt positi ad custodiam ligni vitæ; non quia dæmones indigerent illo ligno, sed quia ipsi cupientes se adorari inducunt homines per diuitias, vel adiutoria ad faciendum aliqua mala. Et quia nullum bonum est magis desiderabile hominibus, quàm vita, si dæmones possent adducere fructum ligni vitæ*, VT VITAS HOMINVM PROLONGARENT, *valde inclinarent ad hoc, quod adorarentur, & ad omnia mala, valde ergo prouidit Deus saluti spirituali humani generis tollendo, ne dæmones possent intrare ad lignum vitæ.* Proh quàm multos homines vitæ diuturnitate obiectu Satanas deciperet, cum ligno, quod vitam producebat, carens, nunc mortales fallat, falsa eos spe lactans, diù esse victuros, sicque habenas vitijs laxent, & pœnitentiæ auferat frænum.

Sed cur Cherubim potius, quàm Seraphim, aut altetius ordinis Angelus ad paradisi custodiam est positus? vt homini inordinatus scientiæ appetitus obijceretur, sciretque non scientiam damnari, sed inordinatam. *Quia Adam*, inquit Porrecta, SCIENTIAM MAGNAM INORDINATE APPETIIT; *rectè Angelus, per cuius ministerium punitur, nominatus est Cherubim: vt per scientiam ordinatè magnam torqueri intelligatur ille, qui circa ipsius magnitudinem inordinatè desideratam peccauit.*

Paradisi aditum tanta custodia præclusit Deus, ne deinceps hîc aliquis sibi paradisum quæreret. Ideò, inquit probæ notæ auctor, tantam custodiam in paradiso collocat, vt doceret nos, NE HIC PARADISVM STRVAMVS, ne inquiramus in terra. Itaque voluntas Dei est vt in hoc sæculo in quadam continua, & generali POENITENTIA viuamus.

348 Qualis esse debeat, qui aliorum custos constituitur, ab eo disce, qui paradisi custodiæ præficitur, Cherubim ante Paradisum Deus posuit, flammeum habentem gladium: Ignis, inquit nuperus auctor, efficacior est omnibus elementis; & Cherubim oculatior omnibus cælestibus spiritibus: vt videas, quam non permittat Deus suorum CVSTODIAM, NISI OCVLATISSIMIS.

Et collocauit ante Paradisum Cherubim. Non fuisse Angelum censet Theodorus in Catena græca Fumani, vbi hæc ad hunc locum habet: *Non inuisibiles quasdam dicit potestates ipsa Cherubim, vt nonnulli arbitrantur quandoquidem natura inuisibilis, tali in loco nulla erat vtilitas, vtpotè quum à sensibili facie ipsum Adam & coërceri & corrigi oporteret: neq; igitur flammeus gladius natura ignis erat, sed species eiusmodi: neque ipsa Cherubim potestates inuisibiles, sed eius generis facies: nam & Ezechiel quadruplici facie ipsa Cherubim videt: quod autem est quadruplici facie, inuisibile non est: sed* CHERVBIM *vocat quicquid potens est: sic dicit is qui sedet super Cherubim: pro eo quod est: is qui est rex potens: & ascendit super Cherubim, & volauit, pro eo quod est: cum multa aduenit potestate: illud igitur; & posuit ipsa Cherubim: sic accipiendum est, vt si dixisset: potentem quandam ac terribilem faciem ac formam, quasi quorundam animalium in ingressu Paradisi ad ipsum Adam arcendum collocauit.* Sed alij aliter de Cherubim sentiunt, vt videre apud interpretes est.

Cherubim Paradisi constituitur custos, vt SCIENTIAM præcipuè commendari sciremus in præsulibus, qui ad Ecclesiæ, quæ Dei est paradisus, custodiam constituuntur.

Cur Cherubim potius, quàm Seraphim ad Paradisi custodiam Deus præfecit? Scilicet, 349
inquit elegans ille auctor, quia primi præfecti laus sapientia est: vnde scientiæ præeminentia meritum præfecturæ est; præsertim cum versatilem gladium gestare debeant in manibus. Vnde leges, & statuta, sanctiones, quæ non vniformi tenore, sed PRO PRVDENTI ARBITRIO REGENTIS DISPENSANDA SINT; & pro rei occasione, aut circumstantia personæ, aut facinoris qualitate, versatilis sit lex, aut exequenda, aut dispensanda ad nutum, seu arbitrium regentis; ergo respublica, quæ sanctiones versatiles habet eget scientifico præfecto, Cherubica sapientia non ingenio hebeti.

Cherubim à Paradiso arcet primos parentes, & Cherubim insuper arcam propitiatorij locari iubentur. An vt mixtam pœna misericordiam colligeremus, vt hic quoque illud occini possit: *Cum iratus fueris misericordiæ recordaberis?*

Benè est quod Cherubim ad Paradisi custodiam ponitur, ne quis adulatione, ac mendacijs talem custodem decipere se posse crederet. Pulchrè Petrus Abbas Cellensis. *Cherubim posuit suffraganeum, quod est plenitudo scientiæ, ne per mendacium, & blandas* ADVLATIONES *seduceretur.*

Cherubim. Cur præcipuè Cherubim positus ad Paradisi custodiam? Cur non vni ex principatibus, aut Thronis Paradisi custodia est 350
demandata? *An quia Cherubim sunt* VIGILANTISSIMI,

TISSIMI, & PERSPICACISSIMI? ait Cornelius: *An quia aptissimi futuri erant vindices omniscientiæ Dei, quam ambierat Adam.*

Cherubim ante Paradisum flammeum gladium habens statuitur, vt statim moneremur, non nisi per acres pugnas, & laborum difficultatem ad Paradisum nobis eundum. *Omnes oportet*, inquit Sanctus Ambrosius in psal. 118. PER IGNEM PROBARI, *quicunque ad Paradisum redire desiderant. Non enim otiosè scriptum est, quòd eiectis Adam, & Eua de Paradisi sede, posuit Deus in exitu Paradisi gladium igneum versatilem*, OMNES OPORTET TRANSIRE PER FLAMMAS.

351 Gladius iste versatilis docet celeriter, & amora omni cunctatione reijciendum, quicquid menti officere potest, & animæ inuadere Paradisum. Docti, & pij auctoris hæc sunt verba ad hunc locum: Magna CELERITATE RETVNDENDA OMNIS PARVA COGITATIO EST, cùm primùm animum pulsat, antequam affectus aliquis siue iræ, siue odij, siue vindictæ, siue impuri alicuius amoris flammam in parte animæ concupiscente excitet, quæ semel excitata, & mentem incendio suo vastat, & non sine magno labore extinguitur. Quam quidem celeritatem adumbrare videtur gladius ille versatilis, quem in manibus Cherubini Dominus posuit, ad custodiendam viam ligni vitæ, ideò enim versatilis fuit, vt non segniter, sed celeriter volueretur, & prius aggredientem cedere quam is accedere, & lædere posset. Hac enim ratione lignum vitæ (hoc est Christus Dominus in Paradiso animæ nostræ plantatus) fideliter custoditur.

Atque versatilem. Ipsa quoque gladij forma hominem ad vitæ mutationem tacitè vocabat, & vitæ morumq; conuersionem in melius suadebat. Aut etiam indicat gladium auertendum si conuertatur qui peccauit. Acutè Didymus in catena græca Fumani: *Dictus est versatilis gladius, vt cum homo à malitia ad virtutem conuersus fuerit, ipse quoque conuertatur, & ingressum præbeat.* Adeo Deus nihil omittit, quo docere hominem lapsum possit, & ad meliora, ac saniora consilia reuocare.

Gladium versatilem Cherubim habet; quia nimirum Ecclesiæ custos iustitiæ gladio ita vti debet, *vt secundum conditionem locorum, temporum, causarum, & personarum diuersimodè* VARIETVR, inquit Bercorius; à rectitudine abit, si rebus varijs non diuersis diuersimodè non aptetur.

352 Gladium Cherubim habet, *ne*, inquit Petrus Cellensis, *sine incisione cordis, confidens in obstinatione sua patriæ introitus, & à proscripto in exilium reditus eluderetur.* Addit: *Flammeum, ne tunicis indutus pelliceis, &* PLVMIS OBSESSVS VANITATIS MVNDANÆ FLAMMAM CONTINGERE INVSTVS. Claudit: *Versatilem, quia cum iratus fuerit Deus misericordiæ non obliuiscitur, vel ne cuiusquam fraudis velocitate ingressus subriperetur.*

Flammeum gladium. Has flammas, vt Christi extinxerit sanguis sic explicat Sanctus Hieronymus epist. 3. ad Heliod. quæ est de morte Nepot. Flammea illa romphæa, custos Paradisi, & præsidentia foribus Cherubim, CHRISTI RESTINCTA, ET RESERATA SVNT SANGVINE.

Flammeus iste gladius non est iræ, aut furoris indicium, sed amoris. Ne timeas Adam, inquit peritus ille auctor, non hostes sunt, sed amici, gladius si deputatus est ad Paradisi custodiam, instrumentum est ad conciliandam amicitiam; tremulæ flammæ, quas romphæa circumiaculatur, INDICIA SVNT AMORIS, quo flagrantes desiderio tui Cherubim, te continuò prosequuntur: sed quid intendit Cherubim amicus, & amator tuus, mutua contemplatione, aspectu, colloquio. Gladium Cherubim habet, sed flammeum, in gladio pœnæ seueritatem habes, quæ ab amore, & ideo flammeus est. Nimirum qui in aliorum custodiam sunt positi, ita alios terreant minis, & pœnis, vt affectu, & amore, quos terrent, alliciant, recreentque.

CAP. IV. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio I.

Cur

Cur *conceptionis* mentio cum de *Abele* agitur facta non sit. 358.
Coniugij fructu *dispendia* costæ, vt *Deus* pensauerit.
Illud præcipuè *nostrum* in quo aliquod *obsequium Deo* præstamus.
Luctus possessionem rerum *temporalium* comitatur. 359.
Possessio quædam vanitas.
Benignitas Dei expenditur.
Quod apud *Deum* plurimi fit sæpè apud *homines* nihil habetur. 360.
Mariæ cultum *parentes* filios doceant.
Perditissimus, qui ad *Mariæ* exemplar mores suos non componit.

Adam verò cognouit vxorem suam Euam.

353 POst lapsum cognouit vxorem suam Adam, vt vel hinc virginitatis agnoscas priuilegium. Præstat sistere, quæ habet Sanctus Ioannes Chrysostomus hîc: *Adam cognouit Euam vxorem suam. Considera quando hoc factum sit: post inobedientiam, post Paradisi amissionem, tunc primùm vsus rei venereæ cœpit; ante inobedientiam enim angelicam vitam imitabantur, & nullus de re venerea sermo erat; qui enim potuit, cum neque corporalibus necessitatibus obnoxij fuerint? itaque ab initio* VIRGINITAS PALMAM PRINCIPATVS ACCEPIT: *sed postquam per desidiam intrauit inobedientia, & aditus patefactus est peccato, illa quidem auolauit, vtpotè ab his, qui indigni tantæ virtutis magnitudine facti erant: subintrauit autem rei venereæ lex.*

Adam cognouit vxorem suam; Cum scilicet eiectus esset è Paradiso, vt vel à loci præstantia Virginitatis excellentia colligatur: *In* PARADISO *VIRGINITAS*, inquit Sanctus Antonius de Padua in expositione mystica hîc, *extra nuptiæ, quibus sponsa obnubilatur species.*

Cognouit Adam mulierem cum transgressionis suæ damna cognoscens ea reparare studuit, scilicet morti damnatus nuptijs vacat, vt filiorum editione suppleret, quod mors erat ablatura: *Post sententiam mortis*, inquit Sanctus Amphilochius orat. in peccatricem mulierem, *est inductum coniugium, & scaturigine vinceret haurientem* MORTEM, *geniturámq; vindemiantem superaret.* Hoc ad operum fructus transferre possumus tunc enim maximè operum bonorum germina emittenda, cum mors cogitatur, nihil ita nos ad bona præstanda debet vrgere, quàm seria mortis cogitatio.

Eiectus de Paradiso Adam, abstinentiæ le-
354 gem cum violasset, nuptiali operi dat operam, vt hinc colligeremus saturitatem, & castitatem ægrè cohærere. Pulchrè Sanctus Augustinus serm. 52. de temp. *Princeps ille humani generis Adam, quamdiu ieiunauit seruans mandatum in Paradiso fuit, vbi vero comedit, eiectus est de Paradiso; & qui in Paradiso. Dei virgo fuerat, eiectus de Paradiso cognouit vxorem semper enim* IVNCTA EST SATVRITATI LASCIVIA, *vicina sibi sunt venter & genitalia, & pro membrorum ordine ordo vitiorum intelligitur. Eiecit ergo nos de Paradiso cibus, reducat esuries, reducat ieiunium.*

Quæ concepit, & peperit Cain, dicens: Possedi hominem per Deum.

CAin à verbo nomen sumpsit, quod acquisitionem sonat, *quòd omnia*, vt Cornelius ait, *sibi acquireret. Cain ergo* ARROGANTES REFERVNT, *qui omnia suo ingenio attribuunt*, cum ea referre in Deum deberent.

Possedi; aliqui legunt, *emit*. Quam lectionem sic expendebat, & explicabat nobilis quidam auctor. Quando, inquit, Eua peperit filium suum Cain, sic diuinæ litteræ eam dixisse referunt, possedi hominem per Deum, pro quo alia translatio habet: Emi virum in Domino. Hoc autem aiebat, quoniam à Domino precibus, & orationibus filium impetrauerat. Vbi ORATIONEM pretium vocasse videtur, PRETIVM, inquam, quo aliquo modo dona Dei ac beneficia eius EMVNTVR.

Possedi hominem per Deum. Pœnæ, & afflictionis vtilitatem ex his verbis ita colligit 355
Sanctus Ioannes Chrysostomus hîc: *Possedi virum per Deum, vide quomodo pœna inflicta mulierem emendauerit; melioremque reddiderit; nam puellum natum non naturæ, sed Deo aceptum refert, suamque gratitudinem declarat; vidisti quomodo* POENA ADMONITIONIS LOCO ILLIS FVERIT? *possedi enim, inquit, hominem per Deum; non natura, inquit, puerulum mihi dedit, sed diuina gratia.*

Possedi hominem per Deum. Mira inest fœminæ gratitudo, vt filium non naturæ ascribat, sed Deo. Vnde tam bonam hausit mulier mentem, quæ adeo ingrata Deo fuerat, vt Dei violauerit legem? An quia extra paradisum pulsa labores, ærumnasque cœpit sustinere? Scilicet, inquit pius ille auctor hoc expendens, in paradiso, vbi omnia fructuum genera ad nutum abundabant, INGRATA nimis extitit fœmina; cæterum, postquàm in loca sterilia, & infœcundam glebam pulsa est, & labore victum quærere coacta est, mala quibus premebatur, mentem reddiderunt, quam abundantia euulserat.

Possedi hominem per Deum. Grati animi hîc exemplar habes, non querelas euomuit mulier, quod Deus partui tot dolores, & cruciatus alligauerit, sed dolorum oblita, tanquam de singulari munere Deo gratias egit, vt non mirum si post primum fructum, secundum obtinuerit, eumque meliorem. Benè rem vrget Oleaster: Vides, inquit, hic mulierem gratissimam Domino, filij munus in eum collocasse. Si enim mala inflicta considerasset, abhorreret à conceptu prolis, quam cum vitæ discrimine in partu eijciebat, sed omnium malo-

malorum oblita, filium: quem tanta cum molestia in vtero ad nouem mensium tempus gestarat; eumque tanto cum dolore pepererat: in Deum, cum gratiarum actione referebat, dicens. Acquisiui virum à Domino. Quo arguit eos, qui eum à suis PRÆLATIS ARGVVNTVR: vultum demittunt, vertuntque alio, nolentes respicere arguentem, aut punientem, & si quid postea Prælatus concedat, respuunt & accipere cum indignatione recusant. Non sic Patres nostri, qui neque puniti a Deo diuertunt, sed munus cum gratiarum actione suscipiunt. Vnde sequotum est vt quasi gratis de beneficio concesso, Deus secundum addiderit, & melius: sequitur enim. Et addidit, vt pateret fratrem eius Hebel.

356 In imponendis nominibus Euam lapsam fuisse, notant aliqui, cohærentius hoc munus relinquere debebat viro. Hinc illud illius: An non legis in Genesi, Adamum omnibus bestijs, & volatilibus aptissima imposuisse nomina; Heuam verò turpissimè lapsam in nominibus duorum filiorum suorum? nam primum Cain, hoc est possessionem, vocauit, eum scilicet, qui vanitatis plenissimus, nec possidebatur à matre propter studium libertatis, nec possessus rem eius augere poterat, quia nihil in eo nisi fumus vanitatis: alterum verò, recti instique studiosum, Abelem, hoc est vanitatem dixit, cùm hunc per mores bonos virtutemque solidam verè possideret, pretiosissimaque eius esset possessio. Nimirum mulier facilè errat, cum de nominibus REBVS IMPONENDIS AGITVR, agitur de rebus dijudicandis.

Possedi hominem per Deum. Mitius alij hæc accipiunt verba, & hanc sententiam exponunt, vt extra Paradisum incipiat molier sapere, quæ in Paradiso inter delicias desipuerat, vt tunc appareat, quam vtiles huius vitæ pœnæ, & aduersitates sint. Mulier, inquit ille auctor ex Procopio, quæ in Paradiso ad peccatum virum impulerat, nunc iam de Paradiso eiecta MELIOR EFFECTA EST. Hoc ipsum dedit disciplina: Deo enim adscribit filij sui creationem; quæ prius despiciebat Deum, nec eum Dominum agnoscit, & ad eum, vt Dominum confugit. Quæ antea fraude circumuenit virum, filium decenter & piè instruit. Nomen illi imponit, quo audito semper admoneatur se esse donum Dei. Dum igitur petit nomenclaturam à munere Dei, quasi perpetuum doctrinæ argumentum filio parat.

Possedi hominem. Benè *possidendi* vtitur verbo, quod vsurpare animantia alia dum suos fœtus pariunt non possunt; *post partum possidet filium*, inquit ille, *humano modo, nutrit amplectitur*; vt statim moneantur mulieres excolendos illis filios, tanquam quædam POSSESSIO sint. Nunc primùm possidendi auditur verbum, cum de filijs agitur, tanquam hi sint prima, veraque parentum POSSESSIO, alia quæ res externas

357 respiciunt, aliena.

Possedi hominem per Deum. Et non etiam Adamum, non etiam Paradisum per Deum, possederat, possederat à Deo? *Partus nimirum dolores, fecerunt videre, quod DELICIÆ ab eius oculis subduxerant.* Deliciæ nimirum mentem obcæcant, dolores visum menti restituunt.

Possedi hominem per Deum. Benè ergo quòd Deum agnoscit, quæ ante Deum, Deique contemptserat iussa. Quàm vtile peccanti peccati pœna fuit, à Paradiso exclusa sanius sentit, sanctius loquitur. Opportunè rem versat Sanctus Chrysostomus, dum ait: *Vis etiam ex matris huius exemplo discere, QVANTVM BONVM EXTITERIT à paradisi habitatione excidisse? Scrutare qualis antea esset Eua, & qualis postea euaserit. Antea quidem deceptorem Diabolum, malignum illum dæmonem fide digniorem Dei mandatis existimauit, & solo arboris aspectu illecta, latam ab illo legem violauit: postquam autem excidit Paradiso, quo pacto melior ac modestior sit facta, considera. Cum enim filium esset enixa, Possedi, inquit hominem per Deum. Ad Dominum confestim aufugit ea qua Dominum ante contempserat, neque natura rem adscribit, neque matrimonij legibus partum acceptum fert: sed natura Dominum agnoscit, eique nato iam filio gratias agit: quaque maritum antea in fraudem illexerat, filium etiam erudiuit, eique nomen imposuit, à quo de Dei munere posset admoneri; cumque alterum rursus peperisset, ait: Suscitauit mihi Deus semen pro Abel, quem occidit Cain. Calamitatis recordatur, neque fert impatienter mulier, sed iterum Deo gratias agit, ac filio nomen ex munere diuino imponit, eique perpetuam doctrina occasionem præbet. Itadum etiam abstulit, Deus maiora bona largitus est. Paradiso excidit mulier, sed ad Dei cognitionem hac eiectione deducta est: itaque plus inuenit, quàm perdidit.* Sic ille serm. 60. de diuersis noui testamenti locis.

Rursumq; peperit fratrem eius Abel.

IEiuna paternis fauoribus Abelis apparet natiuitas, ouosta Caini; in illa prorsus parentes tacent, in ista Lætitiæ verba proferuntur. Cur ita? Dixit, inquit nobilis ille auctor, in natiuitate Cain: Possedi hominem per Deum. In natiuitate autem Abel, penitus parentes tacent, nullisque lætitiæ verbis prosequontur tanti pueri partum. Et cur adeò ieiuna paternis fauoribus ostenditur Abelis natiuitas? In eo consulebat DEVS VIRTVTIS ABELIS præstantiæ, quam ille ex consilio suo, non ex PARENTVM FAVORIBVS atripiebat.

Rursumq; peperit. Cur non dictum est etiam *concepit?* Colligunt ex hoc loco aliqui simul in vtero ab Eua hos fratres gestatos fuisse. 358
Philo Episcopus in catena græca Fumani: ad illud: *Et iterum peperit. Geminos, inquit, fuisse significat, vnoq; conceptu editos, quo circa post illud: Peperit Cain, adiectum est illud, & iterum peperit.* Licet simplicius fors dici possit, id ex eo, quod dictum de Caino subintelligendum; cum hoc ipso, quod Abelem Eua peperissa sit dicta.

com-

consequens sit, in eius vtero illum fuisse conceptum.

Coniugij fructu Adamum Deus cumulat, vt sic illi costæ damna restitueret, quam ab ipso abstulerat mulieri formandæ. Hinc Alcimus Auitus lib. 1. Poematum.

Inq́; nouum subitò procedit fœmina vultum
Quam Deus æterna coniungens lege marito,
Coniugij fructu pensat DISPENDIA MEMBRI.

Vt interim plus det, quàm abstulerit, licet illud quoque, quod Deus ab Adamo abstulit, Dei fuerit, fuerit à Deo Adamo collatum.

Cur in Abelis fœtu nulla possessio exprimitur, quæ fuerat expressa in Caino? An quod factum in primo, in secundo quoque fecisse Euam subintelligebatur? Aliter hunc nodum nuperus auctor soluit: In Caino, inquit, simul ostenditur Eua, & grata, & deuota Deo, dum illi acceptum filium refert, dicens: Possedi hominem per Deum; quod in Abele fecisse non ostenditur. Ne miremur quod inde magis sibi appropriet Cainum, ad suamque possessionem præcipuè æstimet pertinere. ILLVD ENIM MAGIS TVVM EST, IN QVO OSSA-QVIVM ALIQVOD PRÆSTAS DEO. Ex quo fit vt maximè sit suus, qui vt Deo obsequatur, se totum Deo dicat.

359 Notiones iunge, quæ in nominibus horum fratrum delitescunt, & vtile monitum educes. Eduxit B. Vmbertus, cuius hæc sunt verba: *Abel frater fuit Cain;* LVCTVS ENIM COMITATVR POSSESSIONEM TEMPORALIVM. *Abel luctus, Cain possessio interpretatur.* Cain occidere Abel potuit, non potest possessio luctum extinguere ac sopire, quin extinctum potius suscitat.

Cain interpretatur possessio, Abel vanitas; vtramque notionem necte, & vtile monitum habes, nimirum terrenarum rerum possessionem nudam vanitatem esse. Ita ferè Moses Gerundensis: *Primum filium vocauit mater Cain, quod est possessio, vel acquisitio, secundum Hebel, quod interpretatur vanitas, quia* POSSESSIO HOMINIS EST SIMILIS VANITATIS; quod ad aliarum etiam rerum possessionem transferas.

Post Cain, Abel peperit Eua: locum accipiendis beneficijs facit, qui gratus est ob accepta. Apparet verò summa Dei benignitas, qui quos pœnis subdiderat, recreat prole. *Est*, inquit Oleaster, *hic aduertenda Domini conditio,* VT NEMINEM AFFLIGAT, QVIN STATIM SEQVATVR CONSOLATIO, *si peccator resipiscat: quemadmodum hic videmus. Postquam enim fœminam tam grauibus legibus astrinxit: statim, vt consoletur deiectam, sobolem tribuit.*

360 Inter primos Adæ filios innocens *Abel* dicitur, à vanitate, & inutilitate; sic ferè accidit, vt qui apud Deum pluris fiunt, MINORIS ÆSTIMENTVR APVD HOMINES, & nihili vanique habeantur, qui soli aliquid sunt, quia multi sunt apud Deum.

Cum tanta rerum omnium scientia calleret Adamus, quid præcipuè suos filios docuit? Quæ de Virgine Dei matre ex ipsis nascitura à Deo didicerant, filios docuisse traditum à bonis auctoribus est: *Præscientiam*, inquit Fernandius, *de* VIRGINE DEI MATRE *procùldubio Adamus, & Eua habuerunt, eamq;* FILIOS & POSTEROS *edocuerunt.* Vt perditissimæ fuerit malitiæ Cain, qui ad VIRGINIS FVTVRÆ EXEMPLAR mores non composuit suos; sicut Abel virgo eò lubentius mortem subijt virginitate sua Mariæ Virginitati primus præludens.

Sectio II.

Virtutis tanquam potioris potior habenda ratio, non ætatis. 361.

Veri *pastoris* nota pro ouibus animam ponere, & innocentiæ litare.

Auarus omnia contemnit propter diuitias.

Iusti tunc quoque *cælestia* cogitant & diuina cum terrena contrectare videntur. 362.

Iustus ea libenter tractat, quæ ad Dei *cultum* spectant.

Ad *laborem filios* instituant parentes.

Agricultura cur deputatus *Cain*. 363.

In *opere* operantium *fidem* & *deuotionem* maximè Deus spectat.

Otiositas maximè vitanda.

Cupidi & *indeuoti* nota est peiora vilioraque Deo *offerre*.

Celeritas in Dei *obsequio* maximè commendatur. 364.

Abelis hostia grata non Caini.

Nihil boni ab illo speres, qui esse non curat *bonus*, sed vult *videri*. 365.

Prima *parentum* cura *filios* in Dei *cultu* informare.

Dæmon finit homines bona *opera* facere dummodo aliqua circumstantia inficiant.

Cur *sacrificij*, quod obtulit *Adam*, nulla in diuinis litteris mentio fiat. 366.

Pater in bono *filijs* præeat.

Discutienda quæ Deo *offeruntur*. 367.

Se sibi non retineat, qui *Deo sacrificia* offert.

Spicas marcidas, & corrosas obtulit *Cain*.

Mentis affectionem præcipuè *Deus* spectat. 368.

Inuidus Cain vt *Deo* meliora inuiderit.

Fuit

Fuit autem Abel paſtor ouium, & Cain agricola.

361 CVr cum de exercitio, cui vterq; addictus erat agoretur prius Abel, qui iunior, recenſetur, quàm Cain, qui ſenior? Nodum ita ſoluit Sanctus Ambroſius lib. 1. de Abel cap. 3. *Factus eſt Abel paſtor ouium, Cain autem operabatur terram; non eſt otioſum quòd cùm ante generatus ſit Cain, vt lectio docet, prælatus ſit hoc loco Abel: nec idem ſit ordo nominum, qui eſt ordo naturæ: quid ſibi vult mutatio ordinis, vt prius iunioris meminerit, vbi ſcribitur vitæ ſtatus, operiſq; vſus? officiorum interrogemus diſtantiam, vt colligamus cauſam prælationis: operari terram prius vſu eſt, gratia inferius quam Oues paſcere: hoc enim inſtar eſt cuiuſdam doctoris & principis, meritoq; ſenior à vetuſtioribus inchoauit: iunior recentiora pratulit, quæ nullas ſpinas, nullos tribulos germinarent, nulli ſententiæ eſſent obnoxia.* Addit: *Rectè ergo vbi naſcuntur hi fratres, ſeruatur etiam in prædicando urdo naturæ: vbi vero exprimitur diſciplina viuendi, ſeniori iunior anteſertur: quia etſi* TEMPORE *iunior* VIRTVTE PRÆSTANTIOR EST. Nimirum virtutis tanquam potioris potior habenda ratio, quàm ætatis.

Ouium paſtor erat Abel, & primus mortem ſubijt, vt ſua morte innueret hanc OPTIMI PASTORIS VERAM NOTAM ESSE, tanquam victima cadere. Audiant animarum paſtores; vix ſunt quod dicuntur, niſi pro ouibus mortem obeant, aut ſint parati obire. Abel paſtor primus paſtorum quandam figuram expreſſit In Abele innocentiam habent, quam imitentur. Bonus paſtor, vt aliquis dicatur licet bonitati. Et vt Abelem occiſum audiunt, non dubitent animarum paſtores vitam pro commiſſis ouibus ponere.

Paſtor ouium. Colere noluit terram Abel, quod eam ſciret à Deo maledictione percuſſam. Paulus Burgenſis: *Nempè*, inquit, *ſciens Abel Deum iuſte maledixiſſe terræ propter peccatum Adæ, ſeparauit ſe à terra cultura tanquam à re maledicta à Deo, elegitque officium paſtoris ouium, quoniam non fuerunt maledictæ. Cain verò elegit ſibi agriculturam, quaſi non curans de Dei ſententia, quod reputatum eſt ei ad contemptum, vide* QVOMODO AVARVS OMNIA CONTEMNIT, ſolas æſtimat diuitias, opeſque terrenas.

362 *Fuit autem Abel paſtor ouium.* Licet poſterius natus Abel fuerit, prius tamen nominatur, quam Cain cum de operibus vtriuſque eſt ſermo, vt ordine innuatur, gratiora fuiſſe Abel opera. Sed cur laborioſius vitæ inſtitutum arripuit Cain, otioſius Abel? non laboris fuga id fecit Abel, ſed contemplationis amore: *Ideo ouium paſturam elegit*, inquit Ferus, *quia minori labore paſcuntur, quàm colantur agri; non quod fugeret laborem, ſed ne à* CONTEMPLATIONE RERVM DIVINARVM *auocaretur.* Nimirum iuſti tunc quoq; diuina cogitant, cum terrena commoda quærere creduntur.

Suſcitantur hìc aliqui cur ouium paſtor fuerit Abel, cum eſui non deſeruireot? *Dicitur*, inquit Sanctus Thomas, *quod propter* LANAS, *&* SACRIFICIA, *quæ ex illis debebant fieri.* Hæc iuſti eſt nota in ſuis laboribus ea ſpectare, quæ ad Dei cultum ſpectant.

Abel paſtor ouium fuit, exercuit terram Cain, optimum in hoc ſe patrem oſtendit Adam, quòd filios ſtatim labori addixit, ab otio, ab inertia abduxit. Hinc videmus, inquit Ferus, quòd ADAM FILIOS AD LABOREM INSTITVIT, ab ineunte ætate, ne deſidiæ vacarent, torperent otio. Hinc eſt vt ſtatim ac nati dicuntur primi Adami filij officiorum, quibus erant addicti fiat mentio, ne otio ſe natos crederent.

Cur his exercitijs addici filios ſuos ſinit Adam? *Poteſt dici*, inquit Sanctus Thomas, *quod ex neceſſitate deputauit Cain filium ſuum maiorem & fortiorem* AGRICVLTVRÆ, *vt liberius poſſet Deo vacare, & quieſcere, & regere familiam. Abel autem deputauit officia multum vtili pro victu humano poſt agriculturam.* 363

Exercuit terram Cain, Abel paſtor ouium fuit, ſi rem extimè ſpectemus pœnam hominibus decretam proximius Cain ſuſtinuit, & tamen tanquam impius reprobatur, quia laborem ſuum ſcelere animo concepto infecit; plus nimirum Deus operantium fidem, intentionemque quàm opus ſpectat. *Cain*, inquit Lippomanus, *operam dat obedientia*, SANCTIVS AGIT *iuxta rationem operis, non tamen electionis*, ET FIDE *ac* DEVOTIONE *minor fuit, quæ Deus intuetur.* Quo animo, qua fide quid agatur Deus potius inſpicit, quam quid quis operetur.

Paſtoralem exercuit artem Abel. *Magis ad exercitationem*, ait Abulenſis, *vt tolleret* OTIOSITATEM, *quàm vt neceſſitatem ſublevaret.* Vitiorum ſemina auferre ſtuduit, dum otium ſubmouit.

Factum eſt autem poſt multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino.

MVltum oblationi abraſit gratiæ cùm multos expectauit dies, nec decore celeritatis, quod obtulit inſigniuit. Hinc illud Sancti Ambroſij: *Duplex culpa: vna quid poſt dies obtulit, altera quid non ex primis fructibus. Sacrificium autem &* CELERITATE COMMENDATVR, *& gratia, vnde præceptum eſt. Si voueris votum non facias moram reddere illud, melius eſt enim non vouere votum, quam vouere & non reddere, cùm enim moram facis, non reddis.* Sic ille lib. 1. de Abel cap. 7. 364

De vilioribus, peioribuſque obtuliſſe Cain probi auctores cenſent, quod ita colligit Beatus Dionyſius hìc: *Non habetur ex litera, quod Cain obtulit de peioribus & corroſis. Simpliciter enim dicit ſcriptura, quod obtulit Cain de fructibus terræ munera Domino. Sed ex prouidentia & diligentia Abel, intelligitur improuidentia & negligentia Cain. Veruntamen per hoc quòd ſcriptura manifeſtè teſtatur ipſum Abel obtuliſſe de primogenitis*

M

genitis gregis sui, adipibusque eorum, probabiliter elici potest, quod Cain OBTVLIT DE VILIORIBVS FRVCTIBVS TERRÆ: ERAT ENIM INDEVOTVS ET CVPIDVS. Nimirum cupidi & indeuoti nota est peiora, vilioraque Deo offerre.

Vilia obtulit Cain, prætiosiora Abel. Cain, inquit Ioannes Eusebius, obtulit sacrificium, sed cum ipso sacrificio displicuit Deo, quia obtulit aut paleas, aut hostiam non pinguem. Abelis tamen hostia grata fuit, quia de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. Quantum inter illos discrimen fuerit, Chrysologus sic ostendit. Abel agnum portans ad Dei sacrificium, sicut agnus assumitur. Cain gestans sibi STIPVLAM, fomentum sibi, per quod exuratur inuenit.

Etiam Cain sacrificia offert, non pietas ac
365 deuotio eum vrsit, sed hypocrisis; *quamuis impius esset*, inquit ille, NOLEBAT TAMEN VIDERI. Facit quod fieri à parente viderat, ne igitur exstimè videretur, quod reuera erat, pietatem, qua carebat simulat. Nihil boni ab illo speremus, QVI ESSE NON CVRAT BONVS, SED VVLT VIDERI. Cum res sacræ ex vera deuotione non obeuntur, sed ex quadam apparentia & simulatione, ingentia sunt mala timenda. Hic arrigat aures, qui ad Eucharisticam se sistunt mensam, non Dei placendi desiderio, sed vel ex consuetudine, vel auræ popularis captandæ causa.

Obtulit Cain Deo munera. Sed à quo istuc didicit? Vgo Victorinus Annot. in Genesim: *Credimus, Deum docuisse Adam cultum diuinum, quo recuperaret eius beniuolentiam, quam amiserat per peccatum transgressionis: &* IPSE DOCVIT FILIOS SVOS, *dare scilicet decimas & primitias*. Prima scilicet parentum cura est in Dei cultu filios informare.

Obtulit Cain Deo sacrificium, idque Satanas adeo non impediuit, vt suaserit, dummodo quod erat peius, offerret: Dæmon, inquit ille, sinit homines facere bona opera, imò ad ea instigat, sed cum aliqua conditione, QVÆ BONVM OPVS MALVM FACIAT. Sic & dæmon suadebat Cain, vt sacrificia Deo offerret, sed debile docens offerre, illi displicuit.

366 Adam sacrificium Deo obtulisse plerique tradunt, sed cur huiusmodi sacrificij scriptura non meminit? *Respondit*, inquit Catharinus hic, *B. Thomas sapienter & arguté, ideo non commendatum hoc sacris literis, ne sicut ipse* RADIX ET ORIGO SANCTIFICATIONIS *in omnes, quod erat Christi, designaretur*. Pererius quoque nodum ita soluit: *De sacrificio Adami* TACVIT SCRIPTVRA, *quod cum in eo fuisset origo peccati, non videbatur conueniens ac decens, vt in eodem ostenderetur origo sanctitatis & religionis: sed id potius in Abel, qui primus omnium mortalium appellatus est iustus & innocens, expressum est*. Aliter rem alius auctor versat, & expendit: *Idcirco*, inquit, ADAMI SACRIFICIA *non mandata literis sunt, quia ea sola in sacris libris memorantur sacrificia, in quibus aliquid diuinitus memorabile accidit, aut quibus aliquid sublimioris mysterij significabatur*.

Sed à quonam Cain didicit offerre Deo munera? Exemplum patris hoc in illo fecit, quod eius indeuotio minimè præstitisset. *Contigit*, inquit Lippomanius hic, *post lapsum temporis, cum dies vitæ Abel appeteret, à Domino institutus, intulit, vel attulit Cain de fructibus terræ oblationem Domino*, EXEMPLO *nimirum patris, gratitudinem Deo de acceptis fructibus protestando, sed non de melioribus, & fide debili*.

Vt offerret Cain de fructibus terræ. Primus obtulit Deo munera, qui prius editus in lucem fuerat. Rectus ordo, atque etiam gratus, nisi 367
aliunde illum infecisset. *Admonet*, inquit Oleaster, *locus iste, quali oculo, &* EXAMINE PENSANDA SINT, QVÆ A NOBIS DEO OFFERVNTVR: *licet enim Cain prius obtulerit, quam frater eius, quia tamen non tam exactè librauit munera, vt frater: reiectum est à Domino munus eius*.

Non placuit Deo Caini oblatio, qui terrena Deo obtulerat, se reseruauerat sibi, cor suum sibi retinuerat, quod maxime in omnibus oblationibus Deus amat. Benè Rupertus: *Cain cum Deo offerret sua*, SEIPSVM SIBI RETINVERAT *repositum habens in cupiditatem terrena: huiusmodi portionem Deus non accipit, sed præbe inquit fili cor tuum mihi at ille (vt iam dictum est)* COR SVVM *retinuit sibi, & fructus terræ Deo obtulit*.

Obtulit malus, obtulit mala; oblatio respondebat offerenti, qualis Cain erat talia munera dedit; *Cain*, inquit Abulensis, SPICAS MARCIDAS, *&* CORROSAS *obtulit, ideo peccauit*. Idem præstant, qui minuta quædam, & quædam indeuotionis carie infecta Deo offerunt.

Ex fructibus terræ munera. LXX. *Ex fructibus* 368
terræ sacrificium Domino. Vel quæ terra produxit oblata Deo vocantur sacrificia, vt statim colligeres mentem & affectum offerentis præcipuè Deum spectare. *Iterum*, inquit Sanctus Chrysostomus hic, *aliud nos docet vocando oblationes fructuum terræ, sacrificia: ecce quomodo per facta & verba ipsa docet Dominus, quod hæc omnia à nobis vult fieri, vt animi nostri per ea quæ à nobis fiunt manifesti reddantur, & vt sciamus, quod Dominum habemus & conditorem eum, qui ex nihilo nos, vt essemus produxit: oues enim nominando diuina scriptura munera, terræ autem fructus sacrificia appellando, docet nos, quòd Deus neque vt bruta adducantur, neque vt terræ fructus offerantur, sed* TANTVM MENTIS AFFECTIONEM *quærit*.

Viliora obtulit Cain, selectiora Abel. Inuidit statim Deo meliora dona, Cain in fratrem deinde inuidus. Peritè Eusebius: *Cain sine delectu obtulit non meliora, non primitias fructuum;* PRIVS INVIDVS DEO QVAM FRATRI FVIT. *Deo sequentia & obuia, primitias sibi vendicauit. Sacrificium obtulit, tanquam si mulctam solueret, ex deterioribus & reiectaneis: religionem loco pœnæ duxit*.

duxit. At hostia Abelis eximia fuit, selecta. Primogenita obtulit, nec solum primogenita, sed ex his pinguiora, hoc est, de primogenitis, & adipibus eorum. Aestimauit Deum, cui aestimanda dedit, sicut & Cain contempsit, contemptibilia offerens; quamuis enim animus potissima donandi ratio & decus sit, & ipso sint metienda munera, pudet magnum animum exiguo repraesentari dono.

Sectio III.

Abelis titulus cur *iustus*. 369.
Sacrificium ex sponte prodeuntibus Deo placet.
Ex *donantis animo* dona aestimantur.
Deus contra ac homines magis approbat *personam*, quàm *munera*. 370.
Ex *dantis corde* id quod datur accipitur.
Hilaritas donum perficit.
Offerentis vitam potius *Deus* spectat, quam rem oblatam. 371.
In *opere* non sordeat, qui *preces* fundit.
Perfectior *Abelis victima* quia animata.
Per *vim* extorta *Deo* non placent. 372.
In spiritali oblatione mens deuota ministrorum quàm necessaria.
Plura *animo* Deo *offerenda*, quàm reipsa. 373.
Abelis victima Deo placuit, quia in ea *passionis* Christi figura expressa.
Ab *bonum* nos allicit *Deus* dum bonorum *opera* sibi grata esse indicat.
Abel ritè *sacrificium* offerens, sacrificium Deo factus est. 374.
Oblatio Abelis diuinae *benedictionis* gratiam habuit.
Abelis patientia nobis imitanda.

Abel quoq; obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum.

369 ABel quoque. De Abel obseruatione est dignum in Euangelio *iusti* titulo insigniri. B. Alcuinus in Genesim Interrog. 16. Quaerit: *Cur Abel in Euangelio singulariter* IVSTVS *nominatur?* Respondet: *Tria maxima iustitiae praeconia in eo esse leguntur, Virginitas, Sacerdotium, Martyrium; in quibus primus Christi figuram gessit, qui fuit Virgo, Sacerdos, & Martyr.*

Et de adipibus eorum. Lac praecipuè obtulisse Abelem aliqui censent. Colligo ex Freculpho Episcopo Lexouiensi tom. 1. Chron. lib. 1. cap. 6. vbi hoc quoque addit, maximè hoc sacrificium Deo placuisse, quia ex sponte, & naturaliter prodeuntibus constat, contra ac acciderit in Cain: *Cum eis*, inquit, *Deo sacrificare placuisset, de frugibus quidem terrae munera Cain obtulit: Abel autem de primogenitis agnorum & lac Deus enim hoc potius sacrificio delectatus est, quod* SPONTANEE ET NATVRALITER ORTVM FVERAT: *& non in illo, quod ex inuentione hominis auari natum videbatur.*

Et respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.

RESpexit Dominus ad Abel. Et post Abel ad eius munera, nam ex donantis animo aestimantur dona; *Non* ABEL, inquit Ioannes Eusebius, EX MVNERIBVS, *sed munera ex Abele placuerunt; quapropter prius dicitur ad illum, qui dabat, quàm ad ea quae dabat, respexisse Deus.*

Respexit ad Abel; Notandus ordo, nec inuertendus; Homines ad hominum munera respiciunt prius, deinde ad homines; Deus contra; Pulchrè hic Sanctus Antonius de Padua, in expositione sua mystica: *Ordo valde congruus; Deus enim* MAGIS APPROBAT PERSONAM, *quàm munera, non enim diligit personam propter munera; sed è contrario facit mundus, qui prius inspicit ad munera, quàm ad personas.* Hunc ordinem tanquam non mysterio viduum aliter expendebat Sanctus Gregorius Magnus religio esset hic desiderari eius verba, lib. 22. moral. cap. 7. ait: *Scriptum est: Respexit Deus ad Abel & ad munera eius: ad Cain autem & ad munera eius non respexit. Neque etenim sacrum eloquium dicit. Respexit ad munera Abel, & ad Cain munera non respexit: sed priùs ait, quia respexit ad Abel, ac deinde subiunxit: & ad munera eius. Et rursum dicit, quia non respexit ad Cain: ac deinde subdidit: nec ad munera eius.* EX DANTIS QVIPPE CORDE ID QVOD DATVR, ACCIPITVR. *Idcirco non Abel ex muneribus: sed ex Abel munera oblata placuerunt: prius namque ad eum legitur Dominus respexisse qui dabat, quàm ad illa quae dabat.* 370

Ad Abel respexit Deus, & ad Abelis munera, inque offerente vidit, quod in munera resiliret, oblationem nobilitaret, animi scilicet hilaritatem. Benè ille. *Respicit ad Abel, idest ad* HILAREM ILLIVS ANIMAM, qua hilaritate donum auxit, & perfecit.

Offerentis potius vitam spectare Deum, quàm munus quod offertur hinc colligebat Beatus Laurentius Iustinianus de comparatione, & complanctu part. 2. dum ait: *Diuinus sermo euidenter exprimit Deum magis vitam hominis approbare, quàm munus. Respexit (inquit) Deus ad Abel & munera eius: ad Cain autem & munera eius non respexit. Esto igitur talis, vt tua non repudietur oblatio. Esto, inquam, mundus sanctus: sitque oculus tuus simplex, vt offerentis & oblati libamen suscipiat Deus. Noli de vilioribus rebus hostias offerre, sicut Cain, qui reprobatus fuit.* IMITARE ABEL *in sacrificio, vt illum imiteris in gratia.* Nimirum non placet munus, nisi offerens placeat; quod ad orationem in hunc modum 371

transferebat, idem B. Laurentius Iustinianus cap. 15. in Fasciculo amoris; vbi ait: *Non placet Deo orationis sacrificium, nisi placeat prius ipse, qui offert. Vtrumque approbat Dominus, vterque placabilis inuenitur. Respexit (sicut legitur) Dominus ad Abel & munera eius, ad Cain autem & munera eius non respexit. Nam etsi redolebat sacrificium, fœtebat tamen qui immolabat. Maximum ex his orandi documentum elicitur, quatenus homo minimè confidat in* PRECE, DVM SORDAT IN OPERE: inficit orationem vitijs infecta fundentis mens.

In hoc perfectior fuit Abelis victima, quàm Caini, quod illius animata fuit, istius sine vita; rem sic expendebat Ioannes Eusebius: Mortua beneficia sine affectu sunt. Nam donorum anima donantis animus est. EXANIMIS OBLATIO FVIT CAINI, non hostia viuens, quam consuluit Apostolus, & quia viuens non fuit carens affectu, neque placens fuit. Abelis tamen victima animata est; cum affectu obtulit, & se potius quam sua. Ideirco non dicitur quemadmodum Cain obtulisse munera, sed tantum obtulit, vt animi significaretur oblatio, in quo totum offertur, nec alia explicatione fuit opus. Non erat necesse dicere quid offerret, qui animum obtulit, cum omnia in vno offerantur animo. Obtulit igitur Abel, quia se obtulit. Cain, qui se negauit nihil obtulit, quamuis obtulerit munera; quia hæc offerens, non se, obtulit nihil. Nec sine mysterio adijcitur obtulisse Cain de fructibus terræ, qui mortui sunt & sine sensu. Abel autem de primogenitis gregis. Animata hæc cum sensu sunt; quoniam Caini munera sine affectu, sine animo, sine se. Abelis tamen viuida, animata affectu, corde, & deuotione animi, cum quo se & omnia dedit.

372 Præterea Abelis sacrificia gratiora Deo fuerunt, quàm Caini, quia quæ iste obtulit per vim quandam, & vexationem terræ illatam erant acquisita, contra, quæ Abel ex pastorali pendebant cura, & à spontanea naturæ liberalitate prouenienbant. Pulchrè Iosephus: *Cain agri & arborum fructus obtulit, Abel, lac, & primogenita pecorum: Huius sacrificium Deo fuit acceptius, quod sponte natura genitis constaret, quàm ea, quæ homo* AVARVS, *&* INDVSTRIVS PER VIM QVANDAM *à natura extorseras*. Nec nostra ita Deo placent, quæ à nobis vis, aut necessitas extorserit. Habes hoc quoque non esse ab alio rapienda, quæ Deo offeras.

Spectat Deus non solum quid offeratur, sed qualis sit qui offert; quod ad Ecclesiæ ministros in hunc modum transfert B. Laurentius Iustinianus de regimine Prælatorum cap. 10. *Apertè*, inquit, *colligitur, quòd* NON SOLVM QVID OFFERATVR, SED QVALIS SIT QVI OFFERAT, *intuetur omnipotens, sicut eloquia sacra testantur, quibus dicitur: Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain autem, & ad munera eius non respexit. Grata profectò sunt munera, orationes placabiles, acceptaque laudes, quas quotidie sancta mater Deo reddit Ecclesia. Verum fiunt proculdubio gratiora, si ministrorum mens sit deuota, cor humile, affectus ignitus, sancta cogitatio, obsequium rationabile, oculus interior rectus, custodia cordis non dormitans, loquela composita, & irreprehensibilis vita.*

373 Abelem vidisse Deus dicitur antequam Abelis munera. Et quid erat in Abele, quòd respiceretur à Domino? Erat innocentia, erat puritas. Addit quidam auctor: Erant in Abelis animo FREQVENTIA VOTA DE OFFERENDIS MVNERIBVS, offerebat enim & bis, & ter, & septies, mente sua agnum, quem postea opere obtulit Deo. Proh verum iustitiæ characterem? Non miror, quod Abel raperet apud se Deum, & magni apud Deum æstimaretur, quippe ante dona opere exhibita, multa inuisibiliter in animo offerebat. Singulis horis, singulisque momentis per tempus antecedens mente sua mactabat Deo Agnum, quem tandem manibus super aram peremit. Huc veniat Christianus, & discat non quiescere in opere exterius exhibendo; sed quod exhibiturus est corporaliter semel, mente & animo frequenter prius exhibeat Deo.

Dici etiam potest Deo Abel sacrificium placuisse, quia effuso victimarum sanguine Christi passionem referebat, aut certè propriam mortificationem. Scitè scitus ille auctor. Dicitur Deus respexisse ad Abel, & ad munera eius, quia Abel obtulit sacrificium cruentum de gregibus, Cain autem incruentum de frugibus: cruor enim sacrificio suffusus, siue in typum DOMINICÆ PASSIONIS, siue in typum propriæ mortificationis, victimam Deo efficit gratiorem: displicere non potest Deo anima illa, quæ Christi Domini sanguine imbuta sacrificium Deo offert.

Externo signo ostendisse Deum à se Abelis munera probari proborum auctorum censio est: Sed cur istuc? vt ad fratris pietatem imitandam eum Deus alliceret. Dominus, inquit bonus ille auctor, volens PROVOCARE Cain, vt de cætero cum illi vellet munus offerre, meliora seligeret; non illi nocuit, sed munus fratris acceptauit, vt eum AD FRATRIS MENTEM REVOCARET. Scilicet bonorum bona opera ad bonum cæteros inuitant.

374 Placuere Abelis sacrificia, quia placuit Abel qui ritè offerens sacrificium, Dei esse sacrificium meruit, quod expendens Sanctus Cyprianus de oratione Dominica ait: *Neque in sacrificijs quæ Abel & Cain primi obtulerunt, munera eorum Deus, sed corda intuebatur; vt ille placeret in munere, qui placebat in corde. Abel pacificus & iustus dum Deo sacrificat innocenter; docuit & cæteros quando ad altare munus offerunt, sic venire cum Dei timore, cum simplici corde, cum lege iustitiæ, cum concordia pace. Meritò ille dum in sacrificio Dei talis est ipse, postmodum* SACRIFICIVM DEO FACTVS EST; *vt martyrium primus ostendens, initiaret sanguinis sui gloria Dominicam passionem, qui & iustitiam Domini habuerat & pacem.*

Deniq; oblatio Abelis excellentiam dininæ

habuit

habuit benedictionis, qua caruit Abelis oblatio. Benè Eusebius ex S. Anastasio Sinaita: *Habuit quoq; iuxta Anastasium Sinaitam excellentiam* DIVINÆ BENEDICTIONIS *victima Abelis, qua caruit Caini oblatio. Animalia non fruges sua Deus benedictione decorauit: quare diuersa oblationum electio diuersitatem offerentis præsignificabat. Benedictam hostiam, benedicendus elegit.*

Abelis qui sortem amat, Abelis patientiam imitetur, parentes, consanguineosque ferat etiam duros, & inter malos discat bonitati litare; nam vt ait Sanctus Gregorius lib. 20. Moral. cap. 29. *Nullus perfectus est, qui inter proximorum mala* PATIENS *non est; qui enim æquanimiter aliena mala non tolerat, ipse sibi per impatientiam testis est, quia à boni plenitudine longè distat, A*BEL QVIPPE ESSE RENVIT, QVEM CAIN MALITIA NON EXERCET. *Sic in tritura area grana sub paleis premunt, sic flores inter spinas prodeunt, & rosa quæ redolet, crescit cum spina quæ pungit.*

Sectio IV.

Ad Cain verò, & ad munera illius non respexit.

PEr oblata munera offendit Deum Cain, summa hominis miseria, & infelicitas 375
est, cum per ea in Dei offensam incurrit, quibus placare debuerat, cum sacrificijs adeo nil lucratur, vt perdat, quod habebat, quod ad eos flectas, qui diuinorum sacramentorum vsu abutuntur, & medicinam vertunt in venenum.

Quærunt interpretes quali signo reprobatum Caini sacrificium quali approbatum Abelis. Aliqui ex fumo in Cœlum directo, vt accidit in sacrificio Abel, & ex fumo in terram demisso id coniecisse fratres arbitrantur, alij & flamma è Cœlo demissa approbatum sacrificium Abelis asserunt. Ioannes Eusebius simplicius: Cum, inquit, post hæc duorum fratrum sacrificia alloquatur ipsum, præsens ibi significatur fuisse; quapropter non fuit opus alio signo reprobatæ Caini victimæ, & approbatæ Abelis hostiæ, quam ipso diuino respectu & nutu, quod textus sacer declarat dicens respexit Dominus, qui scilicet præsens & aspectabilis adfuit, & statim reprehendit Cainum. Respexit igitur Dominus ad Abel, & ad munera eius, propitio nutu placidus, & affabilis; ad Cain autem & ad munera eius non respexit, sed aduersis oculis ostendit parum sibi grata. Potuit etiam diuinum aspectum comitari inflammatio Abeliani sacrificij, aut directus in cœlum fumus, imò vtrumque: alioquin satis declarari diuinus posset respectus, & approbatio Abelis ex FOECVNDITATE suarum ouium, sicut reprobatio Caini STERILITATE frugum.

Caini munus Deo non placuit, quia Caini vita, Deo displicebat, qui cum se iræ, inuidiæque videret obnoxium, EMENDARI non studuit, inquit Odo Cameracensis Episcopus, in immane scelus non cecidisset, si emendationem cogitasset; hæc malorum ruina, quod vitia sua vident, nec emendari student.

Infecit sua munera Cain, dum fratris odium 376
in corde circumferebat. *Recordari conuenit*, inquit Sanctus Paschasius, *Cain & munerum eius ad quem cum offerret non respexit Dominus neque ad munera eius profectò, quia* INDIGNATIONEM IN ANIMO *contra fratrem gerebat, vnde dicitur si rectè offers & non rectè diuidis peccasti.* Ad Caini munera Deus non respexit ob hoc præcipuè, quod respicere corde pacato fratrem non poterat, nec volebat Cain. Pulchrè Sanctus Cyprianus de vnitate Ecclesiæ: *Nec ad Cain munera respexit Deus: neque enim pacatum habere Deum poterat, qui cum fratre* PACEM *per zeli discordiam non habebat.*

Non respexit ad munus Cain Deus; nam istuc ingratitudinis fœtore erat infectum. *Cain*, inquit ille, *quia* INGRATVS *erat, ingratum etiam eius exstitit sacrificium. Sicut quia Abel fuit ipsi gratus gratum eius habuit sacrificium.*

Cainum plerique referunt, qui deuotione destituti sacris adstant. Præstat hic pij doctoris verba sistere. Nos, inquit, omni vacui deuotione, cùm adstamus altari, imitamur Caini animum, sacrificium offerentis, de quo ait Sanctus Basilius: Carens anima, fructum offert Deo. Tales enim coram Deo apparemus, MORTVA SACRIFICIA libantes, cùm careant deuotionis, & spiritus vita, & anima; attendentes etiam tunc ad humana; & minimè diuina, quæ iacent ibi contemplantes.

Ad Cain non respexit Deus, quia ipse ad se ipsum solum respiciebat non ad Deum, sua quærebat commoda non Dei gloriam, quod si sacrificium obtulit, id laboriosum onus putauit, nec honori hoc putauit sed oneri, vnde illud Sancti Basilij Seleuciensis, *Cainus sacrificationem* MVLCTÆ LOCO *ducens reiectaneis sacrificijs honorem detulit honorato, adultera mente componens pretium;* pœnam mulctámque putabat offerre Deo munera, cum gloriæ, & triumphi cuiusdam loco ducere deberet.

Iratusq́, est Cain vehementer, & concidit vultus eius.

IRatusq́, est Cain. Cum irasci deberet sibi, irascitur Deo cæca scilicet omnino ira est, & eò fertur, quò minimè deberet. *Vide insaniam hominis istius*, inquit hîc Ferus, *& quantum malum sit* INVIDIA. *Irascitur Cain Deo, quòd sacrificium suum non acceptasset, cum magis sibi ipsi irasci debuisset, qui non sincero corde obtulerat.*

Irascitur fratri, inuidus in fratrem Cain fuit, nimirum quia peccata sua neglexit, oculos ad aliena flexit bona; non adeo fuisset malus si mala sua cogitasset. Benè Ioannes Eusebius: Quòd si SCELERA SVA RESPEXISSET Cain alienæ virtutis præmio non contristaretur, & indulgentia suæ malitiæ lætus, se noscens pessimum indemnem, patienter toleraret meliorem muneratum. Non erat vnde quereretur de diuina iustitia innoxia sibi, nisi quod alienam misericordiam suum etiam putabat supplicium. Iniustum sibi Deum credidit, quia alteri misericordem vidit.

Incipit tunc maximè fratri displicere Abel, cum maximè Deo placuit, *vbi Deus coli capit*, inquit Tertullianus, INVIDIAM *religio fortita est.* Hæc impiorum nota inde diuinæ offensæ occasionem arripere, vbi Dei placandi medium esse poterat.

Et concidit vultus eius. Inuidi habitum ha-
377 bes, deiecit oculos, nè fratrem cui inuidebat videret, ne Cœlum intueretur, quod propitium esse fratri expertus erat. Fortasse, inquit hîc Ioannes Eusebius, ne COELVM VIDERET propitium Abeli, nec splendorem fratris, demisit in terram oculos. Grauissimus est inuido aspectus melioris, potius feret orbitatem oculorum, quam gloriæ non suæ intuitum. Aduersa est inuido prosperitas alterius & prospera aduersitas aliena: pessimum fascinationis genus inuidentia est, quæ non visos sed videntes infestat. Fascinum commune virus in alios effundit. Inuidi obtutus præcordia propria corrumpit. Innoxia felicitate quam videt, tristissima se tabe inficit. Velut enim pueris, quos alienus fascinat oculus, concidit vultus, sic inuidus Cain, quem visa fratris gloria propius fascinauit, demisso mœret vultu. Fascino læditur respectus, INVIDIA RESPICIANS.

Dixitque Dominus ad eum: Quare iratus es? Et cur concidit facies tua?

QVare iratus es? Deus Cain interrogat, nec legimus huic interrogationi Cainum respondisse, *nec mereris*, inquit ille, *nam iratus* EO CÆCITATIS *abripitur, vt Deum contemnat.*

Quare iratus es? Corripit Deus Cain, cur id non præstitit Adam? An quia hoc vitium tegebat Cain, nec se faeilè prodebat? An quia docere Adam voluit Dei solius esse in homine iudicare, quod in homine latet? Nisi hoc addamus, quod cum nunquam legamus Cain à patre coërcitum, id factum quia culpa, in quam Adam ceciderat, veluti vinculum erat, quo tenebatur ne liberè in delinquentis filijs correctionem iret. Tanti refert à culpa immunem esse, qui alium à culpa auocat.

Et quid referebat Caini vultum concidisse? cur hoc signatè in illo Deus arguit? *Conciderat facies eius*, inquit Rupertus, PARRICIDIVM MEDITANDO. Hoc maximè Deo displicet, cum quis ad malum cogitat, & meditatè malum patrat. 378

Multum timendum est mali cum quis vultum demittit in terram, nec cœlestia cogitat, nec cœlum suspicit; hinc illud eiusdem auctoris: *Fortè illum inuectione pulsat, vt vultum suum subleuet à terra, vt* MENTIS OCVLOS *sustollat à terra.*

Cur concidit facies tua? Signatè antequam hoc diceret præmisit, *Quare iratus es?* vt innueretur, parum referre quempiam vultum demittere, aut aliter membra flectere, si id à passione aliqua nascatur. Pietas, & in Deum reuerentia membra disponat, non passio iustitiæ regulis destituta.

Peccator vt Cain referat, imo & peior aliquo sensu, sic explicat Ioannes Eusebius:

Parricida, inquit, es ob peccata tua filij Dei, & fratris tui Iesu: pessimo Cain concidit vultus, & TV ERIGIS CERVICEM? Repura te semper talem, ne audeas sine pudore & timore aspicere patrem dilectissimum.

* *
*

Sectio

Sectio V.

Nonne si benè egeris recipies, sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit.

379 SI benè egeris. Cur non dixit, *si bonum egeris?* Nodum soluit dictum illud apud nostros iactari solitum, nimirum: *vita perfecta formam non in verbis sitam, sed in aduerbijs*. Caietanus rem benè vrget, dum inquit: *Nec dicitur: Si bonum facies, sed si benè, vel malè facies, vt intelligamus, quòd non sufficit facere bonum; sed oportet bonum benè facere. Vt hinc agnosceret Cain, se deliquisse in hoc, quòd non benè fecerit, quamuis fecerit bonum: obtulerat enim Deo sacrificium; sed non benè quia non elegerat.*

Recipies. Non explicat, quid recepturus Cain esset, haud dubiè recepturus erat virtutis mercedem, quietem, & gaudium conscientiæ, præsentia bona, & quod est magis æterna; tanquam essent INEXPLICABILIA EA BONA, quæ virtutum cultum consequuntur. Aliqui legunt, *attolles*, scilicet vultum, quasi diceret, si benè egeris erecto incedes vultu, in gaudio, & lætitia viues. Vnde & Vatablus vertit. *Nonne si benè egeris exaltatio erit tibi?*

Nonne si benè egeris recipies. Hunc locum ita vertunt LXX. *Nonne si rectè offeres, non autem rectè diuidas peccasti?* Qui nam sint, qui rectè offerant, & non rectè diuidant ex Beati Bernardi mente habes ex eius verbis serm. de Villico iniquitatis, vbi ait: *Si rectè offeras, & non rectè diuidas, peccasti. Rectè offerimus, cum bono studio bonum opus agimus: sed non rectè diuidimus, si* DISCRETIONEM HABERE *in bono opere postponamus, quam qui dissimulat, etiam rectè offerens (sicut beatus ait Gregorius) peccat.*

Malè diuidit, qui quod deterius Deo offert, 380
sibi reseruat, quod est melius. *Cain*, inquit Sanctus Petrus Chrysologus huc spectans serm. 109. *cum Deo parua à quo totum perceperat, ingratus Pontifex sic diuisit, vt* QVOD ERAT PESSIMVM, *hoc adoleret altari, quod erat optimum in suam reseruaret offensam: denique cum sua suo male cum partitur auctore, se suosq. posteros & à vita, & ab humano genere perdiuisit. Ergo Abel sequamur ad præmium, non Cain comitemur ad pœnam. Abel agnum portans ad Dei sacrificium, sicut agnus assumitur: Cain gestans sibi stipulam, fomentum sibi, per quod exureretur, inuenit.*

Benè licet obtulerit Cain diuisit, in Dei cultu hostilem in fratrem animum circumferens. Opportuna producta verba explicatione donabat Petrus Blesensis opusculo in Iob, vbi ait: *Non est aliquis rectus, si rectè non diuidat. Benè offerebat Cain, sed non rectè diuidebat, imò pessimè, Deo offerens hostias, &* FRATREM PERSEQVENS *innocentem*. Scilicet nequit Deum victimis placare, qui vitijs litat, & proximi odio donum suum inficit, inficit se.

Malè diuisit Cain, & Caini imitatores. *Sunt enim*, inquit huc spectans B. Thomas à Villanoua, *qui diuidunt* COR *suum, partem* DEO, *partem* MVNDO, *& delicijs tribuentes: qui ita Deo placere volunt, vt mundo quoque non displiceant, ita cælestibus anhelant, vt terrena non respuant.*

Non rectè ille diuidit, qui de suis diuitijs 381
plus mundo exhibet, quàm Deo, qui totum ferè quod habet luxui dat, Dei sui oblitus. Hinc illud S. Ambrosij: *Dixit Dominus ad Cain, cùm offerret munera. Si autem rectè offeras, rectè autem non diuidas, peccasti, quiesce. Sic & tu, Christiane, non rectè diuidis qui de tanto auro tuo* MAIOREM PARTEM MAMMONÆ RESERVAS, QVAM DOMINO LARGIARIS. *Sic namque Ananias in actibus apostolorum dum putat se rectè offerre & non rectè diuidit, pecuniam quam obtulit, perdidit: & quam domi reseruauit, amisit. Pecuniam, inquam, pariter perdidit & salutem.* Hæc auctor iste serm. 9.

Non satis est bonum offerre, nisi etiam benè quis diuidat, quod ad Sanctissiæ Trinitatis cultum probandum sic aptabat Sanctus Hieronymus in Amos lib. 2. cap. 5. *Qui benè quidem vnum Deum colunt & rectè offerunt: sed in eo non respiciuntur: quia non diuidunt* IN PATREM

ET

ET FILIVM ET SPIRITVM SANCTVM, *confessionem: nostra autem munera, id est Ecclesiæ quæ offerimus de primitiuis nostris respicit Deus, sicut respexit quondam sacrificia Abel.*

Malè diuidit sicut Cain, qui cælestia terrenis non præfert, nec potioribus locum potiorem exhibet. Benè Sanctus Ambrosius: *Rectè*, inquit, *Cain obtulit, quia oblatio insigne deuotionis & indicium gratiarum est: sed non rectè diuisit, quia ante omnia Deo debuit deferre primitias, vt à gratia inchoaret auctoris. Etenim diuisionis hic ordo est, vt prima secundis, non primis secunda præcurrant: &* CÆLESTIA TERRENIS, *non terrena cælestibus præferantur*. Ad hanc regulam si mortalium expendamus oblationes, multos offerre deprehendemus, paucos verò rectè diuidere.

382 Sanctus Ambrosius LXX. lectionem sequens, post verbum, *peccasti*, adiecit, *quiesce*. Non quiescit, qui peccatum dum defendit aggrauat. Præstat huius doctoris verba audire ad verba producta lib. 12. de Cain cap. 7. *Peccasti quiesce. Omnia docet Deus. Primum ne pecces, vt in Adam monuit: secundo si peccaueris, quiescas, vt in Cain doceris. Erubescere enim debemus, & condemnare peccatum, non defendere: quoniam pudore culpa minuitur,* DEFENSIONE CVMVLATVR: A peccatore iure petitur, vt quiescat, *quasi*, vt ille alius ait, *peccatori* NON QVIES SIT, *sed* MOLESTIA.

Quiesce. Cum iratum alloquatur, optime quies ei indicitur. Opportunum iræ remedium, *velut* AQVA *turbida*, inquit Ioannes Eusebius, *purgari nequit nisi quiete, & mora temporis, sic turbatus animus* QVIETE *indiget, vt placetur suum agniturus scelus*. Addit statim. *Iubet quoque quiescere postquam peccauit, ne promota repetito scelere indurescat malitia. Nec mali consensus in opus promouendus est, nec operi malo alterum addendum. Fluenti malitiæ obuiandum fuit,* FLVXV IPSO, *quod mireris,* OBDVRATVR, *dum diu est; plus est, fluxu solidatur: comprimendus eius motus est. Natura mali sponte agitatur, vlterius semper procedit.*

383 *Statim in foribus*. Benè in foribus peccatum adest, si statim ac quis peccauit, peccati veniam imploret, peccatum fateatur. Opportunè Pepinus hîc: *Quam primum quis peccauit: peccatum eius debet in foribus & signanter* IN PORTA ORIS ADESSE *per veniæ implorationem. Sic enim egit Dauid post commissum à se adulterium cum ad vocem Nathan eum reprehendentis ait: Peccaui Domino. Propter quod dixit ad eum Propheta ex parte Domini, Dominus, inquit, transtulit peccatum tuum à te 2. Reg. 12. Ecce quam prope ianuam erat peccatum Dauid, vt cito expelli posset. Item debet in porta adesse per oris confessionem: vt scilicet per confessionem expellatur quamtocyus de secreto cordis.*

Benè est, quod in foribus peccatum esse dicatur tanquam intrare nequeat, nisi nos illi volentes aperiamus. Scitè Guarricus Abb. *Denique audi consolationem: peccatum in foribus est;* NISI IPSI APERIAS, *non intrabit: appetitus in corde prurit, sed sub te est; nisi sponte cesseris, nihil nocebit. Audi consolationem; consensum cohibe, ne praualeant hæc, & immaculatus eris, vt sine macula ingrediaris, & ipse ad habitandum in tabernaculo, & requiescendum in monte Sancto Domini Dei tui.*

Statim in foribus peccatum tuum aderit. Aliqui hæc verba intelligunt de peccatis, quæ statim ad conscientiæ fores adstant & grauissimam peccantibus pœnam afferunt. Ad ostium, inquit hîc Lippomanus, idest cordis cogitationes, vbi mala & bona versantur, accubabit peccatum tuum. Scelere igitur & flagitijs nos polluti, excruciamur à conscientia, QVÆ AD NOSTRI CORDIS FORES SEMPER EXCVBAT, quæ quicquid agimus, aut molimur, ilico nobis præsto est, neque lætos vnquam esse permittit. Atque hæc prima supplicia sunt, quæ ex male actis reportamus. Hanc pœnam Deum dicunt protestatum esse ipsi Cain, quæ certè est omnium miserabilissima. Quæ neque ad tempus desæuit, sed post multa temporum spacia, ad plectendum, lacerandumque animum reuertitur. Quæ & Fratribus Ioseph post quindecim annos admissi sceleris memoriam reuocauit, multarumque calamitatum metum iniecit. Hæc ergo semper excruciatura Cain, nisi à meditato scelere abstineret.

In foribus. Legunt aliqui *ad ostium*; & sunt qui de sepulchri ostio hæc accipiunt. *Alij exponunt*, inquit hîc Lippomanus, *ad ostium scilicet sepulchri, semper peccatum tuum accubabit, quousque dies ille iudicandi accesserit. Quo tempore de omnibus perpetratis facinoribus pœna luenda est.* ADMISSO ENIM SCELERE, AD IVDICIS PORTAM POENA SVSPENSA MANET, *donec ille ferat iudicium*. O si hæc peccatores cogitarent, non adeo faciles in peccatum laberentur, sed iusto timore corriperentur, securioremque pœnitentiæ inirent viam. 384

Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.

SVb te erit appetitus eius. LXX. legunt: *Ad te conuersio eius*. Quam lectionem sic explicat Abulensis: *Ad te conuersio eius; idest tu ad te conuertere peccatum tuum, confitendo te peccasse, & tu dominaberis illius, quia facies, vt à Deo illud peccatum destruatur*. Addit: *Qui* SE EXCVSAT *ad se peccatum non conuertit, ad se subijciendo illo Domino suo, sed conuertit se ad peccatum subijciendo secundum inclinationem eius, ideo peccati seruituti mancipatur.*

Salubria Deus dedit Caino consilia, sed illa omnia contempsit, peior factus, vt vel hinc colligas, quàm difficilis inuidi casus sit. Post sanctissimam, inquit Ioannes Eusebius, Domini correptionem peior inuidus fit, & charitatis pharmaco plus irascitur fratri, cùm proprium inuidiæ sit, etiam bonis malè vti: INSANABILIS EIVS MORBVS EST: nam & inuerecundus quidam pudor ægri suum morbum celantis, & pessimi morbi qualitas saluti repugnant: 385

Ab

Ab humana curari manu non potest vnquam à diuina non solet semper. Prudenter magnus Basilius dixit: INVIDIÆ MALVM MEDICINAM APERVIT. Cui enim caput, aut membrum aliquod dolet, medico morbum aperit. Verum qui ægrotat inuidia, quid dicet? Angunt me proximi bona? Nam veritas hæc est. Attamen hæc quisque fateri erubescit. Et nonnullis interiectis adhuc rem vrget dum ait: Quidam apud Corinthios fornicatus est, sed accusatus fuit, & breui correctus. Abeli Cain inuidit, sed sanatus non est: quin & Deo statim eius vlcus sanaturo magis intumescebat, & fluctuabatur, & ad cædem properabat. Ita hoc vitium nulli medicinæ, quamcunque adhibueris, facilè cedit. Vnde fieri poterunt boni, qui sunt in bono mali? Aut quomodo eos punitura sunt mala sua, quos etiam bona puniunt aliena? Quis ei poterit subuenire, qui se sibi exhibet inuidendo carnificem, aut vnde sibi patabit salutem, qui de SALVTIS MATERIA facit perniciem.

Ægrum animum suauibus monitis sanare Deus studet, nec acerbioribus verbis Cain increpat. Discant Prælati, inquit peritus ille auctor, hanc cælestem artem CORRIPIENDI SVBDITOS IN SPIRITV LENITATIS: nec in austeras, ac tristes obiurgationes, confestim erumpant, vel in minas seueras, pœnasque rigidas, illico sint præcipites. Hæc intentare, vltimo loco, abunde nimium erit: præcedat clementia, etsi vlcus ea non sanauerit: tunc opportunius seueritas, aut claudo, aut lento gradu, eam subsequetur.

Sectio VI.

Dixitque Cain ad Abel fratrem suum: Egrediamur foras.

EGrediamur foras. Foras egredi cum fratre vult, qui post Dei increpationem, monita foras emittere fraternum odium, quod corde diù corruperat, noluit; 386
tam difficilis cura peccati est, quod obcalluit. Peritè Sanctius: Non mirum, inquit, sanè est, quòd Prophetarum verba cor iam induratum molle non reddant, quando Deus ipse, vicem concionatoris gerens, illud non emollit. Decreuerat inuidus ille Cain (testante scriptura) innocentissimo Abel fratri suo mortem inferre, eoque tempore Deus ipse quandam apud illud habuit de peccatis concionem qua illius interitum, si fratrem occiderct, indicabat. Post quæ Dominus verba addidit scriptura: Dixit Cain ad Abel fratrem suum, egrediamur foras; cumque essent in agro, surrexit Cain aduersus fratrem suum Abel & interfecit eum. Videte obsecro, quam parum verba Domini Cain viscera mouerint, QVIA IAM OBCALLVERANT. Quod ad alios etiam peccatores, transferas, qui peccatis assueti ægrè ad meliora traducuntur.

Egrediamur foras. Sanctus Ambrosius legit: *eamus in campum*; cur non in paradisum, aut alium cultum locum fratrem Cain inuitat: *Meritò*, inquit S. Pater, *ipse dixit eamus in Campum; non dicit eamus in paradisum, vbi poma florent, non in aliquem cultum & fructiferum locum; ipsi parricida* INDICANT FRVCTVM SE SCELERIS HABERE NON POSSE, *nec penes eos fructum manere, qui tanta impietati præbuerint officium; Nam ipsam refugiunt elementorum benignitatem, vt iste Cain qui videtur veritus; ne largior boni terra prouentus triste facinus impediret, & liberalitatis assuetudine genitalis qua facit sibi fœtus & fructus varios germinascere, in hoc quoque criminis apparatu, vel muta specie sui fraternum reuocaret affectum*. Sic ille lib. 2. de Abel, & Cain. Nimirum vel rationis expertia peccatorem à peccatis auocare possent, si illa vt deberet aspiceret, ac consideraret.

Egrediamur foras. Quia nimirum vt notabat Abulensis, aliqua sibi struxerant tuguriola, in 387
quibus habitarent, quorum respectu alia loca agri dicebantur; In agrum duxit fratrem suum Cain, isque fuit, vt alij censuerunt, Damascenus, in quo formatus Adam fuerat; sicque factum vt ibi mors inciperet, vbi inceperat vita, sicq; mortis, & vitæ nexum colligeremus. Præclarè nuperus auctor: Quid opus fuit ex primo viuendi incunabulo, primum efficere sepulchrum moriendi? Credo singulari prouidentia ita factum, vt maxima inter vitam, mortemque necessitudo ostenderetur. Nam vix homines VIVERE incipiunt, cum statim INSIDIAS A MORTE patiuntur.

Egrediamur foras. Fors impius Cain loci sanctitati, in quo erant, voluit parcere, & ad locum prophanum ire voluit, quum in sacro essent, & Dei oblationibus dicatum. Huc nos vocat

vocat Ioannes Eusebius, dum ait: Egrediamur foras. Hæc verba non solum indicant in aliquo peculiari loco fuisse, in quo sacrificauerant, & Deus sæpè signum aliquod dederat, quod respiceret ad Abel, & ad munera eius; ad Cain autem, & ad munera eius non respiceret, sed locum fuisse sacrum, atque diuinis oblationibus dedicatum, PRÆ CVIVS REVERENTIA NOLVIT IBI FRATREM OCCIDERE, sed in agro, idest, in loco profano. Scilicet ab hac parte non omnem pietatem eiurauerat, & quanta reuerentia locis sacris debeatur impius docet.

388 In agrum fratrem duxit Cain; *satis*, inquit ille, *se declarauit agrestem cum agrum selegit ad necem*, plerumq; sæuitiam suam mali produnt, dum se putant occultare.

Egrediamur foras; Iam foras erat egressus, & extra se abierat Cain dum fratris necem erat meditatus; in agrum exire & illuc fratrem ducere cogitat, vt ab eo loco abiret, in quo Deo sacrificium obtulerat, ac si solo soli illius visu à scelere auocaretur. *Sacrum locum*, vt ille ait, *vbi nuper* LITAVERAT *deserens Cain foras; vt arua fraterno cruore perfundat erupit*; quid non templa ipsa poterunt, in quibus Dei quotidie filius immolatur, quàm amoliendis sceleribus debent esse opportuna?

389 Quàm stultus Cain vt hominum oculos, fratrem occisurus, vitauerit non Dei. Cum futuro facinori, inquit probæ notæ auctor, viam sternens, fratrem in solitudinem trahit secretis patrocinantibus scelus peragit, impijssimus pariter & stultissimus, qui ad perpetrandum maximum nefas sufficere sibi credidit, si ASPECTVS VITARET HOMINVM, FRATRICIDIVM, DEO TESTE, FACTVRVS. Vnde puto, quod hæc in illo iam tunc opinio fuerit, quæ nunc in multis est: Deum terrestria non respicere, & actus sceleratorum hominum non videre. Nec dubium est, cum post facinus admissum, Dei sermone conuentus, nihil se de fratris cæde conscium responderit: adeò inscium facti sui Deum arbitrabatur, vt crederet feralissimum nefas tegi posse mendacio.

Egrediamur foras. Mentem eius angustam reddiderat inuidia; vbi zelus, & liuor radices figit, latitudo omnis fit angusta. Festiuè, vt solet, S. Petrus Chrysologus serm. 4. *O* ZELI TVMOR, *duos non capit domus ampla Germanos: & quid mirum fratres? fecit inuidia, fecit vt mundi tota duobus esset angusta fratribus latitudo, namque ipsa Cain Iunioris erexit in mortem, vt esse solum Zeli liuor faceret, quem primum fecerat lex natura*.

Egrediamur foras. Extra charitatis exierat sinum, qui foras educere fratrem cogitabat, vt fratri afferret mortem; sed quò eundum, vt foras dicerentur egredi cum nec vrbe tenerentur, nec domo? *Videtur*, inquit Abulensis, *quod filij sui fecerant* ALIQVA TVGVRIA *simul, in quibus manebant contra aeris intemperiem: & illa erant quasi villa, vel locus populatus: & respectu illorum vocabantur alia loca agri*.

Egrediamur foras. Adeo non quieuit Cain, vt insolentiam augeret. Campum occisioni elegit, cur non hortum pomiferum, ac paradisum. Vbi frater, inquit Ioannes Eusebius, debebat occidi, nisi VBI FRVCTVS DEESSET? Tanquam præsagiens natura, tanti sceleris loco germina denegauerat, quia non conueniebat, vt idem solum & contagia parricidalis sanguinis reciperet præter naturam, & fructus secundum naturam germinaret. Meritò ipse dicit: Eamus in campum. Non dicit: eamus in paradisum, vbi poma florent, non in aliquem cultum, & fructiferum locum. Ipsi parricidæ indicat fructum se sceleris habere non posse, nec penes eos fructum manere, qui tantæ impietati præbuerint officium. Nam ipsam refugiunt elementorum benignitatem, vt iste Cain, qui videtur veritus ne largior boni terra proventus triste facinus impediret, & liberalitatis assuetudine genitalis, qua facit sibi fœtus & fructus varios germinascere, in hoc quoque criminis apparatu, vel muta SPECIE CVI FRATERNVM REVOCARET AFFECTVM. 390

Sequitur Abel fratrem suum Cain nihil de illo mali suspicans, boni ex se alios metiuntur, nec putant mala ab alijs pati, quæ alijs non inferrent. In hoc humilitatis singularis exemplum Abel præbet, quod licet videret vel exstimo signo sua sacrificia Deo placuisse, non fratris, non ob istuc tamen intumuit, nec fratrem contempsit.

Egredientem fratrem sequitur simplex Abel; nec à pietatis orbita egressum eum esse credebat; OBEDIT *fratri*, inquit hic Ferus, *tanquam superior, nihil mali suspicans de fratre. Non superbit de gratia Dei*, PATIENTER SVFFERT CONTVMELIAS, *imò se occidi sinit potius, quàm malum pro malo reddat*. Hoc ipso prodens, quàm benè Deo litauerit; qui dura pro Deo potuit sustinere. Nimirum qui didicit se Deo mactare, potest Deo mactare sua.

Sectio VII.

Inuidos ad malum vrgent, quæ à malo auocare debuerunt. 391.
In *Abele* iusto *mors* delusa.
Qui in alios *sæuiunt* sibi magis *nocent*.
Inuidus Cain serpente nequior. 392.
Mens malè concia offenditur *correcta*.
Abelis corpus vulneris *sulcis* exaratum est, vt virtus effloresceret.
Caini facinus expenditur. 393.
Mali bonis prosunt dum *nocere* quærunt.
Inuidia stare nequit nisi ad grauiora *scelera* inuidum vrgeat.
Mortui conspectus quàm salutaris. 394.
Ecclesia ab *Abel* cur incepisse sit dicta non ab Adamo.

Paren-

Parentum reuerentia commendata.
Perstricti qui venenata *lingua* multos occidunt. 395.
Ingentis doni loco *mors* habenda.
Quis *mortem* inferre *Cainum* docuerit.
Quàm grauis *pestis inuidia*. 396.
Cainum malus *Pralatus* refert, qui malo *exemplo* suos occidit.
Impiorum stultitia, quia *scelere* se carere putant, quia carent teste.
Ficta illius *pænitentia*, qui repetere *crimen* vellet. 397.
Cain in *fratrem* sæuit cum non posset in Deum.
Qua die, & qua diei hora occisus *Abel*. 398.
In *Abelis* morte initia *martyriorum*.

Cumq́ essent in agro consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum.

391 INsurrexit in fratrem Cain, quem adeo obsequentem habuerat, vt dicenti Caino *egrediamur foras*, statim absque vlla cunctatione ierit. *Maxima fuit malitia*, inquit Sanctus Thomas, *quoniam fratrem suum occidit*, NEC IPSVM RETRAXIT TIMOR *comminata paulò ante pæna. Nec reuerentia iustitia, qua erat in fratre, id quod probauerat per Dominum, qui eius holocaustum acceptauerat. Nec simplicitas humilitatis & innocentiæ: Neque promptitudo obedientiæ, quia sibi obediuerat eundo ad agrum: Ideo aduocat diuina iustitia eum ad tribunal iudicis.* Scilicet inuidos & ipsa ad malum inferendum vrgent, quæ à malo auocare debuerant.

Iustus primo occidit, primus mortem videt, qui vitam merebatur, non casu id factum sed diuino consilio. Oportuit, inquit Ioannes Eusebius, in tanta iustitia dedicari patientiam; Sanctorum character & eximium decus fidei solemniter declaratur in iusto. Oportuit errasse primo impetu mortem. Punitura peccatorem impingit in innocentem, vt iniustè humani generis possessionem accipiens, per innocentem pelleretur. In pœnam peccatori data est, & fuit meritum insonti. Sic Deus mala flectit in bona, & ex supplicio culpæ gloriam iustitiæ extorsit. Qui debuit mori, intulit mortem, auferendam vtique per non debentem mori. Cain moriturus occidit. Abel victurus occiditur. Infami errore MORS DELVDITVR. Ominosa sibi fuit, & infausto pede genus adit humanum.

Interfecit eum. Aliqui ex Philone legunt: *Interfecit se ipsum*. Vtrumque fecit Cain, & Abelem interfecit, & se, illum quo ad corpus, se quoad animam; sicque qui in alios sæuiunt aliis nocent, sæuiores in se ipsos sunt, quàm possint in alios esse.

Occidit Cain Abelem, frater fratrem, idq; fecit actus inuidia Cainum cum serpente ita confert 392
Claudius Marius Victor, vt nequitia serpentem dicat superasse.

Dire Cain primore nouum cade inficis orbem:
Pro qua perpetuas pœnas iam morte solutus
Aeternumq́, dabis, longè SERPENTE NEFANDO
Deterior, tua metitur si crimina: namque
Attulit ille necem nobis, non intulit, at nos
Cepimus allatam, tu verò hanc primitus infers.
Tantò illo peior, vitari publicus hostis
Quod potuit: tu priuatus nulla arte caueri
Iam poteras.

Occidit fratrem Cain hostis non fratris titulo dignus. Vtilia licet donet monita Abel, fratris contempsit verba, qui contempsit & Dei. Proditoriè, inquit Ioannes Eusebius, iugulauit fratrem forsitan salutaria monentem. Mens SVI MALE CONSCIA OFFENDITVR CORRECTA; & iniurias putat verba salutis. Sic quem prius innocentia fratris offendit, irritauit charitas iusti. Monita salutis vertit iniquus in fomenta perditionis.

In agro occiditur Abel, qui cum campis de fœcunditate certabat. Benè ille de illo imo ad illum: *Fœcundior fuisti laude quàm ager pomis; exaratum est corpus* VVLNERVM SVLCIS, VT EFFLORESCERET VIRTVS. *Primam pietatis segetem impie irrigauit cruor. Vix dum tellus cœperat è cœlo ebibere imbrem, cum cœlestis iuuenis ebibit sanguinem.* Quàm malè terram coluit Cain, qui terram Abelis sanguine fœdauit, non irrigauit.

Caini facinus reddidit grauius, quod illud perpetrauit post Dei monitionem: *Denique*, 393
inquit Sanctus Zeno serm. de Patientia, *nec mora est, impatienter fraterni* INVIDVS *muneris in fratris Cain anhelat exitium: & Deo spectante negotium parricida est; nec eius salutem coercentis voce comprimitur, sed eo magis, ac magis instat, donec effusione sanguinis conceptum piaculum duplicetur.*

Primus Abel Sanctus à fratre impio occiditur, vt statim intelligeremus, sanctos ita malos persequutores pati, vt sentiant eorum sanctitati propitios: *Ne miremur*, inquit Saluianus, *nunc sanctos homines quadam aspera pati, cum videamus quod iam tunc Deus etiam per maximum nefas* PRIMVM SANCTORVM *sinat occidi.*

Ab inuidia ad occisionem Cain iuit: *Nisi enim Cain*, inquit Lippomanus ex B. Gregorio Magno, *inuidisset fratris acceptam hostiam, minimè peruenisset ad extinguendam vitam. Vnde scriptum est, Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, ad Cain verò & ad munera eius non respexit, Iratusque est Cain vehementer, & concidit vultus eius. Liuor itaque sacrificij, fratricidij seminarium fuit. Nam quem meliorem se esse doluit, ne vtcunque esset amputauit.* Scilicet inuidiæ vitium stare nequit, nisi ad scelera grauiora inuidum vrgeat.

Abelem ante Adamum, qui peccauerat mori 394
Deus voluit, vt patris magister fieret, qui erat filius, vel solo cadaueris conspectu ad meliorem

rem mentem traducere Adamum Deus studuit: *Considera mihi*, inquit auctor ab aureo ore, *Dei prudentiam, non ipsum primum mori permisit, sed hoc eius filium pati, vt ante oculos tabescens filij corpus intuitus, & marcescens, magnam ex* HOC ASPECTV *philosophiæ disciplinam caperet*. Plus nimirum mortui Abelis conspectus Adamo profuit, quam à se formatæ mulieris primùm spectata pulchritudo.

Abel innocens occiditur, & à fratre, hinc non mirum, quod Ecclesia non ab Adamo, sed ab Abele inceperit, vt statim sciremus persecutores sustinere, Ecclesiæ fundamentum esse; aliam rei huius causam addit Thomas Anglicus dum ait: *Ecclesia* INCEPIT AB *A*BEL, *non ab Adam, quia Ecclesia semper fuit continua, & semper in ea fuerunt aliqui iusti, si verò ab Adam incæpisset, Ecclesia fuisset discontinuata, quia cum peccauerunt parentes primi nullus iustus fuit*.

In hoc non prorsus malus Cain, quòd fratrem sub patris oculis occidere non sit ausus, & in signum paternæ reuerentiæ, & ne patrem tanto afficeret dolore. Rem sic expendebat bonus ille auctor: Etsi Cain tam malus erat, noluit tamen fratri suo Abel in conspectu patris mortem inferre, NE ILLVM MOLESTIA AFFICERET. Sed dixit ei, egrediamur foras, cumque essent in agro interfecit eum. Igitur vel ab iniquo Caino habent filij, vt parentes suos reuereantur.

395 Vnum fratrem peremit Cain, & tam seuerè punitus est, quid hîc illi, qui exemplo malo multos perimunt, & venenata lingua occidunt innumeros? Benè Sanctus Ioannes Chrysostomus: *Cain quidem vnum fratrem sublatum præsenti vita expulit: hi autem innumerabiles*, PER EA QVÆ MALE DICVNT, *deijciunt, & seipsos primos; non enim eum solùm qui accusatur, sed alios etiam lædunt, imò verò magis eos, qui ea admittunt*. Hactenus ille in psal. 49.

Primus qui mortem obit fuit Abel, maximus Dei amicus, vt colligeremus ingentis doni loco habendam mortem esse, qua ad Deum imus. Pulchrè ille: *Condemnante Domino Adamum ad mortem innocens Abel soluit prius, vt significaret nobis* MORTEM *non esse repulsam, sed* MAXIMVM FAVOREM, *quando quidem primus in quo eam exercuit, maior amicus fuit, quem in terris tunc habebat*.

Sed cum Cain nullum mortuum adhuc vidisset quis eum docuit morte hominem afficere. An ille magister fuit, qui dicitur homicida ab initio. S. Athanasius quæst. 18. cum dixisset: *Nullo hominum adhuc dum mortuo, à quo nam Cain mortem didicit, vt suum interimeret fratrem? Respondit*, DIABOLVS *ipsum edocuit hoc, & summostrauit quo nam modo fratrem suum occideret*.

396 Occidit frater fratrem, inuidia sanguinis iura violat. Læditur ab homine, qui Deo placuit. *Totus orbis*, inquit scitus ille auctor, *mortalibus alioqui vacuus duos capere non potuit fratres, altero inuidente. Nulla grauior, quàm* INVIDIA PESTIS. *Ipsa rudem adhuc, & virginem mortem erudiuit, & quam primus hominum meruit primogenitus fecit*. Morte illa dignus, quam intulit.

Cainum refert prælatus, qui tanquam maior frater malo exemplo, aut torpore subditos perimit. Præiuit Pepinus, dum ait: *Cain est malus prælatus: Abel quilibet subditus, Cain ergo occidit fratrem suum Abel, quando malus* PRÆLATVS OCCIDIT MALO EXEMPLO *sine* PER NEGLIGENTIAM *doctrinæ salutaris subditum suum*. Ad hanc regulam si rem excutiamus, plures Cainos reperiemus, quàm quis prima fronte alioquin putasset.

Perpetrato scelere adeo pœnitentia non corripuit Cain, vt exultasse sit visus, quòd scilicet à nullo sit visus. Impietatem eius sic perstringit Sanctus Zeno serm. de patientia: *Miratur orbis vacuus se duobus angustum; mirantur elementa hominem, qui factus sit ad imaginem, & similitudinem Dei posse iugulari, & hoc à fratre. Erubescit rudis terra pio sanguine impiata*. SOLVS CAIN EXVLTAT INFELIX, QVOD TESTE CARET, PVTAT SE CARVISSE FACINORE, *quem Deus vidit, quem conscientia redarguit, quem fratris sanguis accusat*. O Vtinam multos non numeraremus Cainos, qui sibi peccasse non videntur, si ab hominibus non videantur.

Post fratris cædem tristatur Cain, *fortè mæret*,
inquit Sanctus Basilius Seleuciensis, *quòd* EMOR- 397
TVI IVGVLVM REPETERE *nequeat*; adeo à pœnitentia criminis alienus erat, vt repetere crimen vellet si posset, & occisum fratrem rursus occidere.

Sæuijt in fratrem Cain, cum in Deum non posset. Deum sic loquentem facit Chrysostomus hom. 19. in Genesim: *Fortè mea beneuolentia hanc illi cædem peperit, &* CVM NON POSSES MECVM PVGNARE, *in illum effudisti furorem tuum indomitum; eapropter talem tibi pœnam infero; vt audax illud facinus obliuioni tradi non possit, & quæ in te fiunt, omnibus posthac secuturis castigatio & admonitio sint*.

Quærunt interpretes quo die, qua diei hora
occisus à Cain Abel fuerit. Hoc ferè certum 398
certi nihil statui posse. *Verisimile tamen satis est*, inquit Pepinus hîc, *quod tale scelus perpetratum fuit* FERIA SEXTA: *&* HORA CIRCITER NONA: *vt sic veritas correspenderet figuræ. Satis enim constat, quod in morte Abel primo præfigurata fuit Christi passio. Cum ergo ipse Christus passus sit mortem feria sexta: & hora circiter nona, vt habetur Matt. 27. Consequens est dicere saltem probabiliter simili die & hora ipsum Abel fuisse occisum à fratre suo Cain*.

Bellorum initia in Caini facinore fuere posita, sed & martyriorum. S. Prosper apud Lippom. *Cain contumax, suiq; impatiens, insilijt super Abel in Campum, & occidit eum. Proh nefas, haccine sunt Cain germanitatis fœdera? haccine principia bonæ naturæ? haccine bonæ indolis spes est? vt ante te norit pater homicidam, quam filium? Sed his auribus, facinus suum Cain multis etiam vinculis connodauit. Effectus contemptor diuini mandati, superbiæ caput, auctor inuidiæ, princeps illatæ mortis, &*

primus

primus in hominibus parricida. Hic initia bellandi inſtituit, vt reus innoxium ſanguinem diffundat, liuoris plenus, gloriam impetit alienam. Nam præclara hinc FVLSERE MARTYRIA, *dum iuſti occiduntur ab impijs.*

Sectio VIII.

Cur *Cain* frattis occiſi corpus *occultauerit*. 399.

Auarus *Cain menſuras* & *pondera* & agrorum limites dicitur excogitaſſe.

Ante Caini *peccatoris* oculos peccatum ponere *Deus* ſtudet, vt fieret inexcuſabilis Cain.

Caino ſimiles, qui indignè *Euchariſtiam* accipiunt. 400.

Iudex & vindex *iuſtitiæ* cultor.

Iudices à *contumelsa* abſtineant.

Deus quàm pro *ſanctis* & ſeruis ſuis, ſit ſollicitus. 401.

Proximus minimè *lædendus*.

Iniurias ſeruis ſuis illatas non facilè *Deus* obliuiſcitur.

Cur ſe *neſcire* dixit *Cain*, quod ſciebat.

Cain nequitia expenditur. 402.

Occiſus *Abel* viuentis fratris *cuſtos* eſſe poterat.

Mortis memoria quàm vtilis.

Malum *ſuperioris exemplum* quàm cæteris noxium. 403.

Poſt *peccatum ſuperbire*, quàm grande piaculum.

Et ait Dominus ad Cain: Vbi eſt Abel frater tuus.

399 VBi *eſt Abel*. Putant aliqui Abelem à Caino interfectum, fuiſſe ab eodem occultatum, *ne fieret*, inquit ille, PALAM EIVS FACINVS. Neque enim religione, ac pietate actus ſtuduit mortuum ſepulturæ committere, quid pium hoc munus expectares ab eo, qui pietatem omnem eiurans occidit fratrem? *Cain*, inquit Suidas verbo Cain, *Abelis cadauer à ſe interfecti occuluit, facinus ita clam fore ratus; quia verò rapax, &* AVARVS *fuit, menſuras & pondera, & agrorum limites excogitauit.*

Abelis exemplum docet malos tolerandos eſſe: *Quiſquis malos non tolerat*, inquit Beatus Vmbertus, *ipſe ſibi per intolerantiam teſtis eſt, quia bonus non eſt.* ABEL *enim eſſe renuit: quem Cain malitia non exercet.*

Vbi eſt Abel frater tuus? Non quia ignoraret Deus, qui omnia ſcit vbi Abel eſſet, ſed vt Caino Caini peccatum objiceret, & ad pœnitentiam prouocaret. Ita Sanctus Auguſtinus: *Interrogat Deus Cain, quaſi neſcius, quaſi ignarus, & dicit, vbi eſt Abel frater tuus? quæ vox non eſt ignorantis,* SED PECCATVM ANTE OCVLOS SCELERATI PONENTIS, *vt inexcuſabilis ſit omnis homo, qui & admonitus* POENITERE *non vult in malo; vbi eſt Abel frater tuus? hoc fuit dicere ei: agnoſce Cain, non me potuiſſe latere id quod me putaſti poſſe latere; agnoſce quid feceris, de proximo age pœnitentiam, vt poſſis accipere indulgentiam*. Sic ille ſerm. de quarta feria cap. 3.

Vbi eſt Abel. Iſtuc idem illis dicatur, qui 400
Euchariſticæ menſæ, aſſident. Benè Vgo. *Vbi eſt Abel frater tuus. Hoc dicitur cuilibet* ACCIPIENTI EVCHARISTIAM, *quaſi vide, quomodo cuſtodis. Sed reſpondet Cain fratricida, neſcio, non eſt mihi tanti, vt velim eum cuſtodire.* Huc ſpectauit & Stephanus Cantuarienſis, dum ait: *Vbi eſt Abel frater tuus? Hoc ei non incongruè dicitur, qui* SVMPTO CHRISTI CORPORE, *redit continuò ad ſordes priſtinas, & ſeculi vanitates.*

Sed cur Caini iudex non conſtituitur pater, qui in eum inquireret, & delicti conuictum puniret? An quia pater, cuius in filium poterat eſſe ſuſpecta conditio? An ne Iudicis titulus ſtatim inficeretur, dum ille eligeretur, qui iuſtitiam violauerat? *nam qui* IVSTITIAM NON COLVIT, *ægrè alios*, vt ille ait, *in iuſtitia valet continere.*

Cain Deus interrogat, non audis tamen aliqua contumelia vſum, vt hinc iudices informarentur, & qui in aliorum crimina inquirunt. Benè Caietanus: *Inquirit*, inquit, *ad docendum Iudices hominum, vt citent reum, quantumcunque certum, antequàm* IVDICENT. *Nec aliqua vtitur contumelia ad inſtruendum etiam humanos Iudices, vt* ABSTINEANT A CONTVMELIIS.

Vbi eſt Abel. Qui ſupra ab Adam quære- 401
bat vbi eſſet, nunc à Caino ſiſcitatur vbi frater eſſet, ſed cur potius in illius ſcelus non inquirit? cur quod Deum tangit, diſſimulat, ſolicitus eſt de eo, quod ad hominem ſpectat? *Quod autem*, inquit Ferus, *ſuam iniuriam diſſimulet, & tantum inquirit de his quæ Cain in fratrem impie commiſerat, ſignum eſt* QVOD DEVS ADEO PRO SANCTIS SVIS SOLLICITVS EST, VT POTIVS DISSIMVLATVRVS SIT, QVÆ IN EVM COMMITTIMVS, QVAM QVOD IN PROXIMOS, *vt vel ſic abſterreamur à læſione fratrum, vnde & in Propheta dicit, qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei*. Tanti ſeruorum ſuorum iniuriam Deus facit, vt de lege diuina temerata nulla facta mentione, iniuriam Cain factam producat in medium. Benè & ille alius ad hanc mentem: Neque, inquit, exiſtimare debetis, DEVM INIVRIAS, QVÆ SVIS IN HAC VITA FIVNT OBLIVISCI, aut paruifacere, hoc enim non ita eſſe ſatis oſtendit verbis illis, quæ dixit ad Cain: Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra, vbi non agit Dominus de iniuria ſibi facta à Cain,

eo quod diuinæ suæ legis præcepto non paruisset: sed crudelitatem, qua fratrem suum occiderit commemorat, quasi plus iniuriam illi, quam sibi illatam sentiret.

Qui respondit: Nescio: Num custos fratris mei sum ego?

NEscire se dixit Cain vbi esset eius frater Abel; & cur negauit se scire quod sciebat? An quia putauit Dei interrogationem *ab* IVSTITIA, vt loquitur Ioannes Ierosolymitanus, *procedere*, Deumq; latere facinus, quod perpetrauerat?

402 *Nunquid custos fratris mei sum ego.* Dum fratrem nominat custodis in se titulum transfert, ne iura naturæ violet; sed ipse *odia renouat*, inquit Ioannes Eusebius, *non extinxit inuidiam fratre extincto. Numquid tristatur, quod iugulum* REPETERE *nequeat, & quidem custos fratris nequaquam fuit. Iugulator fuit, & quod peius, voluit esse postquam fuit.*

Nunquid custos fratris mei sum ego. Non fuit custos sui, qui non fuit fratris; adeo autem fratris custos non extitit vt fuerit occisor; Iurè sic Cainum perstringit Sanctus Chrysostomus hic: *Num custos fratris mei sum ego? tantum non seipsum iudicans; tametsi qua grandior ætate, etiam secundum naturæ leges custodem fraternæ salutis eum esse oportebat; hoc enim natura decreuit, & oportet eos qui ex eodem vtero nati sunt,* MVTVO ESSE CVSTODES; *quod si hoc nolebas, & noluisti custos esse fratris; quare ergo illius interfector es factus?*

Num custos fratris mei sum ego? Nec mortuo fratre, mortua Caini fuerat inuidia; *non cæde ipsa*, inquit Sanctus Basilius Seleuciensis, *consopiuit inuidentiam, odia etiam nunc renouat*, vel in cineres furorem exercet, adeo qui occidere fratrem potuit, non potuit odia occidere.

Adeo non est custos fratris Cain, vt sit hostis, & hostilia euomat verba etiam post fratrem occisum; non est custos Cain Abelis, sed OCCISVS ABEL POTERAT ESSE CVSTOS VIVENTIS CAIN, & iacentis cadauer ad meliorem mentem eum reuocare; conclamatus est impius, qui defuncti visu odij virus non euomit, odia non ponit, non ebibit meliorem mentem.

403 Explicari non potest, quantum superiorum exemplum subditis noceat, & quantas in horum animos vires exerceat illorum lapsus. Primi parentes ceciderant, & vt excusent suam culpam, nemo tamen negat, negauit Cain. *Attende*, inquit Sanctus Thomas, *quod isti suam culpam non negant sicut Cain, sed in alium referunt, vt alleuient, & excusent*. Nescit in malo sistere, qui superiores malos habet, cumulum illorum addit malitiæ, & peior fit dum malos spectat.

Num custos fratris mei sum ego? Quàm superba responsio, graue est peccare, sed post peccatum etiam superbire, videtur grauius, vt non defuerint, qui crediderint Cainum diuinam bonitatem acrius exasperasse superba hac responsione, quàm fratris cæde. Hinc illud Sancti Irenæi; *Interrogatus ait: Nunquid custos fratris mei sum ego? Extendens & multiplicans malum per responsionem. Etenim malum est occidere fratrem: multo peius sic audacter, & irreuerenter respondere omnia scienti Deo, quasi posset frustrari eum. Propter hoc &* IPSE MALEDICTIONEM PORTAVIT; *quoniam ad se peccatum attulit, non reueritus Deum, neque confusus in fratricidio.*

Sectio IX.

Dixitq; ad eum: Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.

SAnguinis effusi vocem ad Deum clamare audis, non animam innocentis Abelis; 404
quod expendens pius ille auctor, ait: *Notandum est, quod non dixit, anima fratris tui Abel clamat ad me, quia* IVSTI A DEO VLTIONEM NON PETVNT: *sed dixit, vox sanguinis*

sanguinis clamat ad me, idest ipsa crudelitas qua sanguinem fudisti clamat ad me. Et Sanctus Ambrosius lib. a. de Abel, & Cain cap. 9. ait: *Et bene ait, vox sanguinis fratris tui clamat;* NON FRATER CLAMAT; *hoc innocentia & gratia germanitatis etiam in ipsa morte seruat. Non accusat frater, nè videatur parricida; non accusat vox ipsius, non anima eius, sed vox sanguinis accusat, quem ipse fudisti; tuum te ergo facinus, non frater accusat*. Vocem sanguinis Abel contra Cain clamare Moses dixit, non Abel, non Abelis vocem, vt vel loquendi modo quantum à vindicta distaret innueret. *Obserua*, inquit Ferus, *quòd non dicit frater tuus clamat aduersum se, sancti enim* NON ACCVSANT, *sed* EXCVSANT PECCATA *aliorum. Non igitur Abel clamat, sed vox sanguinis eius, idest ipsum factum*. Addit nonnullis interiectis: *Si piorum sanguis clamat contra impios, multo magis ipsorum fides, & charitas clamat pro pijs*.

Clamat sangnis Abel contra eum, qui illum fuderat, quanto altius clamabunt animæ contra illos; qui perditionis illarum causa exstiterunt! Si sanguis Abel, rem probæ notæ auctor expendebat, sic ad Deum vociferabatur aduersus eum, qui illius corpus occidit, QVANTO MAGIS CLAMABIT INFOELIX ANIMA CONTRA ILLVM, A QVO FVIT OCCISA, & cuius causa gratiæ vitam perdidit? O quomodo conqueruntur, ò quomodo vociferantur, ò quomodo in perpetuum damnati IIS IN INFERNO MALEDICVNT, qui condemnationis suæ causa fuerunt?

Vox sanguinis Abel in Dei auribus altè clamabat, nimirum quia humanum auxilium deerat, adest diuinum. *An vox*, inquit hîc Lippomanus, *sanguinis ad Deum, est ipsamet solicitudo, prouidentiaque specialis, & assidua pro sanctis? cum enim humanum cessat auxilium, succurrit diuinum. Non habent necessarios patronos, qui Deo fidunt, non occiduntur, nisi Domino sciente ac permittente, minimeq; eis* DEEST, *cum maximè* ABESSE *videtur*.

Sanguis Abel contra Cain, qui fratrem occi-
405 dit clamat, altius clamabit sanguis animæ con-
tra illos, qui malo exemplo, improbis consilijs fratrum suorum animos occidunt? Rem sic vrget B. Thomas à Villanoua: *Mallem vtique fratres centum homines corporaliter peremisse, quàm vnam animam perpetuo incendio tradidisse? si ex solo damno culpa pensanda esset, & non ex arbitrio. Si enim sanguis Abel sic clamat ad Dominum in fratrem occisorem, quanto fortius clamabit sanguis animæ, perpetuo damnata in suum interfectorem?* Sic ille conc. in S. Michaelem. Arrigant hic aures, qui animas perditè viuentes perdunt.

Abelis sanguis de terra contra Cain clamabat. *Fallitur ergo*, inquit pius ille auctor, *qui peccat dum* LATERE *se putat, cum ea scelus prodant, quæ videntur obtegere*; omnia linguam habere videntur, dum de peccatoris accusatione agitur.

Vocem sanguinis Abel cum Deus audierit, cur non audiat Christus vocem sanguinis sui? Peritè Sanctus Bernardus, qui epist. 7. ita scribit: *Sanguis Christi est, frater Adam, sanguis Christi est, qui proprijs congregatis aduersus impios dispersores, quasi tuba exaltat vocem suam. Minatur autem se dispersores dispergere, qui pro dispersis colligendis effusus est. Et si eius vocem tu non audis, audit eam de cuius latere manauit. Quomodo namque* PROPRIVM NON AVDIT, *qui Abel sanguinem audiebat?*

Quod de Caini sanguine hic dicitur, ad eos quidam flectit, qui in pauperes secundum, vt
dici solet, effundunt sanguinem, non aliorum, 406
sed suum, eleemosynas scilicet exercentes. Dixit, hæc probi auctoris sunt verba, Deus Caino, vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Si sanguis Abel tam immaniter fusum ad Dominum ita clamabat, vindictam de interfectore deposcens, MVLTO MAGIS CLAMABIT MISERICORDIA ERGA PAVPERES EXERCITA, & in auribus Dei plus sonabit, si quidem pronior est ad misericordiam, quam ad iustitiam. Altè nimirum in Dei auribus pietas in pauperes clamat.

Quem mortuum putabat Cain viuere apud Deum probat, dum eius defensorem Deum audit, sicut è contra mortui apud Deum sunt, qui viuere apud homines creduntur. Non mediocre etiam dogma in hoc, inquit Ioannes Eusebius, quia Deus iustos suos AVDIT ETIAM MORTVOS, quoniam Deo viuunt. Et meritò pro viuentibus habentur, quia etiamsi corporis gustauerint mortem, vitam tamen incorpoream capiunt, & illuminantur suorum splendore meritorum, luce quoque fruuntur æterna. Iustorum ergo audit & sanguinem; auertit autem se à precibus impiorum, quoniam etiamsi videantur viuere, miseriores tamen sunt omnibus mortuis, carnem suam sicut tumulum circumferentes, cui infelicem infoderunt animam suam. Quid enim aliud est, quàm sepulta, quæ intra humum voluitur, & terrenæ auaritiæ cupiditatibus, cæterisq; vitijs includitur, vt gratiæ cœlestis auram spirare non possit. Præiuerat Sanctus Ambrosius cuius sunt subiecta verba: *Non mediocre etiam dogma quòd ait, vox sanguinis fratris tui clamat ad me; quia Deus iustos suos audit* ETIAM MORTVOS, *quoniam Deo viuunt. Et merito pro viuentibus habentur, quia etiamsi corporis gustauerint mortem, vitam tamen incorpoream capiunt, & illuminantur suorum splendore meritorum luce quoque fruuntur æterna. Iustorum ergo audit & sanguinem, auertit se autem à precibus impiorum quoniam etiamsi videantur viuere miseriores tamen sunt omnibus mortuis carnem suam sicut tumulum circunferentes, cui infelicem infoderunt animam suam*.

Vox sanguinis fratris tui. Sanguis clamat Abelis, non clamat Abel. Hoc innocentia, inquit idem Ioannes Eusebius, & gratia germanitatis etiam in ipsa morte seruat. Non accusat frater, ne videatur parricida. Non accusat vox ipsius, non anima eius, sed vox sanguinis accusat, quem ipse fudisti. Tuum te ergo facinus, non frater accusat. Est tamen etiam terra testis, quæ cepit sanguinem.

Et benè ait, Vox sanguinis fratris tui clamat de terra. Non dixit, de fratris corpore, sed de terra clamat. ET SI FRATER PARCIT, TERRA NON PARCIT. Si frater tacet, terra condemnat. Ipsa est in te & testis, & iudex. Testis acrior, quæ adhuc parricidij tui sanguine madet. Iudex asperior, quæ tanto scelere inquinata est, vt aperiret os suum, & reciperet sanguinem fratris tui de manu tua. Nimirum peccatores etiam inanima accusant. In eandem sententiam, & iisdem ferè verbis Sanctus Ambrosius hæc habet: *Benè ait, vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra; non dixit, de fratris. Clamat corpore, sed de terra clamat; & si frater parcit*, TERRA NON PARCIT; *si frater latet terra condemnat; ipsa est in te & testis & iudex. Testis acrior quæ adhuc parricidij tui sanguine madet, Iudex asperior, quæ tanto scelere coinquinata est, vt aperiret os suum, & exciperet sanguinem fratris tui de manu tua.*

Quod de Abelis sanguine contra Cain cla-
407 mante hic dicitur hoc ad diuitum impiorum mensas transtulit nobilis quidam auctor his verbis: Sicut mortuo Abel eius sanguis innocens clamabat contra fratricidam, diuinamque interpellabat iustitiam, quæ fratris sancti necem vindicauit, ita & DIVITVM MENSÆ, dum multorum pauperum constant sanguine; quod ad ea omnia transferas, in quibus luxus nitet, & pauperum negatæ mercedes latent.

Vox sanguinis. Cur in hebræo numerosè sit dictum, *vox sanguinum*, sic expendebat Honcala hic. *In hebræo*, inquit, *est Damin, idest, sanguinum pluraliter, vel quia multis ictibus ab illo Abel fuit confossus, perque plures* VVLNERVM APERTVRAS *cruor effluebat; ex quo maior fratris in fratrem arguitur sæuitia: cui non satis fuerat semel percussisse. Vnde & signanter scriptura truculentos homicidas viros sanguinum appellare solet, tanquam pessimos immanitatis Cain primi humani sanguinis effusoris imitatores; vel iuxta secretiorem intellectum, per sanguines aliquis accipiat, non solum Abel occisum, sed etiam posteros ab eo progignendos, multiplicandosque, si non ante diem suum ille interemptus fuisset, ac perinde eius nece interclusus, & gigni nasciq; prohibitos: hosq; sanguines arbitretur conclamasse ad Dominum.*

Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.

CVr Adamum puniens non ipsum, sed terram Deus maledictione percussit, cum verò de serpentis, aut etiam Caini scelere, scelerisque pœna ageretur, non terra maledicta est sed ipse? Nempe, vt bonus ille auctor notabat, quia Adamus peccauit victus precibus vxoris: vnde non tam dirè puniendus erat: at verò Diabolus, & Cain ex inuidia malum alijs moliti sunt: VNDE GRAVIORI POENA DIGNI FVERANT: quapropter seuerius cum his, mitius cum Adamo agit. Vt vel hinc discas, quanto supplicio dignus sit, qui fratri inuidet, & quàm grauiter apud Deum offendat; siquidem, cùm Adamus ita ceciderit turpiter, mitiorem tamen accipit sententiam, quàm Diabolus, & Cain, qui INVIDIA PVLSATI SVNT.

Maledictus eris. In hoc serpenti par, quod 408
ipse non terra maledicatur, non casu id factum, sed diuino consilio; *nam*, inquit Sanctus Ioannes Chrysostomus, QVIA FERME EADEM EGIT QVÆ SERPENS, *& quasi organum seruiuit diaboli sententia: & sicut ille fraude mortalitatem introduxit, sic & hic deceptum fratrem & in campum eductum, armata in illum manu occidit, & propterea sicut illi dixit, Maledictus tu inter omnes bestias terræ; sic & huic, qui eadem quæ ille operatus fuit; nam sicut diabolus, qui odio & inuidia mouetur, ferre non potuit tot ineffabilia beneficia, quæ in hominem ab initio collocata sunt*, INVIDIA AD DECEPTIONEM *extimulatus est, quæ mortem induceret: ita & hic Deum erga fratrem suam videns beneuolentia magna affici, ex inuidia ad homicidium prosilijt.*

Cum maledicens Cain hac formula vtitur: *maledictus eris*, & non potius ista, *maledictus es*? Pepinus nodum ita soluit ex Petro de Palude. *Vt per hoc*, inquit, *denotaret, quòd non inerat illi necessitas incurrendi comminatum malum si voluisset* VERE POENITERE. Nihil Deus non agit, vt ad pœnitentiam peccatores inuitet, malens quantum in illo est condonare peccata, quam peccatores damnare.

Maledictus eris. Prius terra maledicebatur, nunc maledictione percutitur Cain, vt sceleris eius magnitudinem hinc colligas. Benè Sanctus Chrysostomus: *Vides maledictionis diuersitatem dilecto? ne igitur inconsideranter hinc transeas, sed ex maledicti magnitudine, flagitij immanitatem expende; nam quantò maius sit peccatum hoc præuaricatione primigena hominis, ex maledictionis varietate scire volenti licet; illic enim, inquit: maledicta terra in operibus tuis: & in terram effusa est maledictio, ostensa sua in hominem cura hic verò* QVIA RES PERNICIOSA, *facinus iniquum, & inexpiabile flagitium, ipse pœnam luit.* Idem vrgebat Beatus Alcuinus, nam cum interrog. 87. quæsiuisset: *Vnde Cain maledicitur in peccato suo, cùm priùs terra in opere Adæ sit maledicta?* Statim respondit: *Quia Cain sciebat damnationem præuaricationis primæ, & non timuit originali peccato homicidij fratris superaddere scelus: ideò* MAIORE MALEDICTIONE DIGNVS HABEBATVR.

Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos.

NOn debuit fertilis ei esse terra, qui tam 409
fœcundus in criminibus erat, & verò etiam in pœnis infligendis mitias apparet Dei; vorari à terra merebatur, qui sanguinem fratris fuderat, quem terra suscepit. *Quem debuit*, inquit Ioannes Eusebius, *terra vorare, benignè punit, negat solum fructus iniuria grauissimè violata. Innocenter vlciscitur; non nocet: Contenta non prodesse. Noluit suis fructibus abuso fertilis esse.*

Germi-

Germinarat Dec primitiat, quas sibi vsurpauit Cain, nec instum erat concedere homini, qua homo negauie Dec. Oportuit quoque doceri inutilitate sui laboris INVTILIA VITIA *esse.*

Fructus suot. LXX. *ἰσχὺν φυτοῦ, vim suam.* Quia nimirum terra viiturem, & vim suam ostendit, dum fructus producit. Idem ad hominem transferas; quem fortem, & vi præditum ne dixeris, nisi virtutis producat actus, qui fructus sunt. Verè fortis est, qui fortitudinem suam bonorum operum editione probat.

Sectio X.

Maxima *inuidi* pœna inter felices viuere. 410.

Viribus corporis, qui malè vsus, grauiter punitus *Cain*.

Mali terram *incastant*.

Instabilitatis pœna cur punitus *Cain*. 411.

Impij corporis *incommoda* spectant *animæ* salute neglecta.

Desperationis malum quàm magnum. 412.

Peccatum stare nescit, nisi augeatur.

A cuius *terra* facie eiectum se dixerit *Cain*.

Mens per *exteriora* spargi non debet. 413.

Morbus hominis *cor* fluctuans, remedium *amor* Dei.

Impius quilibet *Cain* vitam viuit. 414.

Culpa inuenit *carnifices*, vbi non sunt.

Cain parentes incipit *timere*, qui hominem docuerat occidi.

Peccator timet non timenda, dum timenda non *timet*. 415.

Peccatoris amentia præsentem *mortem* verentis, non perpetuam.

Impius *Cain* animata *lex* videntibus factus.

Mortis timore, qui melior non fit videtur conclamatus. 416.

Cain punitus posteritatis *magister*.

410 V*Agus & profugus eris super terram.* Pœnam hæc subolere videantur, sunt in leuamen, nulla maior inuido infœlicitas contingere potest, quàm viuere inter fœlices. Caini parentes iam resipuerant, & meliorem post lapsum mentem induerant, ad pœnam illi fuisset, inter illos viuere, qui melius sapiebant. Certè hoc voluit Claudius Marius Victor, dum canit.

Nam profugum tantum atque extorrem ab vtroque parente.
Longius amandat, vastasque relegat in eras
Et iubet è patrijs confestim excedere terris,
Hac etiam longè misero feliciter in re
Gratificans, grauior nam multa est pœna videre.
INTER FELICES, & pura mente beates

Prospexit quoq; Dominus diuulso pessimo filio reliquis Adami posteris, ne vicino mali exemplo moribus corrumperentur boni.

Vagus & profugus eris super terram. LXX. legunt: *Gemens & tremens eris super terram.* Scilicet qui corporis viribus malè fuerat vsus in illis punitur, idque in aliorum exemplum. Peritè Sanctus Chrysostomus. *Quia*, inquit, *abusus es robore corporis & membrorum viribus propter hoc continuum* TREMOREM, *& motum tibi infero, vt non solum ipse habeas ingens admonitionem, & memoriam huius nefasti sceleris: sed vt omnes, qui te vident, viso te, quasi clara illis voce annunciaretur; discant ne talia audeant: & pœna tua alios doces omnes, ne vltra tali sanguine terram* INCASTENT. Rem ad illos etiam transferas, qui animæ viribus vtuntur malè.

Vagus & profugus eris super terram. Pœna respondet culpæ, palabundus errat, qui certum fratris locum se nescire mendax Deo dixerat. Opportunè rem expendit Honcala hic 411
dum ait: *Quartum Cain crimen fuit, quod quærenti Domino ab eo, atque dicenti, vbi est frater tuus superbe mendacie quærentem repulit: imprudentissimaque pertinacia respondit; Nescio: nunquid custos fratris mei sum? ob quod illa vagabonda* INSTABILITATE DAMNATVR, VT QVI CERTVM FRATRIS A SE SEPVLTI LOCVM NEGARIT, *eiusdemque se custodem abnuerit, sedibus incertis passim oberret, neque vspiam locorum præ formidine, scelerisque patrati conscientia consistat. Vagus, ait, & profugus eris in terra: quod vbique terrarum exagitatura essent illum vltrices curæ, & timor, & pauor, & plurima mortis imago.*

Vagus & profugus erat Cain, non tam timore correptus, quam auaritia. *Instabilitate*, inquit Ioannes Eusebius, *& exilio damnatur Cain. Vagus (inquit) & profugus erit super terram. Pinguiorem glebam quærebat, cum ipsi terra sterilibus damnata fructibus fuisset. Hinc inde ex nouitate soli sperabat, quod vltrix negabat area: inutili perterrebat labore falsurus diligentia sua diuina sententia veritatem. Nam qui Deum ignarum credens, negauit culpam: voluit, putans non verum, eludere pœnam.*

Vagum, & profugum se futurum causatur Cain, cur non potius dolet se fratris fudisse sanguinem, ac propterea à Dei gratia excidisse? hic impiorum mos est, qui suæ salutis cura neglecta, nihil respiciunt aliud, nisi quod corporis commodum respicit; *dolebat se profugum, quia non posset, vt ille ait,* TERRÆ CVLTVRÆ *incumbere, & ex terra fructibus non ita facile ditari.*

Dixitq́; Cain ad Dominum: Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear.

411 MAior est iniquitas mea. Maiorem quàm aliàs esset, illam fecit, cum hæc desperationis effudit verba. Sapienter Idiota: *Multum Domine peccauit Cain, quando interfecit Abel.* SED MAGIS PECCAVIT, *quum ait: Maior est iniquitas mea quam misericordia tua, quum defectus à bono, qui est iniquitas, summo bono comparari non possit, qua est misericordia tua Deus*. Sic ille de conflictu carnis, & animæ lib. 3.

Scilicet peccatum stare nequit, & multiplicatur, & augetur, nisi statim auferatur. Scitè Vgo Victorinus annot. in Genes. *Maior est iniquitas: Ecce semper* AVGMENTATVR PECCATVM: *primum fecit fratricidium, deinde mendacio volens latere factum, negauit; modo conuictus de crimine, desperat*.

Ecce eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar.

A Qua terra? *Illam intellige*, inquit ille, *quam parentes inhabitabant, & suæ natiuitatis, & cuius Deus* SPECIALEM CVRAM GERERE *videbatur, sæpè illis apparens, & loquens*. Tanti fieri debet terra illa, in qua quis natus, & quod plus est, in qua suæ præsentiæ signa aliqua Deus dederit.

A facie tua abscondar. A facie nimirum Dei
413 absconditur, qui per exteriora diffluit, & totus in terrenorum amore est. Benè Vgo Victorinus hom. 6. in Ecclesiastem: *Vnum*, inquit, *bonum Cain, cum scelus suum detectum cerneret, & maiori scelere reprobus, de venia sceleris desperaret: legitur dixisse ad Dominum. Ecce eijcis me hodie à facie terræ: & à facie tua abscondar: & ero vagus & profugus super terram. Reproba etenim mens erecta à facie Domini absconditur, dum* SE PER EXTERIORA SPARGENS, *tanto magis ab interni luminis aspectu tegitur: quanto magis in ijs, quæ foris sunt, cogitandis semper occupata tenetur*.

Ero vagus, & profugus in terra.

ERo vagus, & profugus. LXX. *Ero gemens, & tremens*. Sanctus Athanasius quæst. 95. *Talis per execrationem Dei factus fuerat Cain, vt terror, & membrorum quassatio non admitteret, vt vel cibum sibi in os ingerere posset*.

Vagus & profugus. Vt peccator quilibet in hoc Cainum referat aptè explicat Vgo Victorinus dum ait: *Vagus, & profugus in terra homo propter peccatum suum à facie Domini proiectus ab intima contemplationis illius luce foras venit, eo quod profundius ad terrena desideria mentem inclinat, quo magis supernorum dulcedinem, quorum iam gustum perdidit, incipit obliuisci, sicque fit vagus & profugus super terram. Vagus scilicet per inordinatam concupiscentiam, profugus per peccatricem conscientiam, cuius etiam voce illud aptè subiungitur: quisquis inuenerit me, occidet; quia mentem diuino desertam auxilio, quæcunque tentatio impetierit, subuertet. Cor autem hominis, quod prius amori diuino affixum stabile persistit, & vnum amando vnum permansit, postquam per desideria terrena diffluere cœpit, quasi in tot diuisum est, quot sunt ea, quæ concupiscit. Ecce* MORBVS HOMINIS COR SCILICET INQVIETVM, ET FLVCTVANS. *Causa morbi, amor mundi: remedium morbi* AMOR DEI.

Caini vitam etiam ille viuit, qui Caini vitam imitatur. Audiri hîc debet Sanctus Chry- 414
sostomus conc. 1. de Lazaro, vbi ait: *In lecto, & in mensa, & in foro, & in domo, & interdiu & noctu, & in ipsis frequenter somnijs hæc iniquitatis simulachra videt, ipsiusque* CAIN VITAM VIVIT, *gemens ac tremens super terram, quum nemo sciat, intus tamen habet ignem semper implicitum*.

Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me.

OMnis qui inuenerit me, occidet me. Culpa ibi quoque reperit carnifices, vbi non sunt. Perpetuam, inquit hîc Ioannes Eusebius, contempsit mortem; præsentem dumtaxat timuit; animæ exitium non curauit, qui corporis formidabat interitum. Sed à quo timebat occidi, qui solos parentes, & cognatos habebat? Docuit mala conscientia timores. Et qui non timuit culpam, formidat pœnas. Mens sui MALE CONSCIA INGENIOSE EXCOGITAT PERICVLA, & timet vndecumque puniri, aut debuit, aut potuit. Et quia potest in omnibus, omnia timet. Deinde qui docuit parricidium, potuit parentes parricidas timere. Didicerunt posteri de parente peccare. Potuerunt & parentes discere de filio. Reciproca malitiæ disciplina est.

Etiam parentes timere incipit, qui docuerat hominem occidi. Sistenda hîc, quæ habet Sanctus Ambrosius lib. 2. de Abel, & Cain cap. 9. *Sed à quo timebat occidi, qui solos parentes habebat in terris? potuit quidem & incursus bestiarum timere, qui legis diuinæ iura violauerat, nec præsumere de subiectis animalibus cæteris,* QVI HOMINEM DOCVERAT OCCIDI; *potuit & parentes timere, qui docuerat parricidium posse committi*.

Quam pauidus est Cain! Nimirum, *qui*, vt 415
ille ait, *timenda* NON TIMVIT, *timuit non timenda*. Sic ferè peccantibus accidit, quibus timendum est, quia ibi timent vbi non est timendum, vbi esset, non timent.

Mirum temporalem mortem cogitat Cain, non æternam, timet eam quæ ab hominibus, non quæ à Deo. Sic illum perstringit Sanctus Ambrosius lib. 2. de Abel cap. 9. dum ait: *Merito ergo se abscondit malè conscius, & ait, omnis qui inuenerit me occidet me; angusta mentis homo* PRÆSENTEM MORTEM VERETVR, PERPETVAM NEGLIGIT, *& diuinum iudicium non reformidat: interitum solum corporis deprecatur*.

Et

Et cur à Deo seruatur vita Cain, mille mortibus dignus. Sanctus Basilius Seleuciensis, sic loquentem Caino Deum facit: *Tremens obambula*, ANIMATA LEX *videntibus occurrens*; vt à superstite Caino lex in parricidas notaretur.

416 *Occidet me*. Mirum, quòd mortis timore concussus melior non euaserit Cain. Hæc malorum nota, vt inde peiores fiant, vnde alij fiunt meliores. EX MORTIS MEMORIA, ac cogitatione, qui non proficit, vix emendationem aliunde pollicetur. Seruilis timor virtutem illam obtundit, quam alioquin in nostris mentibus exercere mors solet.

Ex his Caini verbis colligitur quoque quàm pauidum peccatoris euadat cor; rem sic nobilis quidam auctor expendebat. Ait Deo Cain: Ecce eijcis me hodie à facie terræ. Omnis igitur qui inuenerit me, occidet me. Quis te ò miser occisurus est? si quidem nemo præter te, & parentem tuum erat in mundo? Pater autem tuus non te necabit. In hoc vtique detegitur, QVAM TIMIDVM, ATQVE PVSILLANIME REMANET COR PECCATORIS, si quidem cum non esset, qui hunc interficeret, dicebat, omnes me occident.

Dixitq; ei Dominus, nequaquam ita fiet.

NOn statim perimi Cainum Deus voluit, quia vt eius pœna produceretur, qua vt cæteris præberet exemplum, vt nullus Cainum imitaretur, qui Caini timeret pœnam. Scitè Sanctus Chrysostomus hîc: *Dixit illi Dominus Deus non sic; ne putes, inquit, hæc ita fieri; neque enim licet, vt te, quisquis volet, interficiat; extendam enim vitam tuam, maiorq; inde tibi dolor erit, & relinquam te* POSTERITATI MAGISTRVM, *vt tui spectaculum illis sit admonitio, & castigatio, nullusq; exemplum tuum sequatur.*

Sectio XI.

Afflicto *afflictio* non addenda. 417.
In *Caino* notari *Iudei*.
Christi vulnera in signum, quod pro seruis occisus fuerit.
Malorum *punitio* aliorum *correctio*. 418.
Deus à nobis non *recedit* nisi prius nos recedamus ab illo.
Cur ad *patrem* non confugerit *Cain*.
Locus vbi habitauit *Cain* expenditur. 419.
Tormentum *inuidorum* conspecta *felicitas*.
Vxor à *desperatione* auocare *virum* debet.
In *sermone aurium sanctitati* consulendum. 420.
Supprimenda, quæ ad diuinorum *præceptorum* violationem incendere alios possunt.
Peccatorum mos interiorem *mentis* curam negligere, totos se in *externorum* cultu occupare.
Ciuitatem cur ædificauerit *Cain*. 421.
Ab æternæ *patriæ* soliditate alienus fundamentum in *terra* ponit.
Cauendum nè Dei *timor* ab vrbibus exulet.
Operariorum *merces* calci velut sanguis minimè misceatur. 422.
Qui res *politicas* tractant caueant nè *Cainum* referant.
Saxis se muniuit *Cain*, qui munire se debebat *innocentia*.
Sancti in cœlo *fabricant* non in terris. 423.
Cur à *nomine* filij non à suo conditam *ciuitatem* non vocauerit *Cain*.
Impiorum nomen infame.
Homicidium prima condendarum *vrbium* causa.

Posuitque Dominus Cain signum, vt non interficeret eum omnis, qui inuenisset eum.

POsuit Cain signum. Nempè, vt aliqui arbitrantur tremorem capitis; *vt sciretur*, 417
inquit Sanctus Thomas, *à Domino punitus & iudicatus: & ita non occideretur ab aliquo: inhumanum enim est* AFFLICTO AFFLICTIONEM *addere*.

In signo Cain signatos esse Iudæos, sic explicabat Sanctus Isidorus Hispalensis in Genesim cap. 6. *Posuit Dominus in Cain signum, vt non eum interficeret omnis, qui inuenisset eum: hoc reuera mirabile est quemadmodum omnes gentes quæ à romanis subiugatæ sunt, in ritum romanorum sacrorum transierint, eorumque sacrilegia obseruanda, & celebranda susceperint: gens autem Iudæa siue sub paganis regibus, siue sub Christianis, non amisit signum legis & Circuncisionis suæ, quo à cæteris gentibus populisq; distinguitur; sed & omnis imperator vel rex, qui eos in regno suo inuenit, cum ipso signo eos inuenit, nec occidit; id est non efficit, vt non sint* IVDÆI *certò ac proprio obseruationis signo à cæterarum gentium communione discreti, nisi quicunque eorum ad Christum transierit: vt iam non inueniatur Cain, nec exeat à facie Dei, ne habitet in terra Naid.*

Posuit Dominus Cain signum. Cui rei? An vt notus omnibus esset, & ex signo proderetur, eum fratrem suum peremisse? *In faciem Cain*, inquit Liranus, *signum impressit, quo cognoscebatur ab omnibus fratrem suum innocentem occidisse, & sic* ABOMINABILIS *omnibus reddebatur.* Aliter in Christo actum; in eo signa Deus pater posuit, relicta sunt in eius corpore vulnerum vestigia, quo proderetur non quod

fratrem

fratrem occiderit, sed fuerit pro SERVIS OCCISVS, sicque feruentius amaretur, adoraretur deuotius.

Vt non interficeret eum. Scilicet vt diutius
418 puniretur, dum longius vitam protraheret;
nisi quod in aliorum quoque vtilitatem id factum, dum enim quempiam Deus punit, ceteros erudit. *Hoc factum est*, inquit Liranus, *non solum ad Cain diuturnam punitionem, sed etiam propter* ALIORVM CORRECTIONEM, vt à punito discerent omnes, ea non perpetrare, ob quæ ipsi quoque punirentur.

Egressusq; Cain à facie Domini habitauit profugus in terra ad orientalem plagam Edem.

EGressusq; Cain à facie Domini, Signatè *egressum* dixit non *eiectum*, vt statim disceremus à nobis non recedere Deum, nisi nos primi abeamus ab eo. Peritè Ioannes Eusebius: *Non eiectus Cain dicitur, sed egressus à facie Domini. Nos Deum fugimus, nos Deum relinquimus.* NEC IPSE A NOBIS RECEDIT, NISI PRIVS AB EO RECEDAMVS. *Seipsum à Diuina facie, & propitio misericordiæ vultu Cain per desperationem eiecit.*

Habitauit profugus in terra ad orientalem plagam Edem. Sed cur non se statim patri obiecit? *Immediatè, vt peccauit*, ait Abulensis, VERECVNDATVS FVIT CORAM PATRE *suo Adam comparere, ideo fugit ad longinquas terras contra Orientem versus Paradisum, non quod ipse tentaret, vt habitaret contra Paradisum, quia Paradisi viam nesciebat, cum illuc nunquam iuisset, nec Paradisum vidisset, sed quia fugere intendebat de loco commorationis patris sui, scilicet de terra, vbi nunc est Iudæa contingit eum fugientem petere partes Orientis.*

Ad orientalem plagam Edem. Sanctus Chry-
419 sostomus legit: *E regione Edem*. Et vtile ex habitatione huius loci monitum elicit, dum ait: *Habitauit in terra Naid, è regione Edem. Narrat nobis diuina Scriptura* LOCVM, *in quo postea habitauit, & docet commodo & hic non procul à Paradiso versatus sit, vt è regione illius existens, continuò memor esset, tum eorum quæ patri suo ob præuaricationem contigerunt, tum magnitudinis eorum quæ ipse perpetrauerat, propter quæ tanta sibi neque patris correptione emendato, pœna irrigata est.*

Ad Orientalem plagam Edem. Digna inuidi pœna, vt ibi degeret, vbi acrius torqueretur. *Iuxta Edem*, inquit Ioannes Eusebius, *habitatio erat, vt vicina Paradisus suæ pœnæ memoriam paternæ adijceret, & damna peccati ostenderet, propter quod parentes exulabant Paradiso, ipse parentibus, à quibus profugus, & patria extorris palabatur, & se fugiens, nunquam se deseruit. Debuit torqueri miser habitator viciniæ felicissimi loci:* TORMENTVM INVIDORVM EST CONSPECTA FELICITAS, *vt dirè non nemo illis optauerit. Vtinam inuidi oculos haberent in omnibus ciuitatibus, vt de omnium felicitatibus torquerentur. Nam quanta felicium sunt gaudia, tanti inuidorum sunt gemitus.*

Cognouit autem Cain vxorem suam.

DIuinæ est prouidentiæ, quod bonæ malis oubant viris, vt discant ipsi resipiscere, & nubere probitati. Deus fecit, vt vxorem Cain duceret, quo sic à scelere abduceretur, & ad salutem mulier exemplo, & verbis esset spontè in scelera ruenti, & in culpa hærenti; Datur Vxor Caino, ne solus desperaret; vt ab vxoris munere vxor abeat, si in desperationem virum impellat, Claudius Marius Victor rem sic versat:

Vtq; sit exilium leuius comes additur vxor
Fida reo forsan, ne DESPERATIO *solum*
Arriperet, tum etiamque duras pectori ægro
Molliret curas, & moto corpore fractum
Sisteret amplexu: nullique obnoxia culpæ
Et Dominum votis, & pura mente colendo,
Eliceret quicquid posset satis esse duobus.

Cognouit autem Cain vxorem suam. Haud du- 420
biè quam in vxorem duxit Cain, Caini soror erat, sed cur id scriptura non expressit? An quia id necessario subintelligebatur? An vt & audientium auribus consuleret. Honcala ex Beato Hieronymo: *In primis hominibus fratres sororibus iungebantur; sed propter* AVRIVM SANCTITATEM *id ipsum scriptura non nominat, mallens intelligi, quàm proferri.* Vt hinc vniuersè discamus in sermonibus serendis aurium puritati consulendum.

Vxorem suam. Quæ absque dubio erat etiam eius soror; sed cur hoc Moses non expressit; sicut nec filiarum meminit, quæ à primis ortæ fuerint parentibus? Sanctus Thomas: *Nota*, inquit, *quod quamuis scriptura non exprimat generationem filiarum à parentibus primis, tamen eam subinnuit. Nam alias non potuit Cain habere vxorem, nisi duceret suam sororem. Tamen hoc scriptura tacuit quasi fuerit istud in principio ex necessitate, quia hoc erat, & est contra legem, & instinctu naturæ: vnde postmodum in lege prohibetur, ideo voluit hoc scriptura tacere, ne esset* INCENTIVVM AD AGENDVM CONTRA ILLVD PRÆCEPTVM. Nimirum supprimenda, quæ ad diuinorum præceptorum violationem incendere, & vrgere alios possunt.

Et ædificauit Ciuitatem, vocauitq; nomen eius ex nomine filij sui Enoch.

ÆDificauit Ciuitatem. Qui spiritalem animæ ædificium peccando destruxerat, ciuitatem ædificat. HIC PECCATORVM EST MOS INTERIOREM MENTIS CVRAM NEGLIGERE, TOTOSQVE SE IN EXTERNORVM CVLTV OCCVPARE. Erexit muros, bonos euertit mores; qui fratrem eiecerat, erigit vrbem, factus vitiorum omnium metropolis.

Aedificauit Ciuitatem. Primus in terra Ci- 421
uitatem construxisse describitur ab æternæ patriæ amore alienus. *Præsidium*, inquit Ioannes Eusebius, *sibi comparauit, vt* TVERETVR SE, *qui post relictam agriculturam latrocinatus timuit ob noua crimina.*

Ædi-

Ædificauit Ciuitatem Cain; ſic ſæpè accidit, vt toti in rebus terrenis ſint, qui à Cœlo excludendi. In terra, qui fundamentum ponit ab æternæ patriæ ſoliditate alienus facile erit. Ita loquitur Sanctus Gregorius lib, 16. Moral. cap. 5. *Primus in terra Cain Ciuitatem conſtruxiſſe deſcribitur, qui videlicet peregrinus apertè monſtratur: quia ipſe in* TERRA FVNDAMENTVM POSVIT, QVI A SOLIDITATE ÆTERNÆ PATRIÆ ALIENVS FVIT.

Ædificauit Cain Ciuitatem idque cum filijs ſuis, nam timore adhuc correptus, vt ſe tueretur vrbem ſtruxit, quin ſex alias condidiſſe auctor eſt Philo. Timor fecit, vt vrbes conderentur, cauendum ne DEI TIMOR EXVLET AB VRBIBVS.

422 Primus Cain ædificaſſe in terris dicitur, qui prior alieni ſanguinis effuſor fuit; frequenter hæc duo cohærent, vt qui ædificandi eſt inutiliter ſtudioſus, alienos ſudores, operariorumque mercedem *calci*, vt ille ait, *veluti ſanguinem miſceat.* O altè iſtuc mentem inſcribant, qui tàm facilè erigunt ædificia, tàm difficiles ſoluunt, quod ijs debent, qui operam ſuam fabricis ſtruendis locarunt.

Aedificauit Ciuitatem. Non ſtatim poſt natum Henoch Ciuitatem Cain ædificauit, ſed poſt aliqua annorum centena, vt notauit Sanctus Auguſtinus; ſicque primus Cain Reipublicæ politiæ ſtuduit, vt QVI POLITICAS RES TRACTANT CAVEANT, NE AD CAINI PARTES SPECTANT; quod erit ſi Deo neglecto ob oculos tantum ea habeant, quæ publicum commodum tangant.

Mortem, quam vni Cain intulerat ab omnibus metuebat adeò, vt ob metum primus vrbem ad munimem condiderit. Benè eum bonus auctor pungit: *Primus extruxit vrbes ob metum, vt ſe manibus ſapiret ac tegeret. Scilicet condidit vrbes minimè omnium vrbanus*, SAXIS SE MVNIVIT, QVI DVRITIE VICERAT SAXA. Melius ſibi conſuluiſſet, ſi ſe pœnitentiæ actibus innocentia muniuiſſet.

423 Prima Ciuitas à malis conſtructa perhibetur, nam bonorum eſt in Cœlo fabricare non in terris. Pulchrè Sanctus Iſidorus Hiſpalenſis in Geneſim cap. 6. vbi ait: *Cognouit Cain vxorem ſuam, & concepit, & peperit Enoch, & ædificauit Ciuitatem; quid ergo ſibi per figuram vult, quod impiorum progenies Ciuitatem in ipſa mundi origine conſtruxit: niſi quod mouerit impios in hac vita eſſe fundatos*, SANCTOS VERO HOSPITES ESSE ET PEREGRINOS? *vnde & Abel tanquam peregrinus in terris, id eſt populus Chriſtianus non condidit Ciuitatem, ſuperna enim eſt ſanctorum Ciuitas, quamuis hic pariat ciues, in quibus peregrinatur, donec regni eius tempus adueniat.*

Malorum conſignatio eſt cœleſtium obliuiſci, & hærere terrenis; Ciuitatem terrenam Cain condidit eique primi Filij Enoch nomen impoſuit: qui patriæ cœleſtis debebat inhiare, totà illi de terrenis cura eſt. *Iniuſti*, inquit Sanctus Gregorius lib. 8. Moral. cap. 32. *quantò longius ab æterna patria hæreditate diuiſi ſunt, tanto in terra altius fundamenta cogitationis figunt; hinc eſt quod ab ipſo humanæ conditionis exordio, in electa prole Enoch ſeptimus naſcitur; hinc eſt, quod Cain primum filium ſuum Enoch vocat, atque ex eius nomine Ciuitatem, quam condidit appellat. Enoch quippe dedicans dicitur. Iniqui ergo ſe in primordijs dedicant, quia in hac vita, quæ ante eſt, cordis radicem plantant, vt hic ad votum floreant, & à ſequenti patria funditus areſcant.*

Cur à nomine filij conditam à ſe ciuitatem Cain vocauit potius quàm à ſuo? *Poteſt eſſe ratio*, inquit Sanctus Thomas, *quia ex* MALEDICTIONE DEI, *&* INFAMIA *facti ſui, ſcilicet homicidij, erat mundo odioſus, ne ex infamia eius redderetur Ciuitas odioſa, & in poſterum eius filij ex memoria facti eſſent opprobrioſi. Item alia ratio poteſt eſſe, quia parentes ſunt magis ſoliciti de filijs quam de ſeipſis, ideò ciuitatem à filio denominauit & eam ſibi deputauit, non enim filij parentibus debent theſaurizare, ſed parentes filijs*, Pepinus quoque nodum ita ſoluit, quærens cur nomen ſuum ciuitati à ſe ſtructæ non impoſuerit. *Ad hoc*, inquit, *reſpondet Petrus de Palude, quod propter duo, primum quia ipſe erat odioſus ab omni populo propter maledictionem diuinam: & rapinas quas exercebat: tum vt oſtenderet illam eſſe pro ſe & pro tota ſua poſteritate.* Addit Ioannes Euſebius: *Non eſt auſus* INFAME SVVM IMPONERE NOMEN, *vrbem appellatione filij inſigniuit.*

Primus Cain Vrbem condidit; nimirum pœna parricidalis flagitij facta eſt populatæ vrbis occaſio. *Notandum*, inquit Rupertus, *quod prima terrenarum Ciuitatum cauſa* HOMICIDIVM *fuit.* Quid ab vrbibus ſperes boni, quarum primam ſcelus, vt ita loquar, dedicauit.

Sectio XII.

Charitas non minuenda non ſecanda. 424.

Pater paſtorum cur *Iabel* dictus, non Abel.

Artifices in ſuis operibus *inſtabilitatis* quandam imaginem vt habeant.

Cum *tribulationum* ictus ſentimus muſicum *orationis* concentum debemus edere. 425.

Per ictus & *percuſſiones* ad *reſurrectionem* eundum.

Perſtricti qui *muſicis* inſtrumentis vtuntur *vitiorum*, vt Idola colant.

Quàm ſit *crudelis* animus, cum ingenio ad *mulieres* currente. 426.

Cain tartarum fundat, qui primus inter homines, humanum ſanguinem fudit.

Ferarum ſimilis, qui *peccauit.*

Malis vbique malè eſt. 427.

Con-

Coniugalis concordia exemplum.
Iusti incipiunt *aestimari* cùm obiere.
Ad publicum *Dei cultum* homines vocare, quàm Deo gratum. 428.
Religiosae, & *monasticae* vitae vmbra quanti à Deo fiat.
Non diù ferè viuunt *veritatis* cultores.
Concionandi munus quam eximium. 429.
Vnius *impij malitia* quantum caeteris noceat.
Ab homine abit, qui Dei *cultum negligit*.
Hominis maximè est *oratio*.

Genuitque Ada Iabel, qui fuit pater habitantium in tentorijs, atque pastorum.

424 GEnuitq; *Ada Iabel*. Mirum quòd partus mulieri potius tribuatur, quàm viro. Honcala hîc: *Non dubium, inquit, quin Ada è Lamech genuerit illum: sed filius matris adscribitur, quae vno fuit contenta marito, non viro qui introducta digamia prolem ab vnitate diremit vterina, ac subinde germanam integramque* CHARITATEM IN DVAS PARTES DISSECTAM *vtrinque diminuit*.

Iure hîc aliquis obijciat, hunc titulum non meruisse Iabel, vt pastorum pater diceretur; cum illum sibi Abel omnium primus praeripuerit. Honcala sic nodum soluit: *Quomodo Iabel traditur pastorum pater, cum multò ante illum fuerit pastor Abel? sed aduerte, quod Iabel non dicitur primus pastor, sed pastorum pater: quia primus fuit ille oues curandi magister, artemq; de re pastoricia diligenter inuentam exactè posteris tradidit.*

Qui fuit pater. Benè est, quod primus artium magister ille fuisse perhibetur, qui docuit tentoria struere, domosque portatiles fabricare, vt in ipso opificio haberent artifices quandam INSTABILITATIS IMAGINEM, scirentque aliò illis migrandum.

Et nomen fratris eius Iubal; ipse fuit pater canentium cithara, & organo.

425 TRadunt hebraei, quod dum Tubalcain in procudendo, & excudendo metallo sonaret malleo, Iubal musicas consonantias citharae, & organi meditaretur. Hoc praestare quisque nostrum potest; scilicet cum tribulationum, & aduersitatum audimus, atque etiam sentimus ICTVS, MVSICVM ORATIONIS CONCENTVM DEBEMVS EXCOGITARE, & ad harmonicos probae vitae sonos nos componere. Aliter rem nobilis auctor versat, & ad Christum, Christique resurrectionem transfert, dum ait: „Narrat Sacra Genes. 4. duos fuisse fratres ex eodem patre natos, sed non ex eadem matre; quorum prior Iubal fuit, ipse pater canentium cithara & organo. Alter erat Tubalcain, qui fuit malleator, & faber in cuncta opera aeris & ferri. Tradunt Hebraei, quod Iubal inuenit citharae, & organi consonantiam, per attentionem ad ictus malleorum, quibus Tubalcain, in aes & ferrum percutiebat. Inuenit etiam Iubal, diuinus saluator noster, consonantiam ac melodiam resurrectionis suae per attentionem ad ictus malleorum, quibus cruci affigebatur. Hinc fit, quod cum vocatur à Deo in resurrectionem, citharae nomine doceretur. Exurge psalterium & cithara, exsurgam diluculo. QVISQVE ERGO RESVRGERE CVM CHRISTO VELIT PER ICTVS, ET PER PERCVSSIONEM VENIRE DEBET AD RESVRRECTIONEM: malleus praecedat, vt cithara subsequatur. Consonat in Christo malleus, & cithara. Nonne haec oportuit pati Christum & ita intrare in gloriam suam.

Pater canentium cithara. Sed cui rei Iubal instrumenta musica primus inuenit? *De Iubal dicunt*, inquit Liranus, *quòd canebat instrumentis musicis coram* IDOLIS, *ea venerando*. Quàm absonus horum instrumentorum sonus, cum potius Dei veri cultui esset sacrandus? Quot Iubal imitatores musicis vtuntur organis, vt vitiorum idola colant, aut sacros se amasiae ostendant, quam velut numen venerantur?

Dixit Lamech Vxoribus suis Ada, & Sella. Audite vocem meam vxores Lamech.

VNi viro vnam dedit vxorem Deus, duas sumpsit Lamech, cum quibus de homicidio suo loquitur, sed quid referebat referre duas illum duxisse vxores? Quaestionem mouit soluitque peritus ille auctor, cuius hîc verba implanto: *Et cur Lamech, cum omnibus vxoribus suis agit de homicidio à se perpetrato, quod vt memorat, non vnam vxorem, sed plures à se habitas ostendit? Crediderim inde voluisse Dominum monstrare*, QVAM IVNCTVS SIT HOMICIDA, ET CRVDELIS ANIMVS CVM INGENIO AD MVLIERES CVRRENTE; adeo vt aliquando sit saeuior, qui cum sexu molliore versans mollior fit. 426

Occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum.

DE Caino hoc probae notae interpretes accipiunt. Occisus est, qui fratrem occidit. Scilicet *primus inter homines*, vt ille ait, TARTAREVM FVNDAVIT, *qui prius humanum sanguinem fudit*.

Occisum à Lamecho Cain plerique tradunt quod feram eum crederet, *facilè*, vt nuperus auctor ait, *errore, cum* FERARVM SIMILEM *feram putauit*. Qui ferinos efferebat mores, pro fera potuit occidi.

Occisus est Cain, nec tuere se potuit, licet Ciuitatem, in sui securitatem condiderit, 427
malis vbique, malè est, & tunc maximè periclitantur, cum Deum non placantes, varijs se artibus contra discrimina muniunt.

Cogno-

Cognouit quoq; adhuc Adam vxorem ſuam, & peperit filium, vocauitque nomen eius Seth; dicens: Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain.

V*Ocauitq; nomen eius Seth*. Indiderat hoc nomen filio, quem poſt Abel genuerat Eua, quod Adam confirmauit, in qua re coniugalis concordiæ exemplum habes. *Docet*, inquit Oleaſter, *locus iſte* QVANTA CONCORDIA INTER VIRVM, ET VXOREM ESSE DEBEAT. *Nam nomen quod vxor impoſuerat: cur confirmauit. Sic cum cognati Ioannis Baptiſtæ eum Zachariam vocare propter patrem voluiſſent: ait mater eius. Nequaquam, ſed vocabitur Ioannes. Innuebant verò patri, quem vellet eum vocari, qui poſtulato pugillari, ſcripſit dicens. Ioannes eſt nomen eius; vt oſtenderet quanta concordia ipſe, & vxor eius præditi eſſent: vt vxoris ſanctæ ſententiam, vir etiam iuſtus comprobaret.*

Poſuit mihi Deus ſemel aliud pro Abel. Ita ferè accidit, iuſti cùm viuunt contemnuntur, incipiunt æſtimari cum obiere. Abel à vanitate nomen adeptus erat, & à poſſeſſione Cain vocatus fuerat, tanquam ſolus à parentibus prouideretur, nunc quia obierat, illius deſiderio mater tenetur. *Ante Cainum*, inquit ille, *prætulerat Abeli, nunc* ABELEM CAINO PRÆFERT. Quod ad alios etiam iuſtos transferas, qui in maiori veneratione ſunt, cum hìc non ſunt.

Sed & Seth natus eſt filius, quem vocauit Enos. Iſte cæpit inuocare nomen Domini.

428 ENos quippè auctor fuit, vt paſſim homines ritè Deum colerent, vt tunc homines cæperint ad Eccleſiam congregari ad publicas preces, publicaſque conciones, & catechſes. TANTVM HÆC RES DEO PLACET, vt tunc cæptum inuocari nomen Domini dicatur, cum cæptum eſt publicè, & pluribus hominibus ad cœtum vocatis.

Præterea cæpit inuocare Enos nomen Domini, non quia idem ante ipſum non præſtiterint Abel, Seth, & Adam, ſed quia ſubliniorem cultum inſtituit, quàm fieri vulgi more ſoleret, *vnde aliqui cenſent*, inquit Cornelius, *Enos inſtituiſſe quaſi præludium, & initium vitæ* RELIGIOSÆ, *atq;* MONASTICÆ. Quod ſi præludium tanti à Deo factum, quanti fieri credendum eſt perfectam religioſi inſtituti formam?

Cæpit Enos inuocare nomen Domini, quia quod antea occultè fiebat, factum ab illo publicè. Benè rem nobilis auctor vrget. Inuocauerant ante Enos multi nomen Domini, & ſacrificia obtulerant, id tamen in occulto præſtabant. Enos verò publicè vitijs quippe ſuccreſcentibus, & impiorum audacia, vires colligente boni in angulis Deum inuocabant; tanquam timidæ mulierculæ. Enos primus poſito metu, publicè cæpit idololatriam, & cætera vitia audacter deteſtari, & vnius Dei fidem prædicare, Enos iſte. Ac ſi dicat, qui veritatem annuntiet vnus eſt Enos, qui inter paucos annos, poſtquam cæpit publicè Deum colere mortuus eſt, NON DIV FERE VIVVNT VERITATIS CVLTORES. Veritas malis diſplicet, & in eos ſæuiunt, quos totos in eius prædicatione vident eſſe.

Cæpit inuocare nomen Domini. Putant aliqui Enos Dei, cultum reſtituiſſe, idque concionandi miniſterio. Sic auctor ille: *Verum Dei cultum reſtituit, & fortaſſe ſuis* CONCIONIBVS *è Caini poſteritate aliquos reduxit*. Tanti res momenti homines ad rectam frugem reducendi concionandi munere. 429

Iſte cæpit inuocare nomen Domini. Vertunt aliqui. *Illius tempore inuocari cæptum nomen Domini*; hoc eſt veri Dei cultus eſt reſtitutus, *qui pœnè totus collapſus erat*, vt ille ait, *propter* CAINICÆ POSTERITATIS *ſummam impietatem*. Tantum vnius impij malitia poteſt, tantum vnius boni bonum exemplum valet.

Iſte cæpit inuocare nomen Domini. Vt iure Enos dictus quod hominis eſt nomen, tanquam ab homine abeat, qui à Dei abeſt cultu. Ferus: *Ob hanc cauſam Enos dicitur, quod interpretatur homo, qui enim Deum colit hominis vocabulo dignus eſt, qui autem* DEVM NEGLIGIT NON HOMO, SED BESTIA EST.

Et non etiam antea Dei nomen inuocabatur? Cur igitur id Enos tribuitur? Quis credat Abelem, Seth, Adamumque ipſum Deum non inuocaſſe? Aiunt plerique, Enos primùm fuiſſe, *qui peculiari ſtudio, & exercitio ac veluti* FORMA CONGREGATIONIS *orauit publicè & per cætus*. Addit nobilis auctor: *Ergo ſtudio orationis addictus, non communi nomine, ſed proprio dictus eſt homo; vt intelligas homini, vt homo eſt, conuenire* ORARE, *& ſociabiliter orare*, vt videatur homo non eſſe, qui non orat.



CAP.

CAP. V. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio I.

זכר quid; *Masculus* à memoria cur vocetur. 430.

Viri est maximè sui, suæque *salutis*, & diuinorum *beneficiorum recordari*.

נקבה cur sequior sexus dictus; *Mulier* curet ne per illam Dei nomen *blasphemetur*, virorum *aures* pungantur.

Coniuges ita efferendi, vt quod tribuitur, non facilè denegetur alteri.

Seth ad Patris imaginem cur dicatur factus. 431.

Eua atas & mors.

Parentum pompa, gloriosusque *tumulus filiorum* probitas.

In generationibus *Sethi filiarum* cur fiat mentio. 432.

Iustorum est *viriliter* agere.

Circa *vita* diuturnitatem nemo decipi se sinat.

Ad *mortis memoriam* vt Deus nos vocet.

Impiorum tempora indigna quæ monumentis consignentur.

In generatione bonorum cur nulla *fœmina* numeretur. 433.

Pœnitentia quam Deo placeat.

Solius *timore* pœnæ Deo minimè *seruiendum*.

Ambulare cum Deo quis dicatur. 434.

Cum hominibus benè *ambulat*, qui benè ambulat cum Deo.

Masculum, & fœminam creauit eos, & benedixit illis.

430 MAsculum. In fonte est זכר *Zachar* à verbo זכר, quod significat *meminisse, recordari, memorem esse, mente recolere*; vel quod viri sit sui memoriam posteris relinquere; aut etiam mas dicitur זכר, quod sit parentum suorum veluti superstes, & residua memoria, quos cultu & moribus plerumque repræsentat; alij sic explicant, quòd sit domus, familiæque monimentum, si quidem sexus huius potior, aut sola habetur ratio, vnde fœminæ in genealogijs solent prætermitti. Porro dum masculus à memoria nomen habet, & זכר dicitur, tacitè monetur, vt ea præstet quæ memoria hominum sint digna. Denique dum à memoria vir vocatur, se, suique salutem obliuione non debet sepelire, non diuinorum beneficiorum obliuisci.

Et fœminam. Hebraicè: נקבה à verbo נקב *nacbau*, quod *perforare*, & *excusare* significat, & translatè ponitur, pro punctis signare, & præterea verbis maledicis, ac contumeliosis veluti quibusdam sudibus pungere, ex quo factum, vt significet etiam *blasphemare*, & *conuitijs incessere*, quod scilicet, blasphemans, aut conuitians, *habeat se*, vt ille ait, *ad modum excauantis Dei aures*, aut alterius, quem maledicis pungit verbis. Caueat mulier, ne quod nominis notione participat habeat reipsa; ne viri mentem pungat, conuitijs quempiam lacessat, nec aliquid præstet, quo Dei nomen blasphemetur, domus suæ nomen infamia notetur.

Et benedixit illis. Benedictio hic fœcunditatem notat, vt benedicere significet, vim producendæ sobolis exhibere, quæ vtriusque sterilitate alterius fœcunditas redderetur inutilis. Hinc quoque monitum elicias, coniuges ita efferendos, vt non facilè quod vni tribuitur negetur alteri, ne aut inuidia, aut discordia inde nascatur.

Vixit autem Adam centum triginta annis, & genuit ad imaginem, & similitudinem suam; vocauitque nomen eius Seth.

CVr de Seth dicitur ad patris imaginem 431
creatum, quod de alijs aliorum filijs loquens Moses tacuit. *Credo*, inquit Ystella, SETH SIMILIOREM FVISSE *ADÆ in facie, quàm reliqui eius filij, & ideo ad illius similitudinem, ac imaginem extitisse ipsum præ cæteris dici.*

Et factum est autem omne tempus, quo vixit Adam anni nongenti triginta, & mortuus est.

ADami ætatem habemus, & mortem; de Euæ morte in sacris litteris nihil scribitur; *Eua*, inquit Cornelius, *si credimus Mariano Scoto*, DECEM ANNIS POST MARITVM VIXIT, *mortuaque est anno vitæ, & mundi 940.*

Et mortuus est. Nihil de funeris pompa adijcitur, nihil de sepulchri erectione, & ornatu. Itane tàm ieiunè primi parentis mors recensetur? An multa dixit sacer scriptor, cum Seth post se reliquisse reliquit scriptum? Benè ille: Vbi sunt erectæ columnæ, vbi funerei luctus, vbi sepulchra? Cur nil horum memoratur in funere Adami? LONGE ALIVD PRÆSTANTIVS ET GLORIOSIVS FVNVS ILLI EXHIBET DIVINVS SCRIPTOR, cum enim ait, Adam mortuus, simul adiungit, vixit quoque Seth: decuit enim primo omnium parenti, omnium etiam primum, & præcipuum Funus parari, quale paratur in filiorum virtutibus, quæ superstites manent. Seth viuens in mundo tamquam Deus dum relinquitur à moriente Adamo, fuit parenti pro tumulo omni ambitione superiori, & longè maiori omni laude. Hoc si parentes cogitent, filiorum potius bonæ institutioni studebunt, quàm sepulchrorũ superbæ erectioni.

Genuitque

Genuitq; filios, & filias.

432 ET *filias*. In generationibus Sethi filiarum fit mentio, *ne suspiceris*, inquit Delrius, *Sethi posteros semper contraxisse connubia cum cainitis*. Sed cur nulla mulier signatè nominatur? *Quia*, inquit idem auctor, IVSTORVM EST VIRILITER AGERE, *nec vana capi pulchritudine, nec voluptatis vllam rationem ducere*.

Et mortuus est.

OMnibus affigitur illud: *Mortuus est*. Cur id factum hîc, cum infra in recensione posterorum Seth hæc formula non addatur? An quia hîc cæterorum mortem necesse erat exprimi, quia Enoch mentio fit, qui translatus perhibetur, & fuit à morte immunis, nec erat par ratio in filijs Seth, in quibus nullus à morte eximitur. Nimirum cùm de morte agitur, quod vni datum, vt ab illius vinculis fit immunis, alijs concessum, aut concedendum quis crederet, nisi exertè ille exprimeretur, qui eximitur; quod ad vitæ ETIAM DIVTVRNITATEM transferas, facilè enim sibi quis promittit, quod concessum vni, & quod vni tributum ad alios extenditur, noxia sæpè, & fallaci spe.

Singulis hæc apponitur clausula, *& mortuus est*, quod nostri etiam causa factum. Vgo: *Hæc clausula tam frequenter recitatur, & in fine vitæ omnium apponitur, ad significandum quòd omnes illi clamant ad nos, vt* MEMORES MORTIS *simus*.

Quæri iure potest, cur cum qui à Seth erant recenserentur, anni pariter describerentur, nec id factum illis, qui à Cain descenderant. Abulensis: *In linea Cain non annotantur annorum descriptiones, sicut in linea Seth, quia linea iustorum dignior est, & in linea* IMPIORVM *nulla vtilitas erat* TEMPORA *designare*.

433 Obseruatum ab alijs quoque est, in recensione iustorum nullam fieri mulierum mentionem, fieri cum de non iustis agitur. Vgo hîc: *In generatione, inquit, bonorum* NVLLA FOEMINA NVMERATVR, *quia nihil in bonis fœmineum inuenitur. Generatio verò malorum in fœmina terminatur, quia quod in eis est molle & fœmineum est*.

Et ambulauit Enoch cum Deo.

AMbulauit *cum Deo*. Græcè: *Placuit Deo*. Sed in qua maximè re Deo Enoch placuit? Quidam auctor in catena græca Fumani: *Ante hoc ex ipsius scripturæ testimonio non fuit gratus Deo quispiam, constat verò, quòd ex* POENITENTIA PLACVERIT, vt hinc colligas, quàm Deo pœnitentia placet nimirum Deo, quæ Deum placat.

Cum Deo. Caietanus ex hebræo, *cum Iehouah*, additque, *sancta vita Enoch non cum Elohim, sed cum Iehouah scribitur, vt manifestetur, quod* NON TIMORE POENÆ, *sed amore amicitiæ erga summum Deum rectè vixit*. Vt timore pœnæ Deo non seruierit Enoch, Dei tamen timore, qui amore fuit grauidus id fecit. Vnde hæc verba: *Ambulauit Enoch coram Deo*, Chaldæus vertit: *Ambulauit Enoch in timore Dei*.

Ambulauit Enoch cum Deo. Rectè cum Deo ambulat, qui ita vitam instituit, vt Deo placeat; hinc LXX. verterunt: *Placuit autem Enoch Deo*; neque enim de exstima, localique ambulatione est sermo. Hinc Honcala: *Verbum quod hic habetur hebræis significat non simpliciter ambulauit, sed* AMBVLAVIT INTRINSECVS *motus scilicet, & veluti intimo quodam Dei instinctu; nec aliud est ambulare cum Deo, quàm homines gressus, affectusq; suos moderari iuxta interiorem diuini spiritus artum; ac subinde cogitatione, verbo, & operatione Deo inseruire, atq; placere*. 434

Ambulauit Enoch cum Deo. Ac si diceret, sanctissime vixit, quasi Deum semper ob oculos haberet, sed cur nulla facta hominum mentio? & non viri iusti est, etiam cum hominibus benè ambulare? *Qui* CVM DEO AMBVLAT, inquit Cornelius, *cum hominibus benè ambulat, qui tantum cum hominibus ambulat, nec cum Deo, nec cum hominibus benè ambulat*, licet exstimè videatur ambulare.

Sectio II.

O *Amiu-*

Ambulauitq́; cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.

435 A*Mbulauitq́; cum Deo.* Ac si diceret iuxta diuinæ voluntatis regulas sanctè vixit. Sed cur id bis sacer textus refert? Vt primum eam vitæ partem respiciat, in qua Enoch sine liberis vixit, secundum verò reliquum tempus, quo post generationem Mathusalem vixit. Quæ vera probitatis est forma. Nam plerique filijs aucti incipiunt ab ijs institutis abire, quæ pietati litantes exceperant, terræ terrenisque nimium hærent, VT FILIOS DITIORES RELINQVANT; sicque Dei, diuinæque legis obliuiscuntur, cum maximè illius istiusque memores esse deberent.

Ambulauitq́; cum Deo. Cur iterum repetit, quod superius de Enoch dixerat? Ne quis crederet virtuti perfectioniq; coniugium officere, & educare filios, domusq; ac familiæ curam habere. Bene Honcala ex S. Chrysostomi mente: *Audiant hoc viri, audiant & mulieres, & discant iusti virtutem: nec dicant nuptias in causa esse, quo minus Deo placeant, nam idcirco diuina scriptura semel, & iterum assignauit dicens: Genuit Enoch Mathusalem, & tunc placuit Deo: & postquam genuit alios filios, & filias,* IDEM INGEMINAT, ET REPETIT DICENS, ET PLACVIT *E*NOCH *D*EO: NE QVIS EXISTIMET OBSTACVLVM VIRTVTIS ESSE CONIVGIVM; *quia si sobrij sumus, neque educatio, neque coniugium, nec aliud quid nobis oberit, quo minus placeamus Deo.*

Placuit Deo Enoch in hoc quoque quod illi summè culpa displicuit, adeo vt aliqui putarent, ab eo fuisse Adamum reprehensum, quòd Dei præceptum violasset. S. Ephræm in catena græca Fumani: *Enoch vir fuit maxima pietate ac religione præditus:* ET IPSVM *A*DAM A QVO ORTVS ERAT, REDARGVIT, *quod Dei preceptum contempsisset; & testimonium præbuit Deo, quod quæ dixerat, ipsi Adam præstitisset, nisi peccasset: quando quidem fide consecutus est immortalitatem, & quum mortalis esset, mortuus tamen non est; cur ergo Adam mortuus est? nempè quod præceptum non seruauerit; at hic Iustus hæresibus illis resistit, quæ dicunt, iniustè de Paradiso Adam eiectum fuisse, ecce enim Enoch propterea, quod iustè vixerit, ex hac terra in Paradisum introductum.*

Placuit Deo Enoch, & idcirco eum Deus de mundi huius periculis ad tutiorem locum transtulit: *Sic inuenimus*, ait Sanctus Cyprianus de mortalitate, *& Enoch translatum esse, qui Deo placuit: sicut in Genesi testatur & loquitur scriptura diuina: & placuit Enoch Deo, & non est inuentus postmodum, quia Deus illum transtulit.* HOC FVIT PLACVISSE *in conspectu Dei, de hoc contagio sæculi meruisse transferri.*

436 Ambulasse cum Deo dicitur Enoch; quem ideirco Deus transtulit, ne aliquis eum videns morti non subijci, laberetur, eandem sibi promittens vitæ diuturnitatem. Eius quoque perseuerantiæ consultum est; hinc scitus auctor: *Labi potuit Enoch, nisi de via decessisset in lubrica. Auolauit ne cœno inficeret pedem. Vel ideo ibi vbi est iam tutus, quòd* ABESSET IAM MVLIER; quæ multis lapsus occasio, sæpè & causa.

Quia tulit eum Deus. Translatus est Enoch, sed nullus, quod aliqui notauere, vidit cum transferretur, quia nullus dignus hoc visu extitit: *Enoch*, inquit Abulensis, *translatus fuit in Paradisum, & forte sicut Helias in curru igneo, sed non visus est transferri,* QVIA FORTE NVLLVS ERAT TVNC DIGNVS VIDERE EVM, *sicut vidit Elisæus Heliam, quia sanctus vir erat.*

Enochi translatione transferre ad meliora mentem hominis Deus voluit, ac immortalitatis spem in nobis accendere. Sanctus Athanasius orat. in Assumpt. Iesu Christi sic rem expendit: *Videns condemnatione ad mortem prostratam naturam & humanorum cruciatuum paratum in sepulchro receptaculum, & homines inferno redundaturo prædam fieri, & quotidiè futurum quòd mors conficeret & consumeret, soluens comminationis rigorem Deus, immortalitatis statim spem accendit generi, & Enochum de medio rapiens mortem hominum vitam ostendit, & docuit immortalitatis terminos accipere naturam mortalem, qui adeò mortis curriculum impeditum didicit, vt translatione iusti viri, morti modus statutus sit; hoc quòd fuit in medio dolore ad recantandum adegit naturam, vt ad meliora expectanda.*

437 Enochum *æternitatis candidatum*, vocat Tertullianus exemploque eius indicat etiam sine legis Mosaicæ onere posse nos & Deo placere, & ad regnum aspirare; sic ille scribit lib. aduersus Iudæos cap. 1. *Enoch iustissimum non circuncisum nec sabbatizantem de hoc mundo transtulit, qui necdum mortem gustauit, vt* ÆTERNITATIS CANDIDATVS, *iam nobis ostenderet, nos quoque sine legis onere Moysi, Deo posse placere.*

Hanc Enochi translationem sic expendebat Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 20. *Enoch*, inquit, *translatus est exigua pietatis præmium (fides enim adhuc in vmbris erat) hac translatione consequutus, vitaque sequentis periculum effugit: huius autem vita omnis nihil aliud, quàm* TRANSLATIO ERAT, *quippè qui perfectè in vita perfecta probatus, & exploratus fuerit.*

Enochum à mortalibus Deus subduxit, non ei immortalitatem est largitus, ne si immortalis inter mortales viueret timorem mortis auferret, & quod est consequens, habenæ peccatis laxarentur. *Vides*, inquit Sanctus Chrysostomus hom. 21. in Genesim, *sapientiam Domini, viuentem transtulit, non immortalitatem largitus est, ne* PECCANDI METVM *eneruaret, sed more in humanum genus suum ius reliquit.*

438 Quærat hic aliquis, cur tamdiu à mortis impetu illæsus sit seruatus Enoch. Beatus Alcuinus in Genesim interrogat. XVII. nodum sic proposuit; sic soluit: *Quare Enoch tanto tempore* SERVABATVR A MORTE? Resp. *Vt ostenderetur quid omnes homines potuissent, si non peccassent.*

Et

Et facti sunt omnes dies Mathusalem nongenti sexaginta nouem anni, & mortuus est.

DIù licet vixerit Mathusalem, mortuus tamen est & mortis tempore vitæ longitudo breuissima est visa, quod iustius quisque de sua vita, quæ est breuissima, sentiet. Hinc illud Sancti Hieronymi epist. 3. quæ est ad Heliodorum: *Debemus & nos animo præmeditari, quòd aliquando futuri sumus, & quòd, velimus nolimus, abesse longius non potest; namsi nongentos vitæ excederemus annos, vt ante diluuium viuebat humanum genus; & Mathusalem nobis temporæ donarentur: tamen* NIHIL ESSET *præterita longitudo: quæ esse desisset.*

Vocauitq; nomen eius Noe, dicens: Iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum.

MIrum quod quies ab illo futura dicatur, sub quo mundus aquis sepultus est. Quies flagellum dici potest, quo peccatores tolluntur, præciduntur peccata. Peritè Sanctus Chrysostomus: *Quare non dixit hic occidet nos, hic faciet diluuium fieri, sed dicit hic faciet nos requiescere, creatura omnis resoluitur, abyssi desubtus erumpunt in luto quasi communi sepulchro promiscua hominum & equorum corpora occultantur & tantam calamitatem* QVIETEM *vocas? profectò dicit, nam homines in magna malitia viuebant, diluuium quia* MALITIAM RESECVIT *ideo liberati à malitia quiescere dicuntur.*

439 *Iste consolabitur nos*. Ex hebræo aliqui vertunt: *Iste quietabit nos*; quod ad illam requiem hebræi referunt, qua fruebantur illius opera mortales, cum ipse arandi artem inuenerit, qua hominum labor in colenda terra minuebatur. Adeo innocens excolendæ terræ ratio est, vt cum de illa agitur CONSOLANDI verbum positum fuerit, quod non antea factum legimus.

Iste consolabitur nos. Nunc primum in diuina scriptura *consolandi* verbum auditur. Idque cum de Noe viro suo seculo iustissimo ageretur, tanquam innueretur, frustra ab impijs consolationem veram sperari, licet illam videantur promittere. Sed cur non dixit in præsenti: *Iste consolatur nos?* An mortalium more consolatio in futurum promittitur, cum interim tribulationibus homines afficiantur? An potius solidius dictum *consolabitur*, quia per Noe Deus erat seculum reparaturus, *quod erat*, inquit Liranus, *ad* CONSOLATIONEM *illorum, qui timebant ipsum totaliter deficere per diluuium?*

Iste consolabitur nos. Vt iure ei *Noe* imposuerit nomen, quod *consolationem* sonat. Sed qui consolatorem egit Noe? Forsitan, inquit probæ notæ auctor, ille perditum illud sæculum consolabatur, vt essent hilares ederent biberent, vxores ducerent? forsitan quia vinum plantauit, vt homines se eo inebriarent! Non sanè, non fuit talis consolator Noe: Præco pœnitentiæ fuit, & comminabatur hominibus perditis imminens diluuium, quod post 120. annos futurum prædixerat illi Dominus, vt pœnitentiam prædicaret. Imò tota illa Arcæ fabricatio in quam 100. annis laborauit Noe, nihil aliud fuit quam pœnitentiæ prædicatio & reproborum increpatio, si quidem ad euitandum diluuij interitum destinabatur. NON EST IGITVR CONSOLATOR NOSTER ILLE, QVI LOQVITVR NOBIS PLACENTIA, QVI TEGIT ET PRÆTERIT NOSTRA SCELERA, SED QVI EA INCREPAT, QVI NOS ARGVIT, QVI AD POENITENTIAM ET VIRTVTEM COMPELLIT: hic Consolator, hic Noe paraclitus est. Igitur si in diluuio illo perire nolumus, non claudamus aures huic præconi, patiamur & exosculemur illius increpationem, eiusque hortatu nobis prouideamus.

Noe verò cum quingentorum esset annorum genuit Sem, Cam, & Iapheth.

CVm quingentorum esset annorum. Cur tamdiù distulit? Respondent hebræi apud Liranum, id factum ne si multo ante nuptiali operi vacasset, nimis Noe progenies esset multiplicata, inter quos cum multi essent mali, sicque multi indigni fuissent, qui in arca saluarentur, Dominus autem disposuerat totam huius patriarchæ posteritatem à communi diluuio eximere. Addit Liranus: multos esse non debuisse, quia non potuissent aptè in arca omnes locari, neç de necessarijs ad vitam per integrum annum prouideri. 440

Tot annos castitati litauit Noe; nimirum vt aquarum fluctibus occurreret, carnis fluctus pudicitiæ actibus coërcuit. Meruit esse diluuio superior, qui concupiscentiæ æstibus non se siuit rapi.

Quærunt aliqui, cur tàm diuturnam dederit Deus vitam primis illis hominibus. B. Dionysius Carthusianus ait id factum, quia artium, ac scientiarum inuentores longum vitæ spatium exigebant, vt multa possent experientia, & obseruatione ediscere, quæ ad posteros postea transmitterent. Ac si viuere non mereantur, qui se alicui arti, & scientia non addicunt, & præcipuè illis, quæ in Dei notitiam, amoremque nos ducunt.

Diuturnas multorum ætates recenset diuina scriptura; nullam tamen inuenimus millesimum annum attigisse; cuius rei hanc rationem Pererius reddit: *Quod autem nemo illorum hominum attigerit annum millesimum, non vacat mysterio & documento. Primum enim significatur, quantocumque tempore Patres illi vixerint, eorum tamen vel longissimam vitam ne vnius quidem instar diei obtinere comparatione diuinæ æternitatis, dicente Dauide in Psal. 89. Mille anni ante oculos tuos, tanquam* DIES HESTERNA, *quæ præterijt.*

CAP. VI. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio I.

Dei *beneficentia* nescit ab humana *malitia* vinci. 441.
Notata hominum *ingratitudo*.
Filiæ vt malè audiant, mascula virtute carentes.
Qui optimi fuere *sceleratissimi* euadunt si cadant. 442.
Nimia *mulierum familiaritas* vitanda.
Bonus *pater* ita *filios* suos informet, vt Dei filij esse videantur.
Filiorum laus *laus* est parentum. 443.
Filij Dei cur mali vocati.
טוב quid; *Pulchritudinis*, & probitatis cognatio.
Quàm noxium cum malis *mulieribus* conuersari. 444.
Superiorum exemplum facilè in alios transit.
Facilè *improbitati* nubit, qui in *vxorem* malam mulierem ducit.
Ob *pulchritudinem* minimè ducenda vxor. 445.
Angelorum custodiam qui amat, vitæ probitati litet.
Carnis *voluptatibus* toti addicti ægrè *maculas* eluent.

Cumque cœpissent homines multiplicari super terram & filias procreassent.

441 C*Vmq; cœpissent homines multiplicari*. Multiplicari cum cęperunt homines, flagitia non virtutes multiplicari cęperunt cum plures sunt effecti, effecti fuere deteriores. Scilicet quod ad pietatem, ac religionem debebat homines exstimulare, fecit vt Deus magis contemneretur. *Non tamen*, vt ait bonus ille auctor, PARCIOR AD BENEFACIENDVM *DEVS* FVIT, *quòd eius beneficijs in eius cotemptum essent homines abusuri*. Nescit nimirum diuina bonitas, ac beneficentia ab humana malitia, aut ingratitudine vinci.

Cur multiplicatos homines Moses asserit, cum satis esse videretur, peccatorum numerum, magnitudinemque recensere? An vt hominum ingratitudinem notaret, qui pro beneficijs peccata repouebant, & pro gratiarum actione culpas offerebant? *Quare*, inquit Porrecta, *volens scriptura facere mentionem de peccatis multiplicatis facit mentionem de multiplicatione hominum? nonne promptius dixisset acceperunt filij Dei filias hominum, quam dicere; cum cœpissent homines multiplicari, acceperunt filij Dei filias hominum? vtique hoc promptius, id est, breuius dictum, sed non erat vtilius; ad quid vtilius? ad exprimendum illud, quod nunc docuimus; quasi dixisset scriptura. Quando maximum fiebat à Deo beneficium hominibus, puta multiplicatio illorum super terram, & consequenter quando pro gratiarum actione peccatis relictis propter Deum debuerant virtutibus abundare;* TVNC MAXIME HOMINES IPSI PECCATA MVLTIPLICARE CÆPERVNT. *Peccatum enim erat magnum filios Dei cum hominum filiabus misceri; præsertim vero cum ipsa mixtio ex magna concupiscentia fieret*. Huc hominum euadit malitia, vt Dei beneficijs abutatur, & pro gratiarum actione culpas aggetat.

Filiasque procreassent. Cur filiarum fit mentio, non filiorum? Philo lib. de gigantibus, suo more rem ad mores flectit aitque; *Quando causa* FILIAS *homines hi genuisse dicuntur, nemo ex his filios. Quoniam enim Noe iustus mares gignit, quippe qui rectam masculamq; rationem sequitur, hoc ipso vulgus iniustum fœminas gignere ostenditur citra controuersiam*.

Videntes filij Dei filias hominum, quòd essent pulchra, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant.

V*Identes filij Dei*. Celebris sententia est per filios Dei posteros Seth intelligi sicut per filios hominum, qui ex Caini stirpe progenerati fuere; sic autem appellati sunt, quod essent plurimum corpore procero, & robusto, potentes, & principes, & quod est præcipuum iustitiæ, & sanctimoniæ titulo admodum nobiles; ex quo vides, qui optimi fuere sceleratissimos fieri, si peccent. Benè scitus ille auctor: Illud, inquit, licet hic obseruare, eos, qui VALDE BONI ET RELIGIOSI DIV fuerunt, postea degenerantes, & consuetudine improborum corruptos, fœditate vitiorum, ac scelerum magnitudine INSIGNIORES CÆTERIS NON RARO EVADERE. Cuius rei hanc fortasse causam licet coniectare. Omnis mutatio (vt Philosophia docet, & ipsius Philosophiæ parens experientia confirmat) è contrario fit in contrarium; ergo qui optimi sunt, paulatim degenerantes, & ad vitia defluentes, mutantur in pessimos. Vel propter ingratitudinem ipsorum non agnoscentium, vt oportet, Dei beneficia sibi præter cęteros tributa, interdum etiam illis abutentium ad iniuriam Dei, suamque & aliorum perniciem, iustum est, istos longissimè proiectos à facie Dei, despectosque magis quam cęteros mortalium, curæ & protectionis diuinæ auxilijs spoliari; quibus priuati, quasi remotis frænis, præcipites ad scelera, & ad virtutem irreuocabiles feruntur, denique magna ingenia excelsique animi non ferunt mediocritatem: in vtramque partem insignes vel vitijs, vel virtutibus sunt; vbi repudium virtutibus dederint, in immania paulatim vitia ruunt. 442

Viden-

Videntes. Si à visu tot mala fuere, quid à mulierum conuersatione, ac nimia familiaritate timendum? Vbi sunt, inquit ille, qui sibi ipsis fidentes inter medios fœminarum choros tutos se esse arbitrantur, cum in Genesi videntes filij Dei filias hominum solo visu fœde ruerint? Numquid sanctior tu filijs Dei, quos EX FOEMINARVM PVLCHRITVDINE offensos, hic commemorat scriptura?

Filij Dei. Hoc titulo cur donantur filij Sethi? Ostendebatur, inquit probæ notæ auctor, ibi præstantia Sethi maxima, qui multis efformatus virtutibus, SIC EAS AD SVOS DERIVAVIT FILIOS, vt non tam ipsi à patre homine, quàm A PATRE DEO crederentur exisse. Non sic in Caini filijs, qui semper ostendebantur filij esse hominis infirmi & impij.

443 *Filij Dei*. Sethum cur potius non extulit, quàm filios? an quia in patrem bene informantem filios resilit, quod in filiorum commendationem dicitur? Certè hoc virtutis illius præmium dixit Sanctus Basilius Seleuciensis dum ait: *Sethus cum Deum laudatorem sua virtutis inuenisset, & ad Abelum moribus accederet*, HOC VIRTVTIS PRÆMIVM TVLIT, *vt sui filij, Dei filij vocarentur, & qua naturam superabat appellatio, dignitatem prædicaret*. Satis laudatur pater, si laudabiles filios legatur habuisse, & ea ratione instituisse, qua filij Dei mererentur dici.

Cur filios Dei vocat eos, qui filij potius diaboli dici merebantur, cum ab omni probitate iam excidissent? *Dei filios*, inquit Sanctus Chrysostomus, *vocauit eos, qui ex viris bonis nati fuerant Dei honorem perceperant: deinde mutati erant, & euaserant deteriores, & suum honorem perdiderunt. Vt enim magis amplificaret eorum reprehensionem*, EORVM HONOREM REVOCAVIT IN MEMORIAM; *maximum esse crimen ostendens, quod cum tales essent, & orti ex talibus, ad tantam se præcipitassent improbitatem*. Sic præterita laus nos maiori dignos contumelia reddit, si ab illa nostra culpa cadamus.

Quod essent pulchra. Hebraicè est טבת *toboth*, quod essent bonæ; magna pulchritudinis & bonitatis cognatio est, vt sicut sub eodem nomine hæ notiones delitescunt, si simul eandem personam exornent, adeo vt qui pulcher est sit etiam bonus. Benè Lippomanus hic: *Nota*, inquit, *quòd vbi nos legimus, quod essent pulchra, Hebraice habentur* טבת *toboth. Ex quo loco elicitur, etiam in eo sermone, hoc est, vera ac natiua generis humani lingua*, PVLCHRVM ET BONVM EADEM VOCE SIGNIFICARI, *si quidem tob, & bonum & pulchrum signat. Neq; igitur bonitas à pulchritudine seiungitur neque pulchritudo ab honestate ac bonitate. Quod magis erat in hac lingua obseruandum, quod in ea voces, rerum naturas sequuntur. Fit etiam id in lingua Græca* καλόν, *& Latina aliquando*. Non meretur pulchra dici, quæ non est bona, de harum notionum nexu sub vna eademque voce latitante plura in quinto sacrorum electorum tomo nos diximus.

Videntes filij Dei filias hominum. Hinc colligas
quàm noxium sit cum malis mulieribus con- 444
uersari, rem ita conficit nuperus auctor: Proponens, inquit, sacra scriptura, causas ob quas Deus mundum diluuio demersit, vnam illarum fuisse affirmat, quod videntes filij Dei filias hominum quod essent pulchræ acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant. Per filios Dei intelliguntur hic homines sancti, quales erant filij Seth, Per filias hominum intelliguntur filiæ Cain, & licet essent sancti illi homines, VIDENTES TAMEN, ET CONVERSANTES CVM MVLIERIBVS CORRVPTI SVNT, & sibi vsurparunt illas, quæ iam alijs locatæ erant. Quamuis sanctus quis sit si cum mulieribus conuersanit, eius sanctitas non diù perseuerabit: sicut hi qui filij Dei vocabantur, & propter paucam custodiam oculorum suorum, in tantum præcipitium deuenerunt: vt totius orbis submersionis causa fuerint.

Videntes filij Dei. Filios Dei ex aliquorum sententia filios principum, ac potentum vocat. Vnde & Chaldaica versio sic habet, *Videntes filij principum*. Vnde non mirum si sequatur. *Omnis quippè caro corruperat viam suam*, nam superiorum exemplum facile ad alios transit, & auidè inferiores bibunt, quod superiores moribus, ac vita propinant siue salubre illud sit, siue secus. Hic facit quod hic Lippomanus habet: CORRVPTIS PRINCIPIBVS FACILE RELIQVI DEPRAVATI SVNT, *in quos principum impuritas deriuabatur*. Scilicet plumbea peccati moles facilè in imam descendit plebem, quæ primariorum caput attriuerit.

Qui filij Dei nunc dicuntur, postquam coniugium cum Caini filiabus inierunt, eò euaserunt malitiæ, vt nec hominis titulum mererentur; rem ita vrget nobilis quidam, licet nuperus auctor: Filij Seth optimi quidem fuerunt, antequam filias Cain, vxores ducerent, postea vero ILLARVM CONSORTIO in tanta se se præcipitarunt scelera, vt eorum peccatis pene vniuersi homines, diluuio sint deleti. Nimirum facilè cuilibet nubit improbitati, qui nuptias cum mala muliere contrahit.

Acceperunt sibi vxores. Nihil hic damnan-
dum, nisi quod in mulierum electione pulchri- 445
tudinis potius rationem habuisse sunt visi, quàm probitatis, quod notauit etiam Oleaster. *Videtur*, inquit, *locus iste taxare eos, qui* OB PVLCHRITVDINEM VXOREM ELIGVNT, *cum conuincantur fœminam potius ad delicias, quàm ad prolem in vxorem deligere*. Scilicet qui solam corporis pulchritudinem spectat, animæ suæ pulchritudinem non amat.

Dixitq; Deus; Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.

NOn vnus est horum verborum apud auctores sensus; pleriq; sic accipiunt hæc verba: Non permanebit, idest non arguet eos am-

amplius spiritus meus, sine non amplius eos arguam, vt resipiscant, quia caro sunt idest secundum carnem viuunt. Alij; non vaginabit spiritus, viuificando corpus amplius, sed morte illorum delicta vlciscar. Porrò hæc Dei verba Dei Angelis aptat Sanctus Bernardus, nam serm. 1. in festo Archangeli Michaelis ait: *Et dicunt* (Angeli) *non permaneamus cum hominibus istis in æternum*, QVIA CARO SVNT. Spiritus naturam quodammodo referentes nos reperiant, vt nobiscum spiritus isti sint.

Non permanebit. Suo pondere non caret, quòd simplici non vsus verbo, *manebit*, sed composito *permanebit*, cum de hominibus agitur, qui in carnem immigrasse videntur, carnis voluptatibus dediti, vt redire aliquando ad Deum videantur, diù in bonæ mentis arce non consistunt. Benè ille: Nec ait Dominus non manebit, sed non permanebit. Maneo enim significat, vtcunque apud aliquem diuersari, at permaneo moram alicubi trahere. Igitur non permanebit spiritus meus in homine: hoc est, etsi aliquando ad omnes amorem meum conuertam, non tamen DIV AMANDO persistam. Huius quoque causam addit, quia caro est. Difficile enim CARNIS VOLVPTATIBVS dediti homines labem eluent, quin statim ad mores pristinos redeant.

Sectio II.

Gigantes autem erant super terram in diebus illis.

ERant super terram gigantes. Malum omen, super terram erant terræ terrenisque nimis affixi. Festiuè Philo: *Gigantes*, inquit, *erant in terra: te docere vult alios esse terræ, alios* COELI HOMINES, *terræ quidem eos, qui venantur voluptates corporis: Cæli autem eos, qui tenent artes, ac scientias, aut eas sectantur*. Scilicet qui Deo seruit cœli homo esse debet, non terræ. 446

Gigantes viri fortes fuere, vt & magni, sed statim viribus abusi, *Gigantes*, inquit ille, *tunc fuerant super terram. Ad quid gigantes? Ad quid potentes? vires, quas illis Deus dederat, ad excolendam terram, & ad iuuandos homines, in hominum conuerterunt oppressionem*. NIHIL EST, QVOD NON HVMANA MALITIA IN MALVM VERTAT.

Erant gigantes super terram. Non pulchritudo tantum corporis nihili pendenda est, sed & magnitudo; gigantum hîc mentionem audis fieri, cum maximè Dei ira in homines desæuit, vt malitiæ moles magnitudini corporis, liceat ita loqui, incubuerit. Qui verè est sapiens animi, VIRTVTISQVE MAGNITVDINEM ÆSTIMAT NON CORPORIS.

Gigantes primis sæculis fuerint, nunc corpore gigantes non est reperire, sed quod nocentius plures animo reperias, plures se super alios efferunt, & minimi alios faciunt, minimos alios putant, se verò maximos; quæ deformitas eo maior, quò minor in nobis corporis moles, corporis vires, animi robur, & virtus, gigantea magnitudo etiam in animo laude est digna, si à virtutum magnitudine sumatur. 447

Quod ad minimam staturam hominis magnitudo reducta sit cum prius in maiorem magnitudinem homines exsurgerent, non casu id factum, sed vt humilitati consuleretur; ne facile homines intumescerent, quod volebat etiam Theod. in catena veterum Patrum Græcorum cap. 6. Genesis: Præterea staturam Goliad admiratus, facile mihi ipse persuadeam, homines quosdam vixisse in terris immoderatæ magnitudinis ita iubente Deo, vt intelligamus non ex infirmitate conditoris tantulam hominibus esse præscriptam mensuram, quando in procliui illi fuisset multò etiam maiores facere: sed vt superbiæ tumorem reprimeret. Nam si in tantillo corpore non inter se modo, sed in ipsum quoque conditorem superbiunt, quid intentatum reliquissent, SI VASTO CORPORE CONSTARENT?

Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.

CVr ista Moses præmisit? ne quis tanquam nimis sæuum Deum causaret. Magnam hominum malitiam à Deo visam asserit, ne sine

fine causa eum in homines sæuisse crederetur. *Iustificat*, inquit hîc Oleaster, *Creator hominum Deus semper causam suam*, NEQVE SÆVIT, NISI NOS EVM MVLTA MALITIA SÆVIRE COGAMVS. *Nisi enim multam videret in terris malitiam gladium suæ seueritatis non exerceret. Ex quo discant peccatores mala sua non multiplicare, si in se Deum prouocare nolunt.*

448 *Et cuncta cogitatio cordis*. Malum est ad malum currere, sed malorum extremum est ex malitia peccare: *Ex quo patet*, inquit hîc Liranus, *quod peccabant non ex passione tantùm, sed ex* CERTA MALITIA. Vt non mirum si hanc malitiam secutum diluuium fuerit.

Et tactus dolore cordis intrinsecus; Delebo inquit hominem, quem creaui à facie terræ ab homine vsque ad animantia à reptili vsque ad volucres Cæli.

NVnc primùm in diuinis litteris cor Dei auditur, nimirum de pœna omnibus hominibus infligenda agitur, vt documento sit, inquit probæ notæ auctor, quam TENERVM, ET PATERNVM AFFECTVM, QVAM BENIGNVM, ET CLEMENTEM ANIMVM ERGA SVOS HABEAT, vt dare illi pœnas appareat, cùm exigit, ac proinde clementia illi in procinctu, seueritas in abdito sit.

Ab homine vsq; ad pecus. Nec brutis parcet Deus, in hominum peccata sæuiturus, vt hinc discas, quàm noxium sit, peccatoribus commisceri. Opportunè Oleaster hîc: *Ab homine vsque ad iumentum. Hic disce peccatorum grauitatem, quòd ab ea non solum peccatores ipsos, sed etiam iumenta, & aues perdat omnium creator. Vbi etiam doceris, quàm malum sit peccatoribus in peccatis commisceri.*

A reptili vsque ad volucres Cœli. Cur piscibus parcitur? PISCES, inquit Liranus, *habitantes in aquis non sunt mortui per diluuium, quia peccata hominum non sunt facta in aquis*. Tanti refert ab omni peccatorum consortio abesse, & vel loco ab illis disiungi, quos culpa abiungit à Deo.

Pœnitet enim me fecisse eos.

449 POEnitet enim me fecisse eos. Cur non dixit *fecisse ea*, vt animalia quoque comprehenderet, quæ è terra deleturum se Deus dixerat? *Non dixit*, inquit Pererius, *fecisse ea: quia pœnitentiæ Dei causa fuere* PECCATA, *quæ in animalibus nulla fuerunt, sed propter peccata hominum simul cum hominibus & ipsa perempta sunt animalia*. Non abs re pœnitentiæ nomen Deus adhibuit incapax pœnitentiæ, vt tacitè ad pœnitentiam veram peccatores inuitet, qui non nisi metaphoricè dicitur pœnitere.

Pœnitet me. Pœnituit Deum hominem condidisse, quia homo commiserat pœnitenda. Sanctus Gregorius lib. 1. hom. 8. in Ezechielem sic hæc verba expendebat: *Pœnitet me fecisse hominem super terram: quasi sibimetipsi displicuit in peccatoribus quos creauit: in solo autem sibi vnigenito Domino nostro Iesu Christo complacuit, quia hunc inter homines hominem creasse eum non pœnituit omnimodè, in quo peccatum nullo modo inuenit.*

Noe verò inuenit gratiam coram Domino.

INueniendi verbum ita expendebat hic Caietanus: *Dicendo*, inquit, *inuenit commendatur studium Noe*, QVÆRENDO DIVINAM GRATIAM. Non legimus terrenas opes inuenisse, quia non quærebat, opum amor diuinæ gratiæ amorem aut tollit, aut obtundit.

Noe benè extulit scitus auctor, dum eum hisce verbis alloquitur. Succurristi senior præcipitanti iam mundo fortior pietate, quàm robore, firmior pectore, quàm humeris; appositus es custos pereunti Naturæ, area tibi cessit in arcem, in infido mari natus es fidele vehiculum; finis fuisti Naturæ, vnaque principium; per te humani generis scintilla redarsit, quam immensæ obruerant aquæ. 450

Quærunt aliqui an Noe ædificationi turris babilonicæ interfuerit, & operâ suâ opus iuuerit. Nonnulli putant mortuum fuisse Noe, cum ædificaretur, alij adfuisse, & erigendæ moli suam operam nauasse, sed alio ab alijs fine. Benè Ioannes Eusebius: Credo, inquit, cum Iosepho, Abenezra, Abulensi, & alijs, ADFVISSE NOE TVRRI BABELICÆ ÆDIFICANDÆ cum alijs viris pijs, qui omnes ædificium illud iuuarunt, sed bono vtique animo: plures eius structuræ non mali fines præstitui possent, vt turris illa vndique omnibus conspicua pro specula seruiret, pro loco publici commercij, pro directione itineris, cùm singulæ familiæ ad regionem destinatam discederent pro communi memoria; quoniam inde genus humanum discerpendum esset, pro communi denique ornatu, & gloria. Omnes igitur homines, qui tunc erant in Armenia cum Noe egressi sunt in Sennaar, hoc est, Babylonicum campum, quasi in meditullium orbis terrarum, vt inde commodius quaquauersum illos dispergerit, & circumquaque sibi inuicem vicini essent. Oportuit solemniter fieri hanc dispersionem, ipsoque Noe præsente, qui vt Sanctus Epiphanius in Anchorato scribit, iureiurando filios adegit se verum Dei cultum, & mutuam concordiam seruaturos. Vbi interim vides quanti referat quo fine aliquis aliquid præstet, vt in eodem opere quis cum laude possit occupari, quod alijs ob illorum culpam cedit in contumeliam.

Inuenit gratiam coram Domino. Cur non coram hominibus: Cum contra aliorum morem virtutem coleret, frustra apud illos gratiam iniret; quid malorum hominum gratiam venaretur, quibus placere erat displicere Deo? Verisimile est, inquit scitus ille auctor, cum vnus contra omnium morem virtutem coleret, quin etiam eorum flagitia magna libertate & constantia

stantia REPREHENDERET, fuisse ab illis subsannatum, irrisum, eorumque offensionem, odium atque indignationem incurrisse. Est igitur sensus: Etsi Noe hominibus sui temporis iniucundus, grauis & odiosus esset, quod nollet eam viam ingredi, quam illi insistebant, Deo tamen, qui scrutatur corda, gratissimus & carissimus fuit. Et quid illi nocere potuit hominum alienatio ab ipso, cum ipse in Dei gratia esset, Deumque non modo propitium sibi, sed amicum etiam & familiarem haberet?

Sectio III.

Continentia & *castitas* quàm Deo placeat. 451.

Aliena *malitia* in *bono* bonos confirmat.

Inter *malos bonitati* litare quàm res sit eximia.

Iusti genealogia à virtutibus sumenda. 452.

Insignis *laus* inter malos à *bonitatis* fugestu non cadere.

Iustus ad *virtutem* instruere *filios* debet. 453.

Dei præsentia quam vtilis.

Malorum extremum cum *bonorum exemplo* à malis non auocamur.

Coram *Domino peccare* quinam dicantur. 454.

Hominis appellatione indignus, qui nihil sapit nisi quod *carnale*.

Musica instrumenta ad luxum & *ferrum* ad bella gerenda extremum minantur exitium.

Nostra *scelera* ad *vindictam* Deum excitant.

Hæ sunt generationes Noe: Noe vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis; cum Deo ambulauit.

451 NOe *vir iustus, atq. perfectus in generationibus suis.* Nullus hucusque eum singulari laude affectus fuerat. Primus Noe inter mortales sic effertur; vt multæ fuerint in isto Patriarcha virtutes, eluxit in eo præcipuè continentia, & castitas, adeo vt nullus tamdiù distulerit operi nuptiali operam dare, quàm Noe. Rem sic expendebat Oleaster in cap. 5. Genesis; vbi dicitur cum quingentorum esset annorum filios genuisse: *Commendat*, inquit, *valdè* CASTITATEM, *&* CONTINENTIAM *Noach, qui quingentis annis cælibem vitam duxit, & ideò forte tam gratus Deo esse meruit: vt in toto terrarum orbe, solus in oculis Dei iustus videretur. De nullo enim alio legimus tandiu generationem distulisse, quo exemplò discimus Deo semper* CONTINENTIAM *placuisse.*

Perfectus inter malos fuit Noe, adeoque nihil eius bonitati aliorum malitia obfuit, vt potius eum in sua bonitate firmauerit, ac stabilierit. Pulchrè Sanctus Ephræmus Syrus: *Iustus hic mala illa contemplans peccatores quidem luxit,* SE AUTEM MAGIS IN VOLUNTATE CREATORIS CONFIRMAVIT; *vnde & à diuina laudatur scriptura, de eo sic perhibente: Noe autem vir Iustus, perfectus existens in generatione sua; Deo placuit Noe: hinc etiam diluuio superueniente, iustus saluatus est, impij verò demersi.* Hæc iustorum consignatio, vt aliena malitia in bono magis firmentur.

In generationibus suis. Noë considero & inter malorum exempla mala, & inter vndas, fluctusque, nescio quid magis in eo mirer, an arcam inter fluctus dirigentem, an se ab impiorum sui seculi vitijs seruantem immunem. IN VTROQVE SIBI PAR FVIT, nisi quod certamen cum malis diuturnius fuit, & periculosius.

Noe vir iustus. Ex græco aliqui legunt, *homo perfectus*, quasi inter illius laudes ponendum, quod sit homo. De hac genealogiæ recensendæ ratione hæc habet Sanctus Chrysostomus: *Rarus &* NOVUS GENEALOGIÆ MODUS: *nam vt scriptura dixit, ista sunt generationes Noe: & aures nostras excitauit, quasi genealogiam illius narratura, & quis eius pater fuerit, & vnde genus duxerit: & quomodo in hanc vitam editus, & alia cuncta quæ mos est genealogias narrantibus recensere: relictis tamen illis omnibus, & aliorum consuetudinem superans, inquit: Noe homo iustus, perfectus in generatione sua: Deo placuit Noe. Vidisti* ADMIRABILEM GENEALOGIAM? *Noe, inquit homo: vide etiam naturæ commune nomen pro laude iusti vsurpatum.* Idem vt nobis præstandum sit docet idem Sanctus Doctor, dum ait: *Sequamur, & nos diuinæ scripturæ regulas, & aliquorum genealogias enarrando non Patres & auos, & abauos in medium afferamus, sed eius solum cuius* GENEALOGIA, *virtutem detegamus, hic enim optima genealogiæ mos est. Quæ enim vtilitas ex claris, & optimis parentibus originem ducere, te autem bona vita esse expertem?* 452

In generationibus suis. Vt hoc Noe laudi tribuatur, quod bonus inter malos fuerit. *Potest*, inquit hic Honcala, *& omninò in laudem dictum accipi, vt mirabilis & egregia cuiusdam virtutis fuerit inter tam impios, & tam prauos homines, non solum non fuisse illorum conuictu deprauatum, sed iustum euasisse atque perfectum. Quanto fuisset perfectiori iustitia, multoq. præstantior se ipso, si cum optimis versatus fuisset?* Verè singularis fuit virtutis in Noe, inter malos vixisse, nec à malis malitiam ebibisse; rem sic nobilis ille auctor expendebat: *Hinc etiam Noe admiramur non quia iustus erat, neque etiam quia officio perfecto fungeretur solùm,* SED QVIA IN ILLA GENERATIONE PERVERSA ET PRAVA VIRTVTEM CONSERVAVIT; *quo tempore ne exemplum quidem virtutis quod imitaretur, extabat: quum ipsum omnes ad improbitatem exhortarentur,*

rentur, quibus tamen omnibus reſtitit, velut viator aliquis, magna quadam multitudine eodem itinere cum impetu pergente, ipſe contraria via profectus eſt; etaque litteræ ſacræ non ſimpliciter de eo annunciant: Noe iuſtus & perfectus, ſed addunt: in generatione ſua peruerſa ſcilicet & deſperata, quum nulla virtutis eſſet negotiatio.

In generationibus ſuis. Parum eſt parentes
453 iuſtos, in ſe ipſis eſſe, debent & in liberis eſſe. Benè hic Caietanus: *Fecit perfectus non ſolum in ſe ipſe ſed etiam in generationibus ſuis: ſeruanit enim ſe & filios ſine defectu mortali, nam profecto iuſtus eſſe non poteſt,* QVI FILIOS AD VIRTVTEM NON INSTRVIT, *qui eos iuſtos fieri non ſtudet; id enim debitum eſt ex iuſtitia.*

Ambulauit cum Deo. Præſentem qui Deum habet, à virtutibus, non eſt abſens: *Alij ſic interpretantur*, inquit Pererius, *Deum ſemper intuebatur quaſi præſentem ſibi, quamobrem cautiſſimus, modeſtiſſimus, & deuotiſſimus ſemper incedebat.*

Corrupta eſt autem terra coram Deo.

C*Orrupta eſt terra coram Deo.* Vix Noe Moſes extulerat, cum cæterorum malitiam, mentem iniquitate infectam recenſet; *vt clarius appareat*, inquit Ferus, *aliorum hominum peruerſitas, qui tam inſigni* VIRTVTIS EXEMPLO, *nihil moti ſunt.* Extremum ſcilicet exitium imminet, cum proborum vita, & mores à peccatis homines non coërcent.

Coram Deo. Aliqui codices habent, *coram*
454 *Domino*; quam formulam ſic expendebat Vgo Victorinus annot. in Geneſim: *Vel coram Domino, qui peccatum eorum attendebat. Ipſi enim ita* NEGLIGENTER PECCABANT, *quòd nec etiam peccatum eſſe reputabant.*

Omnis quippè caro corruperat viam ſuam ſuper terram.

O*Mnis quippè caro.* Carnem hic pro homine poſuit, qui carnem, carnaliaque ſapiebat: *Neque nunc*, inquit Sanctus Chryſoſtomus in catena Lippomani, HOMINIS APPELLATIONE *eos dignatur, ſed carnem vocat, quo nos docere voluit, quod non de terra hæc dicat, ſed de hominibus carne amictis, & terreſtribus negotijs ſeſe totos impendentibus. Mos enim ſcripturæ eſt, vt ſæpè charitati veſtræ dixi, carnalia ſapientes, & nihil ſublime cogitantes carnis nomine appellare. Sicut & beatus Paulus inquit, Qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Quid igitur? non fuit in carne & is, qui hæc dicebat? Non dixit, quod qui carne circundati ſint, Deo placere non poſſint, ſed de his, qui nullam virtutis rationem habent, & nihil niſi carnale ſapientes, carnis voluptates ſectantur, nullamque animæ incorporeæ & ſpiritualis curam gerunt.*

Corruperat viam ſuam. Carnis nimirum illecebris, aut etiam quia æris, & ferri vſus ad bella gerenda incæperat. Sanctus Ephræm in catena Lippomani: *Rectè verò*, inquit, *corruperant viam ſuam. Nam ad hanc diem inuenta erant* PSALTERIVM CITHARAQVE AC COMESSATIONES, ÆS ET FERRVM AD BELLA GERENDA, *quibus inter ſe tanquam lupi aduerſus oues inſaniebant. Neque minus* FOEMINÆ *ipſæ, quæ multis viris oblectabantur, animas virorum impugnabant.* Hæc nimirum omnia extremum minantur exitium.

Finis vniuerſæ carnis venit coram me.

MIrum quod vniuerſæ carnis finis veniſſe coram Deo dicitur, & non potius Deus ipſi finem carni diluuio poſuiſſe. An hæc phraſis indicat, hominum peccata Deum veluti ad pœnam inferendam vrgere? *Ipſe finis*, inquit Honcala, *vniuerſæ carnis venit coram me ſcilicet oblatus*, NON A ME QVÆSITVS, *qui nolo mortem peccatoris.* Adeo vt noſtra ſcelera Deum ad vindictam veluti exſtimulent.

Sectio IV.

Cur domi ſuæ *Noe Deus* non ſeruauerit, abſque vlla *arca* fabrica. 455.

Ad *pænitentiam Deus* homines vrget.

Cur *arcam* non *nauem* fabricari Deus iuſſerit.

Superior eò ipſo, quòd conſulit ſibi, conſulit & ſuis. 456.

Familiæ vnitas, & *concordia*.

Hominum mundanorum *irriſiones* pietatis cultores non audiant.

Quadrata iuſtorum *vita* vt ſit. 457.

Scabrities à noſtris *verbis*, moribuſque abſit.

Mores aſperi & inculti *charitatis glutem* ægrè recipiunt.

Arcam vt ſibi fabricent *virgines* quæ ad ſacra ſe clauſtra conferunt. 458.

Chriſtianus in *tentatione* cadere non debet, quadratum lapidem referens.

Auari, & *cupidi* homines perſtricti.

Eccleſiæ varietas varijs arcæ manſiunculis ſignificata. 459.

Arca ſpiritualis *bitumine* diuini *timoris* linienda.

Interioris exterioriſque hominis *diſciplina* neceſſaria.

Vbi maius *periculum*, & vis maior, ibi maius *munimen* apponi debet.

Fac tibi arcam de lignis læuigatis.

F*Ac tibi arcam.* Et quid erat neceſſe tan- 455
tæ molis fabricam iuſtum ſibi conſtruere, cum intra domus ſuæ parietes ſeruare illum Deus poſſet? An quia aliorum quoque ſaluti conſultum volebat. *Enim verò*, inquit

quit

quit hic Honcala, *aliter* POTERAT *DEVS* *NOE* DOMVM SERVARE: *sed iussit arcam fieri, vt mortales nouam tanti ædificij molem admirati, causam cur construeretur, quærerent; qua cognita, crederent Noe prædicenti instare diluuium, quo totus terrarum orbis submergeretur, si non pœniterent, & à patrandis sceleribus desisterent: quod si minime crederent, tantò maioris criminis reos esse constaret, quantò magis ipsius Noe facto valde mirabili moueri debuerant, cum viderent Noe virum egregium sapientem, ac principem tam longum tempus, centum fere annos totos insumere in construenda tanti nauigij mole. Vrgebis nos forsitan, & dices; si certum erat diluuium fore, quid proderat admonere non pœnituros? scilicet, vt compertum esset, non stetisse per Deum,* QVIN POENITERENT, *si voluissent: sed propria eos malitia non resipuisse.* Nimirum studet semper Deus ad pœnitentiam peccantes vrgere. Poterat quidem alia ratione à diluuij aquis Noe eximere, absque eo, quòd arcam fabricaret, sed noluit, vt peccatores ad pœnitentiam alliceret, ac prouocaret. *Erat facile*, inquit B. Basilius Seleuciæ Episcopus, *vel absque ligno Noemum seruare, sed ipsum primum constituit lentum arcæ ædificatorem, vt vel ex visis, concepta formidine metuentes* AD POENITENTIAM ATTRAHERENTVR.

Fac tibi arcam. Cur *arcam* potius strui duxit, quam *nauem?* An ne quis crederet arte humana velut nauem fuisse directam? *Non, enim*, inquit Sanctus Chrysostomus, *dicere potes, quod fuerit ad modum nauis, vt* ARTE *quadam illius iter dirigi potuerit.* Res tota diuinæ prouidentiæ fuit commissa, direxit eam, qui eam iussit formari; satis fuit si ad formationem ars humana concurreret.

456 *Fac tibi.* Cur non adiecit, *& tuis?* An vt innueretur in arca non solum Noe seruandum, sed totam etiam Noe domum? An quod superiori dicitur, dictum de subditis censetur, tanquam in illius salute, aliorum quodammodo salus contineatur? Qui præsidet eò ipso quod SIBI CONSVLIT CONSVLIT ET SVIS; Noe charitas, & in suos amor eximius fecit, vt non fuerit necesse exprimere arcam aliorum quoque causam struendam, cum in se eos vir iustus respicit qui à se sunt, aut sub illo viuunt.

Fac tibi arcam. Cur *tibi* tantum dixit, & non etiam vxoribus, ac filijs? An quia hoc intelligebatur, vix enim sibi ad securitatem arcam struit, qui suorum curam non habet? An indicatur, quàm magna vnitas inter patrem familias & filios, vxoresque esse debeat, VT VNVM ESSE VIDEANTVR, quodque de illo dicitur, de omnibus intelligatur?

Iussus fabricare arcam Noe, Dei iussibus paruit, & licet eum omnes irriderent, quòd inutili se labore conficeret, subsannationes tamen hominum feriatorum adeo virum iustum ab opere quod inchoauerat non retardarunt, vt potius vrgerent. Sic nimirum HOMINVM MVNDANORVM IRRISIONES PIETATIS CVLTORES AVDIANT, vt non sinant se à bonis operibus, quibus manus admouerunt, auocari.

Ex lignis læuigatis. Aliqui, *ex lignis quadra-* 457
tis, legunt, quam lectionem ad mores sic transferebat pius quidam auctor: Præcipitur, inquit, arca fieri ex lignis læuigatis siue QVADRATIS. Quadratum est autem, quod nulla vacillat ex parte, sed quocumque ieceris, fida & solida statione consistit. Tales autem sunt omnes sancti viri, qui videlicet quidquid acciderit, libenter, velut de manu Domini accipiunt, quique cum Apostolo dicere possunt. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur: maledicimur, & benedicimus, &c. & per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam &c. Quadrantur vero ligna hæc à summo illo artifice Deo: quoniam diuersis tentationibus dolati, vitijs omnibus, & cupiditatibus resecatis QVADRATAM CONTINENT VITAM, & ex omni parte libratam.

De lignis læuigatis. Asperitatem, scabritiemque ab arcæ lignis, qui iussit amoueri, sinet in verbis in moribus esse? lenitas Deo placet, scabrities quadam mortificationis dolabra abradenda est.

Nec mysterio caret, quod prius dicitur ligna læuigata esse debere, quàm intus forisque bitumine linita. Rem egregiè versat Ioannes Eusebius ex B. Petro Damiano dum ait: *Porrò autem, quia de lignis læuigatis, priùs fieri Arca præcipitur, & sic deinceps, vt bitumine liniatur; qualiter ligna vestra læuigari debeant & dolabra pœnitentiæ, ac disciplina poliri, vtrumque supra descripsimus: nunc & compacta fabrica bitumen accedat, exigente rationis consequentia suademus. Enim verò, quandiu* MORES HOMINVM ASPERI SVNT, ET INCVLTI, INANITER EIS CHARITATIS GLVTEN APPONITVR, *quoniam ab inuicem citò dissiliunt, dum in eis polita moralitatis æquata confœderatio non tenetur. Estote igitur læuigati per spiritalis exercitij disciplinam, estote bituminati per charitatis fraternæ concordiam.*

Arcam sibi fabricant & illæ virgines, quæ 458
relicto seculo, Deo se in claustris sacrarunt: Habent, inquit pius ille auctor, RELIGIOSÆ SPONSÆ Christi, quo suam (vt vocant) clausuram consolentur. Intra septa parietum editiorum, intra valuas, & intra ferreos cancellos, velut in carcere continentur; foras nullus aditus, nullum vt sit commercium cum diluuio, & cum fluitantibus in diluuio; bituminatis prorsus sepiuntur vallorum repagulis: denique mortuæ, atque consepultæ iam censentur: ac fenestram cælo patulam in arca Noe fecit, per illam piæ virgines oculos ad cœli lumina sustollant, vbi sponsus, vbi delitiæ castissimæ; nouerint planè non esse condignas passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in ipsis.

Quod de lignis quadratis formata arca fuerit, tacitè clamat fidelium mores vitam talem esse debere, vt sui sit semper similis, nec tentatione aduersitateque aliqua abeat à iustitia,

Festiuè

Festiuè rem versat Sanctus Augustinus in psal. 88. vbi ait: *Non frustra de lignis quadratis ædificata est arca Noe, quæ nihilominus figuram gestabat Ecclesiæ; quid est enim quadrari? attendite similitudinem quadrati lapidis, similis debet esse Christianus; in omni tentatione sua* CHRISTIANVS NON CADIT: *& si impellitur, & si qua vertitur, non cadit; nam* QVADRATVM *lapidem quacumque verteris, stat.*

Mansiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinsecus, & extrinsecus.

M*ansiunculas in ea facies.* Quæ scilicet animantibus deseruirent, quibus animantia continerentur. Quæ res auaros, & cupidos homines pungit, qui nesciunt suis terminis coerceri, & aliena inuadunt. *Valde dolendum est*, inquit B. Bruno, *homines sæpe bestijs crudeliores: sufficiunt illis* MANSIONES *suæ & non sufficiunt istis* POSSESSIONES SVÆ. Nescit vllis terminis eorum cupiditas coerceri.

Habuit diuersas mansiones arca, oruat statuum varietas Ecclesiam. Huc flexit Sanctus Hieronymus lib. 1, aduersus Iouinianum cap. 9. *Si arca*, inquit, *plures habuit mansiones, & nidulos, & bicamerata, & tricamerata, & diuersas bestias, & pro qualitate animalium, habitationes quoque vel maiores, vel minores: existimo quod diuersitas illa mansionum, præfigurauerit* ECCLESIÆ VARIETATEM.

Quod de arca hic dicitur bitumine linita
459 ad sensuum custodiam non nemo transtulit, præstat quæ ille obtulit offerre. Cur, inquit, obsecro Arcam à Noemo fabrefactam, tam intrinsecus, quàm extrinsecus bitumine liniri voluit? Ne fortè rimularum aliquid reperirent aquæ & penetrarent. In mundo velut in diluuio, medijsque fluctibus versamur; heu quantum praui exempli auribus, quantum oculis haurimus! Quisquis Noemum imitari, & diluuij fluctus euadere, Deoque se coniungere cupit, non interiores tantùm, sed & exteriores sensus solertissimè custodiat; arcam suam, animam suam, BITVMINE DIVINI TIMORIS intrinsecus & extrinsecus liniat.

Quod in lignea arca factum, fieri & in cordis arca debet, & in animata, vt nō solum exterioris hominis cura habeatur, sed & interioris. Pulchrè de arcæ bitumine philosophatur Sanctus Petrus Damianus opusc. XIII. cap. IV. vbi ait: *Quisquis intus amat, sed foris à fratribus morum inconsona asperitate discordat,* INTRINSECVS *quidem bitumen habet, sed extrinsecus non habet. Quisquis verò se specietenus affabilem præbet, amicitiam simulat, sed in cordis occulto veritatem amicitiæ non conseruat, damnabiliter intus hiat, cum* FORINSECVS *superducti bituminis simulatione cohæreat. Quorum videlicet à diluuiali naufragio neuter eripitur, quia duplici charitatis bitumine, vt diuinitus præceptum est, non munitur.*

Intrinsecus, & extrinsecus. Vt scilicet ab omni parte ab aquarum impetu muniretur. Sed cur cum Moses aquis in vasculo commissus fuit, exterius tantùm linitum fuit? *Vasculum*, inquit Liranus, *in quo fuit positus Moyses fuit tantum linitum exterius, quia non diu stetit in aqua, nec etiam aqua, in qua positus fuerat, erat ita impetuosa.* Nimirum vbi MAIVS PERICVLVM, ET MAIOR CONTRARIA VIS, IBI PAR EST MAIVS APPONI MVNIMEN. Quod illis aptes, qui diù cum malis degunt, & malorum exemplo velut quodam aquarum inundantium impetu petuntur.

Sectio V.

Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, triginta cubitorum altitudo illius, &c.

P*Arum est præstare quæ Deus iubet, ex* 460
diuinæ quoque voluntatis regulis efficienda, quæ iubentur effici. Quod de arcæ altitudine in cubitum desinente hic dicitur ad varios Ecclesiæ gradus transfert Sanctus Hieronymus, dum ait: *A triginta cubitis incipiens, & vsque ad vnum cubitum paulatim decrescens, arca constituitur: similiter & Ecclesia, multis gradibus consistens, ad extremum Diaconis, Presbyteris, Episcopisq; finitur.* Sic ille aduersus Lucif.

Ecce ego adducam aquas diluuij super terram, vt interficiam omnem carnem.

CVr consilium suum de hominibus delendis cum Noe Deus confert? vt innuat quanta cunctatione ac maturitate incedendum sit, cum vindicta in reos sumenda. Benè Caietanus. *Primo & secundo Deus dixit secum, tertio autem dixit Noah, vt hinc pensemus homines quam matura deliberatione, quot curis, quot progressibus procedendum est* AD VINDICTAM *communem*.

Ecce ego adducam aquas diluuij. Diluuij se auctorem agnosci vult; & vniuersè aduersitates omnes à Deo esse si quis cogitet, leuiores sentiet, lubentius feret. *Signatè dicit*, inquit hîc Ferus, *ego adducam*. *Non vult enim Deus aduersitatès nostras etiam ex rerum naturalium causis immissas* ALTERI ACCEPTAS REFERRE, QVAM SIBI IPSI SOLI. Aquas diluuij se adducturum Deus dicit, ne alijs nostras calamitates tribueremus, quàm Deo; alioquin calamitates, aduersitatesque incipiunt esse maiores, quæ minori inferiorique causæ tribuuntur, cum tribuendæ sint magnæ, sint primæ.

461 Prima ætate terra per aquas veluti abluta, & purgata est, in extremo iudicio etiam mare ipsum tanquam purgatione indigum purgabitur. Rem ita versat Abulensis: *Homines aquas nondum intrauerant cum naues non haberent, ideo non potuerunt peccare in aquis, propterea non debuit dari punitio in aquis; in secundo iudicio seculi non solum purgatur terra, & aer,* SED ETIAM MARE, *quia multa iam in aquis facta sunt peccata per nauigationem*.

Antequam diluuium terris Deus immitteret illud prædixit, nec prædixit tantum, sed arcam etiam iussit fabricari, vt homines alliceret ad pœnitentiam, & meliorem mentem ab hominibus eliceret. Benè Sanctus Chrysostomus: *Etiam diluuium in quo tot periere viri, Dei nobis prouidentiam aptissimè potest asserere? primùm enim non repentè nèque insperatè mortalibus vim illam inundationis induxit, sed fore prædixit: idq; non ante breue tempus, sed ante centum & viginti annos. Tum verò ne ex longitudine prædictionis in* OBLIVIONEM AC NEGLIGENTIAM *inciderent, ædificari arcam in omnium oculis instituit, voce omni, Clarius Clamantem, Deiq; minas omnibus annunciantem*. Hactenus ille lib. 1. de Prouid. cap. 4.

Fecit igitur Noe omnia, quæ præceperat illi Deus.

IVre hic aliquis quærat, cur Noe audiens mundum diluuio obruendum, non studuerit Dei iram flectere, vt fecit Moses, populo Deum placans? Nodum ita soluit nobilis ille auctor: Hinc magnum, inquit, sacræ scripturæ mysterium intelligetis, quod cum reuelaret Deus sancto Noe, mundi per diluuium euersionem, non legitur rogasse vir sanctus Dominum, vt peccatoribus ignosceret. At cum diceret Deus Moysi. Cerno quod populus iste duræ ceruicis sit, dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam, tamen quamuis Deus illis maiorem, & meliorem populum polliceretur, vehementer eum orabat, vt populo illi ignosceret, ita vt veniam tandem sit precibus consequutus. Quæ igitur causa est, cur Noe mundi vniuersa vniuersi ruina instante Dei misericordiam non precatur, Moyses verò pro vnius tantum populi euersione, tanto cum affectu orat, quamuis alium illi populum, cuius esset dux, Deus polliceretur? Causa hæc fuit, quia tempore Noe nondum Deus promiserat ex aliquo genere determinato humanam se carnem assumpturum, at tempore Moysis iam promiserat Abrahæ generationem mundum esse redempturam, cum dixit. In te benedicentur vniuersæ cognationes terræ. Quare, vt hoc fieret, & in ea generatione, ideò tanto cum effectu pro eo populo Moyses orabat.

Iussus arcam fabricare Noe, Dei paruit iussibus; sed cur iustitiæ præco dicitur, cum non futuram mundi cladem vocibus annuntiauit? 461
quid fecerit Noe legimus, non quid dixerit; quę res indicat potius operibus loquendum prçsulibus, quàm verbis, & ægrè ad sana consilia excipienda loquutione moueri, qui factis, & exemplis non mouentur. Huc facit, quod habet Sanctus Augustinus: *Noe etsi tacebat voce opere loquebatur, silebat lingua,* FABRICATIONE CLAMABAT, *nam vtiq; cum operaretur opus nouum & nulli aliquando completum admonebat omnes nouis periculis, noua tabernacula præparari*. Probi perfectique doctoris munus Noe sustinuit, qui arcam struebat, & simul futuram cladem prædicabat, manibus scilicet & lingua vtebatur, & operabatur, & loquebatur, à qua nota abit, qui ad bona opera alios inhortatur, sed interim ipse otio torpet, & segnitiei indormit.

Adeo ex arcæ fabrica peccatores non profecerunt, vt res risus illis occasio esset, vt non mirum si omnes perierint. *Visa res*, inquit Sanctus Basilius Seleuciensis, *illis cauillationis materiam attulit, & in risus occasionem vertit, res plena timoris, Noemum* SVBSANNABANT. Scilicet malorum extrema timenda, cum mali bonorum exemplo adeo non proficiunt, vt eos irrideant, & subsannent. Fabricabat arcam Noe, sed operantem illius æui homines irridebant. Hinc illud Alcimi Auiti lib. IV. Poematum.

Nam multi lymphis obstacula tanta parantem
IRRISERE VIRVM, *moles quod clausa moueri*
Fluminibusq; dari nequeat, quam forte vel ampli
Euphrates Nilusq; queant vix claudere ripis.

Illorum insaniam, qui Noe irriserant, & in extremo vitæ termino ad arcæ ingressum cogitabant sic nobilis auctor expendebat: Vidisses quosdam repente superiora domus, alios etiam tectorum cacumina conscendere: non nullos item excelsarum arborum ramos scandere,

dere, alios vero cum festinatione ad cnllium montiumque iuga se proripere: sed frustra, nemn enim hanc aquarum vim & impetum euadere potuit. Vbique pauor, vbique tremor, ò quam dnlebant tunc, qund Noe hæc comminantem non audierant, sed irriserant, ò Noe, quam sapuisti, inquiebant: ò nos dementes, quam insani, quam stolidi fuimus, ò si iam liceret arcam ingredi, quam cuperemus etiam tota vita, in ea inclndi potuimus, aliquando sed noluimus: nunc volumus, sed non possumus.

Instante diluuio eò deuenit malorum malitia, vt de nccidendn Noe cngitarent; scilicet tunc peccantes videntur cnnclamati, cum hoc suis sceleribus adijciunt, *vt in iustos quoq; incipiant sæuire*, & eos cogitant perdere, quos tamquam adiutores deberent accersere.

Vtile est, quod ex arcæ figura colligebat
463 B. Laurentius Iustinianus; dabo hic eius verba, nam tract. de orat. cap. 8. ita loquitur: *Actiua vita multorum est, contemplatiua paucorum. Quod* IN NOE ARCA *figuratum fuit, de qua dicitur, quod inferius erat lata, & in cubito summitas consummabatur. Videmus enim multos in Ecclesia superbire, lasciuire terrenis rebus, irasci, rixari, & proximum lædere, sed quia illos Ecclesia tolerat, quasi in latitudine arcæ bestiæ fuisse referuntur. Videmus alios aliena non rapere, illatam iniuriam æquanimiter tolerare, rebus proprijs contentos esse, humiliter viuere, & diuinis solicite famulari præceptis, sed quoniam iam pauci sunt, angustatur arca. Cernimus verò nonnullos possessa relinquere, nullum terrenis rebus studium dare, inimicos diligere, carnem domare, omnes motus ratione premere, atque per cœleste desiderium contemplationis penna sublimari, quoniam autem sunt pauci, arca iuxta cubitum consummari perhibetur, vbi homines & volatilia continebantur.*

Struxit arcam Noe, omnium ipse virtutum domicilium factus; in arca struenda maximè eius enituit patientia, enituit cum illam subiuit, egressus ab illa est; sic eum efferebat Sanctus Zeno serm. de patientia, dum ait: *Noe cataclysmum, quo omnis caro funditus deleretur, denuntiante Deo imminere per momenta & credit, & timet: arcamque, cum suis vt saluus foret, quam iussus est facere, non præcipiti festinatione compingit: nec tantum munus quasi præsumptor, aut demens rapit, sed* PATIENTER ÆDIFICAT, PATIENTER EXORNAT, PATIENTER VARIIS ANIMANTIBVS REPLET; *quando ingredi iubebatur, quando ianuam claudere, patienter expectat, dignus euadere, qui in tanto orbis metu non festinauit euadere.*

Ex diuturna areæ fabricatione vtile elicuit documentum Raulinus dum ait: *Si Noe* CENTVM ANNIS *arcam fabricauit, in qua se ad horam à temporali morte saluaret, quanto magis arcam, id est, animam toto tempore vitæ nostræ debemus præparare, vt mortem æternam possimus euitare? Est enim vita nostra quasi naufragium, & esse nostrum quasi momentaneum, ideo in hoc corpore nunquam debemus esse securi, maximè cum horam illam vltimam nesciamus, vt omnis hora sit nobis suspecta.*

Fuit qui ad Eucharistiam rem transtulit, colligens quam seria solicitaque præparatio præmittenda sit huic mensæ accubituro. Aptè rem vrget Thomas à Kempis dum ait: *Noe vir iustus in arca fabrica centum annos laborauit, vt cum paucis saluaretur. Ego quomodo me potero* VNA HORA PRÆPARARE, VT MVNDI FABRICATOREM CVM REVERENTIA SVMAM? Hinc Sanctus Philippus Nerius censuit rem non esse exigui temporis spatio exercendam sed ad vitam totam extendendam, vt fallantur, qui spatio vnius quadrantis horæ putant se plenè suo muneri satisfecisse, si communicaturi tantillum temporis in hoc apparatu, idq; admodum ieiunè insumant.

Non lego Noe rei difficultate territum; satis illi fuit rem à Deo iussam, ordinatam à Deo; *Cum iussit Deus Noe*, inquit ille, *vt cuiuscunque generis animalia arca includeret, dicere sanctus vir potuisset, quo nam modo tam diuersa animalia, per orbem dispersa colligere potero? quomodo leones, tigres, vrsos, lupos domare & mansuefacere? Præuenit huic difficultati Deus dicens, bina ex omnibus ingredientur tecum, idest sine vllo labore ipsamet sponte sua arcam ingredientur. Ego qui hoc iubeo modum etiam quo fieri facile possit dabo.*

Parauit arcam Noe; & licet per multos annos non destiterit etiam verbo omnes ad pœnitentiam inhortari, id tamen præcipuè arcam ingressurus fecit: *Non est dubium*, inquit ille, *quin iam arcam ingrediens ad extremum mundo* CONCIONATVS SIT POENITENTIAM, *prædicens diluuium post paucos dies instare*, sed vt ante per annos centum viginti contemptus, & irrisus fuit, sic in extremo quoque contemnitur, & irridetur, & quales homines vixere tales moriuntur, tam est verum ægrè in vitæ confinio pœnitentiam iniri.

CAP. VII. GENESIS
Expenditur, & illustratur.
Sectio I.

Bonus aliorum *doctor* euadit, qui mala *perpessus* est. 464.
Dei Zelus in homine & *clementia*.
Dei *prouidentiæ* non humanæ *industriæ* bona adscribenda.
Illi verè *iusti* qui in oculis *Dei* non vulgi tales sunt. 465.
Summa viri *laus patientia* in aduersis.
Ad *perfectionem* omnes inuitantur.
Adulationis vmbra cauenda. 466.
Vel ante collata *beneficia* de *gratiarum actione* cogitandum.

Dixitq́ Dominus ad eum: Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam.

464 PRouidebat nimirum Dominus genus humanum post diluuium per homines, quos arca seruauit, restaurandum. Sed cur non potius omnes deleuit, & de nouo omnes condidit? An vt hi aliorum calamitate docti, Dei iram timendam docerent, & solicitè Deum prædicarent? Pulchrè ille: Posset Deus alios homines de nouo facere, qui mundum instaurarent, cur maluit hos paucos seruare? Vt hi videntes communem cæterorum omnium cladem magis salutem suam æstimarent, indeque Deum anxius PRÆDICARENT. Scilicet bonus aliorum doctor euadit, qui mala perpessus.

Ingredi iubetur in arcam Noe cum suis, vt saluaretur; sed cur non potius eum reseruare voluit, & non potius peracto diluuio nouos homines creauit? An Dei in homines zelus id fecit, ne scilicet alius esse creator quàm primus crederetur, & in homines pronior, ac erga humanum genus clementior? *Fortè*, inquit Sanctus Basilius Seleucienfis, CREATOR ALTER *mendaciter obtrusus fuisset, hominum generi amicior, quàm prior*.

Arcam ingens illud ædificium nominauit, cur non *nauem? Quod* CARVERIT REMIS, inquiunt hebræi, *& magis figuram arcæ quam nauis habuerit*. Noluit nimirum Deus remos adhiberi, vt non hominum industria duceretur, sed Dei nutu, quod ad spiritalis etiam arcæ regimen transferas, in qua humanus claudicat labor, si desit spiritus sancti aura.

Te enim vidi iustum coram me in generatione hac.

645 ALioquin verè non est iustus, qui huiusmodi coram Deo non est. Opportunè Oleaster hic: *Admonet*, inquit, *esse iustos in oculis vulgi: de quibus Christus dicit Matthæi* 6. *recepisse mercedem suam. Alios verò in oculis suis: qui miseri & miserabiles, & cæci prædicantur: quare illi* SOLI VERE IVSTI DICENDI SVNT: QVI IN OCVLIS *DOMINI* IVSTI INVENIVNTVR.

Te enim vidi iustum. Vix dixerat Deus eius esse voluntatis, vt Noe arcam quam fabricauerat subiret, cum Noe iustitiam effert, vt statim colligeretur non pœnæ, sed meriti fuisse, quod illi carceri adijceretur. Sed obseruatione est dignum. Deum studuisse, vt ante diluuium efferret Noe, hoc verò non fecisse finito diluuio. Fors quia satis VIRVM COMMENDAVERAT INSIGNIS IN TANTA CALAMITATE PATIENTIA; non indiget commendari, quem fortis in malis tolerantia probat.

In generatione hac. Hac formula est vsus, ne sua laude præteritas generationes priuaret, neque futuris perfectionis aditum occlusum innueret. Rem sic versat Sanctus Ambrosius; *Perpensè autem addidit, in generatione ista; vt neq́ superiores condemnaret, neque* POSTERIORES EXCLVDERET, *rectèq́ diluuium factum adstrueret; interitu generationis eius quæ non haberet consortium æquitatis*. Sic ille de Noe, & arca cap. 11.

Te enim vidi iustum. Cur non addidit & *perfectum*, quod superius eum efferens Moses fecit? *Aduertè*, inquit hîc Oleaster, *superius Noe dictum fuisse iustum, & perfectum: hic duntaxat dici iustum, vel quia supra loquebatur homo nempe Moses: nunc Deus; satis autem superq́ est, vt is, qui videtur hominibus iustus, & perfectus, apud Deum iusti nomen obtineat. Nihilominus attende, quanto maius sit, esse iustum coram Deo, cuius intuitus falli non potest, quàm fuisse iustum & perfectum in generationibus suis pessimis moribus deprauatissimis; quæ quamuis essent alioqui probæ: iudicio tamen falli poterant, homo enim videt, ea, quæ patent: Deus autem intuetur cor, vt ad Samuelem Dominus dixit*. Et verò licet demus loquutum Mosem superius, id tamen fecit ex Dei mente, vt proinde falli non potuerit. Nonnullis interiectis aliter eundem nodum soluit, dum ait: *Vel certè ideo dictus est in superioribus iustus, & perfectus, hic autem tantum iustus, quoniam iuxta ethicem, laudatio longe plenior esse debet, absente eo, quem laudamus, quàm præsente; vt enim par est cunctas absentis virtutes interdum laudando percurrere: ita, si præsentem laudes, oportet nonnunquam quadam illius præclara facta, dictaque alibi pluribus celebranda, non malignè, sed prudenter subticere. Ne vel amplior laus, quamquam debita*, ADVLATIONIS NOTAM SVBEAT, *neue ei, qui laudatur sit incitabulum quoddam, quo superbius de se sentiat. Rara est enim inter mortales tam vera animi modestia, quæ dulcedine laudis non tangatur; quare periculosum est pro meritis, non modo velle laudari, sed laudem quoque admittere, & si eam non appetas periculosum inquam est velle laudari, cui non licet superbire*.

Ex

Ex omnibus animantibus mundis tolles septena, & septena, &c.

MAior fuit mundorum animalium numerus, quàm immundorum, vt indicaret se ad immolationem post arcæ exitum cogitasse; cum de gratiarum actione agitur adeo Dei serui sunt soliciti. *Plura sunt munda*, inquit Vgo, *vt egressus de arca haberet, quid* IMMOLARET. Vt videas vel ante collata beneficia de gratiarum actione cogitandum.

Cur seruari animantia iubet cum ipsis hominibus cum illa cum istos potuerit post diluuium de nouo producere? non casu id factum, sed diuino consilio. Præstat hic sistere quæ habet Sanctus Basilius Seleuciensis: *At noua*, inquit, *non facit, sapienter admodum, ne forte* ESSET ARTIFEX DVBITABILIS, *si nullum eius antiquatum extaret monumentum. Idcirco creationis antiqua symbola retinet. Generis vadoe seruatur, vt prisci operis prima iura cum dignitate retineantur.*

Ex omnibus animantibus in arcam iere, vt
467 illius sæculi homines vel à ratione carentibus discerent salutem quærere. Sed cum vitijs, præsertim carnalibus obrutus homo est, eò euadit, VT MVTIS IPSIS ANIMANTIBVS SIT INSIPIENTIOR.

Tolles septena, & septena. Vt septimum sacrificijs seruaretur. Quærunt interpretes an mas fuerit, vel fœmina. Pererius nodum ita soluit. *Oportuit esse marem,* QVIA MAS *perfectior est fœmina, ob idque conuenientior, & congruentior diuinis sacrificijs.*

Et in arca, & in Paradiso serpens fuit, in illa tamen tentare Dæmon non est ausus Noe, aut eius vxorem, vt tentauit Euam in Adami, virorumque omnium perniciem; nimirum tutius innocentia nauigat, vbi maximæ sunt tribulationum tempestates. Iure exclamauit Sanctus Basilius Seleuciensis: *O arca paradiso firmior, illic namque cum illis* NAVIGABAT SERPENS NEC ALIQVID NOCVIT. *Illic* ADAMVM *prauaricari docebat, hic perfugio* NOEMVM *petit.*

Cum primo producta omnia dicta fuerint valde bona, cur nunc immunditiæ nota animalia aliqua notantur? nimirum vt homines à malitiæ immunditia auocet, vocari immunda sinit quæ condidit. Opportunè Sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus: *Quadam*, inquit, *appellauit immunda, vt superstitione abstinerent, euaderetque legis edictum animæ medicamentum. Ferè Deus creaturarum iniuriam nomine tenus, vt hominum morbum sanet, vt impediat idololatriam, quæ vsque ad animalia procedit. Et immundorum nomenclationem fert in creaturis, vt* PVRVM AB IMPIETATE CVSTODIAT HOMINVM PROPOSITVM.

Mirum, qui in arca tot animalium diuersa
468 genera seruare inter se vnitatem, concordiamque potuerint. Albinus in catena Lippomani: *Sed quid de* PACE ET CONCORDIA, *& vnde se inuicem non debellarent diuersi generis animantia sentiendum est? sicut Dei nutu adducebantur in arcam, ita & Dei nutu conseruabantur in arca. Siue enim mansiunculis secundum genera sua diuidebantur, siue iunctim manerent, Dei potentia gubernabantur.*

Adhuc enim & post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus.

A*Dhuc enim & post dies septem.* Cur adhuc septem diebus diluuium differt? Istella ex hebræis: *Hos dies*, inquit, *ferunt Hebræi diuinitus esse concessos, vt* LVCTVS SOLITVS EX MORTE MATHVSALEM CELEBRARETVR. Tanti fieri à Deo solent, quæ vel ad suorum mortem spectant. Hinc quoq; colligas, quanti Deo placeat ea cura, quæ mortuis impenditur.

Quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Noctem virum referre, noctem verò mulierem, vt vtrius sexus interitus significetur, notatum ab alijs est. Sanctus Ambrosius lib. de Noe, & arca cap. 1. *Aliqui ita acceperunt, qui ante nos fuerunt, vt & virorum & mulierum factus interitus demonstraretur,* DIEM AD VIRVM *referentes, qui sit purior similis lucis:* NOCTEM AD MVLIEREM, *quæ viro dormiente creata describitur: simul quia vir prior quasi auctor, qui virtutem moueat mulieris, atque in partus excitet; actu ille clarior publico, ista obscurior, tanquam domesticis clausa parietibus, & nocti proxima, secundo orta loco, & creationis suæ formata iam costa viri debens gratiam.* Nimirum quantum dies nocti præstat, tantum præ muliere vir virtutibus deberet elucere.

Et delebo omnem substantiam, quam feci, de superficie terra.

E*T delebo.* Innuere hoc verbo Deus vo- 469
luit, se in hominum interitu meliores,klelioraque cogitasse. Hinc illud Sancti Ambrosij: *Pulchrè autem posuit, Delebo, tanquam litterarum apices, qui delentur sine fraude librorum, & sine comminutione tabularum; atramentum deletur, sed lignum manet: delentur elementa, vt* SCRIBANTVR PLERVMQVE MELIORA; *atramentum tollitur, substantia non exterminatur, Delebo, inquit corruptelam carnis, vt scribam incorruptionem, delebo resurrectionem carnis à facie terra, vt scribam in cælestibus resurgentes. Delebo de libro terra, vt scribam in libro vita.* Sic ille lib. de Noe, & Arca cap. 13.

De superficie terra. Cur non de terra dixerit, sed de *superficie terra*, sic ex quorundam mente explicabat Philo Episcopus in Catena græca Fumani, dum ait: *Quid sibi vult illud: delebo omne exurgens quod feci à facie terra? aiunt nominatum non de terra se deleturum, sed à facie terra, hoc est,* A SVPERFICIE: *vt videlicet potestas vitalis omnium seminum in profundo intrinsecus residens, incolumis atque illæsa seruaretur ab omni eo quod posset vastare & offendere; sui enim propositi non erat oblitus creator; sed ea quidem quæ sursum*

& per ipsius terræ superficiem suos motus haberent, deleuit: eorundem verò radices in profundo latentes ad alia gignenda propagandaq́ reliquit.

Sectio II.

Obedientia nota omnia perficere, quæ iubentur. 470.

Iustorum *virtus* maximè inter *malorum* tenebras elucet.

Noe patientia & longanimitas expenditur.

Noe exemplo quid præstare quisque potest in mentis suæ *arca*.

Qui iustos *irrident* tandem *confusi* remanent.

Impiorum *irrisiones* ad Dei *imperijs* nemo se sinat amoueri. 471.

Vulgi & *errantium* sensui nemo subscribat.

Vnum *opus* secuturi operis veluti *germen* sit.

Superior plus *honorandus*, qui plus pro subditis laborat. 472.

Pænitentiam vsq; ad finem differre quam periculosum.

Veræ *diuitiæ* in *mortis* cogitatione sitæ.

mx quid; *obedientia* vera imperantis menti se aptat.

Deus etiam auctor *diluuij* voluit agnosci.

Diluuium Deus misit cum rerum copia humus diues esset; vt hominis ingratitudo magis torqueretur. 473.

Patientia Dei peccatores ad *pænitentiam* expectantis expenditur.

Prædicator, quod verbis profert, *operibus* firmet.

Cum *feliciora* homines sibi promittunt, tunc *pœnam* expectent.

Aliorum *pœna* aliorum eruditio est. 474.

Quàm difficilè Deus *peccatores* puniat.

Dei *misericordia* ad *pænitentiam* omnes vocantis expenditur.

Defensionis prætextum vt à *peccatoribus* Deus exemerit. 475.

Conclamatæ *malitia peccata* augere cum animæ saluti consulendum esset.

Suos à malorum *sæuitia tueri* quàm facilè Deus possit.

Qui in *Communitate* degunt, *Communitatis consuetudini* se aptent. 476.

Bestias obedientes habuit *Noe* Deo *obediens*.

Fecit ergò Noe omnia, quæ mandauerat ei Dominus.

OMnia fecit, nihil prætermisit. Obedientia quæ integra non est, obedientiæ titulum vix, aut ne vix quidem meretur. Vera obedientia est, quæ plena, quæ nihil negligit, nihil omittit; Pulchrè hæc verba in iusti laudem expendit S. Chrysostomus: *Fecit Noe omnia quæcunque sibi præcepit Dominus Deus sic fecit, videas & hic encomium amplum fecit, inquit, omnia quæcunque præcepit ei Dominus Deus,* NON ALIVD QVIDEM OPERE EXEQVEBATVR, ALIVD AVTEM NEGLIGEBAT: *sed omnia quæ præcepta erant, fecit; & sic fecit, vt præcepta erant ei: nihil intermisit, sed omnia impleuit, & operibus suis probauit, quod iustè beneuolentiam Dei assecutus sit.* Hactenus ille hom. 24. in Genesim.

47

Noe exemplum euicit etiam inter malorum tenebras posse aliquem virtutibus splendescere. Benè Ioannes Eusebius: Noe iustus ille, cum in illa pessimorum hominum colluuie versaretur, non dixit Deo propterea OPORTERE SE EXIRE DE MVNDO, quòd reliqui omnes improbi essent, sed eo magis more generosi, ac fortis athletæ ad hæc ocealescens se obdurauit, & in profundissimo vitiositatis pelago pietatem à tempestate incolumem conseruauit; neque vlla in re Domino prorsus repugnans fuit; sed patientia, tolerantiaque pietatis nauigium in medijs impietatis fluctibus tutatus est.

Eratque sexcentorum annorum, quando diluuij aquæ inundauerunt super terram.

NOe in condenda arca fidem diligentiamq́; ac longanimitatem hinc conijcias. Rem sic expendebat S. Macarius Senior hom. 9. ait enim: *Noe quingentesimo anno iussus à Deo præparare arcam, propterea quòd Deus promisisset inducturum se diluuium super terram: & cum sexcentesimo anno illud induxisset, centum annos longanimiter tulit, in nullo dubitans, an Deus facturus esset, quod promiserat, an non: verùm certò sibi persuadens, quòd quæ Deus dixisset, sine dubio euenire oportebat; ille itaq́ integer voluntate, fide,* PATIENTIA, ET LONGANIMITATE *multâ repertus, solus saluatus est cum sua familia, quia mandatum Dei diligenter obseruauerat.*

Et ingressus est Noe, & filij eius, vxor eius, & vxores filiorum eius cum eo in arcam propter aquas diluuij.

QVod præstitit Noe, cum in arca esset, vt quisque in se ipso possit exercere aptè docet his verbis Sanctus Ambrosius lib. de Noe, & Arca cap. 9. *Quis est*, inquit, *iustus in nobis nisi mentis vigor, qui intra istam arcam includat, omne animantium genus, quid est super terram?* COHIBE ERGO ET TV OMNES IRRA-

IRRATIONABILES PASSIONES TVAS, *omnesque sensus tuos menti subijce, animique imperijs assuesce. Euolare foras non sinas cupiditates tuas, exire in vulgus libidinem: & per rationabilem mentem poteris etiam irrationabilia tua, & immunda peccata ab omni periculo diluuij liberare.*

Illos qui extra periculum Noe irridebant in ipso ad ipsum cogitasse, seque incredulitatis iniustæ iustè arguisse nonnulli censent: Quis dubitat, inquit probæ notæ auctor, homines tempore Noe, quando iam viderunt diluuium inualescere, se ipsos redarguisse ac dixisse: ò Noe, ò Noe quam fideliter nos monuisti, quam verò nobis Noe & consolator eras, ò si nunc adesses, quam promptè, quam hilariter ad tuam nunc vellemus adnatare arcam, quam miseri & cęci fuimus, qui dicenti non credidimus. Nimirum qui IVSTOS IRRIDENT, tandem confusi remanent.

471 Fuisse qui Noe arcam fabricante irriserint, verosimile est, vt etiam superius tetigimus; sed ipse aliorum ludibrijs non est motus, vt diuinis pareret imperijs. Noemus, inquit ille, haud dubiè ab omnibus fastiditus & irrisus, omnium conuitijs, maledictis, sibilis, sputis etiam notatus est. Voces illorum fuerint. Sinite delirum vetulum, finite morosam fabricam moliri, forsitan sibi struit sepulchrum. AT ILLE DICTIS ET CACHINNIS MINIME MOTVS, DIVINIS PAREBAT IMPERIIS, ille vnus omnium vitam & mores scelestos, tam vita & moribus, quàm monitis & exhortationibus arguebat: hinc veluti fanaticus senex omnibus exosus, omnium fuit ludibrium.

Viuebat inter malos Noe, sed bonitati litabat, non malitiæ; puteos referebat, quorum aquæ hoc minus frigent, quò extra maius frigus ambientem aerem obsidet totum. Aliorum se non aptat ingenijs Noe, non assentitur pluribus, pluribus non subscribit, licet aliquæ cogitationes virum ad aliorum vitam inuitauerint. Hinc illud illius: Noemum vtique cogitationes istæ sæpius sollicitauerint. Num ego inter tot millia hominum solus sapiam? num cæteris omnibus sim sanctior? num mihi vni seruatur cœlum? In odium & offensionem omnium incurram? omnibus me inuisum faciam? ab vniuersorum moribus me disiungam? vix fieri potest tantæ multitudini non quandoque suffragari, inter tot malos tam strictis religionibus virtutem adorare: aliquid nonnunquam amicitiæ tribuendum: Deus dabit veniam. Velle ac posse grandibus sæpe distant interuallis. Torrenti non facilè resistendum. Prudentiam inter & sanctimoniam sancienda est concordia. Non omne continuo malum est, quod plurimi, quod omnes faciunt. Medium tenuere beati. Non omnia igitur plebis studia probanda, non damnanda omnia. HAS NOEMVS COGITATIONES EXCLVDENS, ET IIS LONGE SANCTIORES SVBSTITVENS: Pro alijs, aiebat, non respondebo Numini, sed pro me, meaque familia. Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur. Eandem nos circumferamus mentem, ne si vulgi sensui subscribamus, eandem cum errantibus subeamus pœnam:

De animantibus quoque mundis, & immundis, &c.

ANimalia ex omnibus speciebus seruanda in arca Deus iubet, licet potuisset omnibus deletis absoluto diluuio producere, quod factum etiam ob hanc causam, *ne creator*, inquit S. Basilius Seleuciensis, *veniat in opinionem* RETRACTATI CONSILII. Et vt ab hoc disceremus opera operibus intexere, vt vnum semper opus SEQVVTVRI VELVTI GERMEN sit.

Placet cum Adamo conferre Noemum ille nomina imposuit animalibus, iste morti vt subduceret tantum laborauit; quis ergo in hac re maior, quis honoratior? Sanctus Basilius Seleuciensis sic Noemum alloquitur: *Esto* HONORATIOR *animalium Dominus, quàm Adamus, dedit ille nomen, tu salutem confers*. Scilicet ille plus honorandus, qui plus pro subditis laborat. 472

Videbant illius æui homines animantia muta ad arcam ire, vt in ea saluarentur, tam stolidi tamen fuere, vt eos à brutis vinci in hac re non puduerit; tanti refert impœnitentiam vsque ad finem tulisse, & resipiscendi tempus opportunum neglexisse.

Non lego in arcam aurum, argentumque deportasse Noe, non lego diuitias in illa reposuisse. Satis diuitiarum habuit, animi, animæque OPES dum quæsiuit. Nisi quòd, vt nobilis auctor dixit, Noe Adami cadauer, & ossa in arca reposuit, tanquam diuitias. Certè VERARVM DIVITIARVM PARENS MORTIS COGITATIO EST, & omnium calamitatum, tribulationumque fluctibus superior est, qui se mortis memoria munit, secundusque vitæ nostræ est cursus, quem mors serio cogitata dirigit.

Sicut præceperat Dominus Noe.

SIcut præceperat Dominus. In fonte: כאשר צוה quemadmodum iussit; verbum porro צוה non nudè præcipere significat, sed etiam velle, vnde & vertas: *Sicut voluit Dominus*; in qua re veri obedientis formam habes, qui non ad nuda imperantis verba spectat, sed præcipuè EIVS MENTI SE CONFORMAT. Iubentis verba non plenè implet, qui eius voluntatem non exsequitur.

Cumque transissent septem dies aquæ diluuij inundauerunt super terram.

CVr cum arcam Noe subijsset adhuc septem dies Deus expectauit, vt aquas diluuij mitteret? Sanctus Ambrosius lib. de Noe, & Arca cap. 13. sic rem expendit, expeditque: *Illud quoque studio est quærere, quæ causa est, cur postquam ingressus est Noe in arcam, & induxit*

animantia, post septem dies diluuium factum sit; non enim otiosum videtur, quòd aut plures, aut pauciores interpositi sunt dies, sed tot quot in constitutione mundi fuerunt. Sex enim diebus factus est mundus, septimo die requieuit Deus; ab operibus suis; QVO DECLARAVIT INDICIO IPSVM SE ESSE AVCTOREM MVNDI, ATQVE DILVVII. *Mundum propter bonitatem suam condidit, diluuium fecit nostrorum merito delictorum.*

473 Diluuium tunc Deum orbi immisisse cum rerum copia humus diues esset, vt sic acrius pereuntes torquerentur obseruat Sanctus Ambrosius lib. de Noe, & arca cap. 13. *Tunc ergo fecit diluuium, quando dolor eorum maior foret, qui in sua abundantia puniebantur, tunc vltio terribilior tanquam dicentis Dei, ecce omnia secundum liberalitatis diuinæ prouidentiæ gratiam diues natura generauit, omnia in vsum hominum germinauit terra fœcundior, segetes spectantur, tritico & horreo campi replentur, comæ arborum venturi fructus floribus vestiuntur; non deest terra obsequijs suis, non bestiæ desunt muneribus suis, quæ solemnes soluuntur in partus, vt homini nihil desit: homo solus partubus suis deest, nescit auctorem suum, à quo ei omnia ministrantur, negligit conditorem. Despicit homo remuneratorem suum, cum Deus opus suum non despexerit; pereant cum homine omnia, propter quem nata sunt omnia;* sicque fieret vt hominis ingratitudo magis torqueretur.

Anno sexcentesimo vitæ Noe, mense secundo septimo decimo die mensis rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ.

A*Nno sexcentesimo*. Sed cui rei annus Noe arcam subeuntis nunc describitur? An vt hinc constaret centum annos in arcæ fabrica consumptos, *ad ostendendum*, inquit Liranus, PATIENTIAM DEI EXPECTANTIS PECCATORVM POENITENTIAM, *& admonentis, eos de pœnitentia per ædificationem arcæ, & ipsius Noe prædicationem*.

Habes in Noe veri prædicatoris formam, arcam fabricabat, & verbis admonebat; scilicet suo satisfacit muneri prædicator, qui quod VERBIS PROFERT FIRMAT OPERIBVS, si manu aliud non loquatur, quàm dicat lingua. Plures reperire est, qui bona alijs enuntiant, sed arcam sibi, alijsque non fabricant, quia ea non præstant, nec opere complent, quibus suæ saluti, & aliorum consulant.

Mense secundo. Scilicet eo anni tempore diluuium Deus immisit, cum feliciora omnia homines sibi promittunt. *Obseruandum est*, inquit Ferus, *quòd Dominus eo tempore anni diluuium misit, quod homines vel maximè delectat, quo & maximè inuite moriuntur, vt est mensis Maij, secundum eos qui annum incipiunt ab Aprili, vel tempus Autumnale secundum eos, qui annum à Septembri incipiunt, tunc enim fructus comportati sunt. Vt igitur esset* MAIOR IMPIORVM DOLOR, *eos perdit cum minimè omnium vellent, imò cum nihil non lætum sibi pollicerentur.*

Et facta est pluuia super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.

PAulatim diluuij aquæ cecidere, cum posset Deus momento omnes homines omnia animantia delere; nimirum aliorum morte alios vocare volebat ad vitam, & ad pœnitentiam prouocare. Opportunè rem versat Sanctus Chrysostomus hom. 25. in Genesim: *Quòd quadraginta diebus, & quadraginta noctibus inductum est diluuium, & istuc ipsum bonitatis maximum specimen est; volebat enim propter magnam misericordiam, etiam aliquos ex eis castigatos generalem hanc internecionem effugere, cùm antè oculos viderent proximos suos perire, & imminere sibi communem interitum*. Scilicet aliorum pœna, aliorum eruditio est, & aliquos Deus punit, vt omnes informet. 474

Productius diluuium fuit, quàm rerum omnium creatio fuerit, vt vel hinc discas, quàm ægrè Deus ad peccatoris punitionem feratur. Perpensè Oleaster hîc: *Sex diebus*, inquit, *cuncta creauerat, quæ quadraginta diebus delet, vt ostendat, quàm difficile illi sit* PECCATORES PVNIRE.

Ex diluuij aquis, quæ diebus quadraginta, & quadraginta noctibus cecidere, ita Dei misericordiam ad pœnitentiam homines inuitantis colligit Sanctus Chrysostomus hom. 24. in Gen. *Quid inquam vno die, vno momento posset, sed hoc dedita opera facit, volens simul &* TIMOREM *incutere, & occasionem præstare, qua possent pœnam quæ iam in foribus esset, effugere.*

Præterea diluuium ita produxit, vt omnem excusationis prætextum præcideret; rem sic explicat idem Sanctus Doctor eodem loco: *Verisimile est primo die bonam aliquam partem diluuio perijsse, & secundo die accreuisse aliquid diluuij: & similiter die tertio, & quarto, & reliquis; atque ita in quadraginta dies, & quadraginta noctes produxit, vt omnem* DEFENSIONIS PRÆTEXTVM ADIMERET; *nam si voluisset ac imperasset, potuisset omnia in vno momento perdere diluuio, sed pro sua clementia tanta dierum productione vsus est.* 475

In articulo diei illius ingressus est Noe & Sem, & Cham, & Iapheth, filij eius.

IN articulo diei illius in arcam ingressus est Noe, cur non potius id fecit in meridie? Aiunt aliqui prudenter se ab impiorum manibus exemisse, qui mortem illi minabantur. Scilicet CONCLAMATÆ MALITIÆ viri tunc maximè incumbunt sceleri, cum par esset, vt suæ saluti operam darent.

In articulo diei illius. Idest vt aliqui exponunt die iam claro, cumque iam dies præcessisset in luce. Sed cur non potius nocte, aut die nondum penitus illucescente, sed iam in tenebras vergente ingressus perhibetur Noe arcam? *Hoc*, inquit ille, *ostendit Deus, potuisse*

ipsum

ipsum Noe defendere ab hominum insidijs prædictis, quem viderunt in articulo diei, cum suis arcam ingredi, ET NIHIL EI NOCERE POTVERVNT, *sicut cogitauerunt*.

Ipsi & omne animal secundum genus suum, &c.

476 IN arca à carnibus animalia alioquin carniuora abstinuisse multorum sententia est, prouidente Deo aliquem alium cibum, quo sustentarentur. Vt sub eo typo, inquit peritus ille auctor, insinuaretur eos qui in communitate degunt, debere plerumque naturalem appetitum defraudare, vt COMMVNITATIS CONSVETVDINEM SEQVANTVR; ne confusio aliqua oriatur.

In arca cum feris clausus Noe, à feris nihil timet; scilicet obedientes bestias habet, qui Deo obedit; & verentur bestiæ eum, qui Deum reuerebatur. Sanctus Augustinus serm. 46. de Tempore hæc habet: *Nec expauescit vir iste, quod cum eo sunt feræ in arca: imo ibi agnoscit ordinem suum feritas; quia se cognouit humanitas;* ET IVBENTI HOMINI OBEDIVNT, *quia hominem superiori Domino obedisse cognoscunt*.

Sectio III.

Et inclusit eum Dominus deforis.

CLausit foris ostium Dominus, foris bituminauit, ne per rimas aqua in arcam ingrederetur; adfuit Dei auxilium, quò hominis ars, visque pertingere non potuit: *Deus*, inquit Beatus Dionysius, *ministerio Angeli clausit ab extrà ostium arcæ, liniendo illud bitumine, ne ingredi possent aquæ per aliquas rimas. Sic autem non potuit Noe intus existens ostium claudere, seu deforis bituminare; idcircò vbi* DEFVIT HVMANVM SVBSIDIVM, ADFVIT DIVINVM. 477

Tam diligenter Deus arcam clausit, ne aquæ arcam subirent, alij factum etiam putant, vt tutum Noe, & filios ab impudicitiæ suæ redderet. Sic hominem inclusit, inquit bonus ille auctor, quia ita vniuersale malum est impudicitia, vt si per fenestram inspexisset Noe castissimus & filij eius FORTE INFICERENTVR HOC VITII FOETORE, nam audientes, videntes & loquentes facile eo fœdantur. Impuri adeo vitandi, vt videndum ne, si fieri possit, videantur. Licet qui illæsum seruauit extra arcam seruare & intra illam potuerit.

Clausit à foris ostium Dominus. Cur non id Noe voluntati permisit? *Ne videns*, inquit auctor ab aureo ore, *generalem omnium interitum*, MAIORI DOLORE *conficeretur*. Quin misericordia motus, tentasset in arcam introducere quos potuisset, præsertim cum miserorum, & pereuntium vocibus, ac eiulatibus eius viscera concuterentur. Addit idem Sanctus Pater iustorum esse malis compati dum puniuntur: *Si expendisset*, inquit, *secum atrocissimam illam tempestatem, descripsissetque in mente humani generis perditionem, communem brutorum omnium interitum, & hominum, & iumentorum, & ipsius terræ (vt ita dicam) abolitionem; mæstitia correptus, & valde turbatus fuisset; quamquam enim erant improbi, qui peribant: attamen* BONORVM VIRORVM ANIMÆ MAGNAM COMPASSIONEM HABERE SOLENT, *si quando vident puniri homines, & inuenies omnes prophetas & iustos plurimum pro illis Deo supplicare*. Hactenus ille hom. 25. in Genesim.

Clausit Deus arcam; prius in tuto iustos ponit, quàm impios perimat, vt in vel ordine innuetet, quàm cordi iusti ei sint; præcipuè curat, quod ei præcipuum, & quod magis placet primò fit. 477

Clausit à foris arcam Deus, vt vel hinc conijcias

cias, quanti ab eo Noe fierent, & vniuersè, qui tribulationes ad eius gloriam & iuxta diuinæ voluntatis normam sustinent, Benè Delrius: *A foris arcam claudit, non vt malefices carceri includens sicut clausit angeles impios. Sed vt solemus* CYMELIA, *& res nobis carissimas, ne quid illis noceat.*

Claudi arcam iussit Deus, ne nimis timoris fenestra Noe iusto aperiretur; sic philosophatur Sanctus Chrysostomus hom. 25. in Genesim; *Merito ordinauit Deus* CLAVDI ARCAM, *vt ne videret iustus, quæ fiebant; nam si nos post tot annorum numerum, & post tot secula audientes dumtaxat scripturæ narrationem metu & stupore corripimur: quid verisimile est iustum illum fuisse passurum, si quidem oculis vidisset intolerabilem illam abyssum? quomodo enim potuisset vel ad breue tempus resistere? an non statim primo aspectu defecisset anima illius tota, & tam graue & molestum spectaculum ferre, vltra non potuisset.*

Porrò Arca ferebatur super aquas.

ARca cò ferebatur, quò eam vndæ impel-
478 lebant; id vt nobis præstandum sit his
versibus docet Alcimus:

Queq; vocant vnda sequitur iam mobile pondus
Sic nos seruati meliora in tempora, mundo
Cedere discamus dum ducimur; omne resistens
Si FLECTI NESCIAT *metuat vel pondere frangi;*
Sed sic cedamus fluxum, ne sentiat intus
Peccatumue trahat mens impenetrabilis vllum.

Igitur qui frangi non vult sinat se flecti, ita tamen vt culpa animam non subeat.

Malorum ruina adeo bonis non officit, vt sit velut salutis illorum fundamentum; docuit hoc Noe arca, quæ diluuio, in quo cæteri perierant superferebatur. Hinc illud S. Prosperi:

Non quia non alios populos Deus edere posset
Sed multis fractus morbis, vt semine ab ipso
Idem homo in Christi corpus nascendo veniret,
Vtq; Deo iusto meritorum iudice, partam
Nescemus REQVIEM *sanctis in* CLADE *malorum.*

Ferebatur super aquas arca. Idem præstare Ecclesia debet, nullis scilicet aduersitatibus vinci, *Quod arca in diluuio*, inquit Sanctus Hieronymus, *hoc Ecclesia præstet in mundo*. Nec aliud à quacunque anima exigatur, quæ in Ecclesiæ arca est.

Eædem aquæ malos obruunt, & iustos, qui in arca ferebantur, efferebant; idem tribulationes præstant. Hinc illud illius: Diluuij aquæ quæ peccatores omnes submerserunt, arcam in qua iusti versabantur extollebant. Vt dicitur, arca ferebatur super aquas, consumptaque est omnis caro, quæ mouebatur super terram, ita etiam TRIBVLATIONES, quæ malos sua impatientia submergunt, iustos ad maiorem perfectionem & meriti gloriam patientia extollunt, ideo D. Paulus dixit, diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

479 Ob concordiam, quæ inter animantia in arca seruabatur factum est, vt fidelium nobilis titulus esset, *Noe arca dici*. Huc facit, quod habet Sanctus Gregorius Nazianzenus: *Cum alij alio quodam ornamento, vel maiori, vel minori, præditi sint, nostri ouilis maximè proprium erat, quod minimè infringi posset, atque ab omni seditione abhorreret; itaut persæpe Arca* NOE VOCATI *simus.*

Inter diluuij vndas illæsa arca fuit. Quod in arca factum, idem fieri à Ciuitatis præsule debere, vt suæ fidei commissos seruet, docet Sanctus Gragorius Nazianzenus: *Noe arcam fidei suæ commissam accepit, & secundi mundi semina paruo ligno credita, atq; aduersus aquarum vim conseruata: hic autem impietatis diluuium effugit, suamque Ciuitatem,* ARCAM SALVTIS *effecit, in hæreticorum vndis facilè & leniter supernatantem, atque ex eo vniuersum orbem recuperauit*, Sic ille orat. 20.

Consumptaq; est omnis caro, quæ mouebatur super terram, &c.

MIrum quòd tot in diluuio pisces nihil mali sint passi, nec cum cæteris animantibus perierint. Cur id factum? *Dico*, inquit peritus ille auctor, *quia omnis caro est incitatrix peccati luxuria, quod non sunt pisces: imo debilitant homines, & sensualitati sunt contrarij, & idcirco præcipimur piscibus ieiunare. Si ergo Deus de carne supplicium sumit, ea quod huic peccato solet fauere,* QVID ERIT DE MISERO HOMINE, *qui Sathanæ efficitur instrumentum, vt verbis, promissionibus, & comminationibus quidem innocentes, ac synceras personas solicitet.*

Omnes diluuium sustulit; scilicet multum 480
illis timendum, qui nihil timent. *Hi*, inquit Sanctus Chrysostomus hom. 2. in Epist. ad Philem. *qui sub diluuio fuere,* SI MINAS TIMVISSENT, *nunquam ad experimentum rei peruenissent. Et nos itaque si timuerimus minas, facta non sustinebimus.*

Audis omnia perijsse, consumpta fuisse omnia, sed maxima, plurimaque commoda à diluuij aquis pullulasse nefas est ambigere. Aptè idem S. Ioannes Chrysostomus: *Ergò ne id solum habemus, quod de diluuio dicere possumus, nullaque ex eo prodijsse emolumenta docemus? dici profectè non potest,* QVANTVM VTILITATIS, *& his, qui illa inundatione periere, & cæteris postea futuris inde comparatum sit; illi enim vlterius in vitijs, ac flagitijs progredi permissi non fuerint: qui autem post illos secuti sunt, maiora etiam quàm illi, atque excellentiora lucra retulerunt, fermento (vt ita dixerim) materiaque malorum è medio sublatis extinctisque peccatoribus; nam si etiam sine exemplis mala homines per se facilè inueniunt: quid non facturi existimentur, si plurimorum exemplo ad perniciosos actus inuitentur?*

Et cuncta in quibus spiraculum vitæ est in terra mortua sunt.

CVncta in diluuio periere, nec gigantibus fortitudo profuit, nec diuitibus opes, nec magnis dignitates, nec mulieribus pulchritudo, quod

quod expendens Ferus aiebat: *Nihil hic profuit mulieribus sua pulchritudo, nihil gigantibus sua fortitudo, omnes perierunt, non saluatur rex per multam virtutem, nec diuitiæ* QVICQVAM PROSVNT IN DIE VLTIONIS, *non igitur in his rebus sperandum & confidendum.*

Remansit autem solus Noe, & qui cum eo erant in arca.

481 Sed cur sæuientis Dei iram placare precibus non studuit Noe? Oleaster hic nodum hunc ita soluit: *Non possum satis mirari, qualiter sine lachrymis, & suspirijs vir iustus Noach potuerit videre omnium hominum cladem, iumentorum, & volucrum extinctionem:* QVARE IRÆ DIVINÆ PRECIBVS NON OCCVRRERIT: *Quod ex timore fecisse non dubito. Licet enim Domini sententia pronuntiatus sit iustus, se tamen talem non arbitrabatur, vt sideret suis precibus diuinam iram posse reuocare: tum etiam quia videbat Deum omnino decreuisse. Vniuersum delere. Nam de Abrahamo; qui maxime charitatis esse probatur: legimus, non orasse Deum pro suo nepote Loth: cum videret Angelos euntes ad vrbes subuertendas. Cum enim sibipsis timeant iusti: non mirum si pro alijs etiam consanguineis non deprecentur, & misericordior inuenitur Dominus in consanguineos iustorum, quam ipsi: cum Dominus Abrahæ memor, liberauerit Loth: quem Abraham, quasi suorum immemor, non petierat liberari.* Nisi dicamus Dei iram placare Noe suis precibus studuisse, licet id non legatur, fors fieri eius orationis mentionem Deus noluit, ne irritam fuisse ab hac parte appareret.

Sed cur ij, qui arcam struxerunt cum aduenit diluuium arcam non subiere? An quia praua eorum vita reddebat eos indignos, vt illic essent, quò se iusti receperant? An quia Noe minimè crediderunt? Addit Pepinus & aliam causam: *Solent*, inquit, *tonitrua coruscationes: insolita abundantia aquarum, & similia adeo terrere homines atque eorum sensus perturbare*, VT NESCIANT QVID AGANT, AVT AGERE DEBEANT, *Sic autem fuit in proposito, adeo non mirum si prædicti non intrauerunt arcam eos diuino iudicio perurgente*. Quod ad illud tempus transferas, cum moriturum mortis pericula ab omni parte ambient, tunc enim ægrè salutis arcam subire tot discriminibus circumseptus valebit.

Optimus orbis concionator Noe, nec verbis tantum, sed exemplis pœnitentiam ingerebat, factisque loquebatur, auertendam Dei iram esse; Et MONSTRVM, vt bonus ille auctor ait, videri potuit, nullum, & nec quidem vnicum ad hæc monita è vitijs emersisse. Sed nemini hoc mirum videatur, idem hodieque fit, hæc monstra etiam nunc durant. E cathedris assiduè CLAMATVR, ET NIHIL PROFICITVR, obiurgantur mali mores, sed non emendantur.

482 Cur nulla animalium, quæ in aquis natabant fit mentio, sed eorum quæ in terra, & in aêre degebant? Beatus Alcuinus interrog. 122. nodum ita soluit? *Quare*, inquit, *magis terrena animalia perierunt cum homine, quam aquatilia? Resp. Propter* MALEDICTIONEM TERRÆ *de qua vescebantur animalia terræ.*

Diù in arca fuit Noe, non legimus quid ibi præstiterit; totum orationi incubuisse, scriptores referunt; quò plura, quò maiora in se sensérat esse Dei beneficia, hoc solicitius ad ipsum orationis currebat fusa. Non exprimitur, quid fecerit; satis fuit iustum vocauisse, hunc titulum maximè sustinuit, cum tribulationibus obsideretur. IVSTI NOTA EST, IVSTITIÆ TVNC MAXIME LITARE, CVM ADVERSIS OBSEPITVR, & bonis se operibus exercere, cum à malis exercetur.

Quod diluuij aquis non sit obrutus Noe, Virgini Mariæ tunc futuræ debuit, vt & cæteri Patriarchæ, quòd ab aliquo discrimine fuerint liberati. Hinc illud Sancti Bernardini Senensis: *Propter ipsam nobilem creaturam Deus* SALVAVIT NOS DE DILVVIO, *Iudaicum populum de Aegypto, ac de manibus diuersorum regum tyrannorum, Dauidem de Leone, Vrso, & Saule, & vt breui sermone cuncta comprehendam, omnes liberationes, ac indulgentias factas in veteri Testamento, non ambigo Deum fecisse solum pro huius benedictæ puellæ reuerentia, ac amore, quibus eam Deus in sua prædestinatione cunctis operibus suis ab æterno præordinauit.*

CAP. VIII. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio I.

Si

Si peccati coruus reuertatur ad animam signum est non cessasse diluuium.

Coruum vt referant, qui *tepidè* & sola velleitate ad perfectionis arcam tendunt.

Ægrè *proficient*, qui *tribulationibus* ad perfectionem non vrgentur. 488.

Pœnitentia firmiter, & seriò ineunda.

Coruo pares qui extra se exeunt, nec ad se reuertuntur.

Recordatus autem Deus Noe, cunctorumq́ animantium, & omnium iumentorum,

483 NImirum impiorum interitus, atque deletio delere à Dei memoria iustum non potuit: Recordatus est Noe, qui Deum perfectius erat culturus, quum videret eos omnes peremptos, qui eum à Dei cultu auocare poterant. *Interitus impiorum*, inquit hic Ferus, *alijs qui residui erant, eorumq́ posteris* VTILIS ESSE POTVIT, *nam omnes impij perierant, ergo secure deinceps poterant Deo seruire, cum nullus esset, qui impediret, irrideret, persequeretur, nullus item esset, qui eos ad malum incitaret.* Scilicet maximè vtiles mali sunt, cum non sunt,

Obseruatione dignum est Deum non antedici recordatum fuisse ipsius Noe, quàm diluuio peccatores perijssent. Tunc enim, inquit peritus ille auctor, verè Deus memor nostri est nobisque benefacit; cùm vetus Adam cum vitijs suis in nobis per diluuium contritionis & pœnitentiæ velut submersus interijt. Illorum porrò hominum, qui periere diluuio, dupliciter vtilis fuit interitus paucis illis qui per Arcam seruati sunt: tum quod, omnibus improbis è medio sublatis, neminem habuere post diluuium, qui posset obsistere, quò minus illi rectè viuerent, vel eos insectando atque infestando, vel EXEMPLO SVÆ IMPROBITATIS ad flagitia incitando, tum quod recordatio interitus illorum, instar fræni simul & calcaris esse illis debuit, quo scilicet & retraherentur impietate & iniquitate, & ad percolendam aduersus Deum pietatem, iustitiamque erga homines impellerentur: & illorum mores factaque imitari perhorrescerent, quorum tam atrocem exitum & interitum recordarentur.

Noe memorem Deum fuisse, & animantium audis, cur nulla vxoris eius, nulla filiorum facta est mentio? An quia omnes sub Noe nomine continebantur, & ex omnibus vnum concordia, vnioq́ formauerat? Sanctus Ambrosius ita rem versat: *Memor fuit Dominus Noe, & omnium bestiarum, & omnium iumentorum, &c. mouentur plerique qua causa non dixerit scriptor, quòd etiam vxoris & filiorum, Noe memor fuit Dominus, cùm bestiarum & iumentorum fuerit memor: sed cùm dixerit quòd Noe memor fuerit,* IN AVCTORE ET PRÆSVLE DOMVS NECESSITATES EIVS RELIQVAS COMPREHENDIT. *Simul exprimi videtur quidam reliquarum consensus necessitudinum. Etenim cum omnes inuicem sibi cari sunt, vna est Domus: cùm autem discrepant, separantur, & scinduntur in plures domos; vbi ergo Charitas, ibi senioris nomine de quo pendent cæteri,* DOMVS OMNIS SIGNIFICATVR: *vt si quis arborem dicat, vtique comprehendit & ramos: si quis ramos nominet, etiam fructus, qui in ea sunt; pariter vno atque eodem sermone complectitur.* Hactenus ille de Noe, & arca cap. 16. Felices familiæ, in quibus omnes vnum referunt, vnum sunt.

Cunctorumq́ animantium. Parum fuit Deum hominis recordatum esse, nisi etiam animalium recordaretur, *indicans*, inquit scitus ille auctor, *eximium erga hominem* DEI AMOREM, *curamq́ cuius causa diluuij exitio animalia seruare voluit*; quod enim animalia Deus seruarit hominum gratia fecit.

Cunctorumq́ animantium, & omnium iumento- 484
rum. Per animantia animalia ferociora intelligens, per iumenta mitiora; ac ideirco illa homini viciniora possunt, vt vicinitas illis mititatem afficeret. Pulchrè rem versat Sanctus Ambrosius lib. de Noe, & Arca cap. 16. vbi ait: *Nec illud otiosum, quòd primò dixit, quia memor fuit Dominus Noe, deinde bestiarum postea iumentorum; hoc est cur non animantia quæ mitiora sunt, post hominem nominauit, sed ferociora; in quo videtur illa esse ratio, vt ea quæ* FEROCIORA *erant, vtriusque partis vicinitate* MANSVESCERANT. Tantum vel in brutis vicinitas potest.

Quærunt aliqui quid in arca Noe præstiterit. Otio minimè torpuisse certum est, diligenter visitasse omnes arcæ partes censent nonnulli, *vt videret*, inquit Pepinus, *quàm* PACIFICA *essent animantia & volatilia, ibi quiescentia, & si eis aliquid deesset de necessarijs ad vitam.* Addit. *Secundo occupabat tempus in Dei laudibus, & deinde in instructione filiorum suorum. Docebat enim eos, quod morum, quod vitæ erat, & quod litterarum.* In qua re exemplum habent parentes, quid agere etiam in communibus calamitatibus debeant.

In arca per tot menses fuerit Noe, in eaque 485
multa fuerit perpessus, omnia tamen lenia ei visa fuere, cogitans extra omnia aquis obruta, & cadaueribus repleta. Idem præstent qui in claustris degunt. Rem benè versat bonus ille auctor: Qui, inquit, in arca Noe continebantur quamuis inclusi, & præ multitudine animantium pressi essent, nihilominus tamen singulare hoc eis beneficium videbatur, quia foris omnia erant aquis, & animalium hominumq́ cadaueribus referta. Ita quamuis RELIGIOSI inclusi & subiecti viuant, maximum tamen Dei beneficium existimandum est, cum foris aquis, & cadaueribus plena sint omnia. Si mundi homines aquarum multitudine obrutos, & fluctuum tempestatibus agitatos contemplamini, religiosorum autem quietem & securitatem attenditis, qui in arca iam estis, nunquam gratias Deo agere cessabitis, qui autem foris adhuc estis à Deo maximo cum affectu rogabitis, vt vos in eam recipere velit.

Re-

Requieuitq; arca mense septimo.

ARcam iusti anima refert, in qua summa viget pax, summa concordia, licet foris tempestas, vndarum impetus sæuientium, nec eorum quietem, pacemque interturbat, vt potius prosit, & pacem illorum adaugeat.

At verò aquæ ibant, & decrescebant vsq; ad decimum mensem.

VIdes dies, quibus durauit diluuium plures fuisse illis, quibus aquæ diluuij defecerunt, vt in hoc quoque se Deus proniorem ad benefaciendum probaret, quàm ad puniendum. Peritè hîc Oleaster: *Centum quinquaginta dies diluuium durauit: paucioribus autem diebus aquæ defecerunt,* VT OSTENDERET DOMINVS QVOD PRONIOR SIT AD MISERENDVM, QVAM AD FLAGELLANDVM, *& quod vix ferre possit continuare punitionem. Hoc enim illi peculiare est: vt ad momentum affligat, & ad multos centenarios annorum consoletur, id quod de eo pulchre sanctus Isaias asserit cap. 41. Prædicate annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo nostro. Vbi vides vltionem die claudi, placationem verò ad annum vsque durare. Quod etiam cap. 54. confirmauit dicens. In momento indignationis abscondi faciem meam à te, & in misericordijs sempiternis congregabo te.*

486 Nimirum tunc decrescere aquæ incipiunt, cum stato naturæ ordine solent crescere, vt apertius Dei paterent beneficia. Scitè Sanctus Basilius Seleuciæ Episcopus: *Aestate cœpit inundatio & elata est montiumque vertices demersit, hyeme adulta aquarum abundantia remisit contrarium naturæ legi secuta est ordinem, vt ne quis ex posteritate inaudito diluuio* TERROREM FORTVITVM OPINARETVR, *neue imbrium nubem conciperet & inundationem sub horam hiberni temporis accidisse ratus, formidinem minueret & diuinitus allatam recreationem tempestatum successioni malo adscriberet.*

Sed cur tamdiù durauit diluuium, cum breuiori temporis spatio absumi omnis caro posset, quæ super terram viuebat? Pepinus: *Quia,* inquit, *si cito mortuis animantibus terra diluuium cessasset:* INTOLERABILIS FÆTOR *ex cadaueribus genitus fuisset: qui facilè aerem infecisset. Hoc autem vertisset in periculum animalium, quæ intra arcam reseruauerat Dominus ad multiplicationem aliorum.* Ex quo colligas, plerumque accidere, vt quod quis nudam pœnam esse credat, beneficium sit.

Cumq; transissent quadraginta dies aperiens Noe fenestram arcæ quam fecerat, dimisit coruum.

SEd quî dierum numerum scire Noe potuit in arca clausus, neque solis cursum obseruans? *Si quæritur,* inquit hîc Caietanus, *quomodo Noe nouit fluxum tot dierum clausus in arca absque sensu solaris luminis; respondere potest, quòd* HOROLOGIVM *secum habuit nescio cuius materiæ, quo innotescebant singularum dierum naturalium spatia: sic enim facilè supputabat dies, & menses, more suo in arca.* Nisi quis dicat ex carentia luminis, quod in arcam per fenestram immittebatur, noctes potuisse illum numerare, ac consequenter etiam dies.

Sed cur non ipse Noe per fenestram suis oculis prospexit, vtrum cessasset diluuium, absque eo quòd ad id explorandum coruum, & columbam mitteret? An quia timore illius horrendi diluuij non est ausus per fenestram aspicere? *Iustus ille,* inquit Sanctus Chrysostomus, *nondum per se* AVDET VIDERE, *sed coruum mittit.* Alij id referunt ad fenestræ situm, erat enim in suprema arcæ parte, & ad eius paruitatem, denique licet per fenestram potuisset aspicere non tamen longingua, & remota loca videre poterat, atque adeo per illas aues explorare voluit, vtrum terra siccata esset. 487

Ille quoque in pœnitentiæ signum coruum dimittit, qui peccata ab se ablegat, tantum curetur, ne postea quam dimissum est reuertatur. Pulchrè ille: Non aliud animal dimisit, sed coruum, qui nigredine sua peccatorum actus denotat: tum etiam, quia mortuorum corporibus vescitur. Verùm non satis est, si peccata, quæ priùs egimus dimittamus; oportet insuper impleri, quod sequitur: Qui egrediebatur, & non reuertebatur. Etenim, si CORVVS, IDEST, PECCATVM, ITERVM REVERTATVR IN ANIMAM, SIGNVM EST NON CESSASSE DILVVIVM, si verò consueta domicilia non repetat, signum est, omninò abijsse diluuium, idest, peccatum. Vt abijt ab arca coruus, sic exire ab anima peccatum debet, vt scilicet non amplius redeat. Opportunè Sanctus Ambrosius de ijs, qui initiantur myst. cap. 3. vbi hæc habet: *Coruus est figura* PECCATI, QVOD EXIT ET NON REVERTITVR, *si in te quoque iusti custodia & forma seruetur.* Si peccatum redeat iusti forma abit, iustitia cum recedat.

Qui egrediebatur, & non reuertebatur, donec siccarentur aquæ super terram.

ALiqui codices negationem non habent, sic complutenses, & Gothici; *egrediebatur, & reuertebatur.* Sed conciliari hæ lectiones possunt, si dicamus, ita coruum egressum eundo, & reuertendo, vt volitaret circa arcam, neque intro ingrederetur, neque se capi permitteret, vt columba. Simile quidpiam ijs accidit, qui à laxiore, & liberiore vita AD MELIOREM REVERTI TEPIDE QVÆRVNT, vt illorum velle nolle quoddam sit; corui casum timeant, qui coruum imitantur, nec ex vero pœnitentiæ arcam subeunt.

Cum aquarum copia, quæ terram operiebat, coruum ad arcam non vrserit, *multo minus credendum est,* vt ille ait, *eum posteaquam terra siccata fuit fuisse regressum;* scilicet quos tribulationum aquæ ad salutis arcam non ducunt, 488

cunt,

eunt, ægrè ad illam se conferent, si sine tribulationibus sint.

Et non reuertebatur. Chaldæus legit, *& reuertebatur*. Sed qui hæ lectiones inter se cohærent? An verum vtrumque? reuertebatur, quia ad arcam redibat, & arcæ cacumini, vt aliqui notauerunt insidebat, sed non est reuersus in arcam, & ad Noe. Eadem ratione, inquit pius ille auctor, proponunt aliqui redire ad Deum per pœnitentiam, nec procul inde absunt, veniunt in templum, sed ad tribunal confessionis adigi non possunt, quod ad alia etiam transferas, quæ plerique exstimè amplecti videntur, quæ tamen verè respuunt, si animum illorum subeas.

Coruum referunt, qui extra se exeunt, nec ad se reuertuntur. Opportunè Vgo Victorinus lib. 2. de arca cap. 4. *Qui hoc modo per cogitationem exeunt, similes sunt coruo, qui reuersus non est, quia dum foris, quod malè delectat inueniunt, ad* ARCAM CONSCIENTIÆ AMPLIVS REDIRE NOLVNT. Quos terrenis adhærere conspexeris, coruos cense, qui extra mentis arcam feruntur, nec ad eam cogitant redire.

Sectio II.

Columba Spiritum Sanctum præfigurauit. 489.

Cauendum nè *coruus* nidificet in nobis.

Columba reditus ad arcam animo aptatur.

Ad salutis *arcam* volat, qui *mortuos* & mortem cogitat. 490.

Nihil foris sit vbi *requiescat* nostræ mentis *pes*.

Columbæ exemplo in *luto* minimè requiescamus,

Malorum *exempla* minimè sequenda. 491.

In huius sæculi pelago *dilectionis pes* minimè figendus,

Columbam quisque referat rerum mundanarum neglectu.

Animarum lucris, qui inhiant per *columbam* expressi. 492.

Operum fructibus abundent *baptismalibus* aquis abluti.

An *oliua ramus* nouè post diluuium germinauit. 493.

Viri sancti quanto magis foris opera diuina *aspiciunt* tantò magis intus in Dei *amore* ardescunt.

Perfectæ *obedientiæ* exemplum in *Noe*.

Emisit quoq; columbam post eum, vt videret si iam cessassent aquæ super faciem terræ.

DIluuij finem columba nuntiat, vt non 489
mirum, si post plura annorum millia in columbæ specie apparere spiritus sanctus voluerit. Id quod tetigit Sanctus Gregorius Nazianzenus, dum ait orat. 39. *Tum etiam corporeo modo in columba forma se conspiciendum præbens, nempè vt corpus honore afficiat; nam hoc quoque ædificatione Deus est. Adde, quod multis retro sæculis* COLVMBA *diluuij finem nunciare assueuit.*

Cauendum ne à cordis arca columba abeat, coruus in ea nidum struat. Beatus Laurentius Iustinianus de casto connubio cap. 21. sic rem versat. *Tandem affectio ignota sic crescit, vt exterminata de corde* COLVMBA, *illic* CORVVS NIDIFICARE *incipiat; quod fit cum purus, & simplex amor abit, cor subit impurus.*

Quæ cum non inuenisset vbi requiesceret pes eius reuersa est ad eum in arcam.

COlumbæ ad arcam reditum sic animæ aptat Vgo Victorinus: *Ad arcam, inquit, Noe columba reuertitur, cum ad* QVIETAM MENTIS *ab exterioribus animus reuocatur. Reuertitur ad vesperam, cum deficiente luce mundana felicitatis, vana gloria fugit pompam, timens ne incurrat obscuritatem mentis, idest, profunditatem perpetuæ damnationis. Oliuam gerit, quia misericordiam quærit. Oliuam in ore portat, dum indulgeri sibi quod deliquit, precibus exorat.*

Iuit ad arcam columba non iuit coruus, quia cadaueribus adhæsit, vt notabat Rupertus; 490
contra homini accidit, citius enim, certiusque ad salutis arcam volat, si cadauera spectet, si mortuos, si mortem cogitet; quin si quispiam coruus prauis sit moribus, columba euadit morum simplicitate.

Imitemur columbam, cum foris nihil inueniamus, vbi nostræ mentis pes requiescat, ad nos intus redeamus. *Propitius sit tibi Deus*, inquit Guigo, *ne inueniat vbi* REQVIESCAT PES MENTIS TVÆ, *vt saltem coacta, ò anima, redeas ad arcam sicut columba Noe.*

O columbæ homines pares essent, vt in rerum terrenarum luto pedem non figerent, nec in rebus quæ amatores suos fœdant, requiescerent. De columba hæc habet Vgo Victorinus annot. in cap. 7. Genesis: *Scias hanc esse naturam columbæ, quod non potest pes eius requiescere* IN LVTO.

Ab arcæ angustijs emissa columba ad arcam rediit ramum oliuæ referens, vt Moses ait Genes. 8. v. 10. Cur corui non est secuta exemplum? An docet malorum exempla non sequenda, quin promptius celeriusque maiorum perficienda iussa, quò imperfecti imperfectius ea implent?

Quod de columba hîc dicitur ad carnalem

amorem

amorem ita aptat B. Laurentius Iustinianus in Fasciculo diuini amoris cap. 5. dum ait: *Carnalis amor, peccatum, & pœna peccati esse cognoscitur, dum se auertendo ab eo, qui est, & delicti reus efficitur, & in concupiscentia creaturarum semper est vagus & profusus. Diligendo in procelloso sæculi pelago pacem quærens non reperit,* VBI EIVS DILECTIONIS FIGAT PEDEM. *Quamobrem ad Deum, in quo pacis imperturbabile bonum, & dilectionis inest beata tranquillitas, remeare compellitur. Hoc nimirum diuinus sermo, quum perennis per diluuium mundi narraret historiam, intimare curauit. Nam quum Noe scire cupiens, vtrum diluuij diminutæ fuissent aquæ, emisisset de arca columbam, illaque circumquaque peragrando minimè reperisset, vbi pedum suorum vestigia figeret, ad eum, à quo directa fuerat, redire coacta est. Mysterium hoc præcipuum est, & carnalis amoris documentum quàm maximum.*

Columbam nos quoque imitari debemus, ad Deum velut ad arcam euolemus, cùm extra eum non sit reperire, vbi nostri affectus pes requiescat. Pulchrè ille: Animam creat Deus, & quasi volaturam dimittit, cum mundi huius limina subit. Celerrime fertur, hinc inde volitat, vniuersas regiones percurrit, & obambulat. Nullam quietis occasionem fugiat; immoretur honoribus dignitatibus, muneribus publicis, dominijs, diuitijs, prosperis, voluptatibus, delitijs semper verum manebit, quod de columba dictum est: (non inuenit vbi requiesceret pes eius.) Affectuum pedes semper attollat, donec ad Deum, à quo profecta est redeat.

492 Columbam referunt, qui in animarum lucris exercentur, & ita foris exeunt, vt in Cœlum recipiantur. Benè B. Dionysius hic: *Emittit rursus columbam, quæ vltra non redit ad eum. Per hoc designatur, quod tales viri virtutum per* COLVMBAM EXPRESSI, *post frequentem suam emissionem, & administrationem circa exteriora agenda ac alios conuertendos, tandem relicta Ecclesia militante, triumphantem ingrediuntur.*

At illa venit ad eum ad vesperam portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore suo.

Hunc oliuæ ramum non folijs tantum ornatum, sed & fructu diuitem fuisse aliqui censent, vt hinc discerent fideles in verborum folijs non sistere, sed & bonis operibus ditari. Optimè Sanctus Augustinus. *Sicut meministis columbam emissam à Noe de arca, quæ diluuio natabat, & baptismo abluebatur, non mergebatur. Cum ergo esset emissa, attulit ramum oliuæ: Sed non sola folia habebat, habebat & fructum; itaque hoc optandum est fratribus nostris, qui foris baptizantur,* VT HABEANT FRVCTVM: *non illos sinet columba foris, nisi ad arcam reduxerit; fructus autem est totus Charitas: sine qua nihil est homo, quicquid aliud habuerit.* Sic ille tract. 8. in Ioan. cap. 2.

De oliuæ folio, quod columba post diluuium detulit, ita philosophatur Sanctus Ambrosius lib. de Noe, & Arca cap. 20. vbi hæc habet: *Quid magnum si Deo iubente vno die, quo imminuta fuerit aqua, statim germinauit & terra, cum eidem sit fructuum reparator, & conditor, atque operis sui vsum non fuerit oblitus? denique habes & in Genesi, statim quod iusserit, vt terra herbam pabuli germinaret, & lignum pomiferum cum fructu suo, & statim eiecit terra herbam pabuli, habentem semen secundum genus suum, & lignum fructiferum: & ille dies vnus fuerit, quo hæc Deus iussit aut fecit. Ergo beneficij Deus non immemor, immemor autem nostræ iniquitatis, opus suum eiusdem quo cœpit temporis quantitate reparauit.* Folia sua oliuam inter diluuij aquam seruasse, nec nouè hanc arborem fuisse productam sunt qui putent. Sanctus Chrysostomus: *Vbi inuenit folium oliuæ? totum hoc factum est dispensatione diuina, vt quòd Columba inuenit, & quòd ore receptum ad iustum attulit. Alioquin & arbor hæc semper virens est, & verisimile est, quòd cùm aquæ recesserint, arbor hæc adhuc habuerit foliorum comam.* Sic ille hom. 26. in Genesim.

De columba, quæ oliuæ ramum detulit inquirit Beatus Alcuinus in Genesim interrogat. 127. *Quare columba ramum oliuæ portat?* Respondet: *Columba Spiritus Sancti, expulso alite teterrimo, ad Noe post diluuium, quasi ad Christum post baptismum* DEVOLAT, & RAMOS *refectionis, ac luminis portans pacem orbi adnunciat.*

Quod de oliuæ virentis ramo hic habetur totum ad mores transfert Vgo Victorinus lib. 493 2. de arca cap. 5. vbi hæc habet: *Ramus oliuæ virentis bonum mentis affectum demonstrat, quia sæpe sancti viri* QVANTO MAGIS FORIS OPERA DIVINA ASPICIVNT, TANTO MAGIS INTVS IN AMORE CONDITORIS INARDESCVNT. *Dum enim rerum præsentium mutabilitatem aspiciunt, continuo omnia quæ in hoc mundo pulchra videntur, eis in cogitatione vilescunt, & quasi reuertentes oliuam in ore deferunt, quoniam eò ardentius conditoris sui speciem concupiscunt, quæ in rebus conditis quod delectaret minus inuenerunt.*

Viditque quòd exsiccata esset superficies terræ.

Licet exsiccata terra esset, non tamen exiuit Noe, quia vt terra magis solida redderetur, quia vt iubentis imperium expectaret. *Poterat,* inquit hic Beatus Dionysius, *per fenestram satis circumspicere terram: (viditque quod exsiccata esset superficies terræ:) nondum tamen exiuit de arca, quoniam terra non erat adhuc satis dura, & solida facta pro inhabitatione animalium terrestrium & hominum: & quoniam* EXPECTAVIT REVELATIONEM DEI *de tempore exeundi.* Habes igitur in Noe perfectè obedientiæ exemplum.

Sectio III.

Noe patientia à querelis Noe amouit. 494.

Obedientis viri forma in *Noe*, vt appareat,

Cur nullus *seruus* in familia Noe legatur seruatus. 495.

Quàm cautè *versari* cum molliore *sexu* melior debet.

In egressu arcæ cur nominatim *animalia* recensita.

Quàm magnus *mæror Noe* inuaserit post arcæ egressum. 496.

Ordinatè ex arca vt *animalia* exierint.

Templa quanto *ordine* & modestia adeunda.

Illi præcipuè in Dei *cultu* ferri debent, qui grauibus *calamatibus* vrgentur, 497.

Vera *gratiarum actio*, quæ non iubetur, sed defertur.

De *sacrificio* offerendo maturè cogitandum.

In Dei *cultu* diligentiores nos communes calamitates reddant, & *malorum* exitium.

Loquutus est autem Deus ad Noe, dicens: Egredere de arca, tu, & vxor sua, filij tui, & vxores filiorum tuorum tecum.

494 DIù in arca Noe fuit, nefas est ambigere in ea otio litauisse, assidua animalium cura potuit hominem occupare; non lego longas moras, duriores querelis effecisse. Poterat, inquit pius ille auctor, hanc tarditatem his verbis accusare Noe. Ergone nullus calamitatis finis? nec dum cœlestes iræ deferbuerunt? nec dum in portu sumus? Ecquando demum è carcere tam fœtido educemur? Cibus, potus pabulum paulatim deficiunt: si diu differatur exitus, immunes à diluuio conficiet fames, penuria cibi consumemur. Quid iuuerit vulgarem mortem euasisse, si pereamus diriore? Hæc, inquam, Noemus queri potuisset, nisi aspera omnia, & ipsas LONGIORES MORAS INCREDIBILI PATIENTIA, & æquanimitate condijsset. Alia post aliam hebdomas, alius post alium mensis labebatur, nec tamen vllum Noemus indicium audierat, aut viderat subsidentium aquarum, nec Deus illi significari iusserat quis diluuij futurus finis.

Egredere de arca. Obedientis viri formam habes, non prius egressus ex arca est Noe, quàm Deus id iusserit: *Ergo viri iusti*, inquit hic Rupertus, *atque perfecti magna quoque in hoc iustitia, vel perfectio commendatur laude digna, quod tamdiu carcere conclusus non erupit solutus mox vt terram vidit, sed sicut præceptum ingrediendi fideliter accepit, sic & egrediendi licentiam* OBEDIENTEM *sustinuit*, Qui ad Dei imperium arcam subierat, eodem iubente egredi ex arca debebat. *Itaque*, inquit Sanctus Ambrosius lib. de Noe, & arca cap. 21. *recedente aqua, & siccata terra, exire potuit Noe de arca; sed iustus nihil sibi arrogat*, SED TOTVM SE DIVINO COMMITTIT IMPERIO; *& maximè qui cœlesti fuerat ingressus oraculo, cœleste debuit, vt egrederetur expectare responsum, verecunda enim iustitia, quia inuerecunda iniquitas, quæ vsurpat indebita, nec reueretur auctorem.*

In Noe familia solus ipse cum filijs, & vxoribus saluatus est; cur non vel seruus aliquis 495
heri sui sequutus est exemplum? An quia nullus adhuc seruus erat? Benè Alcimus Auitus lib. 4. Poematum:

,, *Tunc iustum, cunctosq; suos, natosq;, nurusque,*
Accipit expectans claustrum, vitaque reponit,
Nam seruos nondum dederat natura vocari,
Nec DOMINVS FAMVLIS *discernere nouerat ordo.*
Primus enim maculam seruilis nomine sensit
Huius natorum medius, qui fortè cachino
Distectum petijt misero spectamine patrem,
Materiamq; sui risit deformior ortus,
Et plus iam turpis nudato simplice nequam.

Tu & vxor tua. In ingressu seorsim mares, à fœminis recensentur, in egressu has illis miscet, illos istis, quo significabatur, vt doctorum virorum sententia fert, in arca à coniugij vsu omnes abstinuisse, qui in egressu ad propagationem erat necessarius; Mirum, nec simul nominat coniuges, cum simul, si matrimonij vsum spectes, esse non debuerint; vt vel hinc discas, quam CAVTA VERSARI melior cum molliori sexu debeat, si castitati consultum vult.

Et cuncta animantia. Cur nominatim iussit Deus, vt animalia ex arca educerentur, cum id sua sponte facturus fuisset Noe, etiamsi id Deus cum iussisset? *Ratio est*, inquit Pererius hic, *sicut Deus ante diluuium iusserat vt Noe* ANIMALIA *induceret in Arcam: Sic idem iubet post diluuium, vt ea ex Arca educat; tam enim introductio quàm eductio animalium, non sine miraculo diuina prouidentia per Noe facta est, cunctis animalibus promptè obedientibus Noe, tam ad ingressum quam ad egressum.*

Exeuntem ex arca Noe quàm magnus mæ- 496
ror exceperit, videns omnes homines deletos, deleta cuncta animantia, sic explicat Sanctus Chrysostomus: *Cum diluuium cessasset, paulatim quidem iam cedebat metus, sed plane* MOEROR AVGEBATVR, *prodientemq; ex arca tempestas alia excepit priore non minor, cum intueretur horrendam illam solitudinem, necemq; illam violentam: atq; interfectorum corpora limo ac luto permixta, cunctosq; pariter homines & asinos, & cætera his etiam ignobiliora animantium genera, vno prorsus miserabili sepulchro obruta, nam etsi nimirum peccatores fuerant, qui talia perpessi erant: homo tamen erat Noe, gentilesq; suos non poterat non miserari.* Sic ille lib. 2. de prouidentia cap. 5.

Sed

Sed & omnia animantia &c.

CVm egressura omnia animantia ex arca essent; videri possent mutuo se compressisse, cum tamdiu ibi inducta extra exire simul quærerent, vt pristinæ libertati restituerentur. Nodum istum vidit Pepinus, & ita soluit: *Quemadmodum illic animalia primitus congregata fuerant angelico ministerio, sic etiam eodem angelico ministerio inde soluta sunt, vt qui inceperat ipse perficeret. Cum ergo quæ à Deo sunt, siue immediate, siue mediate,* VTPOTE ANGELICO MINISTERIO, *ordinata sint, consequens est dicere in tali egressu nullam affuisse violentiam siue oppressionem: sed omnia cum moderamine tunc acta sunt.* Quæ res pudorem fidelibus inijciat, qui plerumque absq; vllo ordine & sacra adeunt TEMPLA, & ex illis exeunt.

Aedificauit autem Noe altare Domino.

497 NVnc primum in diuinis litteris altaris mentio, fit, licet alia prius fuisse erecta non sit dubium, in quibus Abel, Adam, Seth, & alij sacrificarunt. Scilicet illi præcipuè in Dei cultum ferri debent, quos grauis aliqua calamitas tetigit, & afflixit.

Non expectauit Noe imperium Dei, victimas oblaturus Deo in gratiarum actionem. Satis istuc Deus indixit cum confert beneficiū. Sanctus Ambrosius lib. de Noe, & arca cap. 21. ait: *Aedificauit Noe altare Deo; qua ratione suprà Dominus admonuit quæ faceret, & fecit Noe omnia: hoc autem quòd non admonitus est, fecerit, fortasse requiratur. Sed vtiq; Dominus non debuit quasi auarus mercedem gratiæ postulare, & iustus eam intellexit* VERAM ACTIONEM GRATIARVM ESSE, QVÆ NON IVBERETVR, SED DEFERRETVR: *itaque nec dilationem passus est.*

De sacrificio offerendo vel tunc videtur cogitasse, cum arcam Noe subiret, in eamq; animantia duceret, & aleret, certè huc numerum spectasse indicat Sanctus Hieronymus dum ait: *Egressus de arca Noe, Deo victimas immolauit: non vtiq; de pari, sed de impari numero, quia alterum fœtibus, atq; coniugia* ALTERVM SACRIFICIO *præparatum est.* Sic ille epist. ad Ageruchiam quæ est 11. Vt videas vel ante Dei beneficia de sacrificio pro illis offerendo cogitandum.

Aedificauit autem Noe altare Domino. Primum hoc loco altaris mentio fit in Dei honorem; ac cultum excitati. *An fuerit antea vsus altarium necne incertum est*, inquit Pererius; Nimirum tunc IN DEI CVLTV DILIGENTIORES HOMINES ESSE PAR EST, cum communibus calamitatibus maximè premuntur, vt peccatorum exitium bonos ad ea præstanda exstimulent, quæ ad Dei gloriam, ac honorem spectant.

Sectio IV.

De cunctis pecoribus cur dicatur *Noe* obtulisse sacrificium. 498.
Deuotionem maximè Deus spectat.
Animum potius *offerentis* Deus intuetur, quàm rem oblatam.
Gratus *oblationum odor* cum *peccatorum fœtor* aufertur. 499.
Offerentium *deuotio* gratum Deo emittit *odorem*.
Ad offerenda *sacrificia* vt se *Noe* parauerit.
Præparatio diuino *sacrificio* vt præmittenda.
In *sacrificijs mens* incorrupta offerenda vt gratus sacrificijs etiam ab hac parte affricetur odor. 500.
Punire, videtur Deo violentum.
Deuotio & *gratiarum actio* nouis beneficijs cumulatur.
In *adolescentia* maximè *tentationes* timendæ. 501.
Superior in aliorum malis plus *patitur*, quàm si ipsemet torqueretur.

Et tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit holocausta super altare.

CVr de cunctis obtulit, & non satis erat ex aliquibus tantum offerre sacrificia? non erat; nam id in gratiarum actionem fiebat, cumq; beneficia etiam omnia animalia accepissent, ex omnibus animalibus integrari oblatio debebat. Non longè ab hac mente abijt Rupertus, cuius hæc sunt verba: *Holocausta quæ obtulit Noe Domino gratiarum actiones fuerunt sua præsentia beneficiorum memoriam confitentes, vt dignum erat. Et quia non solum hominem sed propter hominem iumentorum quoque & cunctorum animalium* RELIQVIAS *in eadem arca seruauerat, merito ille de cunctis pecoribus & volucribus mundis super altare ab hominibus offeruntur holocausta.* 498

Odoratus est Dominus odorem suauitatis. Cur non potius dixit Deum odoratum victimas, & holocausta? *Noe*, inquit Porrecta, *obtulit holocausta Domino, & Dominus non dicitur odoratus holocausta, sed tantum odorem suauitatis. Quid est odor suauitatis?* DEVOTIO VTIQVE, ET DEI CVLTVS; *iuxta illud Apostoli: Bonus odor sumus Christi: alijs quidem odor vitæ in vitam, alijs odor mortis in mortem. Hoc est; nos prædicamus Christum, deuotè ab hominibus colendum; & hæc deuotio cultus à nobis prædicata aliquibus placet summopere, tanquam vita, vereq; merentur vitam æternam; aliquibus autem displicet summopere, tanquàm mors qui indè merentur mortem æternam.*

Odorem suauitatis. Odor iste suauis ab offerentis

rentis animo potius fuit, quàm à rebus oblatis. *Vide quomodo*, inquit Sanctus Chrysostomus, ANIMVS OFFERENTIS *fumum, & nidorem, & omnem qua inde nascitur, insuauitatem, multa fragrantia implebat. Idcirco & Paulus dicebat, scribens; quod bonus odor Christi sumus*.

499 *Odorem suauitatis*. Aliqui legunt, *odorem bona fragrantia*. Vel victimarum oblatarum fumus, & nidor suauissimus Deo fuit, quia vt ille ait: NOE FOETOREM PECCATORVM *à Dei naribus sustulerat*. Addit Sanctus Ioannes Chrysostomus: *Iusti* NOE VIRTVS *fumum, & nidorem victima Deo fecit odorem fragrantis*.

Odoratus est Dominus odorem suauitatis. Offerentis deuotio odorem, vt ita loquar, victimis affricauit. *Non enim*, inquit scitus ille auctor, *sacrificia propter animalia oblata, sed propter affectum deuota mentis offerentium placent Deo, tanquam odor suauitatis. Non enim incorpoream Dei substantiam, corporeus odor per se potest delectare: quin etiam licet corporea esset & eiusmodi odoribus afficeretur; non esset tamen odor casarum vel incensarum carnium talis, vt verè dici posset odor suauitatis. Diuina igitur approbatio, & oblectatio ad* DEVOTIONEM VTIQVE OFFERENTIVM *referenda est*. Si rem ipsam extimè iudices, à carnibus, ossibusq; combustis exhalari, nisi teter odor non potuit, *sed Deus*, inquit ille, *spiritus est, & iuxta* OFFERENTIVM DEVOTIONEM *hac placent*, & fœtorem omnem in suauissimum odorem vertit pius offerentis animus, & affectus.

Placuit Deo Noe sacrificium, eui se diù pauerat in arca, & arcam egressus se huic muneri aptauit. Benè ille: Tam acceptum Deo fuerat Noemi sacrificium, vt ipsum etiam odorem illius tanquam optimum laudarit, & quasi attraxerit: Odoratus est Dominus odorem suauitatis. Ne miremur; SVMMO SE STVDIO NOEMVS PRAPARAVIT AD HAS RELIGIONES OBEVNDAS. Nam ædificauit Noe altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis obtulit holocausta super altare. Hic multa opus fuerat industria & præparatione, tam in arx structura, quàm in delectu animalium. Digna res, quæ in exemplum eat, & nostri sacerdotes, grandius nobiliosque sacrificium Deo oblaturi imitentur.

500 Suaue Noe sacrificium Deo fuit, qui tamen de Iudæorum sacrificijs dicebat Isaiæ 1. 13. *Ne offeratis vltra sacrificia frustra, incensum abominatio est mihi*. Vnde ergo tantam fragrantiam emittebant sacrificia, quæ Noe obtulit? Et vnde ortum hoc sacrificiorum discrimen? *Quemadmodum*, inquit auctor ab aureo ore, *hic virtus iusti Noe fumum, & nidorem fecit odorem fragrantia: sic apud illos offerentium nequitia, bene olens thymiama in abominationem conuertit. Igitur vbique studeamus* MENTEM OFFERRE INCORRVPTAM; *ista enim causa est bonorum omnium*.

Nequaquam vltra maledicta terra propter homines.

AC si diceret Deus, sibi violentum quodammodo esse punire, cum totus ad benefaciendum inclinetur, producta autem verba sic expendebat nuperus auctor: Quæ promissio, inquit, eo Deo esse violentum supplicium, & per consequens inuoluntarium, & nullo pacto perpetuum in hac vita, & sicut VIOLENTVM repugnat naturali inclinationi rei impellentis ad oppositum, sic punire & tempestatum tribulationem immittere repugnat naturali Dei inclinationi, quia hæc ad oppositum, id est ad benefaciendum, & parcendum inclinat, quare non multum durant in Deo hæc supplicia, quia sunt inuoluntaria, sed post tempestatem tranquillum facit.

Nimirum qui gratus ob accepta beneficia est, Deum allicit ad maiora exhibenda. *Percepit prius Noe*, ait Porrecta, *à Deo salutem domus sua: nunc postquam de perceptis fuit gratus accipit promissum à Deo de non delendo vniuersaliter amplius homine. Nonnè, maior est salus omnium hominum, quam vnius? hanc autem maiorem à Deo beneficiorum pollicitationem, in premium sacrificij nouiter* DEVOTO CORDE AC REDDENDAS GRATIAS DE IAM RECEPTIS BENEFICIIS *(puta conseruationis domus propria, & seminum omnium creaturarum à diluuio) oblati fuisse factam; qui contextum scriptura adductum, rectè consideret, faciliter intelliget*.

Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.

AB *adolescentia*. Cur non potius ab infantia dixit, aut à pueritia? *Quia*, vt ille ait, *vrgentes tentationes, & peccandi studium in* ADOLESCENTIA *vim suam maximè obtinent*. 501
Scilicet tunc maximè tentationes, & cupiditates adolescunt cum homo adolescit.

Non igitur vltra percutiam omnem animam viuentem sicut feci.

SIcut feci. Numquid Deus ipsum Noe, eiusque familiam percussit, cum omnes à communi illo naufragio exemerit? Quid ergo ait Deus, se omnem animam nulla excepta percussisse? Respondeo, inquit scitus ille auctor, percussisse quidem omnes, nam cæteros percussit, aquis illos obruendo: magis enim Noe, & multo acerbius percussit trotæ cladis spectatorem reseruando: magis enim Noe suorum naufragia dolebat, QVAM SI IPSEMET NAVFRAGIO INVOLVERETVR, & cum suam in singulorum corporibus haberet animam, omnium sibi mortes obire videbatur. Hæc vera superioris nota plus aliorum incommoda sentire, quàm sua.

CAP. IX. GENESIS

Expenditur, & illuſtratur.

Sectio I.

Fœcunda bonorum mater *patientia*. 502.
Pacificus dominatus perfectior.
Homo in brutorum *terrorem* natus non aliorum hominum.
A ſubditis *timeri* quando ſancti viri optant. 503.
Homines *amore* & ratione *regendi*.
Ab ea parte hominibus homines ſint *terrori* qua beſtias referunt.
Poſt diluuium *carnis* vſus homini permiſſus *idololatria* auertendæ. 504.
Dei *beneficia* à peccatis nos auocant.
Carnes cum ſanguine *comedere* quid ſit. 505.
Effundentis *ſanguinem* alterius, qui illius ſanguis effundatur.
Ira vt comprimenda. 506.
Iuſtorum *labores* certiſſima diuini amoris indicia.
In quacunq; *tribulatione* ad Deum mens attollenda.
Cur in *nubibus* ſecuritatis indicium.
Iudicium extremi diei cogitandum. 507.
Arcus cœleſtis *Chriſtum* vt referat.
Maria in cœlo Deum ad miſericordiam prouocat.
Chriſtus in Cruce affixus Dei patris iram vt mitigarit. 508.
Diuini *iudicij timor* peccati frænum.
Deus terret potius quàm vulneret.
Amor præcipuè in Dei *obſequio* appareat. 509.
Viſis Dei *operibus* ad Deum mentem flectere debemus.

Benedixitq; Deus Noe, & filijs eius; & dixit ad eos: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.

502 ELocet hic quam fœcunda bonorum mater patientia in malis, io aduerſis ſit; plura Noe poſt diluuij patientiam obtinuit à Deo, quam antea, peculiarem benedictionem, carniſque eſum & alia. *Hinc habes*, inquit Porrecta, *quid faciat patientia; facit enim*, QVOD DEVS PATIENTIBVS NOBIS AMPLIORA DONET QVAM PRIVS CONTVLERIT. *Noe namque patiens fuit in tanta vniuerſali tribulatione; & ideò maiorem priore miſericordiam meruit. Vides ſimile in Beato Iob, cui poſt patientiam dupla data ſunt à Deo.*

Et terror veſter, ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terra, &c.

CVm eſſet homo in ſtatu inoocentiæ dictum ei fuerat, vt animantibus præeſſet, illorumque dominaretur, nunc mentio non ſit dominij, ſed terroris. Quod expendens Caietanus aiebat: *Vide differentiam, in principio quando creatus eſt homo datus eſt homini dominatus animalium, modo eidem datur territatio animalium, ad inſinuandum quod in ſtatu* INNOCENTIÆ FVISSET DOMINIVM PACIFICVM, *modo autem dominium terribile*. Ex quo inferas ad nobiliorem perfectioremque ſtatum pertinere, qui pacificè dominatur, quàm qui non aliud curat, quàm vt terrori ſit.

Quærit B. Aleninus cur homo in terrorem cæteris animantibus idque poſt diluuium ſit poſitus, & huic interrogationi Reſpondet: *In ſolatium tranſacta vindicta, & ne pauci homines à pluribus opprimerentur beſtijs; & vt ſciret ſe irrationabilibus dominari debere, non rationabilibus. Vnde & primi patres noſtri paſtores pecorum*, NON *REGES* HOMINVM *fuiſſe leguntur*. Scilicet homo in brutorum terrorem natus eſt, non hominum.

Super cuncta animalia terra. Terrorem ani-
mantibus homo incutiat, noo tameo debet 503
hominibus eſſe terrori, oiſi quaodo eò humana peruicacia euaſit, vt neo Deum reuereatur. Optimè huoc locum expendebat Sanctus Gregorius lib. 11. moral. cap. 10. *Cùm Noe Dominus filijſque eius diceret: Creſcite & multiplicamini & replete terram, ſubdit: & terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terra: non enim, ait, ſit ſuper homines qui futuri ſunt: ſed, ſit ſuper cuncta animalia terra: homo quippè animalibus irrationabilibus, non autem cæteris hominibus natura prælatus eſt: & idcircò ei dicitur, vt ab animalibus, & non ab homine timeatur: quia contra naturam ſuperbire eſt, ab æquali velle timeri, quamuis plerumque* A SVBDITIS ETIAM SANCTI VIRI TIMERI APPETVNT, *ſed quando ab eiſdem ſubditis Deum minimè timeri deprehendunt, vt humana ſaltem formidine peccare metuant, qui diuina iudicia non formidant*.

Super cuncta animalia. Scilicet in animalia rigore vtendum eſt, homines amore, rationeq; regendi. Rem ſic expendebat bonus ille auctor: Noe & filijs ſuis dixit Deus, terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ, ideſt, rigore & timore cum beſtijs vtendum eſt, vt vobis obtemperent. Homines vero rationis participes AMORE REGENDI SVNT.

Terror in beſtias homini indicitur, non in homines, vt nimirum hinc diſcatur, ab ea parte homines hominibus eſſe terrori debere, qua morum prauitate beſtias referunt, quod tetigit his verbis Beatus Dionyſius hic: *Homo non hominibus, ſed irrationalibus eſt prælatus natura, ideſt, naturali dignitate, & ordine. Ideò dicitur ei: Vt ab animalibus, non ab hominibus, timeatur: quoniam ab æquali velle timeri, eſt contra naturam ſuperbire. Vnde antiqui patres non reges*

hominum, sed pastores pecorum fuisse dicuntur. Natura ergò omnes homines æquales genuit: sed pro varietate meritorum, dispensatio Dei iusta, sed occulta, alios alijs præponit, vt humana formidine peccare metuant, qui diuina iudicia non formidant. Præpositi autem ex hoc timore nequaquam superbiant, in quo non suam gloriam, sed subditorum quærunt iustitiam. Non enim hominibus, sed bestijs dominantur: quia EX QVA PARTE BESTIALES SVNT, *id est, carnales seu proni ad malum, ex ea parte formidini sunt substrati.*

Et Omne quod mouetur & viuit erit vobis in cibum.

504 MIrum quod post diluuium carnis esum, vsumq; homini permittat, cum libidini coercendæ, inhibendus potius videretur. Vt idololatriæ occurrat istuc præstitit, quod tetigit Theodoretus, dum ait: *Post diluuium pretiosiorem cibum homini confert, iubens occidere & comedere volatilia, & natatilia, & terrestria animalia, affectum affectu repellens, & leniori curans grauiora; prauidens enim Deus homines in extremam clementiam lapsos, hæc omnia animalia pro dijs habituros,* PERMISIT ILLORVM ESVM, VT IMPIETATEM ILLAM COHIBERET. *Summa enim infamia est adorare quod comeditur.* Eodem spectabat nuperus auctor, dum ait: Post diluuium, inquit ille, permisit hominibus, vt carnes sine sanguine comederent videlicet, quia nouerat Dominus plurimas gentes esse futuras, quia tamquam Deum animalia adoraturæ erant. Et ideo eis facultatem concedit, vt ea interficiant, & comedant, videlicet vt intelligant, si quidem ea occidunt & manducant nullam IN ILLIS ESSE DIVINITATEM.

Post diluuium carnium esum homini legimus permissum, vt maiori beneficio à grauioribus culpis homines auocarentur. Ita Gennadius. *A diluuio,* inquit, *maiori vsus est liberalitate non tamen vt aliquo modo animas reficeret, corporaque labefactata, sed vt sic homines afficeret vt* MAIORES CVLPAS VITARENT. Nimirum Dei beneficia à peccatis auocare nos debent, & eò magis, quò maiora.

Excepto, quod carnem cum sanguine non comedetis.

505 QVid sit carnem cum sanguine comedere, quod hîc inhibetur non est adeo obuium explicare. Variæ sunt auctorum explicationes. Mihi illa commoda alias visa, quæ per carnem cum sanguine intelligit carnes cruentas, & crudas, quod feritatem quandam sapit, quem sensum alijs quoq; video placuisse, & valde commodus, minimeque coactus est; nam plerosq; carnes crudas comedisse, aut semicrudas, fusè in volumine, quod Eucharistici agni titulum præfert probaui. Placet hîc Ystellæ verba inserere ait enim: Licet variè verba hæc interpretentur aliqui, vt scilicet fuerit prohibitio esus sanguinis, quæ infra Leuitici 17. siue emissi per venas, siue detenti in corpore, vt in suffocatis: ego tamen intelligo CARNES CRVENTAS, ad modum, quo feræ illas comedunt; non vult Deus tantum feritatem in hominibus, in esu carnium, sed quod igni applicatæ accommodæ sint, & mundæ ab illo sanguine & carnium humiditate.

Quicunq; effuderit humanum sanguinem fundetur sanguis illius.

FVndetur sanguis illius. Non semper alterius sanguinem fundentis effunditur sanguis, S. Hieronymus in cap. 2. Sophoniæ hoc donat explicatu hanc sententiam: *Qui effuderit sanguinem hominis, pro sanguine eius effundetur sanguis illius, & in resurrectione credere ridiculum est; & in vita hac stare non potest, quanti enim effuderunt sanguinem, & sanguis eorum effusus non est? & alij occiderunt hominem veneno vel suspendio, & tamen cum homo mortuus sit, non est sanguis effusus? quomodo ergo Dominus est effusurus eorum sanguinem in talionem: cum ille qui occidit: Sanguinem non effuderit? Sanguis igitur hominis* ζωτικὸν *id est vitale quo vegetatur, & sustentatur & viuit, debet intelligi: quod qui effuderit, siue per scandalum, siue peruersitate doctrinæ, in die iudicij* EFFVNDETVR *ab eo: id est, quod sibi videbatur habere vitale cogetur amittere.*

Statuam pactum meum vobiscum.

VTile ex his verbis monitum elicit Oleaster, 506
dum ait; *Et aduerte, quòd hoc in loco præclarè docemur, qualiter humanis passionibus nostris præcipuè* IRÆ MEDEAMVR, *& primùm remedium est, firmiter statuere apud nos, & si opus sit iurare, aut promittere vt non vltra irascamur, aut iniurias vindicemus. Secundum est ligare filum coccineum in digito vel signum aliud manui, vt cum nos ira aut aliqua humana passio petierit, videamus signum, & recordemur non esse vindicandam iniuriam, &c.*

Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram.

PApè pacis signum statuit, quod belli, turbinisq; aptius esset. At omnia Deo obsequuntur & eo volente aliud sunt, quàm ex natura sua essent, quod ad iustorum labores efferendos aptè transfert Sanctius, dum ait: Cum immortalis Deus sanxit fœdus cum Noe nunquam deinde aquarum eluuione terram dissipandi; Arcum (inquit) meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram. Mirum profectò signum, iris enim procelloso tempore, & magnis imbribus pleno apparere solet, atque ideirco Aristoteles censet, itidem fieri ex nube iam rorida, nondum tamen in pluuiam effusa. Et ibidem subiungit Philosophus: Iris, ait, perfectissimè repræsentatur in nigerrima nube. Quod cum ita se

habeat,

habeat, iris procellam potius, & diluuium quam pacem & ſerenitatem ſignificat. Qua ergo ratione in ſignum pacis, ac fœderis conſtituitur? Et quidem cum præpotens Deus pacis, & belli turbinis, ac ſerenitatis Dominus ſit, illud ſignum pacis, & ſerenitatis ſtatuere poteſt, quòd natura ſua diſſenſiones, tempeſtareſque portendebat. Eodem igitur modo LABORES, quibus iuſti à Deo premuntur, odium ſanè, & maleuolentiam videbantur ſignificare, ſunt tamen CERTISSIMA DIVINI AMORIS, AC BENEVOLENTIÆ SIGNA.

In nubibus. Cur non potius in terra ſecuritatis ſignum Deus poſuit. Nodum ita ſoluit B. Alcuinus interrog. CXXXIII. *Cur idem ſignum ſecuritatis in cœlo poſitum eſt? Reſpond. Vt ab omnibus inſpici potuiſſet: & vt pro quacunque tribulatione* OCVLOS CORDIS AD EVM ATTOLLAMVS, *qui habitat in cœlis*. Præterea ſecuritatis ſignum in nubibus Deus poſuit, quia è nubibus, vt Tirinus notauit, aquæ delapſæ fuerant, & inde rurſum metuendum erat diluuium.

507 Arcum in cœlo ſignum ſecuritatis eſſe Deus voluit, ne amplius diluuium timeremus, licet igneus color alterum iudicium indicet, vt notabat Strabo, quod in igne futurum eſt in fine ſeculi. Sic igitur non timendum aquarum diluuium eſt, vt interim ignem cogitemus, QVO IN FINE MVNDI mundus abſumendus.

Quod de arcu hîc dicitur aptè Chriſto bonus auctor aptat in hæc verba. Adeo Deo hoc ſacrificium placet, vt pactum & fœdus faciat cum ſua Eccleſia, de ea libera in æternum conſeruanda ab vniuerſali illo diluuio. In cuius firmiſſimum teſtiſſimonium ARCVS COELI IESVS CHRISTVS Dominus noſter ſeipſum continuè æternum præſentat ſuo Patri in Cœlo Empyreo, cum infinita pulchritudine ſuorum trium colorum, corporis ſcilicet, animæ ac diuinitatis; quæ ſunt in diuina ſua perſona coniuncta; & cum triplici ordine ſignorum, quæ habet propter vulnera accepta in pedibus, manibus, & latere: ex quibus gratiarum ac donorum cœleſtium fluunt pluuiæ in homines, quibus ſerenum & pacificum redditur cor illas ſuſcipientium; & ipſe Deus placatur iramque deponit, quam aduerſus homines habebat.

Quod de arcu hîc dicitur non alienè ad Virginem Dei matrem transferetur, *per quam*, vt ille auctor ait, *Deus ad miſericordiam excitatur*. Huc facit, quod habet Hailgrinus in cap. 7. Canticorum, vbi de Virgine loquens, quam arcui comparauerat ait: *De hoc arcu dicitur ad Noe ponam arcum meum in nubibus cœli, & recordabor fœderis mei, quod pepigi tecum: ipſa enim in cæleſtibus aſſumpta, vt* RECORDETVR DEVS MISERICORDIÆ, *quam humano generi repromiſit*.

508 Tantum arcus ille in nubibus potuit, quia Chriſtum in cruce referebat. Opportunè pius quidam auctor: Non arcus ille DEI OCVLOS MITIGAVIT, ſed diuinus reparator cruci affixus ita extenſus, & flagellis repletus, in cuius corpore tot plagæ factæ erant, eſt arcus diuerſorum colorum, qui æterni patris iram placauit. Ipſe eſt (ait S. Ioannes) propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi. Et ideò cum arcus cœleſtis nihil ſit, illum toties repetit, vt corda noſtra ad aliud maius erigat, atque vt intelligamus Deum non de illo arcu principaliter loqui. Idem alius auctor ſic explicabat: „Chriſtus eſt pulcherrimus ILLE ARCVS inter cœli nubes poſitus, in quem iratus Pater oculos conijciens, iram ſuam continet, ne iterum noua alluuione, propter aſſidua peccata mundum obruat. Non enim ille arcus, qui radiorum ſolis ſplendore nubem roridam feriente, apparet, indignantis Domini iram cohibet: ſed ille qui IN CRVCE SVBLATVS, & ſanguineo rubore perfuſus Patris iram lenijt, illumque hominibus infenſum placauit.

Sed mirum, quod arcum voluit icti fœdereis ſignum eſſe, quò nimirum ſic crederent mortales amplius non futurum eſſe diluuium, vt interim ignem timerent, quem extremis mundi temporibus eſt Deus immiſſurus, ex ea enim parte qua arcus eſt rubicundus ignem ſignificat. Pulchrè Sanctus Gregorius in Ezechielem, hom. 8. vbi hæc habet: *In arcu color aquæ & quis ſimul oſtenditur: quia & ex parte eſt ceruleus, & ex parte rubicundus:* VT VTRIVSQVE IVDICII TESTIS SIT, *vnius videlicet faciendi, & alterius facti*. Non expedit nobis ſine diuini iudicij timore viuere, ne peccati fræno penitus careamus.

Terret potius, quam percutit Deus, hinc in nubibus arcum ponit, arcum non ſagittam, ne ferire quiſpiam eum velle putaret, atque percutere. *Ponam*, inquit, *arcum meum in nubibus*, nulla ſagittarum mentione facta. Acutè rem premit Sanctus Ambroſius lib. de Noe, & Arca cap. 27. *Arcum (dicit) meum ponam in nube, non ſagittam ponam. Arcus enim inſtrumentum iaculandæ ſagitta eſt. Itaque non ipſe arcus vulnerat, ſed ſagitta. Et ideo Dominus in nube arcum magis, quàm ſagittam ponit, id eſt non illud, quod* VVLNERET, *ſed quod habeat* TERRORIS INDICIVM, *vulneris effectum habere non ſoleat*. Quod illi ſpectent, qui peremptos peccatores vellent, nec ſtudent terrore emendare.

Et non erunt vltra aquæ diluuij ad delendam vniuerſam carnem.

SE non amplius diluuium immiſſurum cur Deus teſtetur; cum timor quòd mittendum ſalutaris eſſe poſſet? An ne nimis eſſent homines formidoloſi, adeo vt imbres videntes ſtatim aliud timerent diluuium? nimirum amore potius vult Deus ab hominibus coli, quàm timore, & timendum illi eſt, qui tantùm timet. Huc facit illud B. Alcuini: *Arcum*, inquit, *dedit Deus in ſignum ſecuritatis, ne homines* FORMIDOLOSI TIMERENT *altero diluuio deleri, pluuiarum inundationes ſæpe cernentes*. Cauit nimirum, 509

mirum, ne nimio timore ad Dei cultum homines ducerentur, cui maximè amor placet, & obsequia spontanea.

Et recordabor fœderis sempiterni.

VIso arcu fœderis sui se recordaturum testatur Dominus; scilicet nos quoque eius exemplo visis operibus naturæ statim MENTEM AD DEVM DEBEMVS FLECTERE, & ad ea, quæ sunt oneris nostri nostrarumque partium ire. Quàm fatui, quàm deliti, qui rebus pulchris abutuntur, vt ictum cum Deo fœdus rumpant, à Deo suo resiliant, diuinas leges temerent?

Sectio II.

Nullum *Deus* ob vile *officium* reijcit. 510.

Post *diluuium* cur *terræ* culturæ incubuerit Noe.

Vino vt post diluuium Deo litauerit *Noe*.

Complenda opere, quæ *docemus*.

Noe ebrietas quid nos doceat. 511.

Cur *Noe* ob *ebrietatem* redargutus minimè legatur.

Cur *Noe* filij *inebriati* non legantur.

Vini vis, & potentia cuique timenda. 512.

Quod de *Noe ebrietate* dicitur *Christo* aptatur in Cruce pendenti.

Si quispiam minus probandum *superior* committat saltem *clam* id fiat; ne cæteris noceat.

Nihil *occultum* vbi regnat *ebrietas*. 513.

Plerumque *filij* si quid laude dignum in *patre* videntur nescire, notant, quæ sunt nota digna.

Calumniator & *detractor* extendere detractionem solet.

Maiorum *exempla* contemnenda si mala. 514.

Insolens & inusitatum aliorum *defectus tegere*.

Paternos *defectus* ne *irrideant* filij, sed *contegant*.

Capitq; Noe vir agricola exercere terram, & plantauit vineam.

510 VIr agricola. LXX. *Homo agricola*. Cur hominem vocat? an ne Angelus putaretur? *Ne quis*, inquit Ferus, *putaret eum excellentis alicuius status & conditionis fuisse præ alijs, propter quod eum Deus præ alijs dilexerit*, addit, *erat vir agricola*, *neminem igitur* DEVS REIICIT PROPTER HVMILE ALIQVOD OFFICIVM, *etiam agricolas & sutores gratos habet si pij sunt*.

A maris periculis ereptus Noe agriculturæ se dat, aut non potius piscationem exerceret, & in mari degit? Exercitium quærebat quo nonnihil à præterita calamitate erigeretur, ab aquis longè abit, terram colit; nam alioquin fluctus videns tot mortuorum funera eius dolorem auxissent, & mæroris diluuio fuisset immersus, aquarum diluuium ob oculos semper habens aquarum obiectu.

Bibensq; vinum inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo.

SVnt qui putent in Dei honorem epulum Noe struxisse, & vinum Deo litantem bibisse. Claudius Marius Victor:

» *Forte Deo Noe celebrabat latus* HONORES
Indulgens SACRIS EPVLIS, *vinumq; propinans*
Prima è vite nouum: quo demum largius hausto;
Hinc alto grauidus somno, membrisq; solutis.

Plantauit Noe vineam, & bibit ex ea. Pulchrè rem ad Christum flectit Beda, dum ait: *Vineam plantauit, bibit vinum, idest* COMPLEVIT OPERE, QVÆ DOCVIT, *ut dicitur quod cœpit Iesus facere, & docere*.

Inebriatus est. Non ex inordinata vini concupiscentia, sed quia nondum vini vim erat expertus; bibit vt animum leniret, non vt mentem obrueret. Excusabilis fuerit, qui primus vinum bibisse legitur, non facilè erit excusabilis, qui vini vim & in Noe didicerit, & in multis alijs, & minus si in se ipso. Per sexcentos annos, inquit Pererius, assueuerat aquam bibere numquam degustaro vino; primus igitur vini potus eum, vt insuetum, animo & mente conturbauit. Ratione enim & experimentis constat facilius inebriari minimè suetos vino. Adhæc, largiùs bibit ignarus debitæ mensuræ, ratus patem in potu aquæ atque vini esse vim. Hinc est vt ob ebrietatem redargutus minimè legatur, Benè Theodor. q. 56. *Ab experientia proficiscebatur hæc passio non ab intemperantia. Nam ille primus ex hominibus compresso vitis fructu, ignorans non solum quantum esset bibendum, sed etiam quomodo sumendum, nempe quod prius temperari debeat, & sic, potari incidit in ebrietatem*. Excusari ab ebrietate meretur, quia vini vim non viderat, nec alias senserat in se ipso. *Inebriatus est*, inquit Sanctus Basilius, *non quod bibax ille quidem esset, sed quia bibendi vsum nullum tenerat*. 511

Noe nobis ebrietas est obiecta, non vt imitaremur, sed vt vitaremus. Peritè Clemens Alexand. lib. 2. pædag. *Quocirca Noe quoque* INDECORA VINOLENTIA *descripta est, vt ebrietatem quam maximè vitemus, manifestam scriptisque mandatam lapsus imaginem habentes*.

Ebrium legimus patrem, cur id de filijs non legimus, nam ipsos quoque vinum bibisse, eum bibentem viderent patrem par est credere. Pererius sic nodum soluit: *Seniores inebriari citissimè ob paucitatem ac debilitatem sui caloris ab*

ab ea, qui accedit ex vino, facile deuicti. Quam ego cauſam puto cur non ſimiliter atque Noe, filij eius INEBRIATI SINT: *nam eos quoque bibiſſe vinum non eſt dubitandum; ſed ætatis robore ac vigore præualentes aduerſus vinum, vim eius frangere ac ſuperare potuerunt.*

Vini vim, ac potentiam cuique timendam
512 Noe exemplo ſic explicabat Sanctus Ephræm
de Agone ſpirit. *Noſtine* POTENTIAM VINI? *ſi minus noſti, auſculta, & ego tibi indicabo: Noe vir iuſtus, ſanctus, atq; perfectus in generatione illa, quæ ſibi ipſi perniciei extitit, qui & à Deo meruit de pietate ſua commendari, atq; laudari, dum ad eum dixit: Te ſolum vidi iuſtum in hac generatione corrupta: iuſtus igitur hic, qui inundationes aquarum vicerat tempore diluuij, à modico poſtea vino deuictus eſt dormiens. Aquæ infinitæ non poterant vincere ipſum: vinum autem vile inter dormiendum iuſti viri corpus nudauit, qui poſtea pater ac princeps generationum fuit.*

Quod de Noe narratur peritè Chriſto aptat in Cruce pendenti B. Thomas à Villanoua, dum ait: *O ecſtaſim exuberantis amoris; ò ferventis charitatis exceſſum. Factus eſt Dominus, tanquam potens crapulatus à vino. Plantauit vineam, & ex ea bibit, & inebriatus eſt, & nudatus grandem ecſtaſim paſſus eſt. Sed quam ecſtaſim? quid dicam fratres quam ecſtaſim? Deus in ligno pendet, omnipotens latronum medius crucifigitur, irridetur, blaſphematur, ſpuitur, flagellatur, occiditur? vbi eſt Deus ſapientia tua? vbi eſt potentia tua? vbi eſt gloria tua? vbi eſt diuinitas, maieſtas, & æternitas tua? Noli quærere, ecſtaſim paſſus eſt Deus: alienatus eſt à ſeipſo, vt tu redeas ad te ipſum.*

Hoc boni in hoc facto Noe fuit, quod latere ſtuduit, nec in aliorum perniciem publicè vino indulſit: Benè ille: Inde textus addit illud: In tabernaculo; vt iuſtum excuſet. Nam ſi quid culpæ fuit dum vino indulſit, aut dum nudus iacuit, ſanè id veniam meretur dum intra tabernaculum ſe continuit; vt ſi fortè dormiens veſtimenta abijceret, ipſius tabernaculi pellibus obtegeretur. Non damno factum Noe dum virtutis vini fortè inſcius liberiùs bibit, illud in viro pio laudo, quòd dum futuram nuditatem timeret, intra tabernaculum ſe continuit. Quo facto docet ſi ad morem trahas non eſſe quærendum plauſum per peccatum, verùm SI QVID MINVS RECTVM QVIS COMMITTAT, ID SALTEM CLAM FIAT, ne aliorum oculos offendat, & alios fortè in perniciem trahat.

Et nudatus. Sequuta eſt ſtatim nuditas ebrie-
513 tatem; *ex quo diſce*, inquit ille, *nihil* OCCVLTVM
eſſe vbi regnat EBRIETAS, nudantur omnia, quæ alias erant occulta.

Quod cum vidiſſet Cham pater Chanaan, verenda ſcilicet patris ſui eſſe nudata nuntiauit duobus fratribus ſuis foras.

PAtris nuditatem filius prodit, nec legimus aut ſingulares illius virtutes prodidiſſe, aut eius ſanctos mores imitatum: Cum multa eſſent, inquit ſcitus ille auctor, in viro pio, quæ imitari poſſet filius, & vnum tantùm, quod quodammodo eum denigrare poſſet; alijs omnibus omiſſis, id, quod minùs erat laudabile, vidit, & viſum fratribus detulit. Scilicet, hoc eſt filiorum ingenium, vt licèt MVLTA LAVDE DIGNA SINT in parentibus, hæc omnia obliuiſcantur: ſi verò quid fuerit, quod vitio dari poſſit, hoc vnum oculis hauriant, & ſermone verſent, frequenter & opere imitentur.

Parum illi fuit vni fratrum rem nuntiare, nuntiauit ambobus, vt vel hinc eius peccatum augeatur. *Congeritur peccatum*, inquit Caietanus, *& quod non operuit Patrem, & quòd nunciauit non vni tantùm, Sed* DVOBVS FRATRIBVS. Nimirum calumniator, & detractor extendere detractionem ſtudet, nec paucis ferè narrat, cum multis poteſt.

At verò Sem, & Iapheth pallium impoſuerunt humeris ſuis, & incedentes retrorſum operuerunt verenda Patris ſui.

NVdatus in patrem pietate maior filius,
patrem irriſit, quem minores operuere; 514
maiorum exempla contemnenda ſunt, ſi mala. Sanctus Hieronymus rem ad Chriſtum crucifixum, quem contempſere Iudæi, honorauere Chriſtiani eleganter rem transfert: *Nudatum patrem*, inquit, *irriſit maior filius, minor texit: &* DEVM CRVCIFIXVM *illuſerunt Iudæi, & honorauerunt gentiles*. Verba extant in diſceptatione illius aduerſus Luciferianos.

Incedentes retrorſum. Et cur non naturali motu ad patrem ineunt? an vt innuerent inſolens, & inuſitatum eſſe, alienos aliquem defectus tegere. Acutè peritus ille auctor: Sanè dum pergebant patris nuditatem, & fœditatem obtegere, ipſo modo pergendi oſtendebant ſe illud peragere OPVS QVOD INVSITATVM, & præpoſterum eſt humanis moribus: quid magis præpoſterum, & inuſitatum homini, quam de ſuo velle aliorum obtegere defectus? id ſane non eſt vſus hominis, ſed Dei ſpiritus eſt proprium.

Pallium impoſuerunt humeris ſuis. Docentur hîc filij, vt patris errores tolerent, ſi tollere nequeunt, & piè operiant, quæ genitor commiſit: *Multum*, verba ſunt Abulenſis ad hæc verba, *hic inſtruimur circa paternam reuerentiam*, NE PATERNOS DEFECTVS IRRIDEAMVS, *ſed quantum voluerimus* CONTEGENTES *æquanimiter tolleremus.*

Sectio III.

Nouatrix malitia hominis vt sit, 515.
Maledictio Noe ex iustitiæ zelo nata.
Cur *Chanaan* & non potius Cham qui peccauerat *maledictione* fuerit percussus.
Qualis quisque in *parentes* tales habere *filios* solet, 516.
Gratias Deo agere quanti referat.
Hominis *benedictio* à Deo est.
Bona *opera* nostra Dei potius sunt quàm nostra. 517.
Omne *bonum Deo* adscribendum.
A *Deo* est quidquid *laude* dignum in homine.
Boni viri *exemplum* quàm efficax.

Cum didicisset, quæ fecerat ei filius suus minor, ait: Maledictus Chanaan.

515 QVæ fecerat ei filius suus minor. Et non minor erat Iapheth? *Minorem Chanaan pronuntiat*, inquit auctor ille in catena græca Fumani, *tanquam eum, qui primus nudum inspexerit Noe; alioquin ipse Cham minor fuit Iapheth*. Addit: *Iuniorem illum appellat, seu recentiorem, ac magis nouum, eò quòd* NOVATRIX SEMPER MALITIA SIT.

Quæri hîc solet, cur Noe vir iustus, & patiens posteros suos maledictione percusserit. *Respondetur*, inquit B. Dionysius hîc, *quòd fecit hoc non rancore aut vitio, sed* IVSTITIÆ ZELO, *immò ex charitate, vt per temporalia corrigerentur aduersa. Et magis fuit prophetica pronunciatio, quàm mali imprecatio.*

Maledictus Chanaan. Quare Chanaan maledictione percutitur, cum pater eius Cham peccauerit, non ipse? *Dicunt aliqui*, ait Abulensis, *quod* CHANAAN *primo vidit verenda Noe discooperta, & indicauit patri suo Cham; Vel quia Deus benedixerat Noe, & filijs eius exeuntibus de arca, ideo Noe non fuit ausus alicui eorum maledicere, sed male dixit nepoti*. Hoc postremum notauerat etiam Sanctus Chrysostomus hom. 29. in Genesim vbi ita scribit: *Quia nolebat praiudicare benedictioni quæ illi pridem à Deo facta fuerat benedixit enim inquit Noe, quomodo exiuit de arca; & filios eius: ne igitur videretur maledicere, quem Deus* SEMEL BENEDIXERAT *præterito illo, qui se contumelia affecerat filio maledictum intulit*. Gennadius in Catena græca Fumani sic nodum hunc soluit: *Maledicit non ipsi* CHAM *sed* CHANAAN, *propter hanc vt opinor, causam: quod iustum esset in filio dare pœnas filium qui iniquus in patrem fuisset: & præterea quod ipsius Sem nepotes ac posteri, incolæ terræ Cham futuri erant; etenim ingressus est, inquit, Israel in Aegyptum, & Iacob incola fuit in terra Cham & Chananæam sortiti, alios quidem è Chananæis perdituri, quosdam verò, vt Gabaonitas, Lixas & Calones habituri erant.*

Cur Chanaan maledictione percutit Noe non Cham qui peccauerat; fors vt innueret talem in illum futurum Chanaan qualis fuerat Cham in Noe, & vniuersè quales sunt liberi in parentes, tales ipsos habituros liberos. 516
Pulchrè ille: Ideo Noe cum filius suus Cham in eum peccaret, dixit. Maledictus Chanaan. Quid? Peccante filio maledicit nepoti? Sic, Et voluit in hoc significare. Hoc fit supplicium Cham, quod sicut tu in Patrem tuum te malum & impudicum ostendisti, TALIS FILIVS TVVS CHANAAN SIT ERGA TE. Etenim hoc supplicium est ex crebris; quibus Deus homines huiuscemodi punire consueuit. Mariana dubij huius nubilum sic discutit. *Hebræi*, inquit, *putant, certè Leui Sem Gherefon in hunc locum Chanaan primum vidisse aui nuditatem, eamque indicasse patri; eoque Noe iram in eum potissimum vertisse.*

Benedictus Dominus Deus Sem.

CVr *Sem* potius non benedixit, quam *Deum*? An Sem benedixit, dum Deum benedixit? *Quando enim*, inquit hic Sanctus Chrysostomus, *Deus benedicitur, &* AGVNTVR ILLI GRATIÆ *ab hominibus, tunc vberior ab illo solet benedictio dari. Itaque benedicens Deum; debitorem ipsum facit maioris benedictionis*. Aliter philosophatur nuperus auctor, dum ait: Quia nimirum, inquit, OMNIS BENEDICTIO A DEO EST, & quia obedientia illa & virtus propter quam Sem ab eo benedicendus erat, Deo potius quàm Sem referri debebat accepta.

Benedictus Dominus Deus Sem. Benedicturus filium Deum benedicit. Oleaster hîc vtile hinc elicit monitum: *Non benedicit*, inquit, *filium, sed filij Deum, vt discamus* BONA OPERA NOSTRA POTIVS DEI ESSE, *qui ad ea facienda & animum, & vires dedit*. Idem ferè notauerat ante ipsum Vgo Victorinus annot. in Gen. vbi ait: *Benedictus Dominus Deus Sem. Non Sem, sed Deo eius benedicit, vt intelligamus* OMNE BONVM NOSTRVM NON NOBIS, SED DEO ESSE *adscribendum*. 517

Benedicturus Sem, Dominum Sem benedicit, vt innueret à Deo esse, quicquid laude dignum in homine est. Pulchrè de hoc more hebræorum Delrius: Cæterum laude dignissima fuit Hebræorum veterum consuetudo, qui cum narrarent, vel audirent, raram aliquam vel insolitam fœlicitatem, vel excellentiam alicui à Deo concessam, ad Deum ab homine repente animum attollebant, & in Dei laudem, atque gratiarum actionem, grati saltem animi significationem erumpebant, per verbum, BENEDICTVS DEVS, laudemus Deum, aut quid simile.

Vixit

Vixit autem Noe post diluuium trecentis quinquaginta annis.

ANni Noe post diluuium recensentur. Sed cur tamdiu eum viuere Deus voluit? *Vt posteris*, inquit ille, *horrendum* DILVVII IVDICIVM INCVLCARET, *vt tanto magis in timore ipsius ambularent*. Plerique censent vsq; ad Abrahami tempora Noe visisse, vt sic hominum saluti Deus consuleret, vt non deesset; qui verbis, & exemplis homines ad eos duceret. Tamdiu deniq; post diluuium visit Noe, vt vnius viri boni vis hinc appareat, nimirum diluuium non tantùm in homines potuisse; vt non boni viri exemplum fuerit necessarium, TANQVAM VNIVS BONI EXEMPLVM, bonum præstaturum esset, quod non præstiterat diluuium.



CAP. X. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Qui *Dei iustitiam* & seueritatem cogitat carnis *delicias* fugit. 518.
Nudus *timor* sanctitatis flores arefacit, viriditatem non tribuit.
Mundus nunquam *sanctis* viris caruit, quorum exemplum in bono instrueretur.
Frequenter qui *potentes* in terra sunt nihil in cœlo valent. 519.
Reges vnde orti.
Plerìq; *venatores* hominum potiùs, quàm ferarum,
Venatores vt malè ferè audiant.
Perstricti, qui *tyrannidem* ac impietatem ficto Dei *cultu* palliant. 520.
Regnandi appetitio *confundit* omnia.
Per *baptismum* homines verè viuunt.

Hæ sunt generationes filiorum Noe, Sem, Cham, & Iapheth.

518 NOe antequam arcam subiret filios genuisse scimus, non legimus habuisse post diluuium. Rem sic nobilis quidam auctor expendebat: De sancto Noe dicitur vixit post diluuium trecentis quinquaginta annis & mortuus est, nec vero meminit Sacra Scriptura illum alios liberos post diluuium genuisse, vnde creditur continentiam conseruasse toto tempore, quo post diluuium vixit, tanto enim timore perculsus est propter crudele supplicium, quod Deum de sensualitate sumpsisse perspexerat, VT NVLLI DELICIARVM GENERI SE SE TRADERE ausus fuerit. Scilicet qui Dei iustitiam, & seueritatem cogitat, & in puniendo rigorem, non ab illicitis tantum carnis voluptatibus abstinet, sed à licitis quoque.

Mirum illud à Noe vsque ad Abrahamum, nullum veræ pietatis cultorem in diuinis litteris recenseri. Hinc illud Sancti Augustini lib. 16. de Ciu. Dei cap. 1. *Post Noe*, inquit, *qui cum coniuge, ac tribus filijs, totidemque nuribus suis meruit per arcam à vastatione diluuij liberari; non inuenimus vsque ad Abraham, cuiusquam pietatem euidenti diuino eloquio prædicatam*, quod expendens nuperus auctor ait: Quis non crederet tam seueram punitionem, omnia vitiorum spineta fuisse rescindenda, & pulcherrima virtutum plantaria renouanda? & nihilominus ab ipsa pœnarum seueritate non FLORES SANCTITATIS germinarunt, sed vepres impietatis inhorruerunt. Nimirum nudus timor, sanctitatis potius flores arefacit, quàm vt viriditatem illi tribuat.

Obseruant aliqui Noe vsq; ad Abrahæ tempora peruenisse; quod non casu factum, nimirum vt nunquam mundus hominibus penitus destitueretur, qui in omnium virtutum genere cæteris præluccrent. Ita Ferus hîc: *Si annos*, inquit, *computes inuenies eum vixisse vsque ad tempora Abrahæ, tandiu viuere eum permisit donec surgeret alius, qui homines ad Deum verbis & exemplis duceret, sic enim Deus nullo non tempore aliquos mundo dedit*, PER QVOS INSTRVERETVR.

Porrò Chus genuit Nemrod; ipse cæpit esse potens in terra.

IPse cæpit esse potens. Notant aliqui pro voce *potens* hebræo vocem esse, quæ *fortem* significat, *quia nimirum*, vt ille ait, *per robur ad potentiam peruenit*. Signatè additum est, *in terra* frequenter enim, qui POTENTES IN TERRA SVNT, NIHIL IN COELO VALENT, & donis cœlestibus obtinendis nihil possunt. 519

Ipse cæpit esse potens in terra. Aliqui vertunt: *Ipse cæpit esse Dominus in terra*; sic Oleaster qui addit: *Nam fuit Dominus insidiosè alios opprimendo*. Et in Morali: *Colligimus hinc*, inquit, *Dominum à principio noluisse reges instituere, quoniam optimè nouerat eos statim in tyrannos conuertendos, quemadmodum inter Iudæos factum est. Similiter discimus, vnde orti sunt reges, nempè* EX TYRANNIS.

Et erat robustus venator coram Domino.

RObustus venator. Non tam ferarum, vt aliqui notarunt, quàm hominum; hinc Caietanus: *De venatione hominum ab omnibus intelligitur; ad significandum, quòd visus est fortitudine sua ad* CAPIENDVM HOMINES *ad similitudinem venatoris*. Robustus venator & ferarum, & hominum, *quia vi & insidijs*, ait Cornelius,

actius, HOMINES CAPTABAT, *& opprimebat vel spoliando, vel necando, vel in seruitutem adducendo.*

Robustus venator. In fonte est verbum ציד *Zaid*, à radice צדה *Zadah*, quod est venari, & insidiari, quia qui venantur insidias solent struere, vt non mirum si in diuinis litteris malè ferè venatores audiant, vt nullum sit reperire, qui sanctus fuerit, & venator.

520 *Coram Domino.* Aliqui accipiunt hæc verba tanquam dixisset *simulate*; quia nimirum Nembrot fictam pietatem simulabat, vt interim tyrannidem in populum exerceret, quam Dei cultu palliabat. Ita Caietanus: *Coram Domino*, idest, inquit, *simulatè. Ad significandum, quod Nemrot*, HINC SIMVLABAT SE ESSE DEICOLAM, *inde autem exercebat tyrannidem*; væ illis, qui tyrannidem ac impietatem ficto Dei cultu palliant. Hi præcipuè venatorum hominum dicantur.

Fuit autem principium regni eius Babylon.

MAlum omen cum principium regni eius Babylon dicitur, quod nomen confusionem sonat. Regni, & confusionis magna cohærentia, magnus nexus ambitionis, & confusionis. Pulchrè Isidorus Clarius hîc: *Principium Regni eius Babylon, caput Regni primi Babel, hoc est confusio: nam* REGNANDI APPETITIO CONFVNDIT OMNIA.

Ha familia Noe iuxta populos, & nationes suas.

EXpendit Vgo Carensis ante diluuium cum hominum genealogiæ recenserentur ad singulos appositum: *& mortuus est*, quod non factum post diluuium. Rem ad baptismum aptat dum ait: *ratio mystica est, quia per diluuium baptismus significatur, & ante baptismum omnes inuoluebat mors, post* BAPTISMVM *non*; cum per ipsum omnes in Christo verè viuant. Præterea cum plus homines viuerent expressior facta mortis est mentio, cum contracta admodum hominum est vita, mortuos homines non est dictum, cum id exertè frequens illorum mors loqueretur.

✣

CAP. XI. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio I.

Venite faciamus lateres & coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro saxis.

L*Ateres pro saxis.* Impiorum hic apparet pertinacia *cum inopia*, vt ille ait, *luctans*, lateres deerant coquunt lateres. Istuc sæpè ab impijs fit, SVMMO LABORE PECCATI SIBI MATERIAM PARANT, & curam nullam, nullas vitant expensas, vt Deum lædant, erigant se contra Deum; plus isti fuissent excusabiles, si paratam materiam habuissent ad turrim illam superbiæ signum, ædificandam.

Venite faciamus nobis Ciuitatem, & Turrim cuius culmen pertingat ad Cœlum.

VIde quò superbia homines extulerit, vt nomen suum ad posteros transmitterent 52
de Ciuitatis, & turris cogitant erectione; melius est mores dirigere, quàm erigere muros; sed hæc amentia mortales afficit, vt ad muros potius cogitent, quàm ad mores. Eorum qui babylonicam ædificabant turrim similes esse, qui toti in fabricis condendis sunt, vt ad futuros nomen suum transmittant notabat S. Chrysostomus, cuius hæc sunt verba hom. 30. in Gen.

Ad-

Adhuc, inquit, *congregati quod nobis visum fuerit efficiamus, vt posteritati perpetuum nomen relinquamus*; SVNT ETIAM MVLTI HODIE, QVI ILLOS IMITANTVR, *& talibus operibus celebrari volunt, qui splendidas domus ædificant, & lauacra, & porticus, & deambulacra: quorum si aliquem rogaueris, quare ita laboret, tam miser sit, tantosque pecuniarum faciat sumptus, eosque inutiles: nihil aliud audies, quam hæc verba, vt immortalem seruet memoriam, & audiat quòd illius est hæc domus, illius hic ager*. Nimirum hæc peccatorum nota tunc magis insanire, cum maximè deberent sapere.

Horum amentia, & improbitas maior apparet ex eo, quod ex recenti diluuij memoria meliores non fuerint effecti, saniorem que mentem non ebiberint, sed potius audaciores euaserint. *Vide oro*, inquit idem Sanctus Chrysostomus, *quantum inualuerit malitia: habentes adhuc recentem memoriam generalis* IN DILVVIO INTERITVS, *in tantam inciderunt insaniam*.

522 Esse nostro quoque seculo, qui pari laborent insania & velint sibi turrim fabricare, qua ad cœlum pertingant, sic quidam auctor probabat: *Sicut prioris seculi homines, turrim Babylonis ad cœlum vsque erigere nitebantur, quò in ea post diluuium à simili eluuione tuti essent, ita* MODO PLERIQVE HOMINVM, *ad immensas opes, & sublimes dignitatum gradus aspirant, rati videlicet se in eis vel felices futuros, vel certè minus miseros, quàm qui in humili fortuna degunt*.

Faciamus nobis. Dixissent: *Faciamus Deo*, inque Dei gloriam hanc turrim erigamus; fors non tàm faciles tanto operi, admouissent manus, si res in Dei cultum, obsequiumque esset perficienda, nec tàm IN SVMPTIBVS EFFVSI si Deo sacra fuisset; sic ferè fit, vt in rebus quæ Deum tangunt, auaritia mortales tangantur, alias in mundanis rebus effusissimi.

Cuius culmen pertingat ad Cœlum. A cœli tunc maximè aberant culmine, cum cogitant turrim struere, cuius culmen Cœlum pertingeret. Scilicet incipit infrà se esse, qui tumidè se suprà se viresque suas efferre conatur. *Vide*, inquit auctor ab aureo ore in hunc locum, *quomodo humanum genus non potest subsistere intra suos limites, sed* AMPLIVS CONCVPISCENS, MAIORA SVPRA SE APPETIT; *atque hoc est quod humanum genus potissimum perdit, quia non vult natura suæ mensuram agnoscere, sed semper maiora desiderat, & quæ supra suam sunt dignitatem votis concipit*.

523 Turrim insani isti fabricare student, cuius culmen ad Cœlum pertingeret; illorum superbiam hæc res arguit, sed & auaritiam, cupiditatemque, nam dominium suum vel in Cœlum auebant extendere, terrenorum possessione haud contenti, quod tetigit Sanctus Asterius hom. aduersus auaritiam, dum ait: *Sed & multitudinem hanc linguarum & idiomatum immoderata quorundam* CVPIDITAS *in vitam nostram introduxit. Qui felicitate nimia lasciuientes cum peruium sibi cœlum fore credidissent, ridendamque eius ad ascensum turrim moliti incassum essent, tum ipsi cohibiti sunt & coerciti, tum pro consensu concentuque sermonis dissidium atque dissensionem inuexerunt, humanæque genti molestiam ex obscurarum sono vocum, interpretandique laborem reliquerunt*. Nimirum hominum cupiditas, & auaritia nequit sistere.

Et quid mali turrim erigere, qua tenderetur in cœlum? An in hoc erant maximè impij, quod dubitarent Deum ab his, quæ promiserat, resilijsse, & rursum de mittendo diluuio cogitare? Nempè, inquit ille, timebant homines, ne iterum diluuio delerentur, quod paulò antè obuenerat: vnde tanta altitudine erigere intendebant turrim, vt vltra nubes ascenderet cacumen, quò ab imbre, & pluuia tuti esse possent: quod iure ægrè tulit Dominus: nam, cùm ipse promisisset, non deleturum iterum Orbem immisso cataclysmo. Parum fidentes homines Dei verbis, effugium quærebant contra diluuium: quod iure Deus malè accepit; quia DE EIVS FIDE DVBITABANT.

Cuius culmen pertingat ad Cœlum. Mirum hoc hominum mentem potuisse subire. A superbia, quæ amentiæ est mater, non aliud insipiens hoc inuentum potuit excogitari. Benè Beatus Alcuinus in Gen. interrog. 146. *An credibile est tanta stultitia fuisse homines, & vt in Cœlum altitudinem ædificij cuiuslibet erigere se posse putarent*. *Resp*. SOLET SVPERBIAM STVLTITIA SEQVI, HVMILITATEM SAPIENTIA. *Ideò turris hic superbiæ loco posita est. Fecit ergo superbia diuersitates linguarum, & quos turris dissociauerat Ecclesia collegit*.

Descendit autem Dominus, vt videret ciuitatem, & turrim, quam ædificabant filij Adam.

NOn esse temere aliena facta iudicanda, nec quodlibet de quolibet credendum 524 locus iste opportunè docet. Rem peritè vt solet conficit Sanctus Chrysostomus hom. 30. in Genesim, dum ait: *Vide quomodo humano more scriptura loquitur. Et descendit, inquit, Dominus, non vt humano modo intelligamus, sed vt per hoc erudiamur*, NVNQVAM TEMERE FRATRES CONDEMNANDOS, *neque auditu solo iudicandum, nisi pluribus argumentis prius certi reddamur. Omnia enim à Deo ideo fiunt, & ob hoc tanta ad erudiendum humanum genus vtitur sermonis attemperatione: descendit, inquit, Dominus Deus, vt videret ciuitatem & turrim*.

Quam ædificabant filij hominum. Cur filios hominum eos potius vocauit, quàm filios Dei, aut certè filios virorum? Honcala: *Animaduertè, inquit, non vocasse eos Dei filios, quia ab insigni illa, & gratiosa imagine: in qua conditi fuerant procul exciderant: nec dixit eos filios viri, quia à virili officio, &* PIETATE PROBO VIRO DIGNA LONGE RECESSERANT: *sed nuncupauit eos filios Adam, non tantum vt speciem notaret, quàm vt primi hominis memoriam faciens, simili errore, & culpa, qua ille lapsus fuerat, &*

implicatus, eos nunc fuisse collapsos & inuolutos ostenderet: quippe qui non minus impij & INGRATI EXTITERVNT ERGA *D*EVM, *qui eos à communi horrendi diluuij strage seruarat tantum magnificè, quantum si eosdem ab integro condidisset, quàm Adam, qui paulò post à creatione non est veritus conditoris sui autoritatem contemnere, iussionemque violare.*

Quam ædificabant. Parum fuit facinus maius viribus excogitasse, etiam opere complete studuerunt. Sed cur Deus non statim conceptæ temeritati occurrit, & homines à superbiæ suæ suggestu deiecit, antequam operi manum admouerent? An vt à labore ipso erudirentur, quem præceptoris loco fuisse testatur Sanctus Chrysostomus hom. 30. in Genesim, vbi ait: *Vide*, inquit, *quomodo non statim ab initio illorum reprimit insaniam, sed longanimi lenitate vtitur, & expectat donec malitiam suam opere declarent, & tunc conatus eorum impedit: ne enim quis dicere possit, deliberasse quidem illos, sed quæ decreuerant, in opus non deduxisse, præstolatur donec animo destinatum opus aggrediantur, & tunc monstrat eis quàm inutilia attentarint: descendit, inquit, Dominus Deus, vt videret Ciuitatem, ac turrim, quam ædificabant filij hominum: vide misericordiæ excellentiam: permisit illos laboribus se se affligere, vt rerum* EXPERIENTIA PRÆCEPTORIS LOCO *illis esset.*

Sectio II.

Nimia *crudelitas* in *puniendo* damnata; humanitas & clementia commendata. 525.

Euertendæ *superbiæ* creata virtus impar; diuina requiritur.

A Deo quisque discat nimis in *peccatores* non *sæuire*.

Ex *linguarum* diuisione animorum diuiso nata. 526.

Concordia ad spirituale ædificium magni momenti est.

Superbia fecit vt linguæ diuiderentur, *humilitas* vt linguæ diuisæ congregarentur.

Cur *linguarum* diuisio in mundi exordio inuecta non fuerit. 527.

Quam facilè mali *linguis* malum cæteris affricent.

Præterita *calamitas* à lapsu qui eam inuexit auocare homines debet.

Turrim Babylonicam perfici cur *Deus* noluerit. 528.

Diuinæ *indignationis* argumentum, cum feliciter impiorum procedunt *consilia*.

Cur post diluuium *mortis* non fiat memoria, vt facta fuerat ante ipsum.

Virtus non à sanguine ortum habet, sed à bona voluntate. 529.

Nemo sibi longam promittat *vitam*.

Vxoris Aran cur nulla mentio fiat.

Mulieris memoria ponenda.

Venite igitur descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui.

CAusam præmisit, qua ad pœnam hanc
inferendam vrgeretur, vt suo nos e- 525
xemplo doceret, non esse temere
exuta humanitate in alios sæuiendum. Rem luculenter versat auctor ab aureo ore serm. 60. de diuersis noui testamenti locis, dum ait: *Ac mihi* CLEMENTIAM *ipsius velim consideres. Ecce, inquit, vox vna omnibus, & hoc facere cœperunt. Quam ob caussam non statim eo deuenit, vt linguam diuideret, sed prius se excusat, quasi in iudicio caussam dicturus? tametsi nemo illi dicturus est, Quid fecisti? sed in potestate situm est ipsius, vt cuncta, quæ voluerit, faciat. Attamen quasi rationem redditurus ita excusationem ac defensionem instituit, vt nos doceat* HVMANITATEM ET CLEMENTIAM EXERCERE. *Nam si Dominus seruis se excusat, atque illis qui iniuria ipsum affecerant: multo magis nos mutuo excusare oportet, licet vel maxime fuerimus iniuria læsi. Vide quæso, quo pacto se excuset: Ecce labium vnum, & vox vna omnibus, inquit, & hoc facere cœperunt. Quasi diceret: Nemo mihi vitio vertat ista, cum diuisam linguam viderit, nemo diuersitatem hanc linguarum ab initio fuisse insertam hominibus arbitretur. Ecce labium vnum, & vox vna omnibus: sed non vsi sunt dono, vt oportuit.*

Venite descendamus. Et quosnam Deus aduocat vt superbos confundat? An Angelos? An potius sanctam Trinitatem? cum de euertenda superbia agitur, impar creata virtus censeri potest; *Cum dicit*, inquit Rupertus, *pluraliter venite descendamus, non Angelorum multitudinem ad auxilium cohortatur, sed ad* FERIENDAM SVPERBIAM SE ADESSE TESTATVR TOTA *T*RINITAS, ET VNVS *D*EVS.

Diuisit Deus linguam, cur non potius euertit turrim, aut grauiter ædificantium superbiam non puniuit? An vt hoc exemplo homines doceret, ne nimis in homines sæuirent? *Aduerte*, inquit Oleaster, *quàm piè Dominus vanitates nostras castigat. Non destruxit turrim, non euertit Ciuitatem, sed labia confudit, vt* NOS DOCEAT NON SÆVIRE.

Diuisit superborum linguas, & ex lingua- 526
rum diuisione nata sententiarum, animorumque diuisio est, quâ pœnâ nescio an alia aptior, digniorq; potuerit excogitari. Sanctus Ioannes Damascenus orat. in edita in laudem Sancti Ioannis Chrysostomi: *Turrim olim illam ædificantes, suæ impietatis mercedem nacti fuere, confusionem nempè linguarum, & per* LINGVARVM CONFVSIONEM, SENTENTIÆ, ANIMIQVE DIVISIONEM.

Vt

Vt ab inani, & superbiam sapiente opere homines Deus auocet, solo dissidio, & discordia vtitur, vt vel hinc colligas, dissidia spirituali fabricæ euertendæ apta, inepta erigendæ. Præstat sistere, quæ Ioannes Eusebius habet: *Sed & illud memoria repetendum, cùm Deus sacrilegos turris Babel architectos, ac molitores ab opere, quod stultè, & aduerso numine machinabantur, arcere, & tanquam deturbare statuisset; id demum non aliter perfecisse, quàm dissimilium confusione linguarum: tantum valet ad res interturbandas* DISSIDIVM *quoduis, etiam linguarum, tametsi magna foret inter illos consiliorum, voluntatumque conspiratio. Nos contra si viuas, ac spirituales domos, iuxta sancti Petri sententiam, in nostris proximorumque mentibus extruere contendimus, & ad muros felicioris Hierusalem, pro quibus, vt benignè faceret Dominus in bona voluntate sua, Dauid castissimè precabatur exædificandos aliquid afferre momenti,* IDEM IVGVM TRAHAMVS OPORTAT, AT AD VNIVS LINGVÆ CONSORTIVM REDEAMVS; *alioquin labores quidem magni, laborum fructus pænè nullus.*

527 Superbia igitur fecit, vt linguæ diuiderentur, sicut humilitas, & charitas vt in vnum coirent, quod factum cum super Apostolos Spiritus Sanctus effusus est. Rem sic explicabat Sanctus Augustinus tract. 6. in Ioan. *Vidit Deus* SVPERBIAM *ipsorum, & hunc errorem illis immitti iussit, vt non se cognoscerent loquentes, & facta sunt diuersæ linguæ per superbiam: si superbia fecit diuersitates linguarum,* HVMILITAS CHRISTI CONGREGAVIT DIVERSITATES LINGVARVM; *iam quod illa turris dissociauerat, Ecclesia colligit. De vna lingua factæ sunt multæ: noli mirari, Charitas hoc fecit; quia etsi soni diuersi linguarum sunt, in corde vnus Deus inuocatur, vna pax custoditur.* Eodem idem Sanctus Pater spectabat in psal. 54. vbi ita scribit: *V*NA LINGVA CONCORDIBVS *proderat, vna lingua humilibus proderat; at vbi illa collectio in conspiratione superbiæ præcipitata est; pepercit illis Deus, vt diuideret linguas, ne se intelligendo, perniciosam facerent vnitatem; per superbos homines diuisæ sunt linguæ,* PER HVMILES *A*POSTOLOS CONGREGATÆ SVNT LINGVÆ. *Spiritus superbiæ dispersit linguas, Spiritus Sanctus congregauit linguas; quando enim Spiritus Sanctus venit super discipulos, omnium linguis locuti sunt.*

Sed hîc aliquis reponat, cum tot bona parturierit hæc linguarum diuisio, cur in mundi ipsius exordio non est inuecta, vt his commodis mundus statim frueretur? Benè Abulensis hîc: *Dico*, inquit, *quòd à principio non debuit* STATIM LINGVA DIVIDI; *si enim mox, vt facti sunt alia, & alia idiomata habuissent, non habentes aliquam communicationem, se non vt homines dilexissent. Item quia non sequebantur aliqua de inconuenientibus supra assignatis; præcipuè cum tota gens, quæ in illa prima ætate erat seruabatur diluuio consumenda. Et tamen adhuc ibi quædam distinctio facta fuit: & si non in lingua, fuit tamen in diuersitate habitationis: quia Adam spiritu diuino afflatus mandauit filijs Seth, ne coniungerentur filijs Cain, vt de stirpe damnati Messias non descenderet: & quia multi de filijs Seth filiabus Cain mixti sunt, eas in vxores accipientes, ideo venit diluuium.*

Linguæ vnitatem Deus abstulit, vt multorum malorum segetem tolleret, nam cum lingua errores in alios facilè transmittantur, linguæ vnitate omnia vitia ad omnes transirent: *Quia secundum poetam*, ait Abulensis, *corrumpunt bonos mores eloquia mala, cum ergo semper inter homines, mali & idolatræ fuissent, vel fuerunt & sunt illi faciliter alios corrupissent,* ET SIC TOTVS MVNDVS ERRARET. Facilius quippè mala, quam bona transmittuntur ad alios, & ferè auidius illa bibunt homines, quàm ista. Destruxit ergo turrim, vt vitiorum fabricam deijceret.

Et cessauerunt ædificare Ciuitatem.

ET *cessauerunt ædificare Ciuitatem.* Sed cur non item eandem ædificationem repetierunt? *Respondendum est*, inquit Pererius, *homines illos recentis cladis, quàm experti fuerant,* MEMORES DETERRITOS ESSE A PROSECVTIONE ILLIVS ÆDIFICII; *verentes scilicet ne alia simili calamitate, aut etiam grauiori afficerentur.* Nimirum præterita calamitas à lapsu, qui eam inuexit, auocare homines debet.

Sed quid mali natum, si turrim illam per- 528
fici siuisset Deus, nec linguarum varietate illorum hominum consilium deiecisset? *Si illa* TVRRIS, inquit Abulensis hîc, *& ciuitas completa fuisset, sicut illi facere intendebant, tanta nobilitas ciuitatis, & turris induxisset homines ad simul ibi morandum, vel saltem circa illam ciuitatem. Et licet vnitas idiomatis, & simultanea commoratio de se bona essent, per accidens tamen multum nociua erant generi humano; quia si omnes homines simul habitarent, non possent habere victum; quia modicum terræ spacium non sufficiebat cibos tantæ hominum multitudini exhibere: ideo ad vitam necessaria erat distinctio commorationis. Item facilius destrui posset; totum genus humanum. Si enim bella insurgerent cum omnes commorarentur omnes simul pugnarent, & sic magnæ clades sequerentur. Item morbi magis inualescerent, quia nunc licet vna terra pestifera sit, & quasi tota destruatur, alia manet illæsa, & salubris ex contraria dispositione cæli super illam partem orbis. Si autem omnes simul mansissent, cum illa terra ex habitudine cæli, vel alias male disponeretur, omnes mori possent.*

Sed cur Deus inhibuit, ne vltra illorum procederet ædificatio. Ne eorum superbia, inquit hîc Pererius, & impietas magis ac magis cresceret, & vehementius corroborata prorsus insanabilis esset, grauioreque digna supplicio: siquidem sinere Deum mala hominum consilia & conatus FELICITER PROCEDERE, & quicquid illi agere voluerint, sine impedimento perficere, omnia denique illis ex animi sententia votoque succedere, CERTISSIMVM EST DIVINÆ INDIGNATIONIS

ARGVMENTVM ET GRAVISSIMI GENVS SVPPLICII.

Vixitq; Sem postquam genuit Arphaxad quingentis annis &c.

VItæ anni recensentur, nec mors narratur, vt antea diligenter Moses fecerat. Cur ante diluuium mortis fit mentio, singulisque illam apposuit formulam, *& mortuus est*, & post diluuium mortis nomen siletur, supprimitur illa formula? Ratio est, inquit nobilis ille sacrarum litterarum tractator, nam ante diluuium non erat mortis imperium tam certa experientia confirmatum; vt non posset de aliquo dubitari an mortuus fuerit; præsertim quia de Enoch scriptum fuerat: non apparuit quia tulit eum Deus Gen. 5. 24. Seu vt est in Hebræo, quia non mori fecit eum Deus. Vnde de singulis exprimere oportebat, quod mortui fuerint; ne adhoc superstites putarentur. At vero post diluuium, inquit Beda, nemo erat nascentium de quo dici posset tulit eum Deus, seu non mori fecit eum Deus. Omnes palam in omnium oculis passim extinguebantur. Vnde opus non erat, eorum mortes scriptis commendare. Satis erat dicere, EOS NATOS FVISSE, vt statim certissimum haberetur, eosdem & obijsse.

Thare genuit Abram, Nachor, & Aran.

VEl hinc colligas non à sanguine virtu-
529 tem nasci, sed à bona voluntate nihilq; referre, cum bonis cognationem habere, nisi habeatur cum bonitate: *Vidisti*, inquit Sanctus Chrysostomus, *quomodo non in natura, sed in voluntate mentis nostra sita sunt tam qua ad* VIRTVTEM, *quàm qua ad vitia pertinent? Ecce natura quidem fratres erant, ipse patriarcha, & Nachor,* VOLVNTATE *autem non item; sed ille, licet frater ad tantas virtutes peruenisset, adhuc errore praeoccupatus fuit: hic autem omnibus quotidie per opera ipsa monstrabat virtutis sua erga Deum incrementa*. Sic ille hom. 31. in Genesim.

Mortuus est Aran ante Thare patrem suum.

CVr notauit Moses obijsse prius, qui natus posterius erat? quia id negligere homines solent. Seraphious Porrecta: *Quia*, inquit, *iunior moritur ante seniorem*, NON DEBEMVS NOBIS LONGAM VITAM PROMITTERE, *hoc annotauit littera seu quoddam mirum insolitum à nobis minus consideratum, imo tanquam id cuius oppositum sapius in damnum salutis nostra nobis promittere solemus.*

Duxerunt autem Abram, & Nachor vxores; Nomen vxoris Abram Sarai, & nomen vxoris Nachor Melcha.

CVr de vxore Aran nulla facta est mentio. Abulensis: *Non fit autem mentio de vxore Aran qualiter vocata fuerit, quia mos Sacra Scriptura nunquam de* FÆMINIS CVRARE, *nisi propter speciale aliquod mysterium*. Vt vel hinc doceamur MVLIERVM MEMORIAM ponere, nisi res necessario id exigat, si sanctitati litatum volumus.



CAP. XII. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio Prima.

Mundi *columna Abraham*. 530.
Cognatorum affectus quàm noxius, & perfectioni contrarius.
Religiosi parentum & *cognatorum* nimio affectu minimè teneantur.
Victoria auspicium suos *fugere*. 531.
Mundi contemptus & obliuio.
De *terra* sua *egredi*, vt quisque possit.
Cur iniunctum *Abraha*, vt de *terra* sua egrederetur. 532.
Peccati occasio vitanda.
Se inuenit, qui sua *contemnit* & deserit.
Viri magni à suis *contemnuntur*. 533.
Magna *Abraha* laus, quod eum non infecerit *vrbium* accessus.
Abraha obedientia expenditur.
Abraha benedictio quàm eximia.
Malis premitur illatis, qui *bonis* oblatis frui nolit. 534.
Gratiarum fluenta in alios deriuare qui vult ipse non *arescat*.
Maledictionis formula expenditur.

Dixit autem Dominus ad Abram: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.

OBseruant hebræi, quod in Abrahæ 530
laudem resilit, in medio condio orbis ætate in hoc mortalium theatrum à Deo productum esse Abrahamum, vt sua ipse virtute, & religiosæ vitæ instituto, tam præterita, quam futura post ipsum secula fulciret. Solet namque COLVMNA non in angulo collocari, sed in domus meditullio, vt sustineat ædificium.

Egredere de terra tua. Nimirum quem perfectum, ac perfectionis exemplar Deus volebat, studuit à cognatorum contagione eximere; ferè enim illius inficitur meos, qui nimio suorum afficitur affectu, Apposite Ioannes Eusebius: Quo, inquit, alio noxiam pestilentiam fugere hortaretur Deus Abraham, quàm cùm dixit:

dixit: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui. Eligens Dominus hunc ſanctum virum in ſeruum fidelem ſibi, hoc priùs curauit à conſanguineis tanquam peſſimo contagio liberari, ac eximi. Ac mandatum Dei ita ſcrupuloſè executus eſt ille, vt cum ex Vr Chaldæorum, vbi reuelationem Dei habuit, fugeret in Haram, cùm ibi Pater ſuus eſſet, non plenè putauit vocationi diuinæ reſpondiſſe, ſi ſolùm cognatos desereret, & patrem non relinqueret; quare ex Haram iterum abijt derelinquens & fugiens parentem dilectum; meruit profectò eſſe parens Leuitatum, quia parentum, & cognatorum non modò ſancto odio, ſed occiſione laudantur. Vnde Sanctus Ambroſius dixit. Leuitæ fugitantes ſunt mundi huius, vt placeant Deo, relinquunt gratiam, parentes filios, omnem cognationem, vt adhæreant vni Deo. Denique & Abrahæ dictum eſt: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. Sed fortè dicas, Leuita non erat; ſed habebat in lumbis ſuis Leuim. Quæ ad religioſos flecti poſſunt, qui vt verè ſint quod dicuntur, à nimio cognatorum affectu liberi eſſe debent.

531 Patriam reliquit Abraham, nec moras nexuit à ſuorum ſe affectu liberans, didicit tandem liberum ſe Deo mactare. Præſtat hîc ſiſtere quæ in Abrahæ laudem Abraham alloquens ſcitus auctor habet: Primum ſibi VICTORIÆ AVSPICIVM FVGA; primum belli conſilium odiſſe patriam; ſed pietatis fuit odiſſe impiam; paternos relinquere iuſſus es focos, ſed vt incenderes filium: admirabilis fuiſti, quòd euaſeris ex igne liber, admirabilior, quòd deuoueris igni liberos.

Egredere. Ægrè à cognatione abeat, qui à terra ſua non abit. Peritè Caſſianus collat. 3. cap. 6. *Primum*, inquit, *dixit, Exi de terra tua, ideſt de facultatibus mundi huius, opibuſque terrenis; ſecundo de cognatione tua, ideſt de conuerſatione & moribus vitiiſque prioribus, quæ nobis à noſtra natiuitate cohærentia velut affinitate quadam & conſanguinitate cognata ſunt; tertio, de domo patris tui, ideſt, de omni* MEMORIA MVNDI HVIVS, *quæ oculorum obcurrit obtutibus*.

Egredere de terra tua. Vt idem præſtare quiſque noſtrum poſſit abſque eo, quòd corpus extra patriam ſuam transferat peritè docet Euſebius Gallicanus, dum ait: *Exi de terra tua: etiam in patria poſiti, poſſumus implere, ſi volumus cum etiam ad nos, qui filij Abrahæ ſumus, iſta vox Domini, fidei hæreditate pertineat; exit de terra ſua, qui paſſiones mortificat in carne ſua; exit de terra ſua, qui terrenis cupiditatibus finem cæleſtium ſectator, imponit: Exit de cognatione ſua, ideſt, de complexu, & affinitate vitiorum, quæ homini vſu inolita, & cum homine nutrita ita per conſuetudinem ſentiuntur inſerta, vt quodammodo per naturam videantur eſſe cognata*.

Maius aliquid in his Dei verbis latere, quàm extimè præſeferant, ſic eumcebat auctor ab aureo ore: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtrauero tibi; quaſi diceret: relinque certa & omnibus confeſſa, & elige magis incerta & non apparentia. Conſidera quomodo ab initio exercetur iuſtus, vt præligat non apparentia præ apparentibus, & futura præ iis, quæ in manibus ſunt. Neque enim vulgare & paruum aliquid erat id, quod ei vt faceret præcipiebat Deus: nempè vt terram relinqueret quam inhabitarat tanto tempore, & omnem cognationem, & totam patris domum: iretque neſciens & ignorans quorſum: non enim dixit ei, in quam regionem transferre eum velit, ſed mandato indefinito pium patriarcham exercuit*. 532

Egredere de terra tua. Cur hoc præcipuè Abrahæ iniungitur, cum non facile legamus iniunctum alijs? An quia ipſe cæterorum pater, an quia Leuitarum parens erat futurus? Docti auctoris ſunt verba: Non ſic Dauidi nec alijs ſanctiſſimis viris, & prophetis veteris teſtamenti iuſſit Deus omnibus mundialibus renunciare vt iuſſit Abrahæ. Cui alij dixit: Egredere de terra tua? ſed cur præ omnibus alijs ſic volebat Abrahamum purum ab omni populari contagio, liberum ab omni periculo erroris, expertem omnis affectus carnalis? Aut quid Abrahamus habebat apud Deum præ cæteris, vt præ cæteris deberet eſſe purior, & defæcatior? Hoc principium inuenio in Abrahamo, quod futurus eſſet pater Leuitarum, qui ad Dei poſſeſſionem pertinebant iuxta id Num. 3. ego tuli Leuitas à filijs Iſrael, eruntque Leuitæ mei. Inde ergo fuit, quod Abraham, qui in lumbis continebat tot Dei poſſeſſiones, quot Leuitas, fieret præ cæteris omni mundiali contagio defæcatior, ac purior.

Egredere. Cur iam egreſſo rurſus egreſſionem mandat? Vgo: *Notandum*, inquit, *quod iam egreſſus fuerat de terra ſua, tunc egreſſus fuerat corpore, non mente, & voluntate, habebat enim animum forſan* REVERTENDI. Quod etiam illis occinatur, qui extimè videntur à peccati occaſione abijſſe, ſed cum reuertendi mentem habeant dici illis poteſt: *Egredimini de terra, de qua egreſſi videmini*.

Egredere. Se inuenit, & Deum, qui Dei amore ſuos deſerit, relinquit ſua. Id exemplo Abrahæ cuique præſtandum docebat Clemens Alexandrinus lib. 3. pædag. cap. 2. vbi ait: *Apertiſſimè ergo docet Dominus per Abraham, & patriam, & cognatos, & poſſeſſiones, & omnes diuitias* CONTEMNERE *eum, qui Deum ſequitur, cùm eum fecit aduenam. Et ideò eum appellauit Amicum, vt qui ſuas facultates habuiſſet contemptui: erat enim honeſto loco natus, & valde diues. Trecentis itaque & octodecim ſuis famulis quatuor reges ſubegit, qui Loth captiuum abduxerant*.

De terra tua. Et cur non potius inter ſuos manſit, vt monitis, & exemplis ad meliorem eos frugem reuocaret? *Fortè*, inquit hîc Sanctus Chryſoſtomus, *dicet aliquis: & quare non potius vt ij, qui in Chaldæa erant, ad religionem venirent per ipſum effecit? veriſimile quidem eſt, illorum ſalutem per aliorum prouidentiam procuratam: attamen audi Chriſtum dicentem: non eſt propheta* 533

ABSQVE HONORE, *nisi in sua patria*. Sic ferè accidit, vt viri magni à suis contemnantur, licet magni ab alijs fiant.

Egredi à terra sua potuit Abraham, numquam tamen abijt à se ipso, nec à pietate peregrinatus est. Inter præcipuas Abrahæ laudes fuit, quod inter homines vixit, nec illorum vitijs fuit infectus. *Nec illum*, inquit de illo Sanctus Zeno, ACCESSVS INFECERAT VRBIVM, *cuius conuersatio lex fuit*.

Et veni in terram, quam monstrabo tibi.

CVr non statim explicat quænam terra illa esset? an vt Dei seruus ad omnem etiam remotissimam esset paratus ire? *Abraham*, inquit Sanctus Chrysostomus, *cum simpliciter ac indistinctè audisset, non istam vel illam, sed quam monstrabo tibi, omnia mente circumibat, ac perlustrabat; credi enim potest ad orbis terrarum fines Oceanumque ipsum se profecturum expectasse. Itaque etsi non omnem perlustrauit terram*, CVRAM TAMEN HVIVSCE PERFICIENDI ITINERIS *sustinuit*.

Et benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum erisq; benedictus.

ERisque *benedictus*. Posteriorem hanc clausulam non abundare, ac superfluere notabat his verbis Sanctus Ioannes Chrysostomus hîc: *Ne putes dilecte, tautologiam esse, & idem bis dici, cùm dicitur: benedicam te, & eris benedictus, tanta enim te, inquit* BENEDICTIONE DIGNABOR, *vt illa in omne seculum sit duratura; eris enim benedictus, ita vt omnes summi honoris loco habituri sint, si eis cùm Abram familiaritas contingat.*

Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi.

534 B*Enedicam benedicentibus tibi*. Non caret mysterio, quod benedictionem maledictioni præposuerit. Vide, inquit Honcala hîc, auctoris bonitatem, eiusque dispensationem perpendè, prius enim amicitiam secum ineundam mortalibus offert, benedictionemque pro benedictione eis rependendam promittit, quibus spretis posterius, veluti rerum meritis exigentibus, hostilem maledictionem comminatur; cuncta enim ille piè, prudenterque dispensat, & cum pios iuuat, tueturque, & cum impios deserit, punitque. Quid enim iustius ac dignius, QVAM VT IS MALIS PREMATVR ILLATIS, QVI BONIS OBLATIS FRVI NOLVIT, aut contemnit.

Benedictionis ordo mysterio non est viduus, aut sua caret vtilitate. Prius, inquit nobilis ille auctor, benedictio datur Abrahamo; & postquam ipse dicitur benedictus, deinde ait: Benedicam benedicentibus tibi, in te benedicentur vniuersi. Decebat enim tantum virum, ne ab illo benedictiones in alio proficiscerentur priusquam ipse sibi suam benedictionem assereret. Turpe enim est in se VIRTVTIS AD ALIOS DERIVARE FLVENTA GRATIARVM, ET IPSVM ARESCERE. Qua nota laborant, qui toti in aliorum cura sunt, & se negligunt, & salutaribus monitis cæteros erudiunt, cum ipsi torpeant.

Maledicam maledicentibus tibi. Cum de benedictione ageret, idem prorsus verbum repetit, aliter in maledictione factum, si hebraicus fons consulatur, mutatus est numerus quoque. Rem sic expendebat Honcala: *Illud hoc loco notandum, quod non ait; benedicam benedicentibus tibi, in hebræo, sicut in latino idem benedictionis verbum replicatur; vt ostendatur, vtrumq; benedicentem simul & benedictum, eadem affici benedictione: quia qui recipit prophetam in nomine prophetæ mercedem prophetæ accipiet. Cum autem maledictionem comminatur, inquit*, ומקללך *Vmchalecha, & maledicentem tibi execrabor. Mutauit simul & numerum, & verbum. Numerum quidem, vt scires plures fore, eorum ad quos Abrahæ nomen peruenisset, qui ei benedicerent, quàm qui maledicerent. Verbum autem; vt maledictionis efficaciam monstraret dicendo* אור *idest, maledicto disperdam, & execratione corrumpam sibi maledicentem.*

Sectio II.

Egressus Abrahæ expenditur. 535.

Sancti viri etiam *posteritati* student consulere.

Perfectæ *obedientiæ* forma.

Præcipua eorum *cura* habenda, qui nostræ curæ commissi sunt. 536.

Melius est cum bonis *mala pati*, quàm *delitiari* cum malis.

Abrahæ in obeunda *peregrinatione obedientia* expenditur.

Viri non est suæ saluti consulere & *vxorem* negligere. 537.

Aut nulla aut postrema *opum* & *substantiarum* habenda *cura*.

Homines in Dei *cultu instruere* quanti sit.

Esse non videntur, qui diuinæ *legi* non sunt subiecti.

In *tentationibus* & *afflictionibus* animus minimè ponendus. 538.

Diuinæ *promissiones* quàm certæ, quàm incertæ, quæ ab hominibus.

Quæ putantur *mala* magna parturiunt *bona*. 539.

Viri *boni consortium* quanti faciendum.

Iustum nihil turbat, & querelarum loco *patientiam* substituit.

Diuina *iudicia* adoranda non *indicanda*.

Egres-

Egreſſus eſt itaq; Abraham ſicut præceperat ei Dominus.

535 EGreſſus eſt itaq; Abraham. Maius aliquid præſtitit, quàm prima fronte appareat, & rei difficultas rem grandiorem fecit. Præſtat hîc ſiſtere, quæ habet Sanctus Chryſoſtomus: *Quod ſi quis, & illud prudenter expendat, quanta per illud tempus viarum difficultates erant; neque enim ſicut nunc, licebat impauidè cùm alijs verſari, & tam facile profectiones ſuſcipere; nam ſingula loca proprijs principatibus diſtincta erant, eratq; neceſſe iter agentibus ab alijs ad alios principes tranſire, & ferè quotidiè de regno in regnum progredi; erat igitur & hoc non nihil obſtaculi iuſto, niſi tantum habuiſſet diuina mandata perficiendi deſiderium; verum omnibus illis impedimentis, quaſi araneæ telæ eſſent diſruptis, menteq; fide roborata, bene fidens dignitati promittentis, iter aggreſſus eſt.*

A ſuis abijt Abraham, terram ſuam reliquit, vt Deo obtemperaret, vtque poſteritati conſuleret, ne ſcilicet viuerent poſteri inter idololatras, & vitia eorum biberent. Egregiè Petrus Venerabilis lib. 2. epiſt. 22. *Patria, ad quam nunquam redire diſpoſui, ne te ſequar aduerſatur; ad quod ego, Abraham quidem iuſſu Dei, patriam deſeruiſſe, nec ad eam poſtmodum rediiſſe concedo. Quod tamen Iob in terra Hus, quæ patria eius erat, vir ſimplex, & rectus, & timens Deum, & recedens à malo fuerit, non ignoro. Loth in Sodoma, cuius tamen non indigena, ſed colonus erat aſpectu, & audit iuſtum fuiſſe, ab Apoſtolo Petro audio. Magos ab oriente pueri Ieſu præſepe venientes, & eum cum oblatione munerum, vt regem, Deum, & hominem adorantes, licet per aliam viam, tamen in regionem ſuam regreſſos fuiſſe lego: quod ſi Abraham quem ſupra poſui, obijcis: dico eum, vtpotè perfectum virum, in infidelis patriæ deſertione ſibi nihil timuiſſe, ſed infirmiori poſteritati ſapienter prouidiſſe.* TIMEBAT ENIM NE PROGENIES EIVS A DEO ELECTA INTER IDOLOLATRAS, ET MORIBVS CORRVPTOS CONVERSARETVR, *atq; à cultu diuino, malorum exemplo paulatim reuocaretur; vnde ſuis in ſe quid ſequi deberent, oſtendens: nec ipſe ad dimiſſam Patriam reuerti voluit, nec filium illuc reduci permiſit.*

Sicut ei præceperat Dominus. Perfecti obedientis hîc formam habes, qui Dei voluntatem ſpectat, nec aliud inquirit. *Sicut ei præceperat Dominus. Sicut verus obediens*, inquit Abulenſis, *non indicans vtrum bonum, vel malum, laborioſum, vel non laborioſum eſſet, ſed ſolum* FORMAM MANDATI *attendens.*

Sicut præceperat ei Dominus. Parum fuiſſet egredi, & abire à ſuis, niſi id ex diuinæ voluntatis præſcripto præſtitiſſet Abraham. Rem ſic expendebat Sanctus Chryſoſtomus hæc verba præmens Gen. 31. *Non ſimpliciter dixit, & profectus eſt Abram, ſed, ſicut locutus eſt ei Dominus Deus; omnia, inquit, fecit, quæ ad præceptum hoc pertinebant; dixit vt relinqueret omnia, & cognationem & domum, & reliquit; dixit vt iret in terram quam neſciret: nec recuſauit promiſit Deus ſe facturum eum in gentem magnam, & benedictum: credidit Abram etiam hoc euenturum. Sicut locutus eſt ei Dominus, ita profectus eſt: ideſt credidit ijs, quæ ſibi à Deo ſunt dicta, nihil fluctuans, nihil dubitans, ſed firmato animo ita profectus eſt: idcircò & à Domino magnam obtinuit gratiam.*

Et iuit cum eo Loth.

ET iuit cum eo Loth. Tanquam Loth ſe ipſum comitem exhibuerit; niſi dicamus. 536
Ab Abraham Loth aſſumptum, quia patris loco ei erat, nec deſerere debebat ſuæ curæ commiſſum. Audiendus hic auctor ab aureo ore, qui hom. 31. hæc habet: *Et iuit, inquit, & Loth cum eo; quare cum Dominus dixerit: egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui; hunc aſſumpſit? non fuit inobediens Domino: ſed forte quia iuuenis erat patris loco præfectus: & ille ob ſingularem amorem, morumque ſuauitatem, à iuſto diuelli noluit, & hac de cauſa Abram eum aſſumpſit, & filij loco poſtea habuit, præſertim quòd tam grandæuus, nullum adhuc habebat filium, propter Saræ ſterilitatem. Aliter etiam dicere licet; mores adoleſcentis non multum à iuſto aberant; nam cùm propoſiti ei eſſent duo fratres, ipſe iuſto adhærebat, quanta hoc ipſum prudentia fuit, dijudicare & probare cui patronorum ſui* CVRAM PERMITTERE *deberet.*

Et iuit cum eo Loth. Nimirum cum bonis pati melius eſt quàm deliciari cum malis: *In hoc*, inquit hic Abulenſis, *magna bonitas Loth apparet, qui magis voluit cum auunculo fideli, & iuſto peregrinari, quam inter infideles cognatos* IN ABVNDANTIA, ET QVIETE MAGNA DELECTABILITER COMMORARI, *& ſic poſtea fecit: quia ſecutus eſt eum, quando deſcendit in Aegyptum, vt patet infra 13. cap. Et ideo propter Abraham Deus fecit multa bona Loth, & poſteris eius.*

Septuaginta quinq; annorum erat Abram, cum egrederetur de Aram.

QVid referebat annos referre, quos Sanctus Patriarcha exegerat? An vt ſic eius in illa peregrinatione obeunda commendaretur obedientia? Sanctus Chryſoſtomus ita rem expendit in hunc locum: *Vt ſciamus hæc à Deo fuiſſe imperata patriarchæ, non cùm iuuenis eſſet, ſed iam ad ſenectam vergenti, quando plerîq; hominum* AD PEREGRINANDVM DIFFICILIORES SVNT, *inquit: Abram autem erat annorum ſeptuaginta quinque quando exiuit ex Charran; vidiſti quomodo nec ætas ei fuit obſtaculo, neque aliud quiddam, quod potuit eum detinere vt domi reſideret: ſed vicit omnia ipſius in Deum amor. Anima enim vigilans & ſobria, cuncta abrumpit impedimenta, totaq; fit eius quòd amat, & à nullo, quod in medio apparet difficile, retardari ſe patitur: ſed omnia præterit, nec ſubſiſtit priuſquam re deſiderata potiatur.*

Tulit-

Tulitq; Sarai vxorem suam, & Loth filium fratris sui, vniuersamq; substantiam, quam possederant, & animas, quas fecerant in Aram.

537 TVlitq; Sarai. Hoc Abrahæ Deus non iniunxerat, nullam vxoris eius mentionem factam legimus. Et verò sciebat Abram viri non esse suæ saluti consulere, & vxorem negligere. Præcipuè post suam maritus curam vxoris habeat, vt suo respondeat muneri.

Vniuersamque substantiam. Et non perfectionis maioris indicium exstitisset in paupertatis exemplum substantiam omnem relinquere, & totum se diuinæ prouidentiæ committere? An hoc legi euangelicæ seruabatur? An laude non caruit secum tulisse substantiam, cum id non rerum amor fecerit, sed vt potius diuina in eum prouidentia appareret? Pulchrè Sanctus Chrysostomus hic: *Non simpliciter dixit, omnia quacunque possederant in Charran, sed vt discamus quòd nihil ex bonis Chaldaicis accipiebat patriarcha, sed paternis illis omnibus relictis fratri, exijt, ea solùm secum ferens quæ & in Charran possidebat; & hoc faciebat*, NON QVOD VSQVE ADEO ILLA MAGNIFACERET: *sed vt ex facultatibus illis posset omnibus testari, quanta Dei erga se fuisset prouidentia*. Vides autem postremo substantiam recenseri, vt innuatur aut nullam, aut postremam opum, substantiarumque habendam curam esse.

Et animas, quas fecerant in Aran. Tanti est homines in Dei cultu instruere, vt fieri dicantur, cum instruuntur, ac si prius non essent. Benè Abulensis: *Vel dicuntur animæ, quas fecerunt, idest homines quos ad cultum veri Dei in Aran conuerterunt;* QVIA DOCENTES, VEL CONVERTENTES ALIOS FACERE EOS DICVNTVR ET GIGNERE EOS, *sic enim dicit Apostolus ad Galatas 4. Filioli mei, quos ego parturio, donec formetur in vobis Christus*. Præterea animas fecerunt, quia plures probæ vitæ exemplo reuocarunt à malo, ad bonum prouocarunt.

Et animas, quas fecerant in Aram. Facere hic hebraica phrasi est acquirere, multos antè homines Abraham acquisiuit, dum esset in Haram. Aliqui hunc locum ita accipiunt, vt animas facere sit diuinæ legi eas subijcere, in Dei lege erudire. Hinc illud apud Cornelium: *Abram viros plurimos, & Sara mulieres multas ab infidelitate ad Dei cultum traduxerunt, itaque eas quasi Deo fecerunt, & procrearunt; Vnde Chaldæus vertit: & animas*, QVAS LEGI SVBIECERVNT *in Haran*. Ac si ESSE NON VIDEANTVR, qui diuinæ legi non sunt subiecti.

Apparuit autem Dominus Abram, & dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc; qui ædificauit ibi altare Domino.

538 IN tentationibus, afflictionibusque non esse ponendum animum, sed potius erigendum sic colligebat Sanctus Ioannes Chrysostomus: *Et visus est Dominus Deus Abrahæ, & dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc; diligenter memores estote promissionum quæ à Deo fiunt, vt cum audieritis iustum varijs casibus iactari, discatis quam fuerit excellentis sapientiæ, quam solidæ fortitudinis, quam firmi, & immoti in Deum amoris, & ex ijs quæ iusto illi contigerunt, erudiamini, vt ne existimetis derelictum esse à Deo, si quando videritis probum aliquem* TENTATIONIBVS, VEL ALIIS HVIVS VITÆ AFFLICTIONIBVS VEXARI: *sed cogitantes multiplicem dispensationum Dei varietatem, relinquatis hoc incomprehensibili eius prouidentiæ*.

Aedificauit ibi altare Domino. Ac si re ipsa Abraham accepisset, quod Deus promiserat, tam certæ sunt Dei promissiones, vt pro exhibitionibus sint habendæ, contra ac hominum sint. Præterea hic elucet quam grati Deo suo Dei serui sint. Rem sic vrget Oleaster: *Aedificauit ibi Altare*. Gratiores erant, & sunt sancti promissis Dei, quam nos simus beneficiorum exhibitioni. Norunt enim sancti: Dei PROMISSIONES, ESSE BENEFICIORVM EXHIBITIONES, QVEMADMODVM HOMINVM EXHIBITIONES VIX SVNT PROMISSIONES, Et qui sic gratus est promissionibus, quid faciet exhibitionibus? Addit statim productus auctor: *Vbi*, inquit, *simul considera, quod eadem parte, qua cœpit promittere, cœpit & præstare, & fortè ideò duxit semen Abrahæ ad Iericho, vt in principio subijceret sibi Has Ciuitatem, quo in loco (vt hic dicitur) fecerat promissionem*.

Facta est autem fames in terra, descenditq; Abram in Aegyptum.

FAmes vrget Abraham in Aegyptum; nimirum quæ mala putantur, creant sæpè maxima bona; fames fecit vt Aegyptus Sancti Patriarchæ præsentia, ac virtute illustraretur. 539
Præclarè Sanctus Chrysostomus: *Descendit in Aegyptum Abram vt habitaret illic, quia inualuit fames super terram; attende quomodo ampliora fiunt iusto stadia, & remotior fit meta, dispensabat enim dominus*, VT NON SOLVM PALÆSTINAM INCOLENTIBVS ESSET DOCTOR, *sed & ijs qui in Aegypto erant & lux virtutis eius manifestaretur omnibus: quasi enim luminare quoddam, eum qui in Chaldæorum delituerat terra, illinc euocarat, vt eos qui in tenebris errorum sedebant ad veritatis viam introduceret*. Aegyptum ire Abrahamum Deus voluit, vt Aegyptios prædicatione & exemplo erudiret. Maxime beneficio cumulantur mali, si vti sciant, dum alicuius viri boni consortio fruuntur. Multa bona in Aegyptum detulit Abraham, dum se obtulit.

Nihil iustum turbat, si verè est iustus, & querelarum loco patientiam substituit. Benè hunc locum versabat S. Chrysostomus hom. 32. in Genesim: *Facta est fames super terram; audiant qui temerè & incircumspectè loquuntur, & diuinant, dicentes, quoniam quispiam aduenit, fames*

mes facta est, & quoniam ille adfuit, hac contigerunt; ecce etiam in aduentu Iusti fames, & fames valida, & non turbatur iustus, neq; aliquid humanum patitur, qui suo aduentui tribuit famis causam. Qui sapit quæ Deus decernit veneratur, non temere iudicat,

---

Sectio III.

Cumq; propè esset, vt ingrederetur Aegyptum dixit Sarai vxori suæ: Noui quod pulchra sis mulier.

540 MAxima est laude digna mulier, cuius pulchritudo sine periculo laudari potest. Hinc illud S. Chrysostomi hom. 32. in Genes. vbi cum legisset: *Scio quod mulier formosa sis: futurum itaq; vt cum te viderint Aegyptij, dicant: ista est vxor eius, & occident me, te autem seruabunt*, addit: *Considera, quantum confidebat moribus mulieris, non timens ne fortè* LAVDIBVS REMISSIOR *fiat*. Laude indigna est, quæ laudata non proficit, sed intumescit.

Noui quod pulchra sis mulier. Pulchra mulieris dos, vt se esse pulchram non noscat, licet sit. Hinc illud Oleastri hic: *Non debet vxor* COGNOSCERE SE PVLCHRAM, *sed vir*. Inficit pulchritudinem suam, quia magni eam facit, & maiorem facere studet, quàm sit.

Mirum, quod nunc tantum Abraham nouerit vxoris suæ pulchritudinem: Abulensis sic loquentem Abraham facit: Quia licet pulchra fuerit nunquam tamen consideraui, quia nunquam mihi fuit vtilis vel nociua, nunc autem noui quod pulchra sis, id est nunc cognoui pulchritudinem tuam, quia eam valde periculosam mihi conspicio. Nimirum tunc vxoris consideranda pulchritudo, quum periculum ob illam imminet, quod caueatur.

Nunc tandem Saræ pulchritudo cognoscitur, 541 quasi non antea per tot annos ab illo cognosci potuerit. Nimirum tunc singulariter pulchra cognoscitur cum inter deformes apparuit; Benè Abulensis: *Quia*, inquit, *in Cananæa & Mesopotamia cum essent multæ mulieres pulchræ, non videbatur Sara esse singulariter pulchra, in terra autem Aegyptia mulieres deformes sunt & nigræ, in comparatione autem illarum Sara videbatur admirabiliter pulcherrima*. Idem ad animæ pulchritudinem transferas, quæ tunc præcipuè debet apparere; cum inter vitijs deformes quis degit.

Et quod cum viderint te Aegyptij dicturi sunt. Vxor ipsius est, & interficient me.

CVm viderint te Aegyptij. Quot periculis Abraham obsidetur, nec tamen deuotio eius obtunditur, nihil eius ardor minuitur. Benè Sanctus Ambrosius lib. 1. offic. cap. 24. *Deinde cum descenderet in Aegyptum, monuit, vt diceret se sororem esse, non vxorem ipsius. Aduerte quanti appetitus. Timebat vxoris pudori, timebat propriæ saluti, suspectas habebat Aegyptiorum libidines, & tamen* PRÆVALVIT APVD EVM RATIO EXEQVENDÆ DEVOTIONIS. *Considerauit enim quod Dei fauore vbique tutus esse posset; offenso autem Domino, etiam domi non posset illæsus manere. Vicit igitur appetitum ratio, & obedientem sibi præstitit.*

Dic ergo, obsecro te, quòd Soror mea sis.

CVr hac arte hoc consilio vtitur Abraham, & non potius rem totam diuinæ prouidentiæ commisit? B. Alcuinus interrog. 157. quærit: *Vtrum conuenerit Abrahæ tam sancto viro, vt celaret Saram esse vxorem suam, & non magis poneret*

in Deo spem suam, nè occideretur à Rege? Et respondet. *Ostenditur in isto eius facto, quod homo non* DEBET TENTARE *D*OMINVM *D*EVM SVVM, *quando habet quid faciat ex rationabili consilio. Petit enim quod potuit pro vita sua: quod autem non potuit, illi commisit in quem sperauit, cui etiam pudicitiam coniugis commendauit. Nec eum fides fefellit.*

542 Antequam periculum adesset de eo vitando agit, quod maximè præstandum, cum de castitatis discrimine agitur. Benè Abulensis: Volebat Abraham humanitus prouidere de REMEDIO castitatis vxoris suæ, & ideo præuidit antequam adesset periculum scilicet antequam accederet ad Aegyptum; alioquin nimis periculosa res est, tunc de remedio cogitare cum periculum adest.

Et nuntiauerunt principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum.

LAudauerunt eam apud illum. Laus ista adeo suam laudem non meretur, vt improbanda sit. Saræ pulchritudinem Regi suo Ægyptij extulerunt; extulissent Abrahæ virtutem, aut etiã Saræ ipsius, nihil minus curatur in aulis quàm virtus. Commendauerunt mulieris pulchritudinem se sui regis affectui, quod in aulis frequens, aptantes. Pulchrè Lippomanus: *Viderunt ergo eam semel, & iterum, curiosè scilicet vt* AVLICORVM, AC CARNALIVM PRINCIPVM STVDIA *discas. Qui tantopere pulchram laudauerunt regi, per omnia Regum moribus se se attemperantibus illis, qui in domibus Regum sunt.*

Et sublata est mulier in domum Pharaonis.

MIrum qui tanta Patriarchæ promiserat, vxorem eius permisit tanto discrimini obijci, & Abrahæ mentem cruciari, qui tamen ea forti animo rem tulit; nec in querulas erupit voces: Alius diceret, inquit ille, vbi sunt tam ampla illa promissa, vbi protectio, vbi benedictio benedicentibus, & maledicentibus maledictio? Nihil horum dixit, nec de promissis anteà Domini beneficijs dubitauit, nec de obsequio, fide, & amore erga Deum aliquid remisit, quod inter maximas eius laudes meritò numerandum est.

543 *Sublata est mulier.* Haud dubiè contra viri, vxorisq; consensum id factum; sed cur non extimè restiterunt? *Cum exteriore* REPVGNANTIA, inquit ille, *prodesse quidpiam non crederetur, neque dicere illam esse vxoratam, sed potius id futurum putarent occasionem mortis; spem omnem in Deo collocarunt, & siluerunt.*

Sed cur Saram Pharao iussit suscipi, cum tot alias mulieres habuerit pulchras, ætateq; quam Sara florentiore? An quia hæc impiorum nota, vt auidè ea quærant, quæ in alijs vident? Rem aliter versat auctor in catena græca Fumani, dum ait: *Tanta est insita mu-*

lieris etiam in senectute formositas; ni
eadem gratia, quia sterili concedebat
renouabat etiam vt Aquila formam e
ritur quo modo rex in delicijs degens
state habens quot quot vellet pulchras
fæminas accipere, Saram nonagenari
nam & ipse erat senex, neq; omissis
puellisq; cum vetula coniungi affectau
igitur iustus erat, & nouerat iustum
nec non eiusdem modi Saram; quo
EXCITARE IIBI *ex tali fæmina*
xime sibi hanc rem futuram gloria

Flagellauit autem Dominu
nem plagis maximis, &
eius propter Sarai v
rem Abram.

PRo *flagellauit* legit Sanctus (
examinauit, quam lectioner
bat Petra Sancta, *Nimirum*, in
STA SVNT IVDICIA *D*EI, *vt dis*
examen & flagellum, in tribunals
censeantur, & quasi vocabula ca
Contra in tribunals hominum, sa
flagelli, parum aut fermè nihil ex a
sitionis, quasi non iustitia, sed
ceatur.

Plagis maximis. Cum de au
alienis vxoribus agitur, PLAC
SVFFICIVNT, requiruntur m
si magni illi sint, qui impud
non suas amore ferantur.

Plagis maximis. Nimirum
eos Deus, qui Dei amore om
coniugij pudorem illæsum se
vt Deo obtemperaret Abrah
scriminibus patebat. *Quonia*
cti Ambrosij lib. 1. de Abra
PTER *D*EVM CONTEMPS
pit à Deo multiplicata omnia
pudicitia tribuit remunerationc
sciebat coniugi; nam quia stu
oraculi vxorem quoq; in peric
ris, etiam castimoniam coniugi

Et domum eius. Quid Ph
domus, in quo domestici c
Rege plecterentur? An qui
ad Sara raptum & detentior
& IVVERANT. Raro peric
auxiliatores habeat, qui ei

Quam ob causam dix
tuam, vt tollerem
vxorem

VT *tollerem eam mihi*
mouere potuit Re
mulieri iungi vellet, & c
peret, quæ tanto interua
An mulieris pulchritudo
ferat, & Abrahæ sapient
tur. *Mirum*, inquit hîc I
tantus rex voluit vxorem

putauit eius sororem, accipere coniugem. Ad quod dici potest, quod PVLCHRITVDO ET MODESTIA *mulieris traxerunt eum ad hoc: honestas quoquè & sapientia Abræ, quem fratrem illius credebat*. Explicari non potest, quàm magnas viros habeat mulieris modestia, & pulchritudo.

Nunc igitur ecce coniux tua, accipe eam, & vade.

ACcipe eam, & vade. Iustum est, quod vxorem Abrahæ Rex restituit, sed cur eum recedere iubet? An vt in eius libertate esset, ire quocunque vellet? *Vel magis intelligitur*, inquit Abulensis, *quòd mandauit ei recedere de terra Aegypti, quia sciebat Pharao* AEGYPTIOS ESSE LVXVRIOSOS, *& ideo non poterat inter eos securus viuere, expediebat ergo ei recedere*; nec tutum futurum Abraham cum vxore credidit, licet regis iussu custodiretur. Ægrè scilicet inter LVXVRIÆ MANCIPIA CVSTODIRI CASTITAS, ET PVDICITIA POTEST, vt præstet longè recedere.

Accipe eam, & vade. Cur Abraham Rex iste dimittit, nec optionem ei dedit, vt habitaret in suo regno vbi vellet, quod fecit Abimolech? Litanus nodum ita soluit: *Accipe eam, & vade, & non dixit ei: Terra coram te est, vbicunque tibi placuerit habita, sicut dicit Abimelech rex Gerare, vt habetur Genesi, sciebat enim Pharao* AEGYPTOS ESSE LVXVRIOSOS, *propter quod Abram non posset habitare securus in terra Aegypti cum vxore sua*.

546 *Accipe eam, & vade*. Cur non virum, & vxorem apud se retinet iste Rex? An quia nullibi apud suos tutos illos futuros putabat? Facilè superiorum exemplum sequuntur subditi, & quod mireris, facilius in malo quàm in bono. & alienam vxorem iste rex à suis raptam iniustè exceperat, & iustè etiam reddiderat, sed suos malum ebibisse potius, quàm bonum timere poterat. *Dictum est*, inquit ille, *& vade, quia nouerat Rex, Abram ibi cum vxore absque vita discrimine manere non posse, præsertim ob Aegyptiorum lasciuiam*.

Cautè iste Rex cauet, ne quid fieret Abrahamo, quod eum, aut vxorem læderet, ne scilicet aliquid ipse, totusque populus malè pateretur, sciens subditorum facinora IN REGEM RESILIRE, si cauere & impedire illa non studeat, cum possit.

Deduxerunt eum. Chaldæus legit: *Comitati sunt eum*. Scilicet honoris causa, aut etiam præsidij. Et vide, inquit Mariana, INGENIVM AVLICORVM; CONTINVO VELA VERTVNT quò inclinat Regij fauoris aura.

***

CAP. XIII. GENESIS
Expenditur, & illustratur.

Sectio I.

Ascendit ergò Abraham ipse & vxor eius & omnia quæ habebat, & Loth cum eo.

ET *Loth cum eo*. Ad summam Loth laudem hoc facit, quod Abraham tot laboribus exercitum non deseruit. Aptè Honcala hic: *Commendatur hoc loco probatissima studiosi nepotis erga patruum suum pietas, quod illum, nec in tot, tantisque viarum ambagibus vagum*, NEC ALTERNA SORTE IACTATVM DERELIQVERIT. *Hoc itaque pietatis studio Loth est promeritus, vt non modo ditescente patruo simul & ipse ditesceret: sed etiam vt postea cum Pentapolitis à regibus Assyrijs captus, ab illo eripitur: sicut enim verè dicitur: Væ impio, & vicino eius: ita & veraciter fertur: Benè iusto, atq; vicino eius*.

Erat autem diues valde in possessione auri, & argenti.

EX Ægypto diuitias secum Abraham duxit, quas vxoris causa acquisierat; vt scilicet maior inter coniuges pax stabiliretur: 547
Considera, inquit Oleaster, *quomodo Deus voluerit vxoris medio maritum ditare, vt* PAX *esset inter eos*.

Erat autem diues valde. Ex hebræo aliqui vertunt grauis vehementer; Sanctus Thomas addit; *DIVITIÆ enim ægyptiæ viro sancto* GRAVES *sunt*; alioquin nimis est leuis, cui leues mundanæ diuitiæ sunt. Eodem spectat Sanctus Hieronymus, cuius hæc sunt verba: *Ascendit Abraham ex Aegypto ipse & vxor eius, & omnia quæ illius erant, & Loth cum eo in desertum. Erat autem Abram diues valde, in pecore, & argento, & auro abijt vnde venit in desertum vsque Bethel; pulchrè de ægypto liberatus ascendisse dicitur: sed occurrit huic sensui illud quod sequitur: quomodo potuerit exiens de Aegypto, fuisse diues valdè, quòd soluitur ista hebraica veritate: in qua scribitur: Abram grauis vehementer, hoc est,* βαρὺς σφόδρα, *Aegypti enim* PONDERE GRAVABATVR; *& licet videantur esse diuitia, pecoris, auri, & argenti; tamen si Aegyptiæ sunt, viro sancto graues sunt.*

548 *Diues valde.* Vox hebraica כבד *chabed* graue etiam significat, & diuitem. *Quod* DIVES, inquit Mariana, *ob multam familiam & opes difficulter mouetur, vel quoniam sibi, & alijs molestus est.*

Onustus diuitijs redit Abraham, vt etiam ab hoc capite diuinæ prouidentiæ efferendæ materiam omnibus exhiberet. Præclarè Sanctus Chrysostomus hîc: *Magnu cum claritate & gloria, locupletatusque diuitijs redit iustus: & fit doctor per ea quæ contigerunt non solum ægyptijs, sed etiam omnibus, qui in itinere erant, & qui in palæstina habitabant; nam quotquot viderant eum quando descendit fame coactus, cum timore & tremore, nunc verò redeuntem cum tanta claritate & facultatibus, & diuitijs discebant virtutem* PROVIDENTIÆ *Dei erga illum.*

Erat autem diues valde. Ita diues dicitur, vt pietate, ac deuotione pauper non esset. *At tu vide,* inquit in Catena Lippomanus, *quomodo hic neque prosperitate, neque* DIVITIARVM AFFLVENTIA REMISSIOR *vel* NEGLIGENTIOR *factus est, sed iterum contendit ad eum locum, vbi prius fuerat, priusquam in Aegyptum concederet.*

Reuersusq́; est per iter, quo venerat à meridie in Bethel vsque ad locum vbi prius fixerat tabernaculum.

549 FActus diues reuertitur ad locum altaris, vt videas diuitias eius deuotionem non infecisse, sed ad illam illum vrsisse. Benè bonus ille auctor: Reuersus est Abraham ad locum altaris, vt vbi antea orauerat, ibi Deo gratias ageret. Itaque quod factus fuerit diues, non ideo superbus, aut MINVS DEVOTVS EFFECTVS EST; sed semper eodem modo perseuerauit. Si hunc sanctum Patriarcham diuites nostræ tempestatis imitarentur non illis diuitiæ nocerent.

Nimirum acquisitæ diuitiæ Abrahamum à deuotionis, pietatisq́; suggestu deijcere non potuerunt. *Ad locum altaris redit,* inquit Ferus, *vt gratias agat. Sic Abraham nec insolentior, nec minus deuotus factus est propter diuiti[...]* EADEM DEVOTIONE PERMAN[...] possidet diuitias non possidetur à illarum copia non mutatur, nec è pietatisq́; culmine deijci se sinit di[...]

Licet diues effectus esset Abrah[...] men à se abijt, nec se super se[...] eum locum redijt, vnde pauper quod sic expendebat nuperus auct[...] legitur, quod Abraham erat diue[...] & reuersus est ad locum, vbi prius [...]naculum. Est maxime notandum, q[...] pletissimum se vidit, NON IDEO SVPERBIIT, nec vile tabernac[...] psit, quod antea construxerat, ir[...] bat cum pauper esset, sed illuc [...] habitandum, confitens in maior[...] peregrinum esse. Modo vero, [...] minuta: statim vultis ædificare m[...] SVPERBIÆ NIDVM construer[...] fendatis, qui vos locupletauit.

Non audis facinus suum extu[...] narrasse; *Nihil se* IACTAT *A[...]* hîc Ferus, *de tanto opere, ve[...] simpliciter arbitrabatur se id eg[...] debebat tanquam seruus inutilis [...] bit, sed factis, & consilijs sapie[...]*

Reuersusq́; est per iter quò v[...] illum locum potius eligit, in[...] lere Deum posset, ad locum [...]re erexerat, talem solitudinem[...] tatibus præferens, fructus mu[...] dum teneri multitudine non [...] *obsecro,* inquit Sanctus Chrys[...] Lippomani, *quantus erat vir [...] quillitatis amator, & in diuino [...] Ad eum enim locum accessit, [...] uerat, nempe in solitudine, & [...] mini inuocauerat. Ecce iam [...] impleuit hoc quod postea à Da[...] abiectus esse in domo Dei me[...] tare in tabernaculis peccatoru[...] propter inuocationem nominis [...] ei erat, quam ciuitates. Sci[...] clare, quod ciuitatis magnitu[...] cationum pulchritudo, neque [...] do, sed* INHABITANTI[...] *pter quam & solitudo ciuita[...] virtute iusti ornatur, & tot[...]*

Cur Chananæos non f[...] malè apud ipsos habuisse [...] tis imperium verus obed[...] quam suum commodum. *Abrahe,* inquit Ferus, *[...] prius male à Chananæis tra[...] eos redit propter præceptum [...] contemnens vt Domini sat[...]*

In loco altaris quod [...] inuocauit ibi no[...]

IN *loco altaris.* Nam [...] destruxerat, *ne inte[...] illud gentes* DÆMONI[...]

nunc autem readificauit ibidem: Nimirum peccati auferenda occasio est, nec quod Deo est sacrum pollui inhibiti sacrificij oblatione debet; quod rectè ad cor referas, in quo Deo soli immolare quemq; par est. Damnanda hîc multarum mulierum leuitas, qui ex suo corpore altare fabricant, exornant, in quo impudici amoris litetur Deo. Quot victimæ in huiusmodi altari dæmonijs immolatæ fuerunt?

Sed & Loth, qui erat cum Abraham, fuerunt greges ouium, & armenta, & tabernacula.

551 TAntum consuetudo cum Abraham Lotho profuit, vt diues, euaserit cum diuite. Hinc illud Oleastri ad verba producta: *Nouimus hic, quid valeat,* IVSTIS CONIVNGI. *Nam qui sociantur illis, cum illis simul ditantur à Deo. Quemadmodum enim qui malis coniunguntur, cum eis esuriunt: ita ditantur, qui bonis adharescunt, & manifestè hic ostendit Deus diuitias dedisse Loth, gratia ipsius Abraha.*

Sed & Loth, qui erat cum Abraham fuerunt greges ouium. Cur illud Moses adiecit, *qui erat cum Abraham?* At vt innueret Abrahæ merito habuisse, quæ habebat? *Tanti enim* MERITI *ERAT ABRAHAM*, inquit hîc Abulensis, *apud Deum, quod non solum ipse, sed & alij propter eum bona à Deo recipiebant.*

Sectio II.

Vbi multæ *opes* ibi *concordia* sæpè exulat. 552.
Cauendum *iustis* ne aliquid committant, quo *scandalo* impijs sint.
A malis *seruis* sæpè malorum *initia* pullulant. 553.
Diuitia concordiam discindunt.
Quàm absonum propter *temporalia pastores Ecclesia* litigare.
Iusti lites & *contentiones* ferre nequeunt. 554.
Scandalum remouere *iusti* student.
Prudentior de *iurgijs* & *dissidijs* tollendis prior cogitet.
Malitia cum oritur statim *exsecanda*. 555.
Iusti nota ab omni *calumnia* & dissensione abstinere.
Iusti in malis se alijs *praponunt*, in bonis postponunt.
Mali occasio statim tollenda. 556.
Etiam ex aliorum *lapsibus vtilitas* magna colligi potest.
Discordia inter *propinquos* maximè noxia.

Nec poterat eos capere terra, vt habitarent simul; erat quippè substantia eorum multa, & nequibant habitare communiter.

ET *nequibant habitare communiter.* Vbi nimirum multæ opes multa non solet esse 552
concordia. *Vide*, inquit Sanctus Chrysostomus, *quomodo facultatum multitudo, statim causa fit discessus, diuisionem operatur,* CONCORDIAM IMPEDIT, *& cognationis vinculum dirimit.* Eodem spectauit Sanctus Nilus: *Quid Loth*, inquit, *ab Abraham separauit, nisi multitudo ouium, qua cum assiduas inter pastorum eorum contentiones pareret, postremo diremit etiam ipsorum coniunctionem? si igitur diuitia ad eorum, qui eas possident, inuidiam, homines mouent, & à grauioribus nos studijs alienant, &* NECESSITVDINES DIRIMVNT, ATQVE INTER AMICOS PARIVNT INIMICITIAS, *& cum aterna vita nihil habent commune, nec multum huic prosunt corpori, cur à Dei seruitute abstracti nos totos addicimus vanitati?*

Eo autem tempore Chananaus, & Pherezaus habitabant in terra illa.

SEd cur istuc adiecit Moses? *Ad ostendendum,* inquit Sanctus Thomas, *quod quamquam essent diuites erant tamen in illis terris vt peregrini:* Addit. *Hoc ideo videtur interponi ad innuendum, quod* DISSENSIO *inter Abraham, & Loth fuisset tunc* PERICVLOSIOR *eis propter gentes eas, inter quas habitabant.* Præterea horum populorum facta est mentio: *Vt intelligas,* inquit Delrius, *tantò periculosiorem dissensionem fuisse, quod cincti essent impijs & efferis hominibus promptis ad iniuriam inferendam, &* CORAM QVIBVS NON DECEBAT FIDELES RIXARI. Denique hinc docemur cauendum iustis, ne aliquid committant, quo SCANDALO impijs sint.

Vnde & facta est rixa inter pastores gregum Abraham, & Loth.

INter pastores gregum orta rixa est. Sic ferè fit vt à famulis malorum initia fuman- 553
tur. *Attende*, inquit Lippomanus in catena, *quomodo valde familiares discessionis initium faciunt.* HINC ENIM SEMPER OMNIA MALA PVLLVLANT, A FAMVLORVM NEQVITIA. *Hi ergo diuisionis occasionem prabuerunt, nam facta est rixa inter pastores vtriusque, dicere vult, ij concordiam dirimebant aij multam morum inciuilitatem praseferebant.*

Parum est opes possidentis discindere mentem, & vt ita loquar animum diffindere etiam inter possidentes discordiam ponunt. Vix aliqui diuitias possidere incipiunt, cum incipiunt ab amicitia excidere. Hinc S. Chrysostomus: *Obsecro cogita quantum ex diuitijs damnum, & quanta ex multis opibus contentio; quæ*

sunt armenta, multiplicati greges, affluxerunt divitiæ multæ, & statim DISCINDITVR CONCORDIA; *antea erat pax & charitatis vinculum, nunc rixa & contentio; vbi enim meum & tuum, illic omne litium genus, & contentionis occasio: vbi autem hæc non sunt, ibi secura versatur pax, & concordia.*

Pastores de melioribus pascuis contendisse notarunt aliqui; quod vtinam ad pastores animarum non sæpè deuolueretur. *Sicut illa,* inquit Paludanus, *antiqua rixa inter pastores Abrahæ & Loth non fuit propter oues, sed propter pascua, & hodie pastores Ecclesiæ rixantur, non propter spiritualia, sed* PROPTER TEMPORALIA, *vnde Bernardus de numero oblationum, & redituum frequens est ministris Ecclesiæ discussio, de peccato autem populi vix aut nulla collatio.*

Dixit ergò Abraham ad Loth: Ne quæso sit iurgium inter me, & te, & inter pastores meos, & pastores tuos; fratres enim sumus.

554 Lites & contentiones iusti vitant, & propter hoc amittere substantiam non recusant: *Non possunt,* inquit hîc Oleaster, IVSTI LITES, ET CONTENTIONES FERRE, *& malunt de sua substantia perdere, quam contentionibus misceri. Senis debuerat esse electio, sed ne iterum super hac re contenderent; optionem illi dedit, & cessit iuniori senex.*

Ne quæso sit iurgium inter me & te. Facilè rixæ, quæ à seruis incipiunt ad dominos, nisi coërceantur, perueniunt; aut etiam quia ex pastorum dissensione alij iudicassent & heros inter se dissentire, cum subditorum errata soleant superioribus tribui, vt notabat Porrecta, qui addit: *Ne sit iurgium inter me & te; iurgium (inquam) secundum æstimationem aliorum videntium pastores nostros rixari. Nam non cognoscentes veritatem de nobis, & videntes pastores nostros dissentire inter se, facile iudicabunt, nos etiam rixari inter nos. Hinc est quòd Scriptura, inter rixam pastorum & hoc dictum Abrahæ, interposuit hæc verba: eo tempore Chananæus & Pherezæus erant in terra illa; quasi diceret. Licet inter Abraham & Loth, de facto rixa non fuerit, quòd probabiliter credendum est; tamen circumstantes facilè poterant id credere, maximè cum essent pagani; & consequenter scandalizari. Quòd sanè* SCANDALVM ABRAHAM DEBVIT PENSARE, ET REMOVERE: *sicut & pensauit, & remouit.*

Sed cur prius de cauendis iurgiorum damnis loquitur Abraham? Qui senior, qui prudentior prior de dissidijs euertendis debet cogitare. *Abraham,* inquit Abulensis, PRVDENTIOR *erat, & sciret melius quid opus esset; propter reuerentiam ergo Abrahæ expectaret Loth quid ille disponeret; & ita Abraham primo loquutus est;* & de tollendis iurgiorum seminibus sermonem fecit. Itaq; vniuerse prudentior de iurgijs dissidijs tollendis prior cogitet.

555 Viri prudentis est nascenti occurrere malo, & pullulantem discordiam excindere. Docuit

istuc Abraham dum ferit. Benè
ab aureo ore hom. 33. in Genesi
tutem tuli excellentem, quomodo ra
ne germinare quidem permisit, sed st
ORIRETVR, *funditus exsecuit & abol*
lenitate, & propter virtutem cæterar
mum contemptum præ se ferens, d
nibus, quomodo pacem habere, &
liberari, omni substantia sua prefer
Inter me, & te. Cur prius se n
ham, quàm Loth, suosque past
prius, quàm pastores Loth? V
pam, inquit peritus ille auctor
quàm alijs tribueret, & proinde
LVMNIA, & OFFENSIONE
neret.

Inter me, & inter te. Cur se p
nominat, cum soleat vrbanitatis
cultores dum loquuntur alios,
mina præferre? Cum de hon
ordo seruetur, cum de culpa,
sione, vt hîc accidit, inuerti
potest. Peritè Abulensis: *Qui a*
ferre volunt in bonis præponunt
IN MALIS AVTEM PRÆPON
quia sicut honor est de bono adscri
quam sibi: ita & est honor de n
minus quam sibi, & si sibi, & a
nere debet: sibi maiorem imponat
norem, & quia aliquid nominari
bere: ille qui in malo prius nomin
malo accipit.

Ne quæso sit iurgium inter me,
ætate erat, prior dissidia, & di
nem studuit auferre. *Hoc ponit*
leosis, *ad notandam prudentiam*
tutem; pertinet enim ad virum s
tem, vt VISA OCCASIONE M
PROVIDEAT, *& non dissimul*
potest prouideri contra mala ne
autem eorum non potest prouider
ham cum esset vir sanctus, atque
quæ pastores iurgati essent, & h
sequi posset, statim locutus est a
tur occasio futurorum malorum.

Quærat aliquis cur iurgij in
Loth Sacra Scriptura memin
vtriusque laudem futurum esse
fuisset silentio suppressa? E
prudentiæ exemplum habem
anteuertuntur, & vitantur, v
tionem nostram esse, lapsus
viris magnis. Perpensè Abu
inquit, *voluit hoc scribere, vt*
medium posuit Abraham inter ha
prudentes, & sanctos pertinet
vitia, ne fiant, & quia ex iurgi
erat iurgium Dominorum, in
ideò Abraham vir sanctus, atq
in hoc prouidit faciendo separat
quando prouiderit, ponitur iurgi
Abraham autem volebat se, &
licet, quòd si simul manerent con
lum erat: ideo voluit se prius

tione, quam Loth, & paſtores ſuos priuſquam paſtores Loth, quaſi plus mali, & culpa de hac contentione ad ſe, & ad paſtores ſuos pertineret, quam ad Loth, & paſtores eius.

Fratres enim ſumus. Iure iſtue adiecit, nam vt ait Sanctus Thomas, *peius, & indecentius eſt inter fratres, ſeu propinquos eſſe diſcordiam, quàm inter extraneos.*

Sectio III.

Diſcordia quàm magna ſecum afferat *damna*. 557.

Vt *pacem* quis ſtatuat etiam de ſuo iure aliquid amittat.

Terra eligendæ optionem cur *Lotho* reliquerit Abraham.

In *terra* diuiſione *animorum vnitatem* vt ſpectarit Abraham. 558.

Vbi *concordia* conſulitur etiam *ſiniſtra* dextera fiunt.

Viro *prudenti* ſiniſtra *dextera* ſunt, imprudenti contra.

Ferè vbi *terra fœcundior* ibi homines deteriores. 559.

In *terra electione* maximè *inhabitantium* habenda ratio.

Infirmior amœna eligit, vtiliora faſtidit.

Quàm grande malum *primatum amare*. 560.

Malos bonis velut *ſale condire* Deus ſtudet.

Viri *iuſti* eſt non ſolum alium non *decipere*, ſed ab deceptionis vmbra abeſſe.

Prudentiori ſe quiſque committat vt ſit tutior.

Non facilè *malum iudicetur* quod *boni* præſtant, licet exſtimè videatur. 561.

Ingratitudo omnia inficit.

Loci pulchritudini non fidendum.

Ab *impijs* cur ſtatim non ſe *Loth* ſubduxerit. 562.

Peſſimi coram Domino quinam dicti; & cur.

Ecce vniuerſa terra coram te eſt, recede à me obſecro.

557 EX hoc apparet quam noxia, quàm vitanda, quam timenda fratrum diſcordia ſit. Maluit Abraham Lothum eligere terram poſſe, in qua mali habitabant, quàm inter rixarum diſcrimina degere, GRAVIORA DAMNA à rixa timens, quàm vel à Sodomorum conſortio.

Ecce vniuerſa terra coram te eſt. Nimirum vt pacem, qui maiores ſunt ſtatuant, debent aliquid, cum res id exigit, de ſuo iure remittere, id Abrahæ exemplo ſic firmabat nobilis quidam auctor: Agnoſcite prudentiam Abrahæ, QVI IVS SVVM AMISIT, NE PACEM AMITTERET. Loth, qui erat minor natu conſentaneum eſſet, vt voluntatem Abrahæ ſequeretur, & noluit Abraham, niſi exuere ſe autoritate, & iure ſuo, & omnia minoris fratris poteſtati obtulit, vt eligeret. Videte quam ſingulare eſt hoc exemplum maioribus, vt ſi volunt pacifici eſſe cum ſubditis ſuis, aliquid de iure ſuo perdant, ſin minus nihil vnquam efficient.

Mirum terræ eligendæ optionem Lotho relinquit Abraham, ac ſi terræ illius eſſet poſſeſſor, non alij illam poſſiderent. *Hinc apparet*, inquit Caietanus, *terram illam, quamuis poſſeſſam ab illis populis; parum tamen habitatam fuiſſe: imò, nec illos populos habuiſſe tot pecora, vt exigerent pro ſe ſua interiora: niſi enim prompti fuiſſent ad locanda territoria, non dixiſſet Abram: Tota terra coram te eſt.*

Si ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo, ſi tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam.

DIuiſionem iſtam ad vnitatem rendere, & ab amore eſſe non eſt quod in dubium reuocetur; ſatis rem probat, dum electionis optionem Lotho relinquit Abraham; ſic auctor ab aureo ore ad hæc verba: *Ne quis condemnet iuſtum, quaſi ingratum circa Loth, & quòd quem è domo ſua eduxerat, in terra aliena nunc à cohabitatione eijceret, nève putet ipſum inimicitiarum gratia hac facere: ſed vt diſcamus omnes quod pacis ſtudioſus hac faciat, ideò & electionem ei conceſſit: neque moleſtè tulit, quòd prima ferret: vt omnibus notum foret, quomodo mens ſua* AD PACIS CHARITATISQVE SCOPVM *ſpectaret potiſſimum, præterea & aliud quoddam myſterium iam antea diſpenſabatur, vt multa poſt hac inciderent, per quæ Loth rebus ipſis erudiretur, quam indignè electionem ſumpſiſſet, & vt diſcerent Sodomitæ virtutem Loth, & ſeparatione facta promiſſionem patriarchæ datam euentu compleri, quia dictum eſt ei: tibi & ſemini tuo dabo terram hanc.* 558

Si ad ſiniſtram ieris. Vbi concordiæ conſulitur etiam quæ SINISTRA ERANT DEXTERA FIVNT; Benè S. Patriarcha, qui vt ille ait, *conſultius putauit terram partiri quàm corda*, & vtilius loca diuidere, quàm animos.

Hæc viri iuſti eſt nota, vt quod mundi hominibus eſt dextrum, ipſi ſiniſtrum ſit, & quod illis ſiniſtrum, dextrum; ſic verſat Sanctus Ambroſius lib. 2. de Abraham cap. 6. *Si tu in ſiniſtram, ego in dexteram: vel ſi tu in dexteram, ego in ſiniſtram: hoc eſt, quæ tibi in* DEXTERA SVNT, MIHI IN SINISTRA SVNT: *& quæ tibi in ſiniſtra, mihi in dextera ſunt, viro enim imprudenti in dextera ſunt, quæ ſunt corporis, ea præfert, ea conſtituit in meliorem partem diuitias quoque & honores præponit: at verò immortalitatis adipiſcendæ gratiam in ſiniſtram habet, quæ ſapienti in dextera eſt.*

Eleuatis itaq; Loth oculis vidit, omnem circa regionem Iordanis &c. elegitq; sibi Loth regionem circa Iordanem.

559 FErè vbi terra fœcundior est, ibi & peccati fœcunditas est; egregiè rem versat Oleaster hic, dum ait: *Docet locus iste,* QVO TERRA FVERIT VBERIOR: EO FREQVENTIVS HOMINES IBI DETERIORES ESSE, *& docet locus iste falli eos, qui quod pulchrius, & amœnius est, eligunt, & vt plurimum vbi terra delitiosior est, cultores vitiosi sunt.*

In electione deceptus est Loth, ipse fefellit se, dum terræ pulchritudinem spectauit, nec aliquid de inhabitantium malitia cogitauit. Sanctus Chrysostomus: *Vides Loth tantum spectantem terræ naturam, & non aduertentem* INHABITANTIVM MALITIAM? *quæ enim vtilitas, dic oro, si terra sit fructuosa & ferax, homines autem adeò mali? quid damni è solitudine & infrugifera terra, si homines sint humaniores? caput enim & summa bonorum est, inhabitantium probitas. Cæterum Loth ad vnum tantum respexit, nempe fertilitatem terræ.*

Peramœna sibi elegit loca Loth, vtilius vtiliora elegisset; errat qui solam amœnitatem sectatur. *Infirmior,* inquit Sanctus Ambrosius, AMŒNA ELIGIT, *vtiliora fastidit.*

560 Infeliciter electio Lotho cessit; vt hinc qui dignitates ambiunt discant, quàm magnis se discriminibus exponant, dum loca potiora quærunt, primatum amant. Opportunè rem tetigit Sanctus Chrysostomus hom. 34. in Genesim: *Scies non multo post rebus ipsis, quàm nihil profuerit ei (Loth) potioris terræ electio, & ipsismet discet, quantum* MALVM EST PRIMATVM AMARE.

Elegit Loth Sodomam; diuinæ hoc fuit prouidentiæ, nam malos homines condire veluti sale huius probitate voluit, ne penitus corrumperentur. Festiuè Eusebius Pamphili lib. 7. qui vt de mandato Domini, vbi ait: *Continentiæ* SALES *misit Dominus ad Sodomam Loth, vt eius iustitia continerentur* VT A SALE, *& non corrumperentur. Illi autem &* SALES *calcauerunt, & dixerunt ad eum, qui insalabat. Habitare venisti, non tamen, & iudicium iudicare.* Malorum extrema timenda illis sunt, qui proborum virorum sale nil proficiunt, sed eo abutuntur.

Quæ pulchriora Lotho visa, Loth elegit, Abraham tanquam prudentior ea, quæ minus pulchra, quod fecisset, etiamsi primum locum in electione sibi præripuisset. Sanctus Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 3. hæc habet: *Plerumque vbi fructus impares sunt, prudentior amœniora declinat; citò inuidiam mouent, citò in se excitant mentem auari; hic tamen nihil dixit Scriptura de eo quòd alia pars vtilior, alia amœnior fuerit,* NE STVDIO ABRAHAM CEPISSE OCVLOS ADOLESCENTIS VIDERETVR. Nimirum viri iusti est non solum alios non

decipere, sed & à deceptionis v[...]
. *Elegitq; sibi.* Melius fecisset [...]
totam seniori, prudentioriq; com[...]
feliciter rem casuram timeri pote[...]
se sibi credit, suæque prudentiæ [...]
riorem consulit. Hinc illud San[...]
lib. 2. de Abraham cap. 6. *Vt Ab[...]*
lius, qui electionem obtulit: ita Lot [...]
electionem vsurpauit; virtus se hum[...]
autem se iniquitas: qui se DERVIT[...]
MATVRIORI, VT ESSET TVT[...]

Diuisiq; sunt alterutrum à [...]

TRadidit istuc scriptura, nec [...]
facilè quis damnaret, eum [...]
inter se diuidi, pacis conseruan[...]
ritè Abulensis: *Fuit,* inquit, *ad*
nostram, quam principaliter intendi[...]
ra ad Rom, 15. *vt* NON IVDICEM[...]
ESSE QVOD SANCTI VIRI [...]
ABINVICEM SEPARATI SVN[...]
sent salua charitate cohabitare, [...]
bos vel vnum eorum accusarent: [...]
similibus non iudicaremus aliquem
reprehensibilem, eo quod inter [...]
discessio fiat, placuit Deo vt isti duo
inuicem discederent.

Homines autem Sodomitæ pe[...] & peccatores coram [...] nimis.

ERrauit in terræ electione [...]
ra fuerit, sed possessore[...]
erant, & à gratitudine alienissi[...]
illius: Proh hominis error in [...]
Heu quàm citò captiuus factus [...]
suæ electionis? Et vnde hæc [...]
cauit? Nonne terra præstantis[...]
bona eius superefluebant? C[...]
geret bona tanta? Debebat in[...]
bona illa possidebantur, si e[...]
largitori gratis tenerentur, n[...]
eorum sortem ire detrectaret [...]
res ingratitudine tenebantur [...]
NIHIL ERAT IN BONIS IL[...]
ESSET EXPVENDVM ET C[...]
enim bona censentur ex afflu[...]
titudine accipientium comm[...]
rum omnia inficit ingratitud[...]

Deceptus est Loth, qui [...]in
amœnitatis, & pulchritudinis [...]
habuit, quàm vtilitatis, & [...]
TVDINEM, vt ait Vgo Victo[...]
posuit, sicque factum vt & [...]
& commodis.

Sed cur Loth vir alioquin [...]
mos habitauit? cur se statim [...]
duxit? *Dici potest,* inquit Bea[...]
quod fortè non sciuit tantam fa[...]
quando inter eos habitare elegit [...]
spensatione & ordinatione diui[...]
virtus Loth magis exercitaretu[...]

illorum prauitatem nequissimam, quatenus eius exemplo discamus non peruerti ab impijs, sed vt sodomitæ eius virtutibus ædificarentur.

Coram Domino. Cuius iudicium falli non potest; aut dictum est *coram Domino*, vt doctus ille auctor habet, quòd non adeo pessimi apud homines illius regionis; quibus communis consuetudo, & deprauatio, turpis speciem quodammodo extenuauerat.

Sectio IV.

Contentiones vitans supera *consolatione* donatur. 563.

Amat eos *Deus* præcipuè qui *tranquilla* mente sunt.

Apparitiones & consolationes diuinæ hominibus *pacificis* dantur.

Deus aliorum *inuidiam* seruis suis timet. 564.

Terrena negligere *pacis* fouendæ causa quàm gratum Deo sit.

Obsequijs nostris nescit à nobis *Deus* vinci.

Iusti pulueri per *humilitatem* comparati. 565.

Terram possidendam cur iustus Abraham *deambulare* iubetur.

Quanta *deuotione templa* tangenda, excipienda *Eucharistia*.

Diuinæ *bonitatis* ingenium *beneficia* sua producere. 566.

Christiani est *paradisum* mente *deambulare*.

Diuina *beneficia* expendenda vt *grati* Deo simus.

Omnia alia *dimittit* qui ob oculos *Deum* habet. 567.

Domus splendorem Angeli non quærunt, sed *anima virtutem*.

In Dei *cultu finis principio* respondeat. 568.

Diuitiæ prudentis viri animum à bono non auocant, sed ad bonum vrgent.

Dixitque Dominus ad Abram postquam diuisus est ab eo Loth: Leua oculos tuos, &c.

563 VIx diuisus fuerat Loth ab Abraham, cum Dominus Abrahæ apparet, Abrahæ loquitur, vt statim appareat, à liuore non fuisse eam diuisionem, sed ab amore. *Idcirco*, inquit Beatus Dionysius, *dum amore virtutum separasset eum à se meruit* CONSOLATIONEM DIVINAM *accipere, & etiam quia contentiones iam erant à domo sua sublata*.

Scilicet tunc ad Abraham Deus loquitur, cum contentionis occasionem abscecuerat, quod expendens Ferus ait: *Obserua quòd tum primùm Dominus Abrahæ loquitur, cum resecata dissensionis causa recuperasset pacem, & mentis tranquillitatem Abram. Amat enim Dominus eos, qui* MENTE SVNT TRANQVILLA.

Postquam diuisus est ab eo Loth. Quasi diuisio à Loth proximiorem Deo Abraham reddiderit, aptioremque qui Dei donis, diuinisque colloquijs, delicijsque bearetur. *Non sine causa*, inquit Porrecta, *appositum est: Postquam diuisus est ab eo Loth: quando narrata est tam Diuina & larga promissio, quasi diceret*. APPARITIONES, ET CONSOLATIONES DIVINÆ, DANTVR HOMINIBVS PACATIS: *& quantò magis quis quietatus est intra se eò amplius dona superna recipere idoneus est*. Et Mariana: *Deus*, inquit, PACIFICIS APPARET; disparet ab his, qui pacis sunt hostes.

Cur non prius hæc Abrahæ dedit Deus, quàm ab eo Loth discessisset? Quia pius, inquit peritus ille auctor, Dominus INVIDIAM aut odium nepotis timuit ipsi Abrahæ. Quasi & ipse Loth; probus alioqui vir, patrui sui felicitatem VIDERE non posset quin INVIDERET. Tàm facilè homines inuidia afficit, liuor ligat. 564

Omnem terram, quam conspicis tibi dabo, & semini tui vsque in sempiternum.

QVi terræ partem, quam vellet Lotho eligendam reliquerat, nunc non partem, sed totam accipit à Deo; vt hinc colligas quàm Deo placeat terrena negligere, concordiæ, & pacis fouendæ causa, aut etiam quam magna indipiscantur, qui pauperibus parua distribuunt. *Vt discamus*, inquit Sanctus Chrysostomus, *quod Deus remunerauerit eum pro ijs, quæ in Loth collocauerat, hæc addidit; dixitque Dominus ad Abraham, postquam diuisus est Loth, quasi manifestè dicens*: PARTEM TERRÆ CESSISTI. ECCE EGO TOTAM TIBI TERRAM POLLICEOR: *vidisti quantis cessit, & quanta est assecutus? Hic erudiamur, vt magna in dandis eleemosynis largitate vtamur, quò datis paruis adipiscamur magna*. Eadem mente Cornelius, nam producta expendens verba: *Quasi diceret*, inquit, *tu prius Lot pacis caussa cessisti Pentapolim; ideo ego nunc tibi maiora do; omnem, inquit, terram, quam conspicis tibi dabo. Vide quàm largiter Deus remuneret*, SI QVID PACIS CAVSA RELINQVATVR. *Parum cesserat Abraham ipsi Lot, & nunc vniuersam terram accipit*.

Omnem terram quam conspicis. Nescit nostris obsequijs Deus vinci, plura pollicetur ei qui plura præstabat. *Prius dixerat*, inquit Honcala hîc, *semini tuo dabo terra hanc*: MODO AVGET *dicens omnem terram hanc, quam conspicis, dabo tibi, & semini tuo. Quanto enim pluribus apud Deum meritis Patriarcha crescebat, tanto amplius, ac plenius erga illum diuina pollicitatio maioribus*

donis explicabatur; nam quia perhumaniter benignissimus patruus cum nepote suo se se habuit, & maior minori mirabili modestia cessit, eidemque liberum reliquit, vt vtramuis regionem incoleret: è vestigio adeo remuneratur à Deo.

Faciamque semen tuum sicut puluerem terræ.

565 CVr pulueri Abrahæ nepotes comparantur, cum stellis comparari alibi solebant: *Fideles*, inquit Vgo Carensis, *comparantur stellis supra, pulueri & arenæ, vtrumque enim bene conuenit, boni enim sunt sicut* PVLVIS PER HVMILITATEM: *quia se omnibus viliores reputant, item stellæ sunt quia magni sunt.*

Surge, & perambula terram in longitudine, & in latitudine sua, quia tibi daturus sum eam.

ET quid necesse erat Abraham terram illam perambulare? Sanctus Thomas: *Hoc*, inquit, *facere iubetur vt exerceatur, & etiam vt firmior modus diuinæ promissionis per hoc ipsi Abrahæ & posteris eius fortius asseratur & imprimatur: & etiam vt Abraham per hoc quasi in corporali possessione poni videatur, tum etiam vt à filijs eius, quibus erat danda* IN MAIORI DEVOTIONE, *habeatur tanquam bona perambulata & inhabitata à tam sanctissimo patre, & hoc non humanitus. Sed iussu diuino: tum etiam in mysterium quod possessio spiritualis per virtualem & mentalem perambulationem obtinetur.* Quod nos ad Dei templa transferamus, in quibus præsens Deus adest ipse sub Eucharistica nube latens. Satis ad deuotionem excitandam fuisset hebraico populo erga terram, quam erat possessurus, si solum mente hoc voluisset, ab Abrahamo calcatam fuisse, & non erit Christianis, vt singulari deuotione in templa ferantur, cogitatio ista, quam fides obijcit, qua credimus, adesse in templis præsentem Deum!

566 Cur antequam terram reipsa possideat ambulare per eam iubetur? Hoc beneficentiæ diuinæ ingenium est, vt producat sua beneficia, & faciat antequam faciat. *Vt scire possis*, inquit Sanctus Chrysostomus, *& magnitudinem terræ, &* ANTEQVAM FRVARIS SPE PASTVS, *magnam inde animi voluptatem capias*; adeo vt ante beneficium spes recepturum beet.

Perambula terram. Non facilè in nouo testamento reperias alicui iussum, vt terram perambularet; hinc illud Sancti Hieronymi: PARADISVM MENTE PERAMBVLA.

Perambula terram. Cui rei? *quia*, inquit, *daturus sum tibi eam*. Et quid referebat Abrahami ambulatio, vt terram illam consequeretur? An vt hinc disceremus, expendenda Dei beneficia esse, vt grati pro illis simus, & maioribus excipiendis reddamur aptiores: *Ad quid*, inquit Porrecta, *voluit Dominus quod Abraham perambularet, terram sibi dandam: & attulit pro causa perambulationis donationem ipsam (vt litera*

docet) Profectò QVONIAM VVLT RE; QVÆ AB IPSO DONATA BIS; *si enim nesciremus beneficia sua bitas agemus gratias, nec emolument de acceptis donis.*

Mouens igitur tabernaculum s venit & habitauit iuxta lem Mambre.

LOco non hærebat Abraham, locorum non clauditur spa mirum si facile locum illum reli Deus apparuerat. Peritè bonæ Cur bône inde tabernaculum m cum dimittis, in quo Deum vid loqueris, & multa pollicentem loco diuisionis Deum habes p hunc dimittens locum iuberis naculum, & Hebron ire? Etia Deum spectat, cui aram erigit discedit à Deo, cui etiam in aramque illi struit, non æstim re. Nulli alligatur nisi Deo; lè dimittit, dum ob oculos ha exhibeat cultum. Scilicet nu qui Deo hæret.

Ad quercum tabernaculun nec tamen domus vilitatem satis domum ornat, qui animat bus circumfert. Illud *iuxta bre*, ex hebræo legas, *quercu* naculo hæc habet Sanctus I mus; *Non aut tectum liniuit illam tabernaculum figens, f tentus erat: & tam splendidi rium, vt nec angelos apud ip non enim quærebat* DOMV SED ANIMÆ VIRTVTEM

Aedificauitque ibi a

QVi in se altare stru ctaret Deo potius, tra struere altaria: *Sign* Thomas, *tria altaria scrib sterium Dei Trini; & etia Dei habet solidum princip & perfectum finem siue t* Dei cultu finis respond

Aedificauit ibi altare ctæ diuitiæ non potuer re, aut aliquid ab ea diuitijs altare Deo str quam ditaretur fec inquit bonus il fuerint maxir men sapie NON

eius pi

CAP. XIV. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio Prima.

Vera *dignitas* terrenas dignitates contemnere. 569.
Quàm infelix *seruitus vitijs* seruire.
Nimio *tributorum* pondere subditi haud grauandi.
Vbi vigent terrenæ *voluptates*, ibi virtutes bellicæ marcescunt. 570.
Quàm cauenda *iustorum iniuria*.
Malorum societas maximè periculosa.
Cur cum *infidelibus fœdus* contraxerit Abraham. 571.
Ope *castitatis* victoria sperari potest.
Auxilium indigentibus exhibere vt quisque debeat. 572.
Sacerdotum dignitas regia maior.
Vix eminens aliquid ab ijs speres, qui *ludis* vacant.
Religiosorum est omnem *cognatorum* affectum eiurare. 573.
Post *victoriam* Abrahæ exemplo quisque *humilior* sit.

Factum est vt Amraphel Rex Senaar &c.

569 REges recensentur, qui alijs licet infideles dominabantur, cum interim Abraham iustus in alienis terris peregrinaretur; vt hinc discas, plerumq; malos terrena felicitate donari, quam iusti contemnunt potiori diuites, & maiori post hanc vitam donandi. Non inuidit his regibus SVA CVLMINA Abraham, nec vnquam à Deo postulauit, vt parem dignitatem indipisceretur. Vera hæc dignitas terrenas dignitates posse contemnere.

Duodecim enim annis seruierunt Chodorlahomor, & tertiodecimo anno recesserunt ab eo.

REgi seruijsse hos legimus, cur non potius exprimitur, quòd seruierint vitijs, & præcipuè libidini, cum hæc sit infelicior omni alia seruitute seruitus, ait enim Sanctus Augustinus: *Fœlicius* SERVITVR HOMINI, QVAM LIBIDINI, *cum sæuissimo dominatu vastet corda mortalium?* An quia, vt ille ait, *adeo certum libidini deditos* INFELICITER SERVIRE, *vt non fuerit necesse id exprimere?* An quia quę ad historiam spectabat hic sacer scriptor adduxit, non quæ ad mores?

Et recesserunt ab eo. Iugum seruitutis excusserunt, quòd indicta tributa, sic aliqui notarunt, soluere noluerint. *Impij*, inquit ille, *potestate abutuntur in subditos, & dum* NIMIO TRIBVTORVM PONDERE *eos grauant ad seditionem, defectionemq́, subditos vrgent.* Tributis qui nimijs subditos onerant, hostes efficiunt suos.

Itaque rex Sodomorum, & Gommorhæ terga verterunt cecideruntq́; ibi.

NOn vacat mysterio, quod pauciores Reges plures vicerint, quid virtutis bellicæ sperares à regibus, qui delicijs innutriebantur, Sodomæ, Gomorrohæ, ceterisq; vrbibus infamibus præerant, fugiendo statim cecidere, quos prius vicerat luxus. Cur obsecro, inquit scitus ille auctor, plures reges paucioribus succumbunt: & cur ex illis pluribus primi omnium terga verterunt Reges Sodomæ & Gomorhæ? Ratio plane imprompt u est. Quia illi quinque Reges delicati quidem erant, ac proinde effæminati: & ex illis quidem, Reges Sodomæ & Gomorhæ sicut erant molliores, ita & timidiores, nam vbi vigent profanæ VOLVPTATES, IBI VIRTVTES BELLICÆ MARCESCVNT. Quid igitur victoriam ab illis contra hostes speres, qui à terrenis voluptatibus sunt victi? 570

Tulerunt autem omnem substantiam Sodomorum, & Gomorrhæ &c. Nec non & Loth.

TAnti vnius iniuria à Deo fit; vt ob vnum Loth captum multos ipse punierit. Rem sic expendebat Oleaster hîc: *Admonet*, inquit, *locus iste*, QVAM SIT CAVENDA IVSTORVM INIVRIA, *quoniam propter vnicum iustum: isti, coacti sunt omnia, quæ detulerant restituere. Sicut enim boni sæpius propter vnum iniquum omnia bona sua perdunt: ita mali, propter vnum iustum perdita recuperant. Loth enim iustus, propter Sodomitas malos, substantiam suam amisit: ipse verò, vice versa, propter eius iustitiam, licet mali, quæ amiserant receperunt. Vnde textus quasi reddens rationem captiuitatis Loth, & amissionis bonorum, dicit. Et ipse habitabat in Sedom. Ac si dicat Hac de causa amisit bona, quoniam inter pessimos Sodomitas morabatur.*

Nec non & Loth. Vt hinc colligas quàm noxia malorum societas sit; Tulerunt Loth, omnem eiusq; substantiam, solet enim Deus, inquit probę notæ auctor, iustos & innoxios, PROPTER MALORVM SOCIETATEM, temporali pęna mulctare. Et Abulensis: *Licet Loth iustus esset, quia tamen* INTER IMPIOS HABITABAT, *cum malis passus est.*

Hi enim pepigerant fædus cum Abram.

ET quæ societas malis cum iusto? An nullus adeo exlex, qui meliorem ebibere mentem 571

non

non possit, si cum bonis versetur? An eum illis fœdus iniuit Abraham, vt ad veri Dei cultum exemplo suo alliceret? Benè Lippomanus: *Vt nota facta fuerat probitas, & sanctimonia viri. sic illos quoque viros bonos latere non poterat, cuius ob id societatem ambierunt, licet hominis peregrini, à quo profecerunt, & adiuti sunt. Quod etsi infideles & simul improbi fuerunt, quia tamen inter eos demorabatur iustus, iure potuit cum eis in licitis* FOEDVS CONTRAXISSE, *vt propterea ad vnius veri Dei cultum illos attraheret.*

Hi enim pepigerant fœdus cum eo. Hinc aliqui coniiciunt hos tres fratres impios, & exleges non fuisse, nam alioquin fœdus cum illis minimè pepigisset Abraham. Honcala; *Est autem*, inquit, *verisimile hos tres fratres homines fuisse haud improbos, quibus tamus patriarcha dexteram dederit, mutua ope cum illis vsurus, & ad pacem conciliandam, & ad iniuriam arcendam. Nonne vitio datum est regibus Israel, siue quod ab impijs auxilium expeterent, siue impijs opem ferrent? At Abraham absque vlla reprehensionis nota horum principum satellitio munitus Babilonios abactores insectatus est.*

Quod cum audisset Abram, captum videlicet Loth fratrem suum, numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo.

AB amotit affectu, & concordiæ amore naram diuisionem ostendit Abraham, dum Loth capto de eo liberando cogitauit. Hinc illud Sancti Ambrosij lib. 1. de Abraham cap. 3: *Cum trecentis decem & octo viris adeptus victoriam, liberauit nepotem; probatur diuisionis affectus, quando sic amabat nepotem, vt pro eo nec belli declinaret periculum.*

Eduxit Abraham in aciem expeditos vernaculos suos, ad bellum promptos, *& qui non fuerant vxorati*, vt loquitur Rabanus, *quasi*, vt auctor alius dit, *non potuerit Abraham tantam comparare victoriam, nisi ope castitatis adiutus. vt ibi impuri reges Sodomorum, & Gomorrha tanquam ignauissimi terga verterunt, ac ceciderunt: vbi casta paucorum castra de quinq; Regibus triumpharent.*

Antequam filium Abraham habeat pugnat cum his regibns, & fit victor; hoc si ad mores transferas vtile elicies monitum. Prudentet Prudentius:

,,*Pugnare nosmet cum prophanis Gentibus*
Suasit, suumq; suasor exemplum dedit.
Nec ante prolem coniugalem gignere
Deo placentem, MATRE VIRTVTE editam
Quam strage multa bellicosus spiritus
Portenta cordis seuientis vicerit.

Scilicet suos seruos Abraham expediuit, &
572 obiecit discrimini, non aduocauit alienos; iudicans exemplo qui auxilium indigentibus afferre debeamus; *Et tu ergò*, inquit Sanctus Bacchiarius huc spectans, *assume vernaculorum turbam pro isto, ideſt opere tuo, non alieno fratri* AVXILIVM *praſta captiuo.* Hic multorum est mos, vt opem alijs aut non afferant, aut alienis opibus, alienaq; opera id præstent.

Egressus est autem Rex Sodomorum in occursum eius.

REx Sodomæ obuiam venit Abraham, cur non venit & Melchisedech? Ille, inquit nobilis auctor, rex magnus; hic vero Sacerdos Deo consecranis: REX Abtahamo in occursum exeat; ad SACERDOTEM vero ob tantę dignitatis reuerentiam Abrahamus viam instituat.

Qua est vallis regis.

Q*Va est vallis regis.* Et cur à Rege hæc vallis nominabatur? *Ferunt*, inquit Isidorus Clarius, *locum fuisse, & stadium vbi reges* LVDEBANT, *& se se exercebant.* Mirum, quod vallem potius huic rei elegerint reges, quam montem? An quia locus erat commodior, aptiorque? An quia vix eminens aliquid ab illis speres, qui totos se ludis sacrant?

At verò Melchisedech Rex Salem proferens panem, & vinum, &c.

MElchisedech hic mentio fit, nec adijci-
tur eius genus; vt ob id sine patre, sine 573
matre ac sine genealogia eum fuisse Apostolus dixerit, quia scilicet nihil de ista, nihil illis enarrat Scriptura diuina; quod viris religiosis sic quidam aptabat: Relig sosus debet esse sicut Melchisedech sine patre, sine matre, sine genealogia, nec initium dierum babens, nec finem. Non quod ijs caruerit, sed quia in scriptura non narrantur; & ideò perpetuæ sunt obliuioni traditæ: ita RELGIOSVS, & si PARENTES habeat, & nobilem gentologiam, omnium penitus oblinisci debet.

Cur hic ex improuiso Melchisedech mentio fit? *Ad innuendum*, inquit Sanctus Thomas, *quòd præter Abraham erant tunc inter gentes magni cultores summi Dei.*

Et dedit ei decimas.

HOstes vicit Abraham, sed, quod est grandius, se, dum post victoriam fuit humilior; id quod obseruans Sanctus Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 3. ait: *Qui vincit non debet arrogare sibi victoriam, sed deferre Deo; hoc Abraham docet, qui triumpho* HVMILIOR FACTVS EST, NON SVPERBIOR; *sacrificium denique obtulit, decimas dedit.*

Sectio

Sectio II.

Cur solius *Regis Sodomorum* mentio hîc fiat. 574.
Subditorum *anima* quanti à *superioribus* faciendæ.
Aptior lucrandis *animis*, qui cæteris *mundi bonis* renunciauerit.
Propter *lucrum* se non *pugnasse* cur ostendere Abraham voluerit. 575.
Victoria gloria *Deo* tribuenda.
Qui *spem* suam in Deum iactat humanas *diuitias* non curat.
Insignis *victoria* à *diuitiarum* terrenarum amore non vinci. 576.
Magna *paupertate* laborat, qui *ditari* ab hominibus vult.
עשר quid; *Diuitis* est alios ditare.
Diues dicendus qui nihil *desiderat*.

Dixit autem Rex Sodomorum ad Abram: Da mihi animas, cætera tolle tibi.

574 CVr Regis Sodomorum fit mentio, & non illorum, qui aliis quatuor vrbibus præsidebant? *Nota*, inquit Sanctus Thomas, *quòd ex hoc quòd non fit mentio de Regibus aliarum quatuor Vrbium, sed* SOLVM DE REGE SODOMORVM, *videtur quod iste Rex dominaretur quatuor aliis regibus terra sua.*

Da mihi animas. O hanc eandem mentem, hæc eadem verba animarum zelus exsculperet ab iis, qui alios regunt: *Audiant hoc Reges*, inquit hîc Oleaster, PLVRIS SCILICET ESSE FACIENDAS ANIMAS SVBDITORVM, QVAM SVBSTANTIAM SVAM, *quòd eos arguit, qui ad pecuniam, & bona eorum inhiant, non curantes, an bene, an malè viuant; neque si viuant: docemur præterea aliena, etiam si iusto bello acquisita, restituere: licet non teneamur.*

Da mihi animas cætera tolle tibi. Cur non & animas, & cætera quæsiuit? Ad illos, si remflectas, qui animarum curæ incumbunt, dici potest, quod ille dixit; *tunc aptior quisque ad capiendas animas, cum* CÆTERIS MVNDI BONIS RENVNTIAVERIT; Quam ab hac mente abeunt, qui re ipsa videntur dicere: *Da mihi cetera, animas tolle tibi*; dum inuertunt sententiam, euertunt se.

Non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt, ne dicas: ego ditaui Abraham.

575 QVàm longè à militantium more; hi non oblata surripiunt, Abraham victor respuit quæ accipere poterat: *Noluit quicquam accipere*, inquit Cornelius, *vt omnes viderent, eum non* PROPTER LVCRVM PVGNASSE, *sed ex charitate, ad liberandos captiuos*; quam paucos hodie reperies bellantes, qui non sub auaritiæ militent vexillo. Præterea noluit aliquid accipere, *vt* GLORIAM VICTORIÆ, inquit auctor productus, *non sibi, sed Deo attribueret*. Itaque in pugna hostes vicit, in victoria se ipsum, dum extra cupiditatis aleam positus omnia reiicit.

Et cur tam solicitus est Abraham, ne aliquid à Rege Sodomorum acciperet? *Vt praberet exemplum*, inquit Sanctus Thomas, *abiiciendæ cupiditatis, & in signum plenioris charitatis ad eos, quos liberauerat. Ex hoc enim patuit, quod non fuit motus ad insectandum hostes* CVPIDITATIS, *sed solius* CHARITATIS *causa.*

Ne dicas: Ego ditaui Abram. Nullam hæc verba iactantiam sapiunt, hæc quippè Abraham dixit, volens omnia Deo tribuere. Pulchrè ille: Non dicas ego: ego ditaui Abraham. Non ad iactantiam, sed AD DEI GLORIAM hoc dixit, cui promiserat Deus bonorum multiplicationem, ideo noluit eius diuitias alteri tribui posse, sed soli Deo.

Ne dicas; ego ditaui Abram. Ab homine ditari noluit, qui humanas contemnebat diuitias; nec enim fastum aliquem hæc verba præseferunt. Benè Pererius hîc: Non hoc, inquit, dixit Abram fastu aliquo, aut superbo illius regis contemptu; sed religiosa quadam reuerentia diuini numinis, ingentique fiducia Dei erga se benignitatis ac munificentiæ: quippè qui non solum ei diuitias, sed alia quæcumque bona largissimè promiserat. Itaque dicens Abram se ditari nolle à rege Sodomorum, significauit SE NON CVRARE HVMANAS DIVITIAS, quòd certam haberet spem iri se ditatum à Deo cumulatissimè; simulque ostendit, cupere se laudem omnem gloriamq; suarum diuitiarum, soli Deo attribui; vt quicumque cernerent eum tam abundanter à Deo locupletatum, admirabilem Dei potentiam ac benignitatem agnoscerent, & reuererentur. Amabat igitur Abram diuitias, non quia essent diuitiæ, nec quod eas plerique mortalium, tamquam summum bonum, flagrantissimè concupiscerent, nec quia per eas alia omnia bona comparari facilè possint; sed amabat diuitias vt munus Dei, singulari quadam beneuolentia, & benignitate sibi datum ad exercitationem profectumque virtutum, ad subleuandos quamplurimos, atq; in exemplum; quemadmodum scilicet in diuitiarum affluentia, modestè, castè, iustè, pieque ac religiosè viuendum sit. His accessit, quod cum diuitiæ illæ donum essent Dei, sperabat eas nunquam sibi nocituras; contra quam euenit plurimis, quibus diuitiarum copia magno sæpe malo & exitio esse solet.

Non hostes modo vicit Abraham, sed & habendi cupiditatem superauit, quæ non minus gloriosa victoria fuit. Benè bonus ille auctor: Vt ostenderet SE NON HOSTES MODO VICISSE, SED ETIAM SVPERASSE CVPIDITATEM HABENDI, recusauit locupletari à Rege Sodomorum, eoque exemplo speciosi contemptus, delectatus plurimum Deus, & 576

secu-

securus circa Heroem suum; quem vtique speraret, sibi admodum fore fidum, quandoquidem rentauerat incassum auaritia, si quo modo posset eum superare, dixit ei, noli timere Abraham: Ego protector tuus sum. Insignis nimirum victoria est, à terrenarum diuitiarum amore non vinci.

Ne dicas; ego ditaui Abraham. Quàm diues prudentia est, qui ab hominibus noluit ditari, à Deo ditandus. *Nec ex superbia*, inquit hic Beatus Dionysius, *dixit hoc Abram, sed quoniam Deus ei promiserat, quòd benediceret ei in omnibus, ideò noluit suam* LOCVPLETATIONEM ADSCRIBI HOMINIBVS. Magna nimirum paupertate laborat, qui ditari ab hominibus vult, Deo neglecto. A Deo ditari Dei serui volunt, non ab hominibus, quin inter detrimenta computant huiusmodi lucra. *Audis*, inquit hic Oleaster, *quanti animi sint serui Dei: vt à* NVLLO ALIO BONA, IMO NEQVE MALA, NISI A DEO ACCEPTARE EA VELINT, *exempla scripturæ accipe. Cum 2. Samuelis 16. Semei malediceret Dauid, noluit Abisai Danidem, à seruo maledictionem accipere, eamq; punire; quod regem malediceret, & eum iam iam occidere constituerat. Ibo (inquit) & amputabo caput eius. Cui rex magni animi sui non oblitus, respondit. Dimitte eum, quia Dominus præcepit ei, vt malediceret Dauid. Arbitraris (ait) quod de manu serui debeam maledictionem ferre? Non sum tam pusilli animi, vt alium, quàm Deum mihi malefacere posse putem. Nihil mali ab alio, quàm à Deo suscipere noui.*

Ditaui; Hebraicè העשרתי; verbum עשר *nghasar*, & ditare significat, & diuitem fieri, vt promiscuè,& transitiuè ponatur, & intransitiuè, quò nexu mouëremur, eius qui diues est, ESSE DITARE QVOQVE ALIOS, & diuitias suas cæteris communicare, tanquam ille minimè sit diues, qui diuitias in alios non spargit. Hic quoque nexus clamat, eos DITESCERE, qui alios DITANT,

Ditaui. Ex hebræo aliqui vertunt; *decimaui*, & quidem verbum עשר *nghasar*, quod hic habetur & ditare significat, & decimare. Eliseus in suo lexico; *Ego decimaui, idest, decimas imposui à me ditato Abraha*. Addit ab hoc verbo esse עשר, quasi completus in possessione, cui nihil deest, nec ipse DESIDERAT; ad quam vim si diuites huius sæculi vocemus, paucos verè diuites inueniemus, cum nullus ferè sit, qui amplius quàm seipsa possideat, possidere non desideret,

CAP. XV. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio I.

His itaq; transactis factus est sermo Domini ad Abram per visionem dicens: Noli timere Abram; ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.

NOli timere. Magis in prosperis Dei serui timent, quàm in aduersis, securiores sunt cum premuntur duris, & lætiores sunt, cum læta non succedunt, mercedem à Deo, Deumque ipsum habituri. Benè hic Porrecta: *Patet*, inquit, *quod viri sancti non seruiunt Deo propter temporalem mercedem: ex quo fit tristantur de successione prosperorum: ergo virorum sanctorum fortitudo magna; & mundanis hominibus est contraria. Nam* HOMINES PROSPERIS LÆTANTVR, ADVERSIS MOERENT: SANCTI VERO E CONTRA; 577

Abra-

Abraham enim supra cap. 12. occurrentibus sibi aduersis quoad mundum, scilicet egressione de terra sua, peregrinatione in aliena, passione famis, coniugis, periculo; & rixa pastorum suorum, discessione à Loth sibi Charissimo, perambulatione terræ, in longitudine & latitudine; & captione ipsius Loth cum eius substantia ab hostibus, congressione belli, contra tot potentes inimicos; occurrentibus (inquam) istis aduersis non tristatus est: sicut nunc succedentibus lætis tristabatur, & timebat. Ergo quando quis benefacit, & aduersa ei in mundo succedunt, & gaudeat; quia non redditur illi nunc aliquid pro mercede: & consequenter tutus est, quòd si perseuerauerit, in futuro sibi reseruatur.

Victibus hostibus timet Abraham; quid si fuisset victus ipse? Iustorum est felicitatem præsentem timere, oh quam alij efferuntur. Fuit qui censuit timore correptum, quia in aliorum casu suum cogitauit. Vidit, inquit nobilis ille auctor, superbos Reges, gloriosos milites, victrices acies, quæ paulò antè de quinque Regibus triumpharant; nunc, mutata belli alea, ingentem cladem subijsse. Timuit, ne quid simile aliquando sibi eueniret. Cæditur enim canis, vt pauescat leo. Quorundam vindicta esse debet medicina aliorum; & morientium vulnera, viuentium pharmaca. Scilicet ALIORVM PVNITIO ERVDITIO NOSTRA DEBET ESSE, vt ex aliorum pœnis discamus, ea cauere, quæ parem pœnam merentur.

Vix omnia se repudiasse dixit Abraham, cùm Deus ait: *Ego protector tuus sum*: ac si diceret, inquit Vgo, *quia de* PRÆDA NIHIL ACCIPERE *voluisti, ideo ero protector tuus contra omnes hostes tuos.*

578 *Noli timere.* Ei, qui regis contempserat opes, nunc dicitur vt non timeat, timere potius debuisset, si ab homine opes accepisset. *Attende*, inquit Sanctus Chrysostomus in Catena Lippomani, *immensam Dei curam. Quare dixit noli timere? quia tantas* OPES CONTEMPSERAT, *non curatis his quæ rex dabat, hoc est, ne timueris, quod despexisti tanta dona, neque anxius sis, quasi imminutiores sint tuæ facultates. Noli timere.*

Noli timere. Iusti contra ac soleant impij, tunc magis timent, cum res secundæ sunt; tutiores sibi esse videntur, cum RES ADVERSÆ sunt. Qui sapit felicitatem huius seculi magis timet, quam infelicitatem.

Noli timere. Cur adeptâ victoriâ hæc Abrahamo dicuntur, cum gaudij materia tunc potius adsit, quàm timoris? *Abraham*, inquit Liranus, *ex victoria tam solenni, quàm Dominus dederat ei timuit, ne in hoc accepisset* TOTAM MERCEDEM *iustitiæ à Domino*, vt non mirum si dixerit ei Deus: *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Ac si diceret non est merces victoria, quam dedi, sed qui dedi.

Noli timere. Post victoriam cum fastus solet
579 alios corripere & tumor, timor iustos corripit,
ne aliquid præstiterint, quod displiceat Deo.
Benè ille auctor ad hæc verba: Timuit Abram Reges, quos debellauerat, ne, congregato exercitu, sicut contingere solet, eum delerent; maximè si ea Dei voluntate id fieret, eo quod in aliquo ipse excessisset; IVSTI ENIM EST VERERI OMNIA OPERA SVA.

Noli timere Abraham. Hæc vera viri prudentis consignatio, TVNC TIMORE CORRIPI CVM MALI DEPRIMVNTVR; nam cum videret Abraham eos principes à felicitatis vertice in miseriæ abyssum à Deo deijci, & sibi timere incæpit, ne victoriam indeptus aliqua calamitate corriperetur.

Noli timere. Nimirum tunc magis timendum, cum MAIORIBVS DONAMVR BENEFICIIS; timendum illis, qui Dei donis cumulati non timent. Abraham videtur magis à collatis donis timuisse, quam ab armatis hostibus, ne scilicet ingratitudinis subiret vitium.

Noli timere. Cur non seruum suum Deus
animauit cum iturus in pugnam esset? An ma- 580
gis iusto timendum cum inter malos est, quam cum inter hostes? *Indiguit Abraham*, inquit Beatus Dionysius, *protectione diuina, quoniam in* MEDIO IDOLOLATRARVM, *ac pessimorum tunc morabatur, ne cum peruersis illis perverteretur.* Nocere nobis plus possunt mali, exemplis malis, quàm gladijs, & telis hostes.

Ego protector tuus sum. Ex hebræo legitur: *Ego scutum tibi.* Sed cur non hoc potius Deus dixit Abrahæ antequam manum cum hostibus consereret, & victoriam esset consequutus? An quia hostes timendi sunt etiam victi. Opportuna, inquit Petrasancta, fuit hæc promissio protectionis diuinæ; quia potuerat metuere Abraham, ne quinque illi Reges cæsi ex inopinato, redintegratis viribus rursus Pentapolim, & præterea etiam Hebron inuaderent, & cladem sibi illatam vlciscerentur. Sed iam nihil amplius potuissent castra hominum, aduersus eum, cuius clypeus erat Deus.

Ego protector tuus sum. Post illustrem victoriam hæc Abrahæ dicuntur à Deo, quod ante periculosam eum quatuor regibus pugnam opportunius dicendum videbatur. At TVNC MAXIMA DEI OPE INDIGEMVS, CVM FELICIA OMNIA SVNT, & prosperè succedunt: Dei auxilio indiget, qui vicit, ne ob victoriam intumescat, & hoc ipso vincatur, quod se cogitat, iactatque vicisse.

Ego protector tuus sum. Dixisset, *fui*, cum Dei 581
auxilio tàm gloriosam victoriam consequutus Abraham fuerit. Conferenda beneficia recenset, quasi PRÆTERITORVM OBLITVS, vt idem nos quoque in eius obsequijs præstemus; vnde & Paulus dicebat Philip. 3. *Quæ retro sunt obliuiscens.*

Protector tuus sum. Aliqui ex hebræo vertunt: *Ego scutum ero tibi.* Ac si non fuisset, cum Abraham pugnauit, & vicit. BENEFICI NOTAM hic habemus, qui tanquam nulla contulisset beneficia semper cogitat de conferendis.

Et merces tua magna nimis. Qui hominis mercedem contempsit, mercede donatur à Deo.

Scitè

Scitè Lippomanus in Catena: *Quoniam sibi* MERCEDEM AB HOMINE NON QVÆSIERAT ABRAM, A DEO ACCEPIT, *ideo sequitur, & merces tua magna nimis. Non est serus ad remunerandum Dominus, & cito promittit, & multa largitur, ne infirmos animos per dilationem aliquam subeat pœnitentia contempsisse præsentia, & velut quadam vsuraria largitate compensat, vt vberiora restituat ei, qui captus non fuerit oblatione præsentium.*

582 *Ego merces tua magna nimis.* Qui terrenas diuitias repudiauerat Deo ditatur. Quasi diceret, inquit scitus ille auctor, diuitias oblatas à Rege Sodomorum, meritò, & sapienter contempsisti. Ego enim sum, qui solus implebo ærarium tuum, quod si me eris diues, mecum possidebis omnia. Profectò non solùm cum fœnore remunerat eum Deus, sed longe est suprà sortem remuneratio quam offert, dùm seipsum fore mercedem illius pollicetur. TANTI REFERT PRÆSENTIA, & quæ habentur æstimatione hominum prima, DESPICERE, ac libere Deum sequi.

Dixitq; Abram: Domine Deus, quod dabis mihi; ego vadam absq; liberis.

EGo vadam absque liberis. Non contentus Abraham Deo pro mercede liberos postulat. Hæc veri iusti, & solidè Deum amantis forma, non sibi tantum consulere, sed in Dei gloriam alios Deo verbo, & exemplis parere.

Ego vadam absque liberis. Sanctus Chrysostomus legit: *Ego autem sine liberis dimittar.* Quam lectionem in hunc modum expendebat hom. 36. in Genesim: *Vide quomodo priscis illis sæculis iustus ille philosophatur: Dimissionem siue absolutionem vocans ex hoc mundo discessum; nam qui vitam honestè; & in virtutibus egerunt, quando ex hac vita emigrant, vere* LIBERANTVR, *& quasi* SOLVVNTVR.

Sectio II.

Addiditq; Abram: Mihi autem non dedisti semen.

ALibi non semel Dei visione, locutioneque dignatum legimus Abrahamum; hic signatè loquenti respondet. 583 *Quod signum est*, inquit Caietanus, *profectus Abrahæ in vità spirituali, declarans, quod semper* IN PERFECTIONE CRESCERE DEBEAMVS; tanquam maior perfectio à maiori cum Deo familiaritate oriatur.

Non erit hic hæres tuus, sed qui egredietur de vtero tuo ipsum habebis hæredem.

HÆredem statim dare Abrahæ Deus voluit, vt ad orationem vel sic alliceret. Periè ille: EROGARE *illi omnia Deus noluit, vt aliquid esset, quod* DEVM ROGARET.

Eduxitque eum foras, & ait illi: Suspice Cœlum, & numera stellas, si potes &c.

NIhil non agit Deus, vt Abrahamum securum redderet, & firmiter crederet Dei verbis. *Vide*, inquit ad verba producta Oleaster, *hominis miseriam, & diffidentiam, cui tot adminiculis opus est, vt credat verissimis verbis Dei. Et mirum valde est,* QVOD VERBIS DÆMONIS SINE SIGNIS, SINE IVRAMENTO, *sed simplici verbo credimus: Deo vero omnia hac adhibenti, vix fidem habemus. Cum enim Diabolus promisit primis parentibus immortalitatem, nunquid signa dedit eis, aut sacramentis se constrinxit, aut illi hac ab eo exacta sunt? Minime, sed simplici eius verbo fœmina credidit.*

584 *Eduxit eum foras.* Educitur foras, qui intus se collegerat, vt orationi vacaret. *Reor*, inquit Beatus Dionysius, *quod in aliquo loco domus secretiori in quo Abraham* VACABAT ORATIONI, *visionem factam fuisse.* Scilicet diuinis visitationibus excipiendis aptus, qui totum se orationi dat.

Numera stellas. Quos prius pulueri compo-

fuerat,

fuerat, nunc stellis comparat, rectus ordo, QVI SE AD PVLVERIS ABIICIVNT VILITATEM, VT STELLÆ IN COELVM EVEHENTVR. Illi in Cœlo vt stellæ splendebunt, qui hîc calcantur tanquam puluis, & humilitatis sensu se puluerem cineremque & censent & vocant: *Ad* STELLAS *vsq; euehuntur*, inquit Vgo, *qui ita se abijciunt sicut* PVLVIS; & è conuerso, qui se superbè tanquam stellas putant, ad pulueris redigentur vilitatem.

Numera stellas. Nam Cœlum spectare Abrahæ videtur fuisse familiare. Benè Cornelius: *Iubet Deus Abram* NVMERARE STELLAS, *tum quia erat astrologus, tum quia eas sæpè suspicere, & ad Cœlum suspirare, & anhelare solebat.*

Credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.

585 CVr nunc tantum Deo credidisse Abraham dicitur, cum constet illum et credidisse etiam antea, & præsertim, cum relicta domo, & patria aliò ad Dei nutum iuit? Affirmat nunc credidisse, non quia antea non crediderit, sed quia nunc eius FIDES ILLVSTRIOR FVIT.

Deo credidit Abraham nec irreligiosus illud quod iubebatur contulit, cum eo quod ante promissum. *Nunquid Abraham*, inquit Sanctus Hilarius lib. 10. de Trinit. *calumniatus est Deo, cùm ei hæreditatem gentium, & secundum stellarum & arenæ multitudinem, mansuræ ex se sobolis numerositatem pollicebatur? De omnipotentia enim Dei* FIDES *religiosa non ambigens, humanæ infirmitatis non est detenta naturis, sed in se id quod erat caducum terrenumque despiciens, diuinæ sponsionis fidem vltra modum corporeæ constitutionis excepit.*

Ego Dominus, qui eduxi te de Hur Chaldæorum.

DE *Hur Chaldæorum*. Ex hebræo verti etiam potest, *ex igne Chaldæorum*, legunt aliqui, *de doctrina Chaldæorum*, nam IMPIA DOCTRINA VRIT, quos imbuit, & flammis absumitur, qui doctrinæ errores discit.

Qui tollens vniuersa hæc diuisit ea per medium.

PLena perfectaque Abrahæ Patriarchæ obedientia hîc elucet, cum ne adiecerit aliquid Dei iussui, nec aliquid detraxerit, perfecit omnia vt fuerant imperata: *Notandum*, inquit hîc Honcala, *quòd Abraham Domini dicto parens vniuersa sustulit animalia, & ea sola, quæ illi Dominus sacrificanda sibi præscripserat; pius enim sacerdos, &* PLENE DEO OBEDIENS *in agendo sacrificio, neq; aliquid subtrahit, neque addit aliquid præter id quod est sibi diuinitus decretum: videlicet, ne religio degeneret in superstitionem.*

Aues minimè ab Abrahamo diuisas legimus, nec illorum animus diuiditur, qui amore in Deum recta euolant. Benè Theodoretus quæst. 5. in Leuiticum: *Quemadmodum*, inquit, *Patriarcha volatilia non diuisit, ita nec legislator ea iubet diuidi; nam qui volant,* DEVM EX TOTO CORDE DILIGENTES, *non partiuntur animum, collocantes illum tum in terrenis, tum in cœlestibus, sed totum sursum ferunt.*

Aues non diuiserit Abraham terrestria animalia diuisit, vt vel hinc colligas terrenos esse 586
terramque sapere, qui iurgijs, & contentionibus diuiduntur, eos verò, qui in cœlum euolant, diuisionem nescire, vnitatem amare. Aduocanda hunc sunt S. Petri Damiani verba, qui lib. 1. ep. 15. ita rem versat: *Qui solis cœlestibus inardescunt, pro doloribus, oblectationibus potiuntur, quia in fraternæ charitatis dulcedine vnanimiter viuunt. Hinc est, quòd in illo sacrificio vespertino, quod tunc Abraham obtulit, pecora quidem terrena ab inuicem sequestrata composuit, sed volatilia non abiunxit. Vnde Scriptura: Qui tollens, inquit, vniuersa hæc, diuisit ea per medium, & vtrasque partes contra se altrinsecus posuit, aues autem non diuisit. Terrena quidem animalia contra se, & altrinsecus opponuntur, quia* TERRENI QVIQVE CONTRA PROXIMOS IVRGIIS, ET CONTENTIONIBVS SÆVIVNT, *vel certè occultis aduersus eos odiorum fomitibus inardescunt. At contra qui sese in altum cœlestis desiderij pluma sustollunt, dum sacrificium Deo semetipsos offerunt, à mutua dilectionis glutino non recedunt.*

Descenderuntq; volucres super cadauera, & abigebat eas Abram.

ABigebat eas Abram. Quî id à nobis quoque fieri possit, egregiè explicat Honcala, dum inquit: *Singulari Abrahæ exemplo nos quoq; maximè cauere debemus, ne cùm in nostræ mentis ara peccata concidimus, & carnis, spiritusq; motus abinuicem gladio spiritus dissecamus, humilique affectu, & pia afflictione totum pectus Deo pendimus, & offerimus: cauere, inquam, debemus ne irruentes in nos volucres illæ, quæ de cælo ceciderunt sacrificium illud Deo receptissimum spiritus contribulati, & cordis contriti, & humiliati insatiabili auaritiæ gutture deuorent, vel improbo ambitionis rostro discerpant, vel denique immundæ libidinis pedibus attaminent.*

Volucres abigebat Abraham, quæ super animalium cadauera descendebant, vt vel hinc innueretur, per maiorum merita à persecutoribus, sæuientibusque nepotes defendendos. *Quòd verò*, inquit Isidorus Clarius, *volucres super cadauera descenderint, & Abram Deus abegerit significat reges, ac populos persecuturos Israelem, & nisi* MERITA PATRVM *intercessissent, fuisse etiam consumpturos.*

Scito prænoscens quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, &c.

CVr locum non expressit, vbi peregrinus populus erat futurus, cum gentes non nominauit, à quibus Abrahæ semen esset af- 587
fligen-

affligendum? An ne aliqua præberetur Patriarchæ occasio odio talem locum, & huiusmodi gentes prosequendi. In sacro, inquit doctus ille auctor, Genesis volumine, Deus ad Abraham sic dixisse legitur. Scio quod peregrinum futurum sit germen tuum in terra non sua, & subijcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis. Vbi valde perpendendum est, non ei dixisse Dominum qua in terra peculiariter captiuitas illa futura erat, an in Ægypto, an in Syria, an vero in Babylonia, sed solum dixisse in terra aliena, ne videlicet Patriarcha sanctus haberet occasionem, odio prosequendi illam Ægyptiorum nationem. BENEFACTOR VERO INQVIRENDVS EST, vt beneficia, quæ fecit ei, gratificentur, & vt etiam diligatur. Quod longe aliter communiter fieri solet: non enim homines inquirunt, quis in eos beneficia contulerit, & si aliquod malum eis euenit mundum euoluunt quousque repetiant, qui ipsis DAMNVM INTVLIT, vt postea de illo vindictam sumant. Istuc idem vrget Oleaster his verbis: *Licet Dominus hic prædixerit Abrahæ futuram seminis captiuitatem, non tamen ei prædixit quo loco, neque à quibus detinendi essent, ne vir sanctus odio haberet eos: à quibus semen suum esset affligendum, & malus esset, antequàm mala ab hostibus pateretur.* Quo nos pulchre *docuit*, VELLE IGNORARE EOS, QVI MALORVM NOBIS AVCTORES SVNT, *operæ pretium verò esse laborare, vt scias vnde* TIBI VENIANT BONA: *vt gratus sis, sed malum scire; vnde tibi mala procedant, ne aliquem odio habeas, & fortè eum oderis; qui tibi nihil mali intulit. Duo in Euangelio legis: Ioannis alterum, Regulum: cuius filium Christus sanauerat, solicitè quæsisse, qua hora filius melius habuisset, vt sciret, an filij salus à Christo, an natura beneficio accidisset, & intelligens à Christo, quasi illi gratus, credidit cum tota domo. Alterum, Christum, cum alapis à ministris Pilati cæderetur, voluisse sibi oculos vitta operiri, qui optimè nouerat percutientes velatus. Sed hoc nos voluit symbolo admonere, non esse multum laborandum: vt autorem percussionum sciamus, autorem verò bonorum solicite inquiramus. Primum, ne quenquam odio habeamus ignorare optimum. Secundum verò: ne ingrati simus.*

Vix semen Abrahæ Deus promisit, cum peregrinum futurum prædicit, sic nimirum dura lenibus miscet, vt fortius ferantur. Dominus, inquit ille, sæpius ET PROSPERA, ET ADVERSA CONIVNGIT. Sic postquam Abrahæ semen promittit, continuo addit, peregrinum futurum est semen suum.

Mirum, qui pro sodomitis tàm enixè Deum fuerat deprecatus, nunc audiens semen suum quadringentis annis affligendum nullas preces diuinæ iræ auertendæ fudit. *Nimirum*, vt ille ait, *intelligens maius* SEMINI SVO BENEFICIVM FIERI, DVM VEXARETVR, *neque aliter futurum idoneum regno, ac beatitudini, quæ illum manebat.* Quàm aliter à sensu vulgi sentiunt viri Dei, quàm se super mundi cultores efferunt, qui Deum colunt, vt inter Dei beneficia numerent, quod illi inter calamitates locant!

Quod peregrinum futurum sit semen tuum. Non explicat ob quæ peccata hanc fuerint calamitatem passuri, imo nec id exigit Abraham, vt innueret Dei iudicia adoranda esse, non excutienda. Oleaster ad hæc verba: *Occulta sunt,* inquit, IVDICIA DEI. *Non enim apparet, ob quæ peccata semen Abrahæ fuerit quadringentis annis afflictum: vt sciamus flagella, etiam sine culpa, a Deo irrogari, & viam esse ad promissam patriam. Similiter discimus, affligentes pœnas daturos, etiam si mala, quæ nec Deus pati disposuit: inferant.*

Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona.

Sepultus in senectute bona. Cur magis dictum
est *sepultus* quàm *mortuus?* Richardus Vi- 588
ctorinus egregiè nodum soluit, sicque philosophatur. *Ibis ad patres tuos sepultus prius homo moritur, vt postmodum sepeliatur, mortuus quidem desinit videre, sed non statim desinit videri; qui vult ergo* HVIC MVNDO MORTVVS ESSE, *oportet illum oculos illos claudere quos in primis parentibus legimus apertos fuisse, & oblectamenta sensuum non attendere, sed tunc qui eiusmodi est, quasi post mortem* SEPVLTVRAM *inuenit, quando per sapientiæ studium æternatisque desiderium à mundanis in supermundana transiens in huiusmodi statum proficit, qualem carnalis non suspicatur.*

In senectute bona potius dixit, quàm longa, quod expendens Sanctus Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. 9. aiebat: *Non dixit longa, sed bona, quia iustus bene senescit. Iniustorum autem nemo, quamuis cornicibus viuacibus diuturniori vita vixerit. Nam diu viuere commune sapientibus, atque insipientibus est,* BENE AVTEM VIVERE SPECIALE SAPIENTIS EST.

Et apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones illas.

Postquam scilicet fœdus olim Deus inierat cum Abraham. Sed quo spectabat clibanus fumans, quò lampas ignis? Procopius rem benè versat: *Clibanus*, inquit, *vt portenderet* IMPIIS CONFLAGRATIONEM: *lampas, vt* PIIS ILLVMINATIONEM *præberet.* Nimirum vbi vruntur impij, ibi illuminantur pij.

CAP.

CAP. XVI. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio Prima.

Sara humilitas expenditur. 589.

Nimio *filiorum desiderio* teneri parentes non debent.

Natura videtur limites excedere, qui *iuri* suo in re aliqua cedit.

Filiorum informationi vt Deus consuluerit. 590.

Suo sexu maior *mulier*, quæ *inuidia* liuore carens alteri tribuit, quod suum est.

Notati mortales, qui ob *nobilitatis titulos* intumescunt.

Seruilis animi est *prosperitate* vti nescire: 591.

In Dei *consilijs* nihil ex *humano* ingenio miscendum est.

Seruorum in celsitudine nimis *intumescere*.

Sara cur *Agar* non pœnitet. 592.

Seruorum culpæ in *Dominos* resiliunt; quæ Dominis annuentibus committuntur.

Ferè *matres* cum lacte *mores* transmittunt in filios.

Viri est *vxori* imbecillitati compati, nec verbis eam de sua paratra repercutere. 593.

Humana *consilia* quàm fallacia.

Quanti momenti res sit *causam* suam diuinæ *iustitia* committere.

Dixit marito suo: Ecce conclusit me Dominus ne parerem. Ingredere ad ancillam meam.

589 SCilicet quasi maritus ad coniugem. Elucet hic Saræ humilitas, quæ iuri suo cedit, *& ancillam sibi prætulit, qua de causa*, inquit Cornelius, MERVIT A DEO EXALTARI *per conceptum Isaac*. Addit productus auctor, & aliud in cautionem monitum hinc elicit: *Vna tantum in re Sara imperfectior fuit Abramo, quòd in prole habenda nimis festinarit, vti facere solent mulieres. Abram enim & quiuis verè fidelis expectat, etiamsi moram fecerit Dominus. Quare & punita fuit hac in ipsa re, cum scilicet Agar pariens, eam, licet dominam, despexit. Nesent hoc parentes*, QVI NIMIO DESIDERIO FILIOS QVÆRVNT, *per eos enim puniuntur, cum filij tales euadent, vt parentibus non nisi molestias & miserias creent, vt optent subinde eos non esse natos.*

Cumq; ille acquiesceret. Credens nimirum à Deo esse, quod loquuta vxor fuerat. *Audiuit Abram*, inquit Lippomanus hic, *vocem vxoris admonitus ab ipsa, non ob libidinem, cum esset prope nonagenarius*, SED CREDENS DEI INSTINCTV IPSAM PRO HAC RE INSTARE, *nouerat enim se filios habiturum, sed qua via nondum innotuerat*. Adeo alienum à mulierum natura est, aliam pro se viro substituere, vt hoc tanquam sexum excedens Deo putarit Abraham tribuendum, & vniuersè se super se effert, seq; excedit, qui IVRE SVO in re aliqua cedit.

Permisit Deus aliquando vt vnus vir plures posset vxores accipere, nunquam tamen, vt vna mulier duobus maritis iungeretur; & ratio discriminis hæc est præcipua, vt liberorum informationi consuleretur, neue obedientiæ bonum sub incerto parente periclitaretur. 590 Pulchrè Sanctus Thomas hic. *Nunquam legitur dispensatum quòd vna mulier duos acciperet maritos, sicut quod vnus vir duas acciperet vxores. Tum quia non est contra rationem dominij & principatus plures habere subiectos: est autem contra ipsum quod eorundem subditorum plures sint domini principales: constat autem quod vir plus habet de principatu in vxorem, quàm è contra. Tum quia si eadem fœmina esset simul plurium virorum, vir incertus esset an proles sua esset, an alterius, & ex hoc neuter curaret de prole* NVTRIENDA ET DOCENDA, *nec proles etiam obediret alicui eorum tamquam patri certo & indubitabili*. Tanti refert filiorum informationi consuli.

Tulit Agar Aegyptiam suam, &c. & dedit eam viro suo vxorem.

DEdit eam viro suo vxorem. Suo sexu maior ipsa est visa Sara, dum felicitatem, qua erat beanda, in ancillam absq; vllo inuidiæ liuore quantum in ipsa erat deriuat. Sic nobilis ille auctor loquentem Saram facit: Vir meus iam senio confectus suscepit diuinam promissionem, quam non credo perituram; scio igitur quid faciam: habeo ancillam, CVI NON INVIDEO, proprio vtero excipiat eum, cui mundi benedictio promissa est. Inuidus quod habere ipse non potest, in alijs gaudet desiderari.

Non sterilitati tantum suæ Sara hac arte consuluit, sed & superbiæ mortalium consultum fuit, qui tam facile ob generis nobilitatem intumescunt, cum non constet, an ancillas, an verò à libera quis descendat. Religio sit præterire, quæ in hanc rem habet Petrus Blesensis epist. 3. omnia offero licet pluscula sint: *Sane ideo Dominus Abraham ex Sara & Agar ex duabus etiam vxoribus, & duabus ancillis voluit Iacob prolem suscipere, vt vniuersitatis humana successio, de parentum conditione incerta & ignara, vtrum à libera vel ancilla descen-*

descenderit; sed de generositatis ambigua gloria non extollat; TITVLOS *enim Sara, aut Rachelis, quos sibi quandoq; adscribit, & abolet nequitia in moribus, seruitus in peccatis, vt se filios ancillarum conuersatione testentur, qui de aliorum virtute, quam apud se non nouerunt,* INFLANTVR; *praterea in domo Iacob spurij pariter cùm legitimis funiculum hareditatis sortiti sunt, & communiter inter se familia herciscunda iudicium dictauerunt; quid inter parentelas hominum variando distinguis? ab vno patre descendimus vniuersi, & singuli.*

At illa concepisse se videns despexit dominam suam.

591 DEspexit *dominam suam*. Parum felix ijs felicitas est, qui vti felicitate nesciunt, & qui supra suum statum euecti exeunt à se ipsis. Vbi ancillæ vterus intumuit, intumuit & animus. Præstat hic sistere quæ habet S. Chrysostomus hom. 38. in Genesim: *Vidit, quod vterum gereret, & contempta est Domina coram ea; ille enim fermè seruorum mos est, vt cùm parum prosperitatis eis aspirauerit, neque aut intra suos limites manere: sed statim sui ordinis obliuiscantur, & in ingratitudinem propensi sint: id quod & huic ancilla accidit; nam vt vidit vteri sarcinam, neq; domina admirabilem honestatem, neque sua conditionis vilitatem cogitauit: sed inflata & superbiens contempsit Dominam, quæ illam tam commendatam habebat, vt & in viri thalamum admitteret.* Scilicet seruilis est mentis prosperitate vti nescire, & in celsitudine intumescere.

Despexit Dominam. Cur ab ancilla dominam contemni permisit Deus? Benè Arias: Hoc vno, inquit, exemplo docere potuit IN MAGNIS DEI PROMISSIS, ET CONSILIIS NIHIL EX HVMANO INGENIO, VEL INVENTO MISCERE FAS ESSE, quippe quem ante natum etiam puerum intempestiuè ab ancilla contemptum facti, & voti pœnituerit, adeo vt sibi ipsi ac viro, prægnanti puellæ, grauem ac duram se præbere, ira contumeliæ impatiens coegerit.

Despexit Dominam. Seruorum hic mos est, vt cum parum prosperitatis eis aspirauerit se intra se nequeant cohibere, sui status statim obliuiscuntur, & vltra suæ conditionis limites ferri se sinunt. Vix Agar venter intumuit, cum mens eius inflata est. *Quoniam existimauit*, vt ait Honcala, *magnificam illam promissionem à Deo Patriarcha factam, posthabita Sara,* IN SE VNAM RECIDISSE. Seruile in Agar ancilla apparet ingenium, ad altiora dum fertur obliuiscitur sui; qui ingenuus est se intra suos limites continet, & in vario statu non variat mentem.

Dixitq; Sarai ad Abram: Iniquè agis contra me &c.

592 INiquè *agis contra me*. Cur non duram, superbamque ancillam punit Sara? *Cum dedisset*, inquit Caietanus, *Sarai ancillam suam marito,* NON AVDEBAT PVNIRE EAM, *vtpotè vxorem tanti viri, sed in ipsum maritum torquet iniuriam sibi illatam.*

Iniquè agis contra me. Cur de Abraham potius Sara conqueritur, quam de Agar? An quia ancillæ superbiam, & arrogantiam Abraham videbat, & dissimulabat? *Non conquerebatur*, inquit Abulensis, *principaliter Sara de Agar, sed de Abraham, quia videbat Abraham contemptum Sara, &* DISSIMVLABAT. Innuens in virum culpam resilire, quam serui annuentibus dominis committunt.

Iniquè agis contra me. Quod Agar ancillam contra me insurgentem non castigas, sed toleras. A matre conijci poterat qualis esset filius futurus. Benè Cornelius: *Per hanc*, inquit, *superbiam matris praostensa fuit* FEROCIA FILII NASCITVRI, *quem Sara filij sui Isaaci persecutorem experta est.* Non mirum Ismael sæuijt in Isaac, cum & Agar in Saram sæuierit, ferè matres cum lacte mores transmittunt in filios.

Iudicet Dominus inter me, & te.

DVra, & aspera hæc verba forti tulit animo Abraham, nec paria emisit, quibus 593
Saram repercuteret. Virum etiam ab hac parte se exhibuit, mollioris sexus fragilitati, ac imbecillitati compatiens. Hinc Sanctus Ioannes Chrysostomus: *Iudicet Deus inter me & te; dolentis anima verba; & nisi tantis virtutibus praditus fuisset patriarcha, & in tanta reuerentia Saram habuisset, agrè tulisset hac verba, & ex dictorum asperitate dolorem concepisset; verùm eximius ille* AD SEXVS FRAGILITATEM SPECTANS, *omnem ei veniam dedit*. Addit, & rem luculentius versat, & vt eat in exemplum monet: *Hoc est verum contubernium, hoc mariti officium, quando non magna diligentia ad mulieris spectat verba, sed imbecillitati sexus venia nonnihil concedit, hoc vnum satagens, vt è medio tollatur tristitia, & pax atque concordia constringantur arctius; audiant viri &* IMITENTVR IVSTI LENITATEM, *& tantum honorem ac reuerentiam mulieribus tribuant, & tanquam imbecilli vasculo parcant, vt concordia vinculum crescat; illa enim vera sunt diuitia, illa maxima sunt facultates, si vir cùm muliere non discordet, sed coniuncti sint, vt corpus vnum.* Scilicet viri est dura etiam vxoris verba forti animo excipere, nec duris dura reponere, deque sua paratura molliorem debilioremque sexum repercutere; fœmineum effert animum, qui id præstat.

Iudicet Dominus. Videat num æquum sit, me hanc iniuriam pati, & te illam dissimulare. Apparet hic quam infida, & fallacia hominum consilia sint, *vt non nobis, sed Deo*, vt ille ait, DISCAMVS FIDERE. *Putabat Sara per coniugium magis Agar sibi deuincire, ac mox sensit eam contumacem*, magisq; refractariam, quam antea exstitisset.

Iudicet Dominus inter me, & te. Tunc maximè illi parti timendum, cum altera causam suam.

suam Deo committit. Rem sic expendit Oleaster hic: *Timendum valde est, cum eo contendere: qui causam suam prosequi nolens,* AVM DIVINÆ IVSTITIÆ DERELINQVIT: *quoniam horrendum est incidere in manum Dei viuentis. Hebr. 10. Et difficilius est cum Deo, quam cum homine pugnare. Putant homines secum bene actum hic esse, cum pars nolens causam suam prosequi, iustitiæ relinquit: cum qua tamen difficilius agendum esset, quam cum parte. Prosequitur enim iustitia humana alterius causam tepide valde: quasi non sit magis sua, quam partis. Audiant isti Dauidem in morte legantem Salomoni. Tu (inquit) nosti, quid fecerit mihi Ioab, quomodo occiderit duos viros meliores se. Non dixit tu nosti, quid fecerit Ioab, Abner, & Amasa, sed mihi: quoniam optimè nouerat sanctus Rex, homines hominibus iniurios magis iustitia iniurios esse, quam parti.*

Sectio II.

Mitia *verba* pro duris respondeant viri *vxoribus*. 594.
Viri sui *mores* boni ebibat *vxor* exemplo Saræ.
Superborum menti quælibet *afflictio* est intolerabilis.
Serui nimis durè non tractandi. 595.
Superborum & *inuidorum* mos per sua damna alijs nocere.
Vehemens *passio* quàm magnas in nos vires habeat.
Mulieres ad *rixas* pronæ. 596.
Afflictio quanta inuehat bona.
Calamitatum & *tribulationum* vtilitas.
Marentes consolari vel Angelis honorificum.
Optimis *Dominis seruire* quanti referat. 597.
In *mundi* Ægyptum corde reuertendum minimè est viris, mulieribusque *religiosis*.
Nullus Dei exemplo *despiciendus*. 598.
Afflicti verbis duris minimè feriendi, sed lenibus excipiendi.
Angeli visu cur minimè territa *Agar*.

Cui respondens Abraham: Ecce, ait, ancilla tua, in manu tua est, vtere ea vt libet.

EXemplum hic viri habent, quo docentur,
594 vt mitia verba pro duris reponant, &
in vxoribus sexus imbecillitatem agnoscant. *Non ægrè fers*, inquit Ferus, *verba* VXORIS DVRIORA, *benè consulit iracundiam, veneratur probata honestatis sanctam consortem, ad fragilitatem aspicit sexus, non dura regerit, ne ad maiorem iracundiam incitet, tranquillitati consulit, qua nihil optabilius in coniugio.* Plerumque duriusculum verbum coniugij infecit pacem, coniugum concordiam abstulit, discordiam seminauit, quæ citò adoleuit.

Vtere ea vt libet. Cur offensæ Saræ Agar totam commisit Abraham, & illius tradidit voluntati? An quia sciebat humanitatis limites coniugem non excessuram? *Sciens*, inquit Beatus Dionysius, *Saram esse virtuosam & timoratam, commisit rem istam* SVÆ DISCRETIONI, *seque monstrauit immunem ab immoderata affectione.* Credi potest viri sui mores à viro mulierem ebibisse, dignam, quam in hac re cæteræ imitentur.

Affligente igitur eam Sarai, fugam iniit.

A*Ffligente igitur eam Sarai.* In castiganda Agar modum minimè excessisse Saram par est credere, & nobis hoc mulieris pietas, ac prudentia persuadet, sed superbis etiam mediocris afflictio videtur nimia. *Ista castigatio*, inquit Abulensis, *moderata erat, quia Sarai mulier sancta, & deuota, tamen Agar hoc intolerabile videbatur, quia ex superbia non poterat inclinari, volens se semper præferre Sarai: Ista enim est conditio superborum, quod modicam humiliationem in tantum* INTOLERABILEM REPVTENT, *& putent se infimos esse, cum modicum humiliati fuerint.*

Affligente eam Sarai. Non legimus Saram
adeo in Agar sæuisse, vt eam verberauerit, 595
aut victus, & vestitus penuria castigauerit, mitior erat, quàm vt durioribus modis saeuam exerceret. *Affligebat itaque*, inquit hic Honcala, *ancillam domina*, NON TAMEN ADEO DVRE, *vt eam domo extruderet; neque enim grauidam aut verbere feriebat, aut compede constringebat, aut victus vestitusuè penuria deijciebat, aut nimio demum labore defatigabat; verumtamen illam tristiori, quàm antea vultu despiciebat; nec eidem clementioribus illis dictis, factisque, quibus prius, respondebat; denique duriusculo licet non inhumaniter illam angebat.* In qua re exemplum habemus; seruos nimis durè non tractandos, & ægrè emendari; quos superbia corripit, & regit.

Fugam iniit. Fugare superbiam suam debebat potiùs, quæ illi dominabatur, quàm dominam fugere, cui seruire tenebatur. Arripuit fugam vt Abraham in Saram irritaret. *Agar*, inquit Honcala, *herilis correptionis impatiens fugam iniit, sperabat enim se dominam* ANCILLÆ OMISSIONE VLTVRAM, *herumque suum aduersus heram conceptus subtractione irritaturum.* Scilicet superborum, inuidiorumque hic mos est, etiam per sua damna nocere alijs, & mala subire, ne ijs benè sit, à quibus affecti aliqua iniuria fuerint.

Irata Agar, quòd malè tractaretur à Sara, ipsam arguente, domum reliquit, desertum petijt, animo in Ægyptum (propriam sedem, vnde ortum habebat) redeundi: sed cùm itineris

neris molestia fatigata iaceret, accessit Angelus, blande eam interrogans, vnde discesserit, & quò iret: quæ suam contexens historiam, audiuit ab eo sanum consilium migrandi ad dominam, ei parendi, & sub manu, ac imperio eius sua omnia subijciendi. Quod contemplans Rupertus: Vide, inquit, quantum valeat VEHEMENS PASSIO ad nos alienandum à Domino, fugam meditando, & ad Ægyptios mores redeundo.

596 Fugam inijt Agar, nec in vna cum Sara domo potuit habitare. Mulierum ex hoc ingenium ad rixas pronum aliqui traducunt. In numerosa Patriarchæ familia plusquam trecenti vernaculi numerabantur, nec vllæ illorum rixæ referuntur, duæ solæ recensentur mulieres, & implacabiles discordias naras audis; nimirum quò leuior hic sexus, eò difficilius iugum ferre se posse putat, quæ sub illo.

Cumq; inuenisset eam Angelus Domini iuxta fontem aquæ &c.

LÆtus inuenit Angelus, quam inuenerat afflictio, quæ homines in angelos solet vertere, ut læto animo feratur, *Agar*, inquit Sanctus Petrus Damianus lib. 8. epist. 14. *Prosperis fulta, contra dominam tumuit: AFFLICTA postmodum, & in solitudinibus exul oberrans, ALLOQVIVM ANGELI læta promittentis, accepit.* Rem eandem luculentius versat auctor ab aureo ore, dum ait: *Discamus quantum sit in AFFICTIONIBVS lucrum, quanta CALAMITATIS VTILITAS; postquam enim secessit, & dolor auctus est, multisq; circumdata est afflictionum molestijs, in solitudine in vastitate, & angustijs versans, post tantam prosperitatem, & postquam in parem cum domina sua dignitatem euecta fuisset: ideò acceleratum nacta est subsidium. hæc enim tibi erunt, inquit, quæ promisi, & paries filium, & semen tuum innumerabile erit, quia exaudiuit dominus humilitatem tuam.*

Nunc primum in scriptura refertur Angelus apparuisse in terris. Sed mirum cum de Ancilla erigenda agitur primùm missus Angelus nunciatur: Nonne debuit, inquit scitè ille auctor, tantus cælestis curiæ legatus, primò saltem tempore, quo ad terras mittebatur, debito cum honore auctoritateque manifestari, ne in posterum vilipenderetur? debuit profectò, sed Angelo nulla esse potuit gloriosior legatio, quàm illa, qua ad miseram ancillam CONSOLANDAM fungebatur. Adeo putabat ANGELVS HONORIFICVM, mœrenti animo solatium adhibere, neque inde se contemptum, sed potius in maiorem existimationem venturum sperabat.

597 *Cumq; inuenisset illam Angelus.* Tanti est optimis dominis seruire. Abrahæ, & Saræ merita respexit Deus, dum Angelum ad Agar misit, id quod notabat etiam Honcala hic, dum ait: *Igitur TAM MERITO SARÆ, QVAM ABRAHÆ Angelum suum Dominus misit, vt Agar fugientem in herilem domum reuocaret iuss Dei omnipotentis amici ancilla, proleque futura priuarentur.* Quod ad eos transferas, qui Deo seruiunt, qui omnium optimus, & inter optimos solus bonus.

In solitudine, quæ est in via Sur. Scilicet in Ægyptum tendebat, cum Ægyptia esset. Honcala: *Inuenit eam Angelus in deserto, idque in via, quæ ducit in Aegyptum. AEGYPTVM ENIM AEGYPTIA PETEBAT.* Agar referunt illæ, quæ post quam nomen in sacram familiam dederunt relicto mundo, eò mente reuertuntur, quod corde corporeque reliquerant.

Quæ obsequuta iusto fuerat, obsequentem Dei angelum habet; id autem in Abrahæ honorem cessit, quum eius causa ancillam Angelus adeat, & solam miseram soletur. *Caterum*, inquit Sanctus Chrysostomus, *vide & hoc, quomodo ancilla supernum auxilium non deest, QVO IVSTVS IN MAIORI SIT HONORE; nam quia iusti semen intra se gerebat, ideò & angeli aspectum videre meruit. Inuenit enim eam, inquit, Angelus Domini propè fontem aquæ in solitudine in via Sur.*

Ante Agar se Angelus sistit. Non contempsit seruitutis conditionem Dei seruus, quia nec contemnit Deus: *Considera*, inquit auctor ab aureo ore, *benignitatem Domini, quo modo NVLLVM DESPICIT, sed etiam si seruus sit, vel ancilla, suam erga illum declarat prouidentiam, non ad dignitatum respiciens differentiam, sed ad animæ affectionem.* 598

Ancillam fugientem non asperè increpat Angelus, non durè tractat, sed blandè eam alloquitur, vt hinc discamus afflictos non esse nimis asperis verbis exasperandos. *Non durè*, inquit Ferus, *eam alloquitur quia desolata erat, SIC DEVS SOLET AFFLICTOS FAMILIARITER LOQVI, ne desperent, è contra diabolus afflictis addit terrores, vt ad desperationem adigat.*

Vidit Angelum Agar, sed cur timore statim non est consternata? An quia prius videre solebat Angelos, cum in domo Abrahæ esset? *Sed dices*, inquit Abulensis, *quare Agar cum esset quædam puella, non fuit territa ex visione Angeli? Respondetur, quia in domo Abrahæ consueuerat eos videre aliquando venientes ad Abraham.*

Sectio III.

Mulier quæ *iniuriarum* obliuiscitur suo est sexu maior, & Angelorum consortio iure fruitur. 599.

Coram Deo se *humiliare* quanti referat.

Facies, quid in diuinis litteris significet. 600.

Obedientia quàm Deo placeat, & *inobedientia* displiceat.

Ad placandum superioris *iram* nil aptius, quam subditorum *humilitas*.

Spiri-

Spiritales *apparitiones* quàm cautè accipiendæ. 601.
De *Agar conceptione* Hebræorum ſententia.
Deuotæ *orationis* loco *afflictiones* fortiter toleratæ ſe habent.
Afflictio qua iuſtè corripimur non afflictio, ſed eruditio noſtra eſt. 602.
Superbiæ occaſio vitanda.
A molliori *ſexu* videri vir minimè quærat.
Beneficia in aqua haud ſcribenda.
Viuere & videre ſe *ſuperior* oſtendit cum ſuorum curam habet.

Quæ reſpondit; A facie Sarai Dominæ meæ ego fugio.

599 A *Facie Sarai Dominæ meæ ego fugio.* Se ſuper ſexum ſuum effert, dum dominam vocat eam, à qua afflicta, nec afflictionis, quam erat paſſa, meminit. Præſtat hîc ſiſtere, quæ habet Sanctus Chryſoſtomus hom. 38. in Geneſim: *A facie, Sarai Dominæ meæ ego fugio, vide quomodo* CITRA ODIVM MEMINIT *Dominæ; non dixit, malè afflixit: non dixit, grauia mihi fecit, non poſſum ferre moleſtiam eius, & ideo fugam inij: nihil aſperum locuta eſt, ſed ſolùm ſeipſam, vt fugitiuam accuſauit, vidiſti eius probitatem.* Mulier quæ iniuriarum obliuiſcitur ſuo eſt ſexu maior, & angelorum conſortium iure fruitur.

Interrogata Agar ab Angelo quò iret non legimus ad hoc vllam reſponſionem dediſſe. Quod cur factum ſit explicat Beatus Dionyſius: *Non legitur Agar reſpondiſſe ad ſecundum, putà* QVO TENDERET, *quia fortaſſis erubuit confiteri, quòd à domo fidelis mariti, virtuoſaque dominæ, ad Aegyptios rediret idololatras. Vel ex vehementia ſua deſolationis præſcidit verba.*

A facie Sarai dominæ meæ. Suæ conditionis minimè oblita ancillam ſe dicit, quæ Saram dominam vocat. Placuit iſtuc Deo, & hac humilitate diuinam in ſe miſericordiam flexit. Perpensè Abulenſis ad hæc verba: *Benè reſpondit* SE HVMILIANS, *& eam dominam recognoſcens, ideo meruit ab Angelo benedictionem in filijs audire.*

600 *Domina mea.* Cur non potius matrem familias eam vocat? Honcala: *Prætendit,* inquit, *iuſtam ſe habere fugiendi cauſam, quòd nequiret imperioſæ dominæ furorem, indignationemque in ſe perpeti, & ideo non matrem familias ipſam Saram; ſed dominam odioſè appellauit. Facies autem pro furore accipi, frequens eſt in ſanctis ſcripturis, quale eſt illud; Auerte faciem tuam à peccatis meis, & illud Hieremiæ, Facies domini diuiſit eos. Et illud Oſeæ, Humiliabitur ſuperbia in facie eius; & apud Iob Dominus inquit, Quis reſiſtere poterit vulti meo?*

Dixitq́ ei Angelus Domini: Reuertere ad dominam tuam, & humiliare ſub manu illius.

REuertere ad Dominam tuam. Et quod eſt conſequens ad te; tanti obedientia à Deo fit, vt Angelum qui eam doceret ad Agar dirigeret. *Conſidera,* inquit Porrecta, *quantum* OBEDIENTIA *reſpectu ſuperiorum* DEO PLACEAT, INOBEDIENTIAQVE DISPLICEAT. *Quid, vt ad conſiderares, conſiderandoque ſtuperes, fecit Deus & oſtendit nobis? miſit Angelum ſuum de cælis ad inobedientiam remouendam Agaris; obedientiamq́ eius aſtruendam. Vide; quanti hanc virtutem facit altiſſimus, vt tantum nuncium pro ipſa pectori humano inferenda à cælo tranſmittat. Excellentiſſima ergo virtus eſt obedientia, quia ab excellentiſſima creatura nunciatur; Angelica via eſt obedientia, quia ab Angelo nunciatur; cæleſtis vita eſt obedientia, quia ab habitatore cæleſti nunciatur.*

Humiliare ſub manu illius: Hæc ad ancillam Angelus habuit, cur Dominam quoque non monuit, vt mitius ageret cum ancilla, nec durius affligeret? Iure id omiſſum, inquit nuperus auctor, quia ſi ſe ancilla humiliet, ſi ſe inferior ſubmittat, ſtatim ſuperioris ira ponetur, deſinet hera ſæuire, ſi tumorem ſeruus exuat. Nihil ad placandam SVPERIORVM IRAM aptius, quàm ſubditorum humilitas, ac ſubmiſſio.

Reuerſa ad dominam ſuam Agar, quæ viderat, quæ audierat Abrahæ retulit, ne fors fraus aliqua, ac deceptio intercurreret. *Fuerunt ancillæ partes,* inquit Honcala, *tanto Patriarchæ, quæcumque cum angelo egerat, ex ordine manifeſtare: non ſolum, vt ea omnia ille cognoſceret, ſed etiam vt diſcerneret, vtrum Spiritu Sancto dictante fuerint ſibi prodita. Inerat enim Abrahæ Dei dono vis illa, qua ſpiritus veraces à fallacibus diſcernuntur. Ex hoc igitur loco diſcimus, debere inferiores,* CVM EIVSMODI SPIRITALES APPARITIONES *acciderint, ſuperiores & pietate & ſapientia ſedulo conſulere: vt ab eis probentur ſpiritus, an ex Deo ſint, nec ne, neque id mirum alicui videri debet.* 601

Ecce, ait concepiſti, & paries filium; vocabiſque nomen eius Iſmael.

ECce, ait, concepiſti. Nondum pepererat, & tamen tantam arrogantiam ancilla conceperat, vt in dominam inſurgeret, quid erat factura, ſi peperiſſet? hoc expendens Abulenſis ait: *Nondum Agar pepererat, & iam contra Saram eleuabatur; quanto magis ſi peperiſſet, demonſtrat hic Angelus, quod ille filius; quem Agar concepit, naſcetur in pace, & erit vir robuſtus. In Hebræo dicitur. Ecce concipies. Dicunt enim quidam Hebræi, quod Agar paſſa fuerat abortum in deſerto in pœnam datam à Deo, quia dominam contempſerat, & ex labore itineris magnus motus in vtero factus fuerat, ſed quia acquieuit Angelo monente reditum, & humiliationem ſub Domina ſua*

sua Deus viuificauit in vtero fœtum extinctum, & ista viuificatio vocatur conceptio de nouo. Et potest reduci ista expositio ad literam nostram, in qua dicitur. Ecce concepisti. Ex concubitu cum Abraham, nunc autem iterum eundem fœtum concepisti diuina gratia, fœtum mortuum viuificante.

Eo quòd audierit Dominus vocem afflictionis suæ.

SVam nimirum vocem afflictio habet, quæ auditur à Domino, & exauditur, adeo vt deuotæ orationis loco tribulatio sit quælibet æquo animo excepta. Peritè Honcala hîc: *Triplicem afflictionem passa est Agar, primam à domina sibi nimis infensa illatam, alteram sponte assumptam à seipsa dominam sibi infestissimam fugiente: tertiam quod angelico monitu ad dominam suam redire cogitur: veniamq; ab ea orare, eidemque ancillari officio deseruire. Quæ quidem afflictiones, quamquam Agari ancillæ pœnæ fuerint non iniustæ, primæ tamen earum absque vllo in Deum murmure tolerantia, posteriorum ex diuina iussione ad missarum patientia,* SANCTÆ PRECATIONIS VIM APVD DEVM HABVERE, *vt ab eo exaudiretur: ac perinde ei in ministratorio spiritu appareret, & potiora consuleret, & maiora promitteret.*

602 *Eò quòd audierit Dominus afflictionem tuam.* Qua scilicet corripiebatur, aut ob abortum, vt aliqui volunt, aut quia rursus illi redeundum ad Dominam, vt Abulensis tetigit; aut denique quam in solitudine errans patiebatur; sed cur illius non meminit, qua in domo Abrahæ eam Sara exercebat, præsertim cùm dicatur: *Affligente igitur eam Sarai?* An quia hæc afflictionis nomen non meretur, cum potius eruditio quædam esset, & informatio? *Non potest dici, inquit Abulensis, quòd afflictio Agar fuit afflictio, quam sustinuit, cum esset cum Sarâ, quia illa pœna* IVSTE INFLIGEBATVR, *& ab alia non eripuit eam Deus, sed ipsa se eripuit fugiendo.*

Profectò hic vidi posteriora videntis me.

VIdi posteriora. Cur non anteriora Agar videre meruit? *Ne fortè,* inquit Pepinus, *ipsa inde superbiret. Erat enim* PRONA AD SVPERBIAM, *sicut & mulierum sexus. Hoc autem bene patuit in hoc quod quam primum vidit se concepisse ex domino suo Abraham, statim despexit dominam suam. Item hoc fecit Angelus ad nostram instructionem, ne scilicet desideremus* VIDERI A MVLIERIBVS *in facie siue eas facialiter videre.*

Vidi posteriora videntis me. Cur non meruit vultum videre videntis illam? Agar, inquit Delrius, adhuc imperfectè Deum viderat, & cognoscebat, & amabat imperfectè, quia quæ OBEDIENTIAM FVGERAT, Deum fugerat, nondum reuersa, necdum planè conuersa: Hoc ergo Dominus foris coram oculis corporis agebat, quod apud illam in corde versabatur.

Propterea appellauit puteum illum, puteum viuentis, & videntis me.

PVteo nomen imponit, quo in beneficij accepti memoriam excitaretur. *Non fuit immemor accepti beneficij,* inquit Oleaster hîc, *sed vt* EIVS RECORDARETVR, *puteo nomen beneficij imposuit.* Plerique nostrum beneficium in aqua scripsissent, acceptique beneficij memoriam statim deleuissent.

Benè est quod puteus & *viuentis* simul dicitur & *videntis. Deus nimirum, vt ille ait,* VIVERE SE, ET VIDERE *significat, quando opere suorum curam se gerere putatur.* Non viuere, non videre superior videtur, si non prouideat suis, nec illorum curam agat, quibus præest.



CAP. XVII. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio Prima.

Post-

Postquam verò nonaginta & nouem annorum esse cæperat apparuit ei Dominus.

603 CVr anni exprimuntur, quos Abraham exegeret, cum apparuit illi Deus? *Dicendum*, inquit Pepinus hîc, *quod hoc fecit vt nos instrueret non omnibus hominibus, sed* TANTVM MATVRIS SENSV ET ÆTATE DEBERE RESERARE NOSTRA SECRETA. *Iuuenes enim leues sunt sicut corpore ita & spiritu, vt in pluribus*. A Deo igitur discimus non omnibus promiscuè secreta profundenda.

Dixitque ad eum: Ego Deus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus.

EGo Deus omnipotens. Non facilè reperias alias omnipotentem se dixisse Deum, cum Abraham alloqueretur, cur istuc nunc fecit? Sæpè alias, inquit pius ille auctor, apparuerat Abrahamo Deus, & nunquam se dixerat omnipotentem, sicut dicit in præsenti aiens: Ego Deus Omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus, & cur quod antea non fecit, modo se dicit Omnipotentem? Meritò se omnipotentem vocat, cum iubet famulum esse iustum & perfectum: MAXIMÆ ENIM VIRTVTIS, ET POTESTATIS SIGNVM EST, QVOD VTARIS FAMVLIS MINISTRISQVE PERFECTIS. Falluntur principes, qui à seruorum numero, extimoque splendore suam magnitudinem metiuntur, non à probitate, perfectioneq; famulantium.

Ambula coram me. Ambulare coram aliquo est, ei ministrare, placere illi. Psal. 25. 3. vbi legimus: *Complacui in veritate tua*, idest complacui tibi Deus, ex hebræo legitur: *Ambulaui in veritate tua*, vnde & LXX. hunc locum Genesis sic vertunt: *Complace coram me*. Huc facit & illud 3. Reg. 8. *Memento, quomodo ambulauerim coram te*, idest ministrauerim tibi. Et Psal. 34. *Quasi proximum, & quasi fratrem nostrum, sic complacebam*. Hebraicè hoc postremum hoc modo habetur, *sic ambulabam*.

604 *Ambula coram me*. Hac olim phrasi Deus vtebatur, sed alia est vsus postquam factus homo pro hominibus est, iussit quippè vt post illum iremus. Pulchrè hoc discrimen expendebat nobilis auctor: Priusquam humanam assumpsisset naturam, patribus veteris testamenti dicebat vt coram ipso ambularent, vt patet in Genesi, vbi dixit Abrahæ. Ambula coram me. Et Sanctus Rex Sedechias Deum alloquens dixit. Memento, quomodo ambulauerim coram te. At vero postquam Deus homo factus est, tot immersus laboribus dicit. Si quis vult venire post me. In quo nos docet quantum inter nos, & illos intersit. Nam antiqui illi patres, siuè labores patiebantur, non habentes exercitum exemplum, quo patienter illos ferre discerent, neque vnde aliquis animus illis aduenire posset. Nunc autem innocentissimum agnum IESVM CHRISTVM PRÆ OCVLIS HABEMVS, inquit, quanto cum amore, mansuetudine, patientiaque, tot, ac tantos nobis labores fuerit perpessus, considerantes, robur virtutemque inueniemus, qua illum imitemur, ac studiosè sequamur.

Vocaturus ad perfectionem Abraham, omnipotentem se prius Deus dixit, VT NON HVMANARVM VIRIVM opus hoc quispiam esse credat, quo ad perfectionem tendit; omnipotentis Dei opus est, & diuina virtute indigemus, vt eò tendamus.

Ambula coram me. Et non etiam diù ante coram Deo ambulauerat Abraham, cur igitur nunc tanquam insipienti dicitur, vt ambularet coram Deo? An quia viro iusto vita ita instituenda est, vt SEMPER INCHOARE videatur?

Scilicet tunc maximè ad perfectionem currendum est, cum senectus nos premit, & vitæ coërcentur termini, hinc est vt Abrahæ senescenti dicat Deus, *ambula coram me, & esto perfectus*, quæ verba non legimus ei antea cum iuuenis esset dicta. Præclarè rem expendit auctor probæ notæ, dum ait: Mirabile est cum anteà Dominus toties Abrahæ apparuisset, & ei loquutus fuisset, plurimaque, ac maxima promisisse, nec non, & multa beneficia contulisset, nunquam tamen illi tale præcepit nec ei dixit: Esto perfectus, postquam autem senuit Abraham præcepit ei Dominus, vt sit perfectus, VT COGNOSCATIS PERFECTIONEM IN SENIBVS ESSE OPORTERE. Quando ætate prouectus erat, & sæpè numero cum Deo fuerat locutus, tunc dicit ei. Esto perfectus. Ex ijs enim speranda est profectio, nec verò velle debemus, vt iuuenes sanctitate scaturiant, nec mirandum vobis est, si in seruo Dei imperfectiones aliquas animaduertatis, si quidem Abrahæ postquam senex erat, dixit Deus: Esto perfectus. 605

Et non erat perfectus Abraham? Non est verè perfectus, qui ad maiorem perfectionem non adspirat. Ambulare autem coràm Deo iubetur, vt ex Dei præsentia ad maiora excitaretur; *cum nulla sit*, inquit Caietanus, *efficacior ratio componendi gestus, motus, verba, actionesque hominis, quam* AMBVLARE ANTE FACIEM SVMMI PRINCIPIS.

Multiplicabo te vehementer nimis.

MVltiplicabo te. Patrum refert populum multiplicari, multiplicari Abraham ipse debet, vt Abrahami imitatione multi sint Abrahami. Festiuè Procopius: *Quòd multiplicans multos homines faciat Deus, minime mirandum est. Nam aliæ gentes præter Iudæos extitere populosæ. Verum Abrahamus sic multiplicatur*, QVASI PLVRIMI FVTVRI SINT *ABRA*HAMI. *Nam ex ipso prodituri sunt sancti, liberique imitabuntur fidem, & opera patrum*.

Cecidit Abram prorsus in faciem.

FElix casus qui cadentem erigit, & firmat in bono; Cecidit Abraham, vt corpore quoq; gratitudinis signum exhiberet. Quò plura accipiunt à Deo Dei serui, eò se humi- 606

lius

lius demittunt, & apartioribus indicijs gratum aoimum manifestant. *En Abraham*, inquit Porrecta, *non contentatur gratias egisse toties Deo, sed & nunc gratias agit ipsi: cadens pronus in terram. Ille enim casus significat; quod Abraham recognouit beneficium à* DEO CVI HVMILIABATVR. *Quasi facto sue dixerit. Non sum sufficiens dignas tibi de hoc gratias referre: in huius signum, ego cado pronus in terram, protestans scilicet hoc facto meam paruitatem versus tale beneficium, talemque benefactorem. Vnde ex hac gratiarum actione meruit confirmationem beneficij.*

Cecidit in faciem suam Abraham; casus iste quam erectam quam rectam in Deum mentem circunferret ostendit, clamatq; hoc facto, eò demissius de se quemlibet debere sentire, quò maioribus à Deo ditatur donis. Cecidit Abraham, inquit ille in faciem, quod antea minimè facisse legitur. Itaque Sanctus vir maioribus beneficijs, & iotima Dei conuersatione seipsum magis contemnebat, parui æstimabat, & HVMILIVS ABIICIEBAT. Propter nos (charissimi fratres mei) demissio hæc, & humilitas Saocti Patriarchæ, & non propter ipsum scripta est, quoniam multis retrò temporibus, cum hæc scripta fuerunt, ipse mortem obierat.

Iusserat Deus, vt Abraham coram illo ambularet, ipse verò adeo non ambulauit, vt in terram se deijceret, pronus in faciem caderet. At hoc est apud Deum ambulare se per humilitatem demittere. *Non enim*, ioquit Pepinus hic, *ita est in via morum sicut in via pedum. Immo hoc est coram Deo* AMBVLARE, *per perfectum se* HVMILIANDO PROSTERNERE *ante conspectum illius*. Istuc firmat, quod Beda apud eundem habet: *Prius dixerat Dominus ad Abraham, Ambula coram me, & esto perfectus. Et quia inquit primus perfectionis gradus* EST HVMILITAS, *rectè subiungitur. Cecidit Abraham pronus in faciem.*

607 Cecidit in faciem suam Abraham. Scilicet quò quis maiores habet virtutis vires, eò illi grauiora Dei beneficia sunt, vt ferendo non sit; leuia sunt imbecillibus, debilibusq; contra ac io corporeis viribus, corporeis oneribus ferendis accidat. *Abraham*, inquit Abulensis, *non potens tantam ferre excellentiam coactus fuerit* CADERE *in terram*; quod ingeotis virtutis indicium fuit.

Prooum in faciem Abraham cecidisse hîc legimus, noo facilè reperias id alios patriarchas prius præstitisse; nimirum ille se plus deijcit, ac demittit, qui plus accepit à Deo. Beoè Beda, apud Pepinum: *Legimus*, inquit, *in prioribus sacra historia locis viros Sanctos Dominum inuocasse, hostias laudis ei obtulisse, innocenter in conspectu eius vixisse, nullum vero ante Abraham pronum in faciem coram Domino cecidisse. Verum ille quo altiora prioribus dona percepit, eo maiores largitori donorum gratias sese humiliando reddidit. Et quia suæ fragilitatis cadens in terram humiliter meminit, mox diuinæ pietatis eminentiam subtiliter agnoscere meruit.* Scilicet quò quis sanctior eò profundius se demittit.

Sectio II.

Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram; sed appellaberis Abraham.

EX hac varia immutandi nominis ratione, qua nomen Abrahæ vna littera augetur, nomen vxoris vna minuitur aliqui colligunt, ad coniugum concordiam 608
facere, si io omnibus vir vxori præstet. Pulchrè ille: Ad matrimonij CONCORDIAM requiritur, vt semper vir vxorem superet, non autem vxor viro suo præstet, virum enim oportet esse caput feminæ. Pro quo facit, qui Abraham: & Sara vocabatur Sarai, dixit autem Deus Abrahæ addamus vnam literam, Sarai autem commiouamus, & sic auctum fuit nomen viri, comminutum vero nomen vxoris remansit. Nunquam vxor debet viro suo, iudicio, sapientia, aut alia rē præstare. Nam ex hoc statim oritur contemptus, ex hoc contemptu, aliæ plurimæ calamitates dimanant.

Vt Abræ oomen producatur, & Abraham, dicatur, idest *pater multitudinis*, littera n *he* ex ineffabili Dei nomine sumitur; sed cur in alia aut non aliunde? Benè ille: Vt Abrahæ nomen Patris multarum geotium tradatur, ex proprio Dei nomioe, littera nomini ipsius adiungitur, indicans, tantum munus exposcere Dei adiutorium NE SVPERBIAT videns se ad magna ascitum.

Magnum in hoc vnius litteræ adiectione nomioi Abræ factæ mysterium viderunt aliqui: Si consideremus, inquit Ioannes Eusebius, literas,

teras, vt numerorum notas, earum etiam ratio habita videtur R. Salomoni Iarki in caput decimum ſeptimum Geneſis, vbi ſcribit Deum adiecisse literam he, nomini Abrahæ, vt literæ nominis ipſius, humanis æquarentur membris, antequam cum ipſo fœdus iniret. Statim enim poſt impoſitionem amplioris nominis iubet ipſum circumcidi. Eæ literæ conficiunt numerum 248. & TOTIDEM HVMANA MEMBRA NVMERANTVR; eo pacto Dominus totius hominis, omniumque humanorum membrorum Deus ſignificaretur, eaque Abrahamo largitus, nec rigidum eſſe vnius dumtaxat membri præciſionem exigere is, qui omnium auctor & Dominus eſt & largitor.

Maximo Deus Abram cumulauit beneficio, cum Abraham vocari eum iuſſit, literam vnam ex ineffabili ſuo nomine aſſumens, & patriarchæ nomini inſerens; quod expendens Iſidorus Clarius ait: Ante promiſſionem Iſaac, nomen illius erat Abram, hoc eſt pater excelſus, poſtea verò paternitatis illius celſitudo ornatur interpoſitione eius litteræ, quæ inter ſacratiores literas, quibus nomina Dei ſcribuntur, principalis eſt, & bis ſcripta in nomine illo ineffabili, quæ & ſemel adſcripta nomini Abrahæ, & ſecundo adſcripta Saræ indicat prærogatiuam quandam maximam datam vtriuſque GENERANDI IPSAM DIVINITATEM ALIQVANDO de ſemine ſuo, in Chriſto naſcituro de Virgine Maria.

609 Nouum ex veteri nomen ſortitus Patriarcha, ſemper deinceps Abraham eſt dictus; ſed cur idem in Iacobi appellatione, qui dictus eſt Iſraël non eſt factum? Rem ad mores ſic flectit bonus, licet nuperus auctor, dum ait: Poſteaquam Dominus nomen Abram mutauit in Abraham, ſemper eum Abraham appellat. Sed quamuis nomen Iacob mutauerit in Iſrael: modò tamen illum vno nomine appellat, modò altero. Cuius rei cauſa myſtica, inter alias eſt, ad ſignificandum quod Prælati, quamdiu tale officium gerunt, numquam debent Abrahæ nomen mutare, Patris ſcilicet multarum gentium: ſed SEMPER PATRVM OPERA FACERE ERGA SVBDITOS, quos magno cum amore gubernant. In executione tamen officij ſui interdum eſſe debent ſicut Iacob, luctantes operibus vitæ actiuæ in bonum proximorum; interdum etiam debent eſſe ſicut Iſrael in operibus vitæ contemplatiuæ, agentes ſemper cum Deo.

Maſculus cuius præputij caro circumciſa non fuerit delebitur anima illa de populo ſuo.

CVr lex parentes potius non punit, quam infantes à culpa neglectæ circumciſionis immunes? An quia parentes in filijs torquentur non minus, quàm in ſe ipſis? *Dicendum erat*, inquit Sanctus Iſidorus Peluſiota, *qui non circumcideret exterminatum iri, non autem infantes immaturæ ætatis. Ego vero literalem quidem ſenſum improbo ſi quidem parentibus* ACERBIVS EST SVPPLICIVM, *cum pueri exitio dantur.*

Dixit quoque Deus ad Abraham: Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai, ſed Saram.

A Sarai nomine vna ſurripitur littera, ſed cui rei? An ne ſibi Abraham tribueret, quod ex ea futurus? Rem peritè conficit nobilis quidam auctor, & Sancti Bernardi auctoritatem, quod excogitauerat firmat, vtriuſque verba hîc apponam, & ſunt iſta: Saræ nomini vna littera ablata à Deo. Sarai ſiquidem dominam meam ſignificat: at Sara, i, ablato, dominam ſolùm: cùm enim fœcundanda eſſet, vt filium conciperet, quod natura pugnante à Deo factum eſt, noluit, vt eam quaſi ſuam Abraham haberet; ſed Deo relinqueret, cuius ope id conſecutura foret. Pulchrè Bernardus Epiſt. 237. ad Eugenium. Iam nequaquam Sarai, ſed Sara nominetur. Sic amicus ſponſi eſt, ne dixeris dilectam eius, principem meam, ſed principem, NIL TVVM IN EA VENDICANS, niſi quòd pro ea, ſi oportuerit, animam etiam dare debes. Scilicet cum de animarum lucris agitur totum Deo tribuendum eſt.

A mulieris nomine litteram amputauit, ex Sarai Sara appellatur, vt circumciſo nomine caſtitatem præſeferat, quod quanto honeſtior, 610
inquit ſcitus auctor huc ſpectans, eſt fæmina, tanto ſit breuius nomen eius in populo: ideſt tantò minùs in populo auditur, rarius promitur, citiùs pertranſitur. Seu certè quoniam HONESTÆ FOEMINÆ NOMEN NVLLAM HABET INSVETAM, vnde per cætus fæminarum, per compita trahatur inter viros.

Et benedicam ei.

CVr filiorum largitio benedictionis vocabulo circumſcribitur? In libro Geneſis, inquit bonus ille auctor, ſæpiſſime filiorum generatio diuina eſſe BENEDICTIO dicitur, ſicque illam vocat Spiritus Sanctus, vna vero ex præcipuis rationibus, quare Deus vobis liberos concederet, diuina eſt ipſius benedictio hæc eſt, quia vobis merendi materiam tribuit, quæ eſt liberos iſtos, docere, vt ſerui Dei ſint. At credite mihi ſi huius obliti fueritis, benedictio in maledictionem vobis conuerteretur.

Cecidit Abraham in faciem ſuam.

SEd cur potius Deum Abraham adorauit in terram cadendo, quam flectendo genua? An in ſignum perfectioris humilitatis? Addit Pepinus: *vt oſcularetur terram propter* REVERENTIAM FVTVRÆ DOMINICÆ INCARNATIONIS, *quam præuidebat*. O ſeriò iſtuc cogitarent, qui Deum ſub eucharistico tegmine excepturi ſunt!

Vtinam Iſmael viuat coram te.

COram te. Non videtur viuere, qui coram 611
Deo non viuit. Pulchrè ille: Dixit Abraham alloquens Deum, vtinam Iſmael viuat coram

coram te, ideſt, ad nutum beneplacitumque tuum, in tui miniſterio, obedientia atque dilectione perſiſtat. O eximiam orationem. Ne arbitremini ſanctum Patriarcham vitam tantum modo Iſmaeli poſtulaſſe, præcipuè enim VITAM SANCTAM PRECABATVR. Ideoq; non contentus eſt dicere: Vtinam Iſmael viuat, ſed addit etiam dicens, coram te.

Et ait Deus ad Abraham: Sara vxor tua pariet tibi filium; vocabiſque nomen eius Iſaac.

FIlius Abrahæ promittitur, ſed non ſtatim datur; multa erant Abrahæ aduerſa ferenda, vt eius patientia probaretur. Benè Sanctus Macarius hom. 9. *Non aliter de Abraham ſcriptum eſt; quantò enim antè tempore promiſerat Deus ei ſe daturum, filium quem mox non dedit; ſed interea multis annis intermedijs, in* PROBATIONES *&* TENTATIONES *incidit: ſed longanimiter ferens omnia, quæ obueniebant, ſeipſum corroborabat in fide; ſciens, quòd is qui promiſerat minimè mendax eſſet, ſed impleret verbum ſuum: & ita fidelis inuentus; aſſecutus eſt quòd ei promiſſum erat.*

De Iſaaci nomine, quod eſt à riſu, ſic nuperus auctor philoſophatur: *Sara filius appellatur Iſac, ideſt, riſus, propter Saræ riſum ab Angelo reprehenſum. Sic vel* PARENTIS NÆVOS ARRIPIVNT, HAVRIVNT, ET EXPRIMVNT FILII: *Sic parentum defectus, vel in ipſo nomine filij preferunt: Vel ipſum filij vocabulum, maternis vitijs obnoxium eſt: Reprehenſum parentis riſum in ipſo nomine Iſaacus imbibit.*

Super Iſmael quoque exaudiui te: ecce benedicam ei, &c.

612 ABraham dixerat tantum: *Vtinam Iſmael viuat coram te.* Deus verò vitæ alia beneficia adijcit, vt hinc colligas, quàm liberalis ſit Deus, & plura eum exhibere, quàm quæras. *Habes hic*, inquit Oleaſter, *quam breues fuerint ſanctorum orationes, & quam facilè à Deo exaudiantur, & plura,* QVAM PETANT, *illis concedantur à Domino. Solum dixerat ſanctus ſenex. Vtinam viuat: Dominus autem non ſolum vitam, ſed ſeminis propagationem, & nobilitatem maximam pollicetur.*

Tulit autem Abraham Iſmael filium ſuum, &c.

TVlit autem Abraham Iſmael filium ſuum. Perfectæ obedientiæ formam moras omnes amolientis hîc habemus: *Valde enim*, inquit hîc Abulenſis, *commendabilis eſt in hac parte Abrahæ* OBEDIENTIA, *quia eadem die, quæ omnia iſta dicta ſunt compleuit ea ſe, & filium, & omnes domeſticos circuncidens. Verus enim* OBEDIENS MORAS NESCIT.

Eadem die circumciſus eſt Abraham.

LIcet ſenex Abraham eſſet, paſſus eſt tamen ſe circumcidi, ne deinceps aliquis à ſpiritali circumciſione, mortificationeque abſtineret, grauis ætatis prætextu; infantiam ſuam licet alioquin ſit ſenex prodit, qui A VIRTVTVM EXERCITIO ſe annorum multitudine eximit.

CAP. XVIII. GENESIS

Expenditur, & illuſtratur:

Sectio Prima.

Hoſpitalitatis ſtudium in *Abrahamo* expenditur. 613.
Diſciplinæ regula in domo Abrahæ.
Senſuum cuſtodia commendatur.
Mentis potiùs quam domus *ornatus* quærendus.
Animi *virtus* domus *ſplendori* præferenda. 614.
Hoſpites non curioſè ſcrutandi.
Bona *voluntas* ſanctumque *propoſitum* vt Deo placeat.
Apparentes fictitiaſque *virtutum colores* aliqui habent.
Iuſto *benefaciendi materia* non deeſt. 615.
Inter *beneficia* locanda plures hoſpites recipere.
Virorum habitu *Angeli* cur *Abrahæ* apparuerint.
Stare ſuper Abraham cur dicti ſint Angeli. 616.
Puniturus Sodomam cur ad *Abraham Deus* diuerterit.
Ad *vindictam Deus* lento incedit gradu; ad benefaciendum volat.
Deus cur nunquam legatur Abrahæ *domum* ſubiſſe. 617.
In *Euchariſtia* noſtrum pectus Deum, intrare quantæ ſit dignationis.
Quæ ſunt charitatis in *hoſpites* non facilè alijs committenda.

Apparuit autem ei Dominus in conualle Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi ſui in ipſo feruore diei.

SEdenti in oſtio. Non ſuum commodum, non ſuam quietem Abraham quærebat; 613
niſi dicamus, quæſiſſe quietem ſuam, cum quæreret alienam. Hinc Sanctus Chryſoſtomus: *Sedente ad fores tabernaculi ſui, tanto-*

tantopere curabat hoſpitalitatem, vt nollet HOSPITVM VENATIONEM *cuipiam familiarium committere: ſed trecentos decem & octo habens vernaculos, homo ſenex & nunc decrepitæ ætatis (centenarius enim erat) apud ianuam ſedebat, & hic quidem hoc ſummo ſtudio curabat, & neq; ſenectus illi obſtaculo erat, neq; ſua quietis cura, neq; intus ſuper lectum recumbebat, ſed ad oſtium ſedebat; alij autem ſæpè non ſolùm tantum ſtudium non adhibent; ſed & planè diuerſum, & horum congreſſus fugiunt & euitant, vt ne inuiti cogantur excipere*. Sic ille hom. 41. in Geneſim.

Benè eſt quod, ad oſtium aſſidet Abraham, non Sara, vt diſciplinæ quoq; regula etiam in hoſpitalitatis exercitio ſeruaretur. Rem ad ſenſuum cuſtodiam flectit S. Nilus, dum ait: *Magnus ille Abraham non permittit vxori, vt oſtium obſeruet. Neque enim ignorabat, quam* FACILE SENSVS DECIPIATVR, *quomodo rerum ſenſibilium aſpectu delectatus, animum diſtrahat, perſuadeatque, vt ſecum rebus iucundis oblectetur, quamuis planè periculoſa ſit oblectatio. At ille aſſidet Sara, diuinis cogitationibus aditum patefaciens, & ianuam mundi occludens.*

In oſtio tabernaculi. Curam quam pleriq; in domorum ornatu ſolent impendere, Abraham in mentis apparatu collocauit. Hinc illud Sancti Chryſoſtomi hom. 2. ad populum: *Rudi modo paratum erat illud tabernaculum, ſed regijs aulis ſplendidius fuit; nullus vnquam rex Angelos ſuſcepit: hic verò ſub quercu ſedens illa, cellamq́; figens, hoc honore dignus habitus eſt, non* PROPTER DOMVS VILITATEM HONORATVS, *ſed propter* ANIMI ORNATVM *& diuitias in ipſo repoſitas hoc munere potitus; & nos igitur ne domos ornemus, ſed potius quam domum, animam noſtram; quomodo enim non turpe, marmoribus parietes fruſtrà & temerè congerere. Chriſtum verò nudum circumeuntem negligere.*

De oſtio tabernaculi. Mentem ſuam, qui virtutum domicilium conſtituerat, terreæ domus ſplendorem negligebat; nec mirum cum non in aliena palatia, opeſq́; oculos conijceret, ſed in pauperes quos hoſpitio exciperet. Opportunè Sanctus Chryſoſtomus hom. 2. ad Populum, vbi ait: *Diues erat Abraham ſed non auarus: non enim huius domum conſiderabat, nec illius ſubſtantiam curiosè ſcrutabatur: Sed egrediens contemplabatur, num alicubi hoſpes, num alicubi pauper, vt paupertatem reſarciret vt peregrinum exciperet; non auro tectum liniuit, ſed apud quercum illam tabernaculum figens foliorum vmbra contentus erat, & tam ſplendidum erat ipſi diuerſorium, vt nec angelos apud ipſum manere puderet: non enim quærebant* DOMVS SPLENDOREM, SED ANIMI VIRTVTEM.

In ipſo feruore diei. Non minus dies ferue-
614 bat, quàm cor Abrahæ, vt hoſpites exciperet, ac ſi, ſic loquitur Sanctus Chryſoſtomus, venaretur. *Meridie*, inquit S. Doctor, *hoc faciebat; meritò quoniam ſciebat, quod quibus eſt itineris neceſſitas, eo tempore maximè indigent curæ: proinde tempus hoc vt idoneum elegit, & ſedens eos qui præteribant venabatur, pro ſua quiete ducens miniſtrare viatoribus: & eos qui calore æſtuabant, ſub tectum introducere* STVDEBAT NON CVRIOSE EXPLORANS EOS *qui præteribant, neq; requirens an noti, vel ignoti eſſent; neq; enim hoſpitalitatis fuerit diligenter ſingula perſcrutari, ſed omnibus ſimpliciter ſuam communicare benignitatem*. Addit nonnullis interiectis, & venantem nobis Abraham exhibens ait: *Currit & volat ſenex; vidit enim prædam quam venabatur, & nulla infirmitatis ſuæ ratione habita, ad venationem cucurrit, & non vocauit famulos, neque imperauit puero, nihilque ruſticitatis, neque deſidia præ ſe tulit, ſed ipſe cucurrit: quaſi diceret, magnus theſaurus eſt, magna negotiatio: per memetipſum hanc mercem inferre debeo, ne elabatur tantum lucrum.*

Cumq́; eleuaſſet oculos apparuerunt ei tres viri ſtantes propè eum.

ANgeli apparent Abrahæ, quia homines non habebat, quos reciperet: Ecce quomodo, inquit ille, quibuſcum BONAM VOLVNTATEM ſuam adimpleret, venerunt Angeli. Quando autem Angeli deeſſent, Deus ſe pauperem faceret, vt cum eo tuum SANCTVM PROPOSITVM exerceres. Idem etiam faciunt mali, veluti ſi quis eſt luſor, nec tamen quo cum ludat, inuenit: cum lapidibus ludet, ipſaſque chartas ſolus manibus euoluet.

Aëreum corpus Angeli aſſumpſerunt, in quo non ſolent eſſe veri colores, ſed apparentes. Pleriq́ue in hoc Angelos referunt, quod virtutum verum colorem non efferunt, ſed APPARENTEM, ATQVE FICTITIVM, vt quod in aſſumpto ab Angelis corpore accidit, ſæpè contingat in aſſumpta ab aliquibus forma ſanctitatis.

Hoſpitalitatis amatori offert Deus occaſio- 615
nem, quo eam exerceat. *Sicut homini aſſueto peccatis*, inquit hîc Oleaſter, *diabolus ſemper peccandi occaſionem offert, quo nefanda deſideria poſſit explere, ita* VOLENTI FACERE BONVM *Deus* MATERIAM OBIICIT, *qua bonam voluntatem poſſit perficere. Sic ſancto viro Abraham, quoniam ſumma erat charitate præditus, non ſolum homines, ſed Angeli, imo Deus ipſe ſe ſe illi in hoſpitem offerebat.*

Tres viri Abrahamo apparent, duo tantum ad Loth venerunt; qui plus merebatur plures recipit; vt hinc colligas inter beneficia locanda, CVM PLVRES ad nos aut hoſpitij, aut auxilij quærendi gratia diuertunt.

Apparuerunt ei tres viri. Cur ſub virorum habitu Angeli latent? *Vt pietas*, inquit Thomas Anglicus, *& hoſpitalitas Abrahæ probaretur, & exerceretur*; ſcilicet latent Angeli, vt Abrahæ virtutes non laterent. Opera bona à nobis Deus elicit.

Stantes propè eum. Cur ſpectandos ſe Abrahæ tres viri obijciunt, cum poſſent vlterius recta progredi? An vt exercendæ virtutis materiam, & occaſionem Patriarchæ præberent? Peritè Honcala: *Repente*, inquit, *ei viſi ſunt, non vtiq́; gradiendo accedere, ſed ſubitò adſtare: vt ex im-*

V *prouiſa*

prouiso aspectu ei mirabiliores haberentur; denique constiterunt in eminentiori loco, vt è situ se nuncios esse calestes insinuarent. Enim vero cur non vlterius recta progrediebantur? nisi vt sic stantes occasionem Patriarcha inuitandi seipsos praberent. Solet nempè Deus homines à suis ipsorum officijs occasione sumpta ad se vocare, EISDEMQVE EXERCENDÆ VIRTVTIS ANSAM PRÆBERE *ab eisdem studijs, quibus ipsi maximè delectantur, & detinentur; sic & B. Apostolos mirabilis piscium captura argumento permotos ad se traxit, hominumq; piscatores effecit; sic etiam mages illos illustres, viros obseruandis astris intentos per nouam mirabiliemque stellam ad Christi cunabula perduxit; sic & modo oblata Patriarcha trium peregrinorum specie ad hospitalitatem incitauit. Nec defuit senex centenarius officio erga eos obeundo.*

616 *Stantes propè eum.* Legunt aliqui *super eum*; quam phrasim expendebat Sanctus Augustinus serm. 69. de tempore: *Venerunt tres viri ad Abraham, & steterunt super eum: hoc ipsum videte, quare sit quòd super eum veniunt, non contra eum;* SVBIECERAT SE VOLVNTATI DEI, *& ideo super eum stare dicitur Deus. Astiterunt, inquit, super eum, non contra eum ad repellendum, sed super eum ad protegendum.* Licet simplicius ex vsitata Sacræ Scripturæ phrasi *super* pro *iuxta* ponatur.

Sed cur absumpturus Deus Sodomam diuertit ad Abraham, vbi benignè excipiendus erat? Cum vellet, inquit nuperus auctor, vindictam sumere de auaritia, superbia, & crudelitate Sodomorum, & in luxuriam, & cætera commitantia vitia seuere animaduettere, adit domum hominis liberalis, & in dandis muneribus prolixi, vt gladium furoris sui (erat enim Deus ira inflammatus, & vehementer commotus) exacueret, & vult prius à iusto munifico perhonorifice, & perliberaliter tractari, vt melius excitetur ad vindictam auatitiæ, & sic omnibus notum fiat, iuste Deum vltionem sumere de ijs, qui auaritiæ inseruientes, cuncta crimina committere ausi sunt, & vt vindictam, & animaduersionem fugiant homines, fugiant cupiditatem, quæ in se omnia mala continet.

Quæri iure hîc potest cur tam longas moras trahant Angeli, qui alioquin velocissimi sunt? An quia de incendendis vrbibus, tollendis peccatoribus agebatur? Rem sic expendit probæ notæ auctor: Expendendum, inquit, venit quòd eò aduentantes, adeò lentè mouebant gradum, vt ipsi Abraham (ante cuius hospitium consultò transire voluerunt) potius stantes, quàm incedentes viderentur: Apparuerunt ei tres viri stantes. Qui & ab eo rogati, vt apud se pranderent, libenter annuerunt, expectaruntque libentissimè, vt commiscerentur tria sata similæ, indeque fierent subcineritij panes, occideretur, coquereturque vitulus. Et à prandio non statim abeunt; sed adhuc sedent, confabulanturque: Vbi est Sara, vxor tua, &c. Cùmque tandem surgunt, non protinus alas expandunt; verùm cum eodem Abraham pedetentim vadunt. Abraham simul gradiebatur, deducens eos; ac inter loquendum, occasionem ei præbent, vt roget, ne illuc omninò peruenire cogantur, quò tandem vbi perueniunt, non statim iusta execquuntur, sed adhuc morantur, etiam apud Lot cænaturi expectant, vt coquantur azima, &c. Quid hoc? quid, ò Angeli tam longas nectitis moras? Quondam Angelus à Iudæa in Babylonem, (non à conualle Mambre in Pentapolim,) quod est per tot, tantàque milliaria, nec temporis quidem punctum expectans, vt prandium pararetur; sed iam paratum, vel ipsis messoribus arripuit, atque Habacuc transtulit in impetu spiritus sui. Quid hoc inquam? ISTE VOLAT: & quid dico, volat: Fortè tanto impetu fertur, vt nec medium pertranseat, si modò corporeus Propheta non obstat: illi vix pedem efferre possunt, ac prandium, cænamque parari patientissimè sustinent? Cur hoc? Quia nimirum, ille ad benefaciendum vadit; ij verò, quia ad puniendum vadunt, veluti coacti pertrahuntur, vnde & lentissimo incedunt gradu.

Vt multa Deus Abrahæ præstiterit, non legimus tamen eius domum vnquam subijsse; 617
quod expendens Oleaster in cap. 24. Exodi ait: *Ad Abraham dilectissimum suum etsi aliquando descendere dignatus est,* NVNQVAM TAMEN DOMVM EIVS INGREDI VOLVIT. *Solet enim homo etiam iustus ex diuinis fauoribus insolescere; ideo ad mensuram sibi cuncta ostendenda sunt, & prastanda.* Facilè nimirum effertur, qui Dei donis cumulatur. Vbi obiter nota quàm aliter nobiscum Deus egerit, non enim solum domum nostram subit, sed & pectus, quod facit dum in EVCHARISTICA MENSA exhibet se.

Cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi.

CVcurrit *in occursum eorum.* Cur non prius seruos misit, qui aduenientibus occurrerent, præsertim quod pro vxore filio quærenda serui vsus ministerio fuit? Quæ ad domus augmenta spectabant, vni committit seruo, quæ sunt CHARITATIS exsequitur ipse.

Sectio II.

Vir perfectus in omnibus *Deum reueretur.* 618.

Benefico plures *hospites* vnus videtur; auaro vnus inumeri.

Hospites vt excipiendi.

Diues pauperi debet, quod ab illo eleemosynam accipit. 619.

Beneficus beneficium accipit dum dat.

Pauperes importunitate eos non lassent, quos adeunt.

In *pauperibus Deus* latet. 620.

Hospitalitas minimè contracta sit.

Liberales plura exhibent quàm promittant.

Obse-

Obſequia ſua viri *iuſti* exſtenuant, non efferunt. 621.

Eucharistica bucella vt inhient *Angeli*.

Pura *mentis* habitatio quàm grata *Angelis*. 622.

Angeli cur ſtatim *Abraha* inuitanti aquieuerint, quod erga Loth non fecerunt.

Quàm *ferventi* animo *hoſpites* accipiendi; ad *Eucharistiam* res extenditur.

A Virgine poſt Deum *Eucharistiam* habemus. 623.

Potius *Trinitatis* lætitia Chriſti *caro* pro nobis oblata.

Pueros ab ineunte *ætate* benè inſtitui quanti referat.

Vinum cur non legatur Abraham obtuliſſe. 624.

Animæ *alacritas* corporis imbecillitatem vincit.

An *Angeli* Abraham incitauerint, vt ſederet ipſe & reficeretur.

Et dixit: Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas ſeruum tuum.

618 DOmine. Scilicet vir perfectus in omnibus Deum reueretur, & ita plures homines reſpicit, vt in illis Deum reſpiciat, tanquam in vnum reſiliat Deum, quod pluribus hominibus in Dei vnius gloriam præſtatur.

Cum tres viri apparuerint, cur eos alloquitur tanquam vnum? Dixerim, inquit nobilis ille auctor, tàm propenſum fuiſſe Abrahamum ad hoſpites excipiendos, vt cùm tres exceperit, vnum tantùm ſibi videretur excepiſſe; cùm tamen nonnulli vnum tantùm hoſpitem ſic faſtidiant, ac ſi INNVMEROS SVSTINERENT.

Domine. Qui tres receperat, vnum alloquitur, quia in omnibus vnum venerabatur; in hac re tectè monet Sanctus Patriarcha, omnes hoſpites, paupereſque reſpiciendos, excipiendoſque tanquam aliquid vnum eſſent, vt odioſa, nimiſque religioſa perſonarum acceptio excluderetur.

Si inueni gratiam. Nimirum gratiam potius
619 à paupere diues accipit, cum prolixè à diuite accipitur, quàm pauper à diuite. Peritè Oleaſter hîc: *Docet*, inquit, NOS NON GRATIAM FACERE PAVPERI, *cum hoſpitio recipiendo*, SED MAIOREM RECIPERE: *ſi ſe ille recipi à nobis permittat. Arbitratur (ait Auguſtinus) diues magnum bonum, pauperem natum, ſi illi diues obuius ſit à quo eleemoſynam recipiat, & non cogitat, ſibi maiorem gratiam exhibitam, quod ei Dominus pauperem: cui eleemoſynam præſtet: obiectauerit. Pauper à te obolum recipit: tu verò à Deo centuplum, & vitam æternam. Propterea, ille ex tua parua eleemoſyna non eſt effectus diues: tu vero, quia dediſti, factus es iuſtus, iuxta illud: Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.*

Ita hoſpites Abraham inuitat, ac ſi beneficium acciperet ipſe dum confert. *Sic comparatum eſt*, loquit ille, VT QVI BENEFACIT BENEFICIVM MAGIS ACCIPIAT, *quàm det, cum ſibi deuinctum reddat, quem beneficentia ſua iuuat*.

Si inueni gratiam in oculis ſuis. Tanquam ſingulari beneficio donaretur hoſpites recipiens; *verè enim*, inquit Sanctus Chryſoſtomus, *huiuſmodi res hoſpitalitatis eſt, quæ* MAGIS ACCIPIT, QVAM DAT, *qui illam promptè, & alacriter exercet*; vt videatur beneficium accipere, qui facit.

Statim obſequium ſuum exhibet Abraham, nec viri quæſierunt. Pauperes hinc diſcant, importunitate alios non laſſare, quos opis quærendæ cauſa adeunt. Pulchrè ille: Idcirco nos decet diſcere à Deo in ſpecie pauperis apparente, non eſſe IMPORTVNOS, & INVERECVNDOS quæſtores, vnde Abraham, & ſe, & ſua liberaliter officia offerenti non dicunt da mihi hoc, & illud, ſed ſolum fac quod locutus es, quaſi dicant, ſpecialia non petimus, ſed quod dare volueris recipiemus, à quo more abeunt, qui ita poſtulant, vt ea quibus egent, extorqueant.

Domine ne transeas. Sub ſpecie pauperum
hos viros Abrahæ apparuiſſe, ſunt, qui putent; 620
cur ergo. Domini vtitur titulo Abraham eos alloquens? An quia IN PAVPERIBVS LATENTEM DEVM veneratur verus Dei ſeruus? Ille verè diuitiarum eſt Dominus, qui diuitias pauperibus diſtribuens Dominos eos cenſet.

Lauate pedes veſtros.

LAuate pedes veſtros. Qui vnum alloquebatur, preces ad vnum dirigebat, hoſpitalitatis officia omnibus offert, ne hoſpitalitas læderetur contracta, ſed perficeretur extenſa. *Preces*, inquit Caietanus, *porrexit vni, officia verò hoſpitalitatis offert omnibus: & propterea non dicit, pedes tui; ſed pedes veſtri: & in omnibus adiunctis officijs pluraliter loquutur.*

Ponamq́ bucellam panis.

POnamq́ bucellam panis. Hoc ex verè liberalis viri lege, vt plura exhibeat, quàm dicat. *Plura*, inquit hic Oleaſter, *iuſti ſemper* EXHIBENT *ex bonis, quàm* PROMITTANT. *Inuitat eos ad bucellam panis, & inſtruit ſolemne conuiuium. Non ſic impij, ſed cum multa polliceantur perpauca exhibent.*

Ponam bucellam panis. Hic iuſtorum mos, vt 621
ſemper ſua extenuent, & plura præſtent quàm dicant, maiora operentur, quàm ſignificent. Expensè Abulenſis: *Ponam bucellam panis. Per hoc ſignificabat omnes cibos, quos eis daturus erat. Sed loquitur* HVMILITER NON IACTANS RES SVAS, *ſicut dicitur communiter inuitatis dabitur vobis, & panis, & aqua, cum tamen inuitans intendat eis plura dare. Sed ſolum nominat iſta humiliando alia, quaſi modica ſint. Et ſatis eſt urba-*

mus modus loquendi ad congaudendum inuitato, quia sic intrinsece innuitur magnitudo inuitati, quasi ista non attingant vllo modo dignitatem eius, & quod nihil ex hoc videatur obligatus recipiens conuiuium, quasi si nihil daretur. Qui autem inuitatis dicit se eis multa, & magna daturum inuitatos contristat, quia implicite eos deprimit dicendo illa, qua dantur esse aqualia dignitati eorum, vel maiora, & innuit eos ex hoc multum obligari.

Ponamq́; bucellam panis. Vides vt modestia, ac humilitate dapes condiat. *Per quam modestè*, inquit Honcala, *conuiuium facile parandum promittit; nec dapes iactat, ne videatur epulum pluris, quàm conuiuas facere: & qua ex insperato fuerint allata, sint gratiora.*

Idcirco enim declinastis ad seruum vestrum.

IDcirco enim declinastis ad seruum vestrum. Vt scilicet panis bucella cor eorum confortaretur, quæ eucharistici panis erat figura; quod sic nobilis quidam auctor expendebat: *Sic Eucharisticæ bucellæ inhiant Angeli, vt idcircò appetuisse Abrahamo dicantur, vt diuino hoc pane delicientur, saginentur, reficiantur.* Vel Angeli specie tenus corporati, non priùs huius panis figuram comedunt, quàm pedes abluant: Vel HVIVS SACRAMENTI VMBRA sic à cęlestibus tractatur, sic expetitur.

622 Ad Abraham tabernaculum se recipiunt Angeli, neglectis aliorum palatijs, vt discas, cœli habitatoribus, puræ mentis habitationem magis placere quàm terrea, licet splendida murorum ædificia. Scitè Sanctus Chrysostomus: *Sodoma turres habebat, quum Abraham in tugurio moraretur, attamen venientes Angeli, Sodoma praeteribant, ad tugurium diuertebant; NON ENIM ÆDIFICIORVM SPLENDOREM QVÆREBANT, SED ANIMÆ VIRTVTEM QVÆRENTES CIRCVMIBANT; ita fanè alias desertum habebat Ioannem, Ciuitas herodem: eoq́; desertum nobilius erat ciuitate, quur ita tandem? quoniam non in structuris sita est prophetia.* Sic ille hom. 4. de verbis Isaiæ.

Qui dixerunt: Fac vt locutus es.

FAc vt locutus es. Non se excusant, quòd fecerunt Angeli à Loth inuitati; nimirum & inuitantis rationem habuere? *Cur statim*, inquit hîc Beatus Dionysius, *ACQVIEVERVNT ABRAHÆ, cum sequenti capitulo legantur duo Angeli dixisse Loth eos inuitanti, Nequaquam, sed in platea manebimus? Respondet Petrus Alphonsi vir Christianissimus, atque doctissimus ex Iudaismo conuersus, quod propter reuerentiam & excellentiam Abraha Patriarcha mox acquiescebant; Loth verò minoris fuit authoritatis, idcircò prima facie denegabant. Ex quibus idem Petrus concludit, quòd quandò quis inuitatur à persona multum excellenti, debet acquiescere sine renitu.*

Festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram.

FEstinauit Abraham, ne mora, & cunctatione inficeret, hospitalitatis obsequium. Rem nobis in exemplum proponit Sanctus Augustinus serm. 69. de tempore, vbi ait: *Videte fratres, attendite quam FERVENTI ANIMO HOSPITES DEBEATIS EXCIPERE; ecce ipse Abraham currit, vxor festinat, puer accelerat; nullus est piger in domo sapientis.* Quod ad Sacram Eucharistiam expendas, in qua cum feruore Christus excipiendus, omni torpore, negligentiaque reiecta.

Dixitq́; ei: Accelera tria sata simila commisce.

VTerque conuiuium parat, Abraham scilicet & Sara, sed huic signatè iniungitur, vt panem paret; quod aliqui ad Eucharisticum panem trasferunt, qui à Virgine Deipara præcipuè post Deum fuit: Cæterum, inquit ille, cura panis Saræ mandatur, vitulum Abraham defert. Scilicet, CVRA CONFICIENDÆ EVCHARISTIÆ PENES DEIPARAM EST: ipsa enim corpus, & sanguinem Christo ministrauit, quæ in Eucharistia nobis datentur. Virgini Panis Eucharisticus debetur. 623

Ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum deditq́; puero, &c.

TRibus Angelis, qui viros referebant, tenerrimum vitulum apposuit Abraham, quod Christi carni sic aptat Sanctus Eligius: *Hoc præsignauit olim, quod Abraham tribus Angelis hospitio receptis, vitulum tenerrimum occidisse legitur & eis apposuisse: quia IMMOLATA pro nostra redemptione caro Christi TOTIVS TRINITATIS LATITIA EST.* Sic ille hom. 8. de filio prodigo.

Deditq́; puero. Putant aliqui hunc puerum Ismaelem fuisse, quem pater his pietatis officijs exercebat. Honcala: *Fertur, hunc puerum, cui senex vitulinam coquendam tradidit, Hismaelem fuisse: quem iam tunc pientissimus pater obeundis expectata pietatis operibus imbuebat, decentissimisq́; officijs innutriebat. Nouerat enim multum referre ad vitam hanc probe pieque degendam, PVEROS AB INEVNTE ÆTATE HOC, VEL ILLO MORE INSTITVI; magniq́; apud Deum meriti filios benè educare.*

Tam vtilis Abrahæ hospitalitas fuit, quam in Angelos, quos tamẽ homines putabat, exercebat, vt eius fructus in omnes eius domesticos resilietit, hinc illud illius: *Hospitalitate illa factum vt omnes Abraha domestici in virtutis studio promouerentur.*

Tulit quoq́; butyrum, & lac &c.

FErculorum, quæ Abraham Angelis apposuit fit mentio, sed non vini; quod expendens San- 624

Sanctus Ambroſius de Elia, & ieiunio cap. 5. ait: *An non Abraham vina in ſuo conuiuio miniſtrabat, ſed immolabat vitulum, butyrum & lac etiam Angelis hoſpitibus exhibebat. Cæli Dominum mundi agnoſcebat auctorem:* VINUM TAMEN EXHIBERE *non poterat. Sed rectè illic deerat materia peccati, vbi erat remiſſio peccatorum.*

Ipſe verò ſtabat iuxta eos ſub arbore.

STantem coram comedentibus Abraham ſic admirabatur, ſic efferebat Sanctus Chryſoſtomus hom. 41. in Geneſim: *O magnitudinem hoſpitalitatis, ò humilitatis excellentiam, ò mentem oppidò piam; aſtabat centenarius comedentibus illis; mihi videtur tunc præ gaudio alacritateq́; multa imbecillitate ſua factus ſuperior, & robur quoddam accepiſſe. Sæpè enim* CONSVEVIT ALACRITAS ANIMÆ, *ſi quando roborata fuerit,* VINCERE CORPORIS IMBECILLITATEM; *aſtitit igitur patriarcha quaſi famulus, ſummum honorem ſuum exiſtimans, quòd præſentibus miniſtraret, vt ſolaretur itineris eorum laborem.*

Stabat iuxta eos. Ne ſcilicet *aliquid deeſſet, aut negligenter fieret*, ait Beatus Dionyſius, qui addit: *Sed mirum quòd non inuitabant tantum patriarcham ad conſedendum & reficiendum cum ipſis; ad quod dici poteſt, quod non omnia ſcripta ſunt, ideò quamuis non ſit ſcriptum, quod eum ad hoc non inuitauerint, non tamen ſequitur quod non fecerunt hoc. Vel forſitan tam humiliter ſe geſſerunt, quòd* NON INTROMISERVNT *ſe de hoc, præſertim cum reficerentur gratis vt peregrini.*

Sectio III.

Cumq́; comediſſent dixerunt ad eum: Vbi eſt Sara vxor tua.

MAgnum fuit cœleſtes ſpiritus cor- 625
porea fercula comediſſe, ſed illud grandius, quod præſtitit poſtea Chriſtus, carnem, & ſanguinem ſuum nobis exhibens. Hinc illud S. Ephræmi: *Abraham Patriarcha cœleſtibus Angelis terrenos cibos appoſuit, illique eos comederunt, ingens ſanè miraculum eſt, cernere ſpiritus incorporeos, in terra carnium cibos manducantes: ſed hoc profectò omnem excedit admirationem, omnem mentem, omnemq́; ſermonem, quòd nobis fecit vnigenitus filius, Chriſtus Saluator noſter; ignem quippè & ſpiritum* MANDVCANDVM ATQVE BIBENDVM *præſtitit nobis carne veſtitis, corpus videlicet ſuum, ac ſanguinem.* Sic ille de natura Dei non curioſè ſcrutanda.

Ecce in tabernaculo eſt.

E*Cce in tabernaculo eſt.* Iure hîc admirationis particulam appoſuit; nam in virorum aliunde venientium aduentu potuiſſe mulierem ſe intra ſua clauſtra continere poni inter mira debet, vt videatur mulier ſuo ſexu maior, ſi foras non prodeat, cum aliunde viri noua nuntiaturi veniunt; quaſi magis mirum fuerit MVLIEREM foras non prodiiſſe, quàm ANGELOS humana veſtitos veſte Abrahamum adiiſſe, vt ſacer ſcriptor ibi admirationis particulam adhibuerit, non hîc.

Vt pudicitiæ, & honeſtatis tabernaculum, vt ita loquar mulier ſit, ſe in tabernaculo, quantum licet illi contineat, ſe ſuper ſe efferet mulier ſi non facilè ſe efferat foras, raro ſe det in publicum. *Erat ſimplex &* VERECVNDA, ait de Sara Liranus, *& ideo ſe non exponebat aſpectibus hominum.* Alioquin periculo exponit ſe, quæ ſe exponit.

Docuit exemplo ſuo Sara, mulieris eſſe non facilè ſe in virorum conſpectum dare. Rem ſic nobilis auctor expendebat: In Geneſi dicitur, quòd cum Angeli ab Abraham fuerunt excepti cum iam ad menſam aſſiderent, dixerunt. Vbi eſt Sara vxor tua? ideſt domina huius domus, vbi eſt? in quo oſtenditur mulierem ne coram hoſpitibus quidem debere comparere. Et licet nimis de illa quæſierunt, NVNQVAM TAMEN SANCTA SARA PRODIIT, ſed vt

ibidem apparet promittentibus illis, Saram concepturam esse, hoc audito, Sara risit post ostium tabernaculi. Quod si cum tanta ætate iam esset prouecta, coram hospitibus noluit apparere quid faceret cum iuuenis esset? vt sanctimoniam,& collectionem fœminarum temporum illorum agnoscamus.

Reuertens veniam ad te tempore isto.

626 T*Empore isto*. Absoluto scilicet aoni integri circulo; sed cur noo magis spatium cootrahit, vt citius hos coniuges beet? *Nota*, inquit Sanctus Thomas, *quod annum integrum ab apparitione vsque ad partum Isac ponit, tum propter alias causas: tum etiam ne statim quasi in* DEI ADVENTV CARNALIS CONCEPTIO VIDEATVR FACTA FVISSE, *sed potius ferè post tres menses*.

Erant autem ambo senes.

E*Rant autem ambo senes*. Hic primùm senectutis fit mentio; quod expendens Philo aiebat: *Primum omnium Abraham vocant sacræ literæ, seniorem quamuis maiores eius triplo & amplius longæuiores fuerint, quorum neminem legimus hac fuisse appellatione dignatum; merito sane nam reuera* SENECTVS *non ex longæuitate, sed ex multo* VIRTVTIS STVDIO *spectatur*.

Erant autem ambo senes. Obseruatum etiam ab alijs est, primom mortalium senem io sacris litteris appellatum Abraham licet si annos spectemus, multi aute illum illo fuerint seuiores, sed vt ex Philoue notabat Pererius, *appellauit senem Abraham, non propter multitudinem annorum, ætatisque grauitatem, sed propter canitiem virtutis ac sapientiæ. Diu sane vixit, qui diu multumque versatus in virtutum, ac sapientiæ studio cultuque multos longæuiores transgressus est*.

Quæ risit occultè dicens: Postquam consenui, & Dominus meus vetulus est voluptati operam dabo?

E*T dominus meus vetulus est*. Scilicet reuerentiæ potius nomina, quam blanditiarum ex coniugum ore audiri debeot. Discaot vxores, inquit doctus ille auctor, vti erga viros suos, appellatione HONORIS POTIVS, QVAM AMORIS. Turpe videtur, aut certe nimis molle, non sponsos dixerim, quibus ab hac parte aliquid iodulgeodum sit, sed interdum grandæuos, aut etiam effœtos coniuges audire, qui se appelleot mollius, & quasi tener esset adhuc eorum amor. Præstat quid deceat, quàm quid liceat, pro conditione, & pro ætate, inter coniuges modestos, vsurpari. Præstat, Saræ filios, & filias, domini appellatioue vti, & honoris atque obseruanoïæ titulis se mutuo salutare.

627 *Voluptati operam dabo?* Castitatem hæc sapiunt verba vt non mirum si Abrahæ dictum: *Omnia quæcunque dixerit tibi Sara, audi vocem eius*. Tantum castitatis propositum Saram euexerat. Hinc illud Saocti Petri Damiani: *Quibus vtique verbis perspicuum est Saram castitatis iam tunc tenuisse propositum. Et post hæc dixit Deus Abraham, omnia quæ dixerit tibi Sara audi vocem eius, ecce cui prius Abraham imperauerat & Dominus dicebatur iam illi per* CASTITATIS MERITVM *obedire præcipitur, vt eius verbis iam in cunctis obediat*.

Dixit autem Dominus ad Abraham: Quare risit Sara? dicens: Num verè paritura sum anus.

Q*Are risit Sara*. Cur non seuerè eam increpat Aogelus? *Discimus*, inquit Lippomanus, *hinc mulierum fragilitates non durius vindicandas, sed tamen omnino non esse dissimulandas*, ARGVENDÆ *sunt sed non irritandæ*.

Saræ risus reprehenditur; cur non Abrahæ? quia ille ab incredulitate fuit, non iste; *ergo*, inquit Porrecta, IVDICIA HOMINVM *circa ea, quæ bono, vel malo animo fieri possunt coërcenda sunt*; cum obuium in eius rei reprensione errare, quam nescis an sit error.

628 *Quare risit Sara?* Cur risus Saræ reprehenditur, & nou Abrahæ? *Riserat*, inquit Caietanus, *Abraham in præcedente visione, audiendo idem nuncium; &* NON FVIT REPREHENSVS; *risit Sara, & est reprehensa. Ratio disparitatis est: quia ille risit sine culpa: ista autem culpabiliter risit. Vnde Dominus non dicit: Quare risit Sara? Sed dicit: Quare hoc risit Sara? hoc est, Quare hoc verbum meum in iocum deduxit, ridendo & conferendo ad suam senilem ætatem?*

Risit modestè Sara, & tamen reprehensa, quid illæ quæ in cachinoos totæ diffluunt? nam si effusè risisset eum Abraham risum animaduertisset. Sanctus Ambrosius Exhort. ad Virg. de risu Saræ loquens, ait: *Et tamen* ILLE RISVS *plenus grauitatis fuerat, & pudoris, quem nemo alius testis, nisi Deus solus cognosceret, quem occulta non fallunt*.

Quare risit Sara? Adeo Aogelum pudet inanem excitare risum, vt Saræ corripiat risum, *quare*, inquit, *risit Sara?* Qui lachrymas amat, risum compescit. Vt noo alienè ANGELORVM DELICIAS lachrymas dixerit Sanctus Bernardus.

Mirum cur de Saræ risu virum interrogat. Vgo Victorinus hîc: *Quare risit uxor tua? Virum increpat, quia eius est castigare vxorem suam*.

629 *Num verè paritura sum anus?* Mirum quod referens Angelus, quæ Sara dixerat, omiserit illud: *Et dominus meus vetulus est*. Omisit quod offeodere Abraham potuit, & coniugum concordiæ nonnihil officere. Cautio quæ in exemplum eat; in qua re illi peccant, qui vni coniugi referunt, quæ mutuam lædere concordiam possunt. Opportunè Abulensis: *Sciendum*, inquit, *quod Angelus non retulit hic verba Saræ, sicut ipsa dixerat, quia ipsa dixit: postquam consenui, & Dominus meus vetulus est: Angelus autem solum retulit, postquam consenui, dicendo; nunquid paritura sum anus? Sara enim posuerat impedimentum*

con-

conceptionis huius in se, & viro suo dicendo, quod ambo erant senes: Angelus autem solum dixit quomodo Sara se vocauerat senem, quasi sibi soli hoc impedimentum ascriberet, & dicit Rabbi Salomon, quod hoc fecit Angelus subticens veritatem, NA PONERET DISCORDIAM, si forte diceret, quod Sara vocauit senem Abraham.

Negauit Sara dicens: Non risi timore perterrita.

NOn risi. Mendax mulier est, & puniri merebatur; pepercit tamen ei Aogelus, oe Abrahæ lætitiam inficeret, & interturbaret. *Fortè non eam* PVNIVIT *Deus*, inquit Abulensis, *propter* ABRAHAM *seruum suum*. Tanti refert mulierem viro nubere, qoi pietati nupserit, ac sanctimooiæ.

Timore perterrita. Cur istuc adiecit Moyses? *Vt ostendat*, inquit Saoctus Thomas, *quod Sara non negauit hoc, quod Deus asseruerat tanquam scienter, & irreuerenter vellet Deo contradicere, aut quasi* ASSVETA MENTIRI.

Non est, inquit, ita, sed risisti.

CVr perstat io negatione illius, qood asseruetat Sara? *vt à repentino* MENDACIO, inquit Sanctus Thomas, *in posterum reddatur* CAVTIOR, *neque Sara diffidentia plenius expurgetur*.

630 Quærunt hîc aliqui cur Deus Saram pro sua dubitatione non puniuit, cum punierit Zachariam? *An quia*, inquit scitus ille auctor, *veniale videtur in* FOEMINA, *quod in* SACERDOTE *iram Dei ad vltionem accendit?* Addit nimirum culpæ pondus peccantis grauitas, & vbi maior auctoritas, maior in lapsu lapsius, grandius in crimioe crimeo.

Non est ita, sed risisti. Mirum cur duram increpationem non adiecerit. Beatus Diooysius: *Circa hoc*, inquit, *quæri potest, cur Deus Saram pro sua dubitatione, risu & diffidentia, non puniuit, quemadmodum Zachariam? Dicunt aliqui quòd fœminea leuitati pepercit, vel quia in dubitatione non extitit* PERTINAX, *sed correpta* POENITVIT, *confestimque credidit. Vel multum excusabilis erat, & magis quàm Zacharias, quia non sciuit eum, qui promittebat, esse Angelum Dei, neque distinctam habuit de eius persona notitiam.*

Sectio IV.

Punitionis viam nescire videtur *Deus*. 631.
Dei *iudicia* quam *timenda*.
In hac vita *tristia* miscenda *lætis*.
Abraham cur *puer* dictus; cum iam senex esset. 632.
Aliena *peccata* non facilè prodenda.
Patris est *filios* prius *instruere*, quàm alios.
In malo cæteris præire, qui præire *exemplo* bono debebant, quàm *Deo* displiceat. 633.
Clamare magna *peccata* dicuntur, quia Dei iram prouocant.
Principes & *iudices* etiam comperta explorent, nec ad ferendam sententiam præcipitent.
Cum de aliorum *peccatis* agitur non facile cuilibet rumori *credendum*. 634.
Aliena *peccata redarguituri* vt *descendere* debeamus.

Cum ergo surrexissent inde viri direxerunt oculos contra Sodomam, & Abraham simul gradiebatur deducens &c.

DEdocebat eos Abraham, tanquam viam nescirent cum de Sodoma puniendа ageretur. Festiuè ille: Acturus misericordias nemo illum duxit 631
ad domum, cui illas largiri putabat; at ad puniendum, Abraham, inquit, simul gradiebatur, deducens eos, in Hebræo habetur verbum הלך *halach*, quod sæpè significat aliquem ducere PER VIAM, QVAM NESCIT, quomodo dicitur Deus apud Isaiam, duxisse Israelitas per desertum. Non sitierunt in deserto cum educeret eos. Versus Sodomam deducebat eos Abraham, quasi ipse, qui oouit omnes vias filiorum Adam, nesciret viam, quæ ad Sodomam duceret, quam puniturus erat, vt oporteret ab alio duci.

Dixitque Dominus: Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum?

N*Vm celare potero?* Sed cui rei Abrahæ Deus retegit, quod in impiorum pœnam erat facturus? Sanctus Thomas, ait hoc factum: *Vt Abrahæ daretur occasio deprecandi pro Loth; vtque ostendatur quod Deus vult nos scire, & TIMERE IVDICIA SVA, & quod eorum notitia, & meditatio multum expedit nobis*. Addit tandem id factum, *vt ostendatur, quod in* HAC VITA CONSOLATIONIBVS TRISTIA SVNT MISCENDA, *& ideo post visionem consolatoriam, & promissoriam subditur reuelatio terribilis iudicij Dei*.

Num celare potero Abraham. Addunt aliqui; *puerum meum*, quem titulum sic expendebat Saoctus Ambrosius lib. 1. de Abrahain cap. 5. 632
Non celabo Abrahæ puero meo, quæ ego facio. Senilis vtique ætatis Abraham superius scriptura significauit, quia nonaginta & nouem processisset annos: quomodo nunc puerum dicit? sed cum immemorem senectutis exploratorem indefessum, cursu impigrum, standi patientissimum, deducendi studiosissimum expresserit, nonne conuenire nomen pueri videtur? officijs MERITO PVER DICITVR, *qui senile nesciebat fastidium, pueritiæ innocentiam & obsequium deferebat.*

Num

Num celare potero. Et quid impedire Deum poterat, ne illa, quæ erat gesturus Abrahæ manifestaret? An indicare hac formula voluit, non esse facile aliena peccata efferenda? Sanctus Thomas hic: *Huius*, inquit, *ratio est, quia Deus est valde difficilis ad publicandam* OCCVLTA CRIMINA NOSTRA, *vnde vix secretè soli Ioanni voluit subinnuere Iudam proditorem, quamuis nobis hoc expedire videretur ad sciendum, quod Christus est voluntariè passus tanquam præscius proditionis contra se fienda*.

Scio enim, quòd præcepturus sit filijs suis.

QVòd *præcepturus sit filijs suis, & domui sua*. Ordo isto non est mysterio viduus; indicatur enim, patris esse prius filios instruere, quam alios. Quod sic expendebat Abulensis: *Filius suis. Prius enim pater* TENETVR FILIOS SVOS DOCERE, QVAM ALIOS, *quia magis ei coniuncti sunt. Possunt autem patres si volunt bonos filios efficere, quia viuunt cum eis à principio sua ætatis, & quia à principio nondum habet puer aliquid infixum in iudicio, vel voluntate, quod iudicet, vel sequatur, quod primo docuerint parentes; hoc tenebit, & illud manebit quasi tota vita sua, vt naturaliter infixum*.

Dixit itaq; Dominus: Clamor Sodomorum, & Gomorrha multiplicatus est.

633 QVærunt hic aliqui, cur clamoris Sodomorum, & Gomorrhæorum mentio fiat, & non illius, quem aliæ ciuitates pari infectæ crimine pariter emiserunt. Pepinus ita nodum soluit, aiens id factum, *quia ista dua erant maiores dignitate, populi multitudine, & scelere; nam* EARVM EXEMPLO *alia tres corrupta fuerant*. Tann est in malo cæteris præire, qui præire debebant in bono.

Clamant magna peccata. Sed quid clamant? Dei iram prouocant? Pulchrè, inquit Saluianus, clamorem dixit in se habere peccata. Grandis absque dubio peccantium clamor est, qui à terra ascendit ad cœlum. Quare autem peccata hominum, quasi elamate testatur? scilicet quia exdi autes suas Deus dicit clamoribus peccatorum, NE DIFFERATVR POENA PECCANTIVM. Et vero clamor, & grandis clamor est, quando pietas Dei peccatorum clamoribus vincitur, vt peccantes punire cogatur. Ostendit ergo Dominus quam inuitus puniat, etiam grauissimos peccatores dicens, quod clamor sodomorum ad se ascenderit, hoc est dicere: Misericordia quidem mea mihi suadet vt parcam, sed tamen PECCATORVM CLAMOR COGIT VT PVNIAM.

Hoc Dei exemplo monentur principes, vt suam timeant potestatem, timeant suum iudicces iudicium, & ad exemplum diuinum etiam comperta explorent, & diligentissimè excutiant. *Pie*, inquit Ioannes Eusebius, *Euaristus Papa rescripsit: Deus omnipotens, vt nos à præcipitata sententia prolatione compesceret, cum omnia nuda, & aperta sint oculis eius; mala tamen Sodoma noluit audita iudicare, prius quam manifesta cognoscere. Descendam, inquit, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me compleuerint. An non est ita, vt sciam? Cuius exemplo monemur*, NE AD FERENDAM SENTENTIAM VNQVAM PRAECIPITES SIMVS, *aut temerè, aut indiligenter indiscussa quaque quomodo iudicemus*.

Descendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me opere compleuerint, an non est ita vt sciam.

DEscendam & videbo; quibus verbis docemur, cum de aliorum lapsibus agitur non facilè cuilibet rumori fidem adhibendam, imo nec aures dandas. Aptè rem tetigit Sanctus Petrus Damianus lib. 1. epist. 4. vbi ait: *Si Creatoris nostri facta vigilanter attendimus, ad credenda cuiuslibet mala fidem adhibere facile non debemus. Ipse enim, cuius oculis nuda, & aperta sunt omnia, non dedignatus est dicere: Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis; descendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est, ita vt sciam. Quod profectò ad nil aliud dictum videtur, nisi vt humana doceatur ignorantia* SINE EXPERIMENTIS AVDITA NON CREDERE, *incognita non leuiter adiudicare, nec ante sententiam promere, quàm rem dubiam testimonijs approbarit*. 634

Descendit vt videat, qui videbat antequam descenderet; totum hunc locum ita versat, & explicat Sanctus Hilarius lib. 9. de Trinitate: *Loquitur ad Abraham Deus dicens: Clamor Sodoma & Gomorrha impletus est, & peccata eorum magna valde. Descendam ergo & videbo si secundùm clamorem eorum consummantur: quod si non, vt sciam. Habemus ergo nescientem Deum, quod tamen non nesciat. Nam cum peccata magna valde sciat esse, & rursum descendit vt videat an consummata sint, & si nondum consummata sunt, vt sciat: intelligimus eum non ea tunc scire, quia prius nesciat, sed tunc scire, quia tempus ad agendum sit. Nescire ergo Deum, non est ignorantia demutatio, sed temporis plenitudo. Expectatur enim adhuc vt sciat. Et cum non possimus id de eo intelligere, quod nesciat, cum tamen adhuc expectet vt sciat: necesse est, vt id quod sciens nescit, & nesciens scit, vt nihil aliud quàm, vel loquendi dispensatio sit, vel gerendi*.

Descendam, & videbo. Idem præstare debet, qui aliorum peccata est redarguiturus. Demittat se, & oculis facinus prius deprehendat, quàm damnet. Peritè Sanctus Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. 5. *Descendam vt videam, hoc est*, ETIAM TV DESCENDERE *cura, descende indaginis studio, ne quid sit quod fallat, aut lateat absentem, vt oculis facinus deprehendas. Eminus positi multa nescire possunt*.

Stetio

Sectio V.

Abraham cur pro Loth *orasse* non legatur. *635.*

Suos ad *culmina promouere* quam periculosum.

Religiosi vrbium munimen.

Euangelici *Sacerdotis* potestas expenditur. *636.*

Iustorum virtutem pluribus innotescere multi refert.

Bona *opera* iam producta ad noua nos excitare debent.

Suam quisq; *vilitatem Dei* respectu consideret. *637.*

Quò quis Deo *familiarior* eò se *humilius* demittit.

Humilitas ab animo magno & excelso; *superbia* à vili & abiecto.

Pulueris, & *cineris* vires vel in Deum. *638.*

Deuotionis ignis omnia vt in *cinerem* redigat.

Charitatis ignis in cinerem omnia vertit.

Cinerem se & *puluerem* cur Abraham dixerit. *639.*

Quo *familiarius* quis cum *Deo* agit, eo profundius se demittit.

Quanti referat eum quo quis *loquatur* & & consuetudinem habeat & *familiaritatem*.

Sancti viri eo magis se *demittunt*, quo altiùs euehuntur. *640.*

Qui Dei donis cumulatur *intumescere* non debet, sed *humiliter* de se sentire.

Religiosi viri vrbium columina. *641.*

Vel vnus *iustus* cæteris non iustis apud Deum præponderat.

Nunquid perdes iustum, cum impio.

635 SEd cur non legitur Abraham preces pro Loth fudisse? An, vt ait Pererius hic, ille quidem supplicauit pro eo, sed id narrare prætermisit Moses? Non enim putauit, visum iri magnum, & memorabile, quod Abraham supplicasset Deo pro Lot, homine scilicet magna secum necessitudine coniuncto, sibique propter longinquæ peregrinationis societatem, diuturnumq; contubernium & conuictum carissimo. At vero pertinuit maxime ad commendationem pietatis & caritatis Abrahæ, & ad eruditionem atque imitationem posterorum, proditum memoriæ ac literis relinquere, quam ille Deo instanter & perseueranter, pro extranea & tam scelerata gente supplicasset. Quid si nullum verbum fecit Abraham pro Lot, quod certus esset vel ex aliqua Dei promissione, vel propter integritatem atque innocentiam Lot bene sibi notam & perspectam, eum liberatum & conseruatum iri à Deo? Illud certe constat ex historia sequentis capitis Abrahæ potissimum gratia & merito, liberatum esse Lot. Cornelius ita nodum soluit: *An vt rem claram, id Moyses prætermisit? An quod iustum norat, liberandum confidebat?*

Quod hic de Abrahamo dicitur ad eos flectas, qui suorum nimia cura tanguntur, alijs neglectis, & suos ad culmina student promouere. Pulchrè Guilielmus Peraldus: *Exemplum non rogandi pro beneficio nepotibus obtinendo, habemus Genes. 18. vbi Abraham rogauit Dominum ne Sodomam destrueret: non enim voluit eum rogare specialiter de nepote suo Loth, vt eum ab incendio liberaret. Et dicebat cantor Parisiensis bonæ memoriæ* QVOD NON ROGASSET PRO BENEFICIO *nepoti suo impetrando, qui noluit rogare Dominum, vt nepotem suum* AB INCENDIO *liberaret.*

Si fuerint quinquaginta iusti in Ciuitate peribunt simul, & non parces loco illi propter quinquaginta iustos.

MIrum cur à quinquagenario numero inceperit Abraham, & in decimum desierit. *Fecit istuc*, inquit Pepinus, *quia quinquagenarius numerus in Sacra Scriptura numerus est remissionis, ita vt habeat quandam congruitatem ad remittendum offensas. Vnde refert Dominus Patriarcha de Palude, quod cum semel præsens historia referretur coram B. Ludouico Francorum Rege, subintulit quod parum deberet timere Ciuitas Parisiensis, vbi vix erat aliqua porta in qua non essent plusquam decem iusti, id est,* RELIGIOSI MVLTI, tanquam religiosi vrbium munimen essent.

Dixitque Dominus ad eum: Si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in medio Ciuitatis dimittam omni loco propter eos.

PRo peccatoribus deprecatur Abraham, pe- 636
titque, vt illis peccata dimittantur, respondit Deus: *Dimittam.* Quam aliter nouæ legis Sacerdotibus loquitur Deus. Scitè rem expendit B. Thomas à Villanoua: *Nunquid orante Abraham pro peccato Sodomorum, & Moyse pro reatu vituli deprecante, quispiam illorum audiuit à Domino. Relaxa tu peccatum, dimitte delictum? Sed quid admiramur, si* SACERDOTI EVANGELICO *conceditur, quod Patriarchæ sanctissimo concessum non est? Decuit enim Deum hominem factum, inter homines conuersatum, in terris visum, talia hominibus præstare, talia fratribus suis xenia relinquere.* Tantum qui tantum potest, potestati vitæ sanctimonia studeat respondere.

In medio Ciuitatis. Quid interetat in medio Ciuitatis iustos illos esse, an in angulo? Multum, nam iustus qui omnium oculis est expositus alios ad sui imitationem prouocat, alios inuitat ad paria. Plurimum, inquit ille, ponde-

randa sunt verba illa, in medio Ciuitatis, quasi non tantum iustos eos esse vellet, verum etiam, vt tales cognosci, & haberi, & PVBLICOS EOS IVSTOS ESSE; hoc enim significat in medio Ciuitatis. Sed quemadmodum publica virtus diuinæ est Maiestati gratissima, ita etiam publica peccata maximè odit ob damnum quod inde consequi solet.

Respondensque Abraham ait: Quia semel cœpi loquar ad Dominum meum, cum sim puluis, & cinis.

637 QVia semel cœpi. Quod hic circa sermonem ait Abraham, circa opera occinere sibi quisque debet, ex eo enim quod Deo seruire incœpit, debet sistere, sed in melius progredi, vt peracta opera stimuli quidam ad noua sint.

Cum sim puluis, & cinis. Aliqui legunt: *Cum sim terra, & cinis*; quam lectionem sic expendit Sanctus Cyrillus Ierosolymitanus Catech. VI. *Magnus*, inquit, *erat Abraham & honorandus, sed magnus respectu hominum: cum autem ad Deum respexit, tunc, inquit, ingenuè confitens, ego sum terra & cinis; non dixit, terra, & tacuit, ne seipsum magnum elementum terram appellare videretur: sed addit cinerem se esse, vt* VILITATEM, *fragilitatem, & imbecillitatem suam ostenderet. Estne autem quidquam cinere leuius, aut exilius?* Magni refert, vt se quisq; cum Deo conferat, quò vilitatis suæ magnitudinem plenius expendat.

Puluerem tunc se vocat, cum familiariter Deum alloquitur, & Deum loquentem audit, nimirum quò quis Deo familiarior, eò se demittit magis, & familiaritas cum Deo adeo contemptum non parit, vt maiorem pariat reuerentiam. Qui cum hominibus agit, & assiduè versatur, eos facilè contemnit, & se maiorem putat, quia ex notitia defectuum, & macularum, quas in illis videmus, illi apud nos decrescunt, nos intumescimus; contra accidit si quis familiariter cum Deo agat, incipit enim sibi magis vilescere, & Dei perfectionem magis admirari.

Ab excelso animo humilitatem esse, superbiam ab angusto & vili, ex Abrahæ exemplo colligebat Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 188. dum ait: *Equidem ipse* HVMILITATEM AB ANIMO MAGNO ET EXCELSO SVPERBIAM AVTEM, A VILI ET ABIECTO, *proficisci existimo. Atque hoc confirmant, Deo charus Abraham & Pharisæus. Etenim ille diuino colloquio fruens, terram se se ac cinerem appellabat: hic autem etiam nemine commotus efferebatur, animumq; arrogantem gerebat ac seipsum vniuerso orbi anteferre conabatur.* Errant ergò mortalium plerique vt superbè intumeant, sibique magni videantur, hoc ipso sunt viliores, quò se magis efferunt.

638 *Cum sim puluis, & cinis.* Cur non potius suam innocentiam, aut suorum producit in medium? An quia cineris, & pulueris virtutem magnam esse apud Deum nouerat? Vt cohortatione sua, inquit peritus ille auctor, Deum Sanctus Patriarcha ad misericordiam incitaret, vt Sodomitis parceret, non profert animi sui innocentiam, nec Abrahamidi generis decus, quod omni nationi, quæ sub cœlo est, benedictionem patrocinari consueuit; hæc, & alia amplitudinis ornamenta dereliquit, terram, & cinerem allegat, quas gratia, & auctoritate apud Deum valere existimabat; vt legatricis officio fungerentur, & apud Dei tribunal, Pentapolis caussam agerent, & sulphureos ignes, Angelica dextra iaculandos, PVLVIS, ET CINIS non occultarent, sed sopirent.

Quò familiarius quis cum Deo loquitur, eò de se humilius sentit. Rem sic conficit Vgo hic dum ait: *Nusquam legitur Abraham* PVLVEREM, *&* CINEREM *se professum nisi cum meruit Dei locutionem habere.* Vbi deuotionis ignis accenditur, omnia in cinerem redigit, etiam quæ magna & sublimia antea putabantur.

Cinerem se dixit Abraham, ingentes in eo charitatis flammas fuisse conijce. Benè Beatus Laurentius Iustinianus: *Ignis in* PVLVEREM *redigit; illud idem facit* CHARITAS: *loquar ad dominum, ait, Abraham cum sim puluis & cinis.* Scilicet vbi se quis cinerem non vocat, non agnoscit, ab hac charitatis, & amoris flamma alienum se esse fatetur.

Cum sim puluis, & cinis. Cur pulueris, & cineris nomine vtitur, hominis vilitati significandæ, cum vnum ex illis satis esse videretur? 639
An vtrumque posuit, vt primo principium hominis designaret, secundo finem? Benè Mariana: *Cum sim puluis, & cinis. Principium designatur hominis, & finis in quem desinit. In quo videtur morem fuisse tunc corpora extinctorum cremandi.* Benè inciperet, melius finiret, si principij sui, & finis memor puluerem se cineremque homo cognosceret.

Cinerem se nunc vocat, pulueremque Abrahamus, quod cum antea fecerat, quia nimirum Dei colloquio frui diù meruit. Nunquam, inquit scitus ille auctor, ante Abrahamus se puluerem, & cinerem nominauit; nec quando Deo hospitium offerebat, dixit se puluerem; sed tantum aiebat: Ne transeas seruum tuum; sed afferam pauxillum aquæ, & lauentur pedes vestri. Officium offert, sed non memorat naturæ suæ indignitatem, vilitatem. Et cur hospitium offerens non meminit se esse puluerem, quod post tot, tantaque cum Deo acta memorat? Nondum tunc admissus fuerat ad tanta; nondum diuinum colloquium participarat: vbi autem eò peruenit, vt præ alijs Deo, eiusque bonis, & colloquijs frueretur, statim sese in infimo loco statuit. Nimirum quò familiarius quis cum Deo agit, eò profundius se demittit.

Puluerem se cineremque vocat nunc Abraham, quod non legimus antea præstitisse; & vnde hunc humilitatis tantæ spiritum hausit? an ab Angelis, quos receperat hospitio? Tanti nimirum refert, cum quo loquaris, cum quo familiaritatem habeas. Opportunè scitus ille auctor: Nunquam tale auditum fuit antea in ore

ore Abrahæ, nunc primum se puluerem & cinerem profitetur, sed & nunc dicitur habuisse longum CVM ANGELICIS VIRIS COLLOQVIVM, vbi Angeli eius intrant hospitium, cum eo fabulantur nihil aliud de se quam fauillas cineresque audet testari, proh conuersationem angelicam & dignam Dei ministris, ex qua nihil prius ediscunt proximi, quam propriam nosse vilitatem & infirmitatem. Qui Dei minister hanc virtutem habet, qua mundialibus hominibus permistus illis & cineres & fauillas nudas propriæ velleitatis objiciat. Denique cum angelicis se viris versatum probat, qui ab illis humilior abit.

640 Hæc sancti viri nota tunc maximè se demittere, cum euehitur. Aptè Beatus Alcuinus interrog. 180. in Genesim: *Quare*, inquit, *Abraham dixit, Puluis sum & cinis, cum tantas promissiones à Deo accepisset?* Et respondet: *Sublimitatem promissionum humilitatis temperauit subiectione. Aptè enim intelligitur in quo loco se posuerat, qui puluerem se ac cinerem, etiam tum cum Deo loqueretur, æstimabat. Si igitur se ita despicit, qui vsque* AD HONOREM DIVINÆ COLLOCVTIONIS ASCENDIT: *sollicita intentione pensandum est, qua pœna illi feriendi sunt, qui ad summa non proficiunt, & tamen de minimis extolluntur*. Eòdem spectabat Sanctus Gregorius lib. 18. Moral. cap. 27. vbi ait: *Sancti quanto magis diuinitatis interna conspiciunt, tanto magis se nihil esse cognoscunt.* *NVSQVAM QVIPPE LEGITVR, QVOD ABRAAM CINEREM ET PVLVEREM PROFESSVS est, nisi cum habere Dei meruit collocutionem, ait enim loquar ad Dominum meum, cum sim puluis, & cinis?* Dei scilicet familiaritas hominibus humilitatem affricat, homines plerumque superbiam.

Ab hac mente abeunt, qui statim intumescunt, & maiores se ipsis faciunt, vbi dono aliquo ditantur, aut aliquo præ alijs gaudent priuilegio, quos insania laborare asserit Sanctus Chrysostomus, dum ait: *Audi quid ille beatus patriarcha de se referat: Ego sum puluis, & cinis, Deum alloqui meruit, &* TAMEN NIHIL PROPTEREA EFFEREBATVR, *quinimò eapropter moderatiorem se exhibere oportere censebat, & humiliorem: at isti, qui ne cum vmbra quidem illius sunt conferendi, Angelis ipsis maiores se se faciunt & superiores: quam rem certè vltima insania argumentum esse nulli dubium est.* Sic ille hom. 2. de incomprehensibili Dei natura.

Et dixit: Non delebo propter decem.

641 Parcere solo scelere nobilibus ciuitatibus paratus erat Deus, si vel decem iusti in eis fuissent. Tantum multis malis bonorum paucitas prodest. *Nunc*, inquit Pepinus hic, *possumus hoc referre ad bonos, &* DEVOTOS RELIGIOSOS, qui vrbium, & regnorum columina sunt.

Non solum propter quinquaginta Deus pepercisset, sed vel propter decem, imo & propter vnum. Si Abraham, inquit pius ille auctor, vnum Loth repræsentaret, propter hunc toti populo parceret Deus, qui terram vniuersam videtur PARVI FACERE pro vno iusto.



CAP. XIX. GENESIS
Expenditur, & illustratur.
Sectio Prima.

Vnus *iustus* integræ ciuitati præponderat. 642.
Quàm tardus ad *pœnas Deus* veniat.
Loth hospitalitas commendata.
Dei exemplo ægrè de *peccatis vindictam* sumunt *Angeli*. 643.
Non facilè ijs *credendum*, qui aliorum *peccata* in medium afferunt.
Iustorum *orationes* quanti *Angeli* faciant.
In *foribus* ciuitatis quod *Loth* ageret. 644.
Loth vt referre debeat, qui aliorum excipiunt *confessiones*.
Iustus inter malos tanquam *medicus* inter malè affectos.
Hospites promptè excipiendi. 645.
Apud *impios* sola abitio tuta.
Loth charitas in excipiendis *hospitibus* expenditur.
Iudices vel iustorum obsequia vitent, nè lædatur *iustitia*, vel eius lux obscuretur. 646.
Aliorum *peccata* non facilè traducenda.
Loth meritum vt augere *Angeli* studuerint.
In nostris *definitionibus* nè simus *pertinaces*. 647.
Hospites etiam vilibus sint contenti *ferculis*.
Plus *voluntas* apud Deum, quàm *cœna* perpenditur.

Veneruntque duo Angeli Sodomam vespere.

Venerunt duo Angeli. Aliqui censent vnum horum Angelorum venisse in Loth auxilium, alium in excidium Ciuitatis. Liranus: *Venerunt duo Angeli, vnus*, inquit, *ad subuertendum* PATRIAM, *alius ad liberandum* LOTH, *& eius familiam*: Ac si vnus iustus integræ Ciuitati præponderet. 642

Vespere. Tempus ipsum indicat, quàm tardus veniant ad pœnas, & supplicia Dei ministri. Opportunè Honcala: *Venerunt autem Sodomam,*

domum, sed vespere; vastaturi enim vrbem, tardi, & veluti inuiti incedebant: nectebant itaque inter eundem moras, præstolantes, si forte Dominus pijs Patriarchæ precibus exoratus de excidenda vrbe sententiam mutaret. Nam quemadmodum Deus ipse peccatores, quamuis deploratos, & prorsus impœnitentes, magna cum attentione, ac VELVTI INVITVS PVNIT, *sic & Angeli, iustique viri* HOMINIBVS POENAS INFERRE MORANTVR, *quam diu est aliqua spes emendandi, seruandique eos, quos plectere parant, & excidere.*

Vespere. Quid referebat referre tempus, quo Angeli Sodomam venerunt? An vt Loth hospitalitas commendaretur? *Quare tempus*, inquit Sanctus Chrysostomus, *significauit?* VT OSTENDERETVR MAGNA LOTH HOSPITALITAS: *sicut enim Patriarcha sedens tempore meridiei obseruabat prætereuntes, ac magno gaudio viatores excipiebat; ita & iustus ille quoniam sciebat peruersitatem eorum, qui in Sodomis habitabant, neque vesperi discedebat, sed manebat, vt nec vbi thesaurus aliquis ipsis elaberetur.*

643 Angeli Sodomam cur vespere se contulerunt? Cur non mane, inquit scitus ille auctor, oriente sole? Cur non meridie accelerans impluere sulphureos ignes, & igneas grandines super Sodomam? An vt in noctis tenebris, vindices ignes plus lucerent? an vt horrentem squalorem vitiorum horror, & obscura nox innueret? Enimverò occumbentis solis vmbras, & tristem noctis imaginem ad supplicium eligunt, vt tristem hominum ærumnam, & Angelorum MÆSTITIAM IN VINDICANDIS SCELERIBVS portenderent.

Duo mittuntur Angeli, & non vnus impijs puniendis satis erat? Scilicet, inquit nobilis auctor, innuit Deus NON FACILE CREDENDVM EIS, QVI ALIORVM CRIMINA IN MEDIVM AFFERVNT, nisi testibus fide dignis, & omni exceptione maioribus res probaretur: ideò non vnum, sed duos Angelos mittit: vt in ore duorum vel trium stet omne verbum. Et quidem Deus, cui omnia sunt aperta, qui nullius indiget testimonio, pro nostra doctrina id facit.

Vespere. Cur tamdiù distulerunt? Sub noctem ad vrbem accedunt, quæ tam densa immanium scelerum nocte laborabat. *Tantum tardauerunt*, inquit Liranus hîc, *vt viderent si Dominus parceret terræ* PROPTER PRECES ABRAHÆ, *quia erant Angeli boni*. Tanti vel Angeli iustorum orationes æstimant.

Et sedente Loth in foribus Ciuitatis.

SEdente Loth in foribus Ciuitatis. Mirum quod vsque ad vesperam in porta Ciuitatis Loth manserit, fecit istuc quod notarum quoque ab alijs est, non solum, vt aduenientes hospitio reciperet, sed etiam vt ab improborum hominum laqueis viatores auocaret, cum sciret Sodomitas nulli parcere consueuisse.

In foribus Ciuitatis. Sed quid rei ibi Loth
644 agebat? An vt primus exciperet peregrinos, ne qua vis illis fieret, *aut*, sic loquitur Delrius, *in commercijs circumscriberentur, nam propè fuit forum rerum venalium, iudicia etiam illic exercebantur*. Addit: *Fortè etiam illic populo* CONCIONABATVR, *& ad Deum laudandum eos hortabatur*.

Inter impuros purus viuebat Loth, & cum omni parte impudicitiæ sordes videret, ipse ab omni parte puritatis spirabat odorem. Referre Loth vt debeat, qui fidelium excipiunt confessiones, sic pius quidam auctor explicabat: Debet confessarius similis esse iusto Loth, de quo S. Petrus Apostolus dixit: quod habitans in Sodomis, vbi tot carnales sordes videbat, & audiebat, ipse tamen ASPECTV, AT AVDITV IVSTVS ERAT; adeòque procul aberat à voluptate aliqua ex ijs suscipienda, vt ingenti potius afflictione, & cruciatu ob easdem afficeretur. Qui enim rebus huiusmodi audiendis delectatur, in periculo versatur contrahendi aliquas maculas.

Mirum cur degere inter impios Loth Deus voluerit? An istuc fecit, vt continentiæ exemplo ab impudicitia illos auocaret? *Vniuersi Dominus*, inquit Sanctus Chrysostomus, *prudens miram illorum malitiam dispensauit, vt iustus, eo loci domicilium haberet, vt sicut* MEDICVS MORBOS *eorum emendaret*. Conclamata ægrotorum salus, cum medici præsentia iacentium culpa morbum auget.

Qui cum vidisset eos surrexit, & iuit obuiam eis.

QVàm sedulus, quàm accuratus vt Loth in excipiendis hospitibus, quos modestia, & sanctitas, quæ in illorum vultu elucebat, commendabat. Sanctus Thomas hic: *Ex hoc*, inquit, *patet quam feruidus &* PROMPTVS, *& quam assuetus erat ad* HOSPITALITATEM, *& præcipuè quando hospites apparebant esse sancti, & huiusmodi obsequijs indigentes*. 645

Obsecro Domini; declinate in domum pueri vestri &c. & mane proficiscemini.

MAne proficiscemini. Itane tàm citò à se hospites dimittit, cur non per plures dies apud se esse cogit, vt hospitalitatis terminos porrigens, pleniorem se virtutis huius cultorem ostenderet? An ad vnius noctis spatium hospitalitatem coarctat, vt à nolentibus recipi hoc saltem impetraret? An consulere hospitibus voluit, quos intutos putabat apud tam iniquos ciues? *Mane surgetis*, inquit Lippomanus, *ad abitionem, non quod taederet hospitium, sed quod nollet eos videri, &* PERICLITARI *propter conciues*. Apud impios sola abitio videtur tuta.

Qui dixerunt: Minime, sed in platea manebimus.

NEgant se remansuros apud eũ, & tamen remanserunt. Consultò id fecerunt, vt scilicet

licet dignior eis recipiendis, precum instantia, redderetur. Sanctus Thomas: *Qui*, inquit, *dixerunt minimè. Supple, nisi nos amplius compellas. Non enim erat dignus eos accipere, & habere, nisi tanta esset eius* CHARITAS, *quod compelleret eos. Et hanc eius charitatem voluerit per operis euidentiam comprobari*.

Minimè, sed in platea manebimus. Mirum
646 cur negent se mansuros apud Loth, qui ab Abraham inuitati, statim acquieuerunt. Vnde hoc discrimen? Aduerte, inquit bonus ille auctor, hos Angelos Sodomam tanquam iudices aduenisse, non autem cum Abrahæ apparuerunt, non est igitur mirum si in platea manere volebant, & etiam Lothi hospitium renuunt, vt exemplo suo indicent, iudicis esse, rectèq; iudicaturi vel iustorum obsequia vitare, ne lædatur iustitia, aut muneris, obsequijque respectu illius lux velut quadam nube obnubiletur.

Compulit illos oppido, vt diuerterent ad eum.

COmpulit illos. Vt ad suam domum hos quos putabat viros vrgeret Loth, poterat illis sodomitarum peccata manifestare, quibus intuta illis omnia alia loca essent, sed noluit, repulsam pati malens, quàm malorum malitiam detegere; non ciues accusat suos, nec illorum traducit facinora, ob hoc ipsum angelorum hospitio dignus, quod silentio potuit premere illorum, inter quos viuebat, scelera.

Compulit illos oppido. Cur sinunt se compelli; cur non statim illius tectum subiere? An vt Loth meritum augeretur? *Porrò Angeli*, inquit Honcala hîc, *huius boni viri hospitium conuiuiumque non illico admiserunt, admissuri tandem; sed obnixè precanti consensum præbere distulerunt: vt ex* LONGIORI PRECATIONE IPSI INVITANTI MERITVM, LAVSQVE CRESCERET. *Sicut & Christus Angelorum Dominus simile quiddam egit cum ad Emauntem iter faciens accessit; duobus enim discipulis comitatus, ignotusq; finxit se longius ire, quo discipulis eum inuitaturis, ac tandem compulsuris, vt cum ipsis maneret, ex assidua precatione, vehementique compulsione hospitalitiæ virtus etiam, atq; etiam in eis cresceret, & extaret: amplioris que mercedis apud Deum meritum fieret*.

Ingressisq; domum illius fecit conuiuium, & coxit azyma.

647 PRæstant Angeli, quod se negauerant præstituros; quod litteris traditum, vt discamus nostrum esse, nostro non nubere proposito; nec definitionibus nostris nimium adhærere. Opportunè Ioannes Cassianus collat. 17. cap. 25. *Quæ vtique*, inquit, *non ob aliam credimus causam Spiritum Sanctum sacris voluminibus indidisse, nisi vt istis erudiamur exemplis*, IN DEFINITIONIBVS NOSTRIS NON PERTINACITER PERMANERE, *sed eas arbitrio nostro debere subijcere; & ita iudicium nostrum ab omni legis vinculo liberum conseruare, vt promptum sit ad sequendum quocunque vocauerit salubre consilium, nec differat aut recuset ad id quod vtilius discretio salutaris inueneri absque vlla cunctatione transire*.

Ab Angelis hospitio à Loth receptis discere quilibet potest, qualis esse debeat cum hospitio recipitur; vt scilicet sit omnibus contentus etiam vilibus; nec enim audis protulisse quàm prolixius ab Abraham fuerint excepti, quod his verbis expendebat Lippomanus: *Illi comedebant, quæ apud hospites erant, & quæ apponebantur, non* IACTABANT LAVTIORES CIBOS *Abrahæ, non plura petebant, non confundebant hospitem, alacritatem, & sinceritatem hospitij grati amplectebantur*.

Et coxit azyma. Nihil in Dei obsequio exiguum, quod magno affectu, amore magno fit. *Ecce liberalitatem in re tenui*, inquit hîc Ferus, *plus enim* VOLVNTAS, *quàm ipsa* COENA PERPENDITVR. Quod ad alia etiam transferamus, apud Deum quippè rebus pondus adijcit prompta voluntas.

Sectio II.

Viri Ciuitatis vallauerunt domum à puero, vsque ad senem, omnis populus simul.

A *Puero vsq; ad senem*. Vt re ipsa probaretur in illa Ciuitate nec decem fuisse, qui essent iusti. Hinc Caietanus; *Et scripsit*, inquit, *hac Moses ad manifestandum, quod ipse Aduentus Angelorum publicus ad domum Lot, fuit inquisitia facta Sodomis promissa Abrahæ, an Sodomis essent decem viri iusti; concursus enim iste non hyperbolicè describitur*. 648

scribitur, sed ad manifestandum inquisitionem diuinam. Lege antescriptum colloquium inter Deum; & Abrahamum; & inuenies de masculino tantum genere fuisse sermonem, dum à quinquaginta, VSQVE AD DECEM IVSTOS *descensum est:* Scilicet re ipsa probare Deus voluit decem iustos ab impia Ciuitate defuisse.

Vocauerunt Loth, & dixerunt ei: Vbi sunt, &c.

EX his, quæ in Angelos præstitere impij, apparet Deum coactum, sacrilegos punire. Ideo, inquit Salianus, cum Angelos Sodomam Deus mitteret, hoc nobis probare voluit, quod etiam multos puniret inuitus. Scilicet, vt eum legeremus quæ à Sodomitis Angeli pertulissent, & VIDEREMVS SCELERVM IMMANITATEM, criminum turpidinem, libidinum obscænitatem: probaret vtriq; nobis Deus, quod ipse eos noluerit perdere, sed ipsi extorserint vt perirent.

Nolite quæso fratres mei.

AVocare ab impio scelere alios fidenter potest, qui à malis abstinuerat. Singularis virtutis fuit in Loth inter voluptates terrenas potuisse puritati litare. *Magna virtus,* inquit Ioannes Eusebius, *fuit Loth inter tot delicias iustum esse, meruit quidem seruari ab incendio cæli, qui à* DELICIIS TERRÆ SE FVERAT TVTATVS.

At illi dixerunt: Recede illuc, &c.

649 ADeo impij recta monentem non audiunt, vt insuper reprehendant, vt non mirum si statim Deus ignem in illos immiserit. Patienter, inquit nobilis ille auctor, tulerat Dominus Sodomorum immania flagitia, donec monitorem suum Lot contempserunt: at postquam MONENTEM SE NON AVDIERVNT, imo verò & durioribus verbis dicentem exceperunt, percussi sunt cæcitate, ac tandem conflagrarunt, quo ostendit Deus, quàm grauiter delinquant illi, qui se monentes repellunt, & obiecta in se crimina in obijcientes retundunt.

Et eos qui foris erant percusserunt cæcitate.

HIs sodomitis, qui parietem domus vident, non domus ianuam, inuidos pariat Sanctus Isidorus; sic ex eius mente Ioannes Eusebius: *Pulchrè Isidorus dixit: Sicut ostium quærebant Sodomitæ, quo domum Loth nocituri introirent; illi verò caecatæ percussi, parietes videbant, ostium videre non poterant; non aliter* INVIDI *videndo velut parietem virtutes dissimulant; vitia verò perquirunt, vt aditum mala fama inueniant.*

Et visus est eis quasi ludens loqui.

REs tam seriò agebatur, & ludicrum omne isti putant; tantùm mali consuetudo in malis potest; *visus est eis quasi ludens loqui;* quibus? *Quos*, inquit Glosa interlinearis, *praua* CONSVETVDINIS *amor ligauerat*. Iis qui in vitio callum obduxere, seria quælibet monitio videtur ludus. *Putarunt*, inquit Honeala, *generi Loth, eum secum iocari, non serio loqui; non quod ille prætexerit* ALIQVAM LVDI SPECIEM, *qui cum ipsis seriò valde agebat, vt ipsius monitis à præsentanea clade eriperentur. At quia praua consuetudinis vitio illi difficilis, velut voluptate ebrij stupebant, salubrem monitionem nullatenus acceperunt, sed rem ludicram esse putauerunt: ac perinde minas spreuerunt.*

Cumq; esset mane cogebant eum Angeli, dicentes: surge, tolle vxorem tuam, & duas filias, quas habes.

CVmq; esset mane. Sed quid nocte tota Loth præstitit. *Tota nocte*, inquit B. Dionysius, 650
creditur ORASSE PRO CIVITATE, *tamq; nouerat, quòd Angeli essent.* Idem Liranus habet: *Tota nocte*, inquit, *fuerat* DEPRECATVS IN ORATIONE *pro populi liberatione*. Verè dignus qui liberaretur, cum pro aliorum liberatione fuerit tam solicitus. Quidni tanta solicitudine illius salutem angeli quæsierint, qui tàm solicitè quærebat alienam?

Duas filias quas habes. Et non satis erat dicere, *duas filias*, absq; eo, quod adijceret *quas habes?* An non otiosè hoc additum, quia filias pletiq; habere non videntur, qui earum curam negligunt?

Ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis.

IN *scelere ciuitatis*. Oleaster vertit: *In punitione ciuitatis*, & hebraicum verbum tàm de pœna iniquitatis dicitur, quàm de iniquitate ipsa; vt varia notione sub vno verbo latente, colligeremus, quàm culpæ colligata pœna sit.

Dissimulante illo apprehenderunt manum eius.

INter malos viuere, quàm sit periculosum indicat Loth, qui inter nequissimos Sodomæ ciues, tàm grande periculum adijt, vt inde, boni auctoris verba sunt, vix Angeli EXTRAHERE potuerint. Quid si malorum vitia eum malis ebibisset? 651

Qui tam sedulus, deuotusq; eos exceperat, nunc eorum verba contemnit; & vnde hoc natum? à consuetudinis vi, & à malorum exemplo aut à suorum generum derisione. *Mirum*, inquit hic S.Thomas, *quod cum prius ita credidisset eis, quod modo ita tardabat, & negligebat exire*. Addit vt nodum soluat. *Cuius duplex*

duplex ratio reddi potest. Prima est, quia actualis recessus à consuetis, addit nouam & grandem difficultatem & ideo inchoando huiusmodi recessum de facili homo tentatur & angustiatur. Secunda est quia fortè ex DERISIONE GENERVM SVORVM ALIQVANTVLVM OBSCVRATA ET TVRBATA FVERAT FIDES EIVS. Tantum ad malum malorum exemplum potest, idq; in virum adeo constantem, & verè virum; vt quid timere imbecilliores debeant, infirmioresq; hinc discant.

Eò quòd parceret Dominus illi.

E*O quòd parceret Dominus illi*. Quod Abrahæ quoq; meritis factum aliqui putant, tanti est amicitiam cum Dei amicis inijsse. Honcala: *Faciebat*, inquit, *& ad Loth ereptionem non* PARVM *ABRAHÆ* APVD *DEVM* GRATIA, *nam qui nepotem de communi patria secum adduxerat, eo pereunte miserrime doluisset. Quippe qui adeò eum diligebat, vt cum regibus potentissimis, eisdemquè victoria exultantibus intrepide congressus fuerit, quò charissimum sibi nepotem de manibus hostium eriperet, totamquè prædam excuteret.*

Sectio III.

Noli respicere post tergum.

652 SEd cur præcepit Deus, ne post tergum respicerent, cum flammarum visu ad misericordiam eorum, qui peribant, possent commoueri, & ex illo adspectu colligere quam timenda esset Dei ira, & à peccatorum pœna discere non peccare? Vtile est quod hinc elicit probæ notæ auctor, salubri cautione viros religiosos armans; hæc illius sunt verba. Notandum, inquit, est præcepisse ei Deum, Nolite respicere post tergum non fuisse, ne supplicium, & iudicia diuina, quæ in illis peccatoribus exercebat, conspicerent, nec etiam ne illorum, qui ita illa patiebantur tametsi iustè commisereretur, sed quia cum ibi rem suam, reliquisset, & omnis comburenda erat, ne eam deseruisse doleret, quoniam si quidem à Deo ducta discedebat, nihil erat quod rei iacturæ mæstitia afficeretur. Qui enim ab illo igne eum eripuerat, in suis inopijs ei opem ferret. O quam singularis admonitio omnibus Christianis & præcipue religiosis, quos Deus ab igne Sodomæ eduxit. Time monache qui mundum, & quæ in eo sunt, quæ contempsisti respicis, ne forte in salis statuam conuertaris, quia religiosi esse non habebis, sed specimen duntaxat, & formam, VT STATVA, quæ nihil, præter quàm apparet, habet.

Angelus è sodomis Loth cum filijs educit, Moses populum ex ægipto. Cur Angeli ministerium ibi adhibitum, hic hominis? an vt hinc colligas quam ægrè à carnis sordibus quis abducatur, vt huic muneri opus cœlesti Spiritu sit, aut homine, qui moribus, & vita Angelum referat. Præclarè Sanctus Ioannes Climacus gradu 1. *Qui*, inquit, *Aegyptum sunt egressi, Mosen; qui ex sodomis Angelum habuere ductorem. Et quidem alij anima vitia adhibita medicorum cura sanantibus similes sunt: cuiusmodi sunt qui ex ægypto proficiscuntur; Alij verò corporis sordes abstergere cupiunt; hic cœlite, aut certè homine qui cœlitibus, vt sic loquar, par sit, indigent adiutore. Nam pro* RATIONE VVLNERVM *fœda peccatorum sanie scatentium, vulnerario & medico indigemus*. Cum agitur de hominibus à carnis fœditatibus auocandis, submouendis, non homo dux est, sed Angelus, tanquam huic muneri impar, qui iisdem potest implicari.

Quod hîc Lotho ab Angelo dicitur eleganter aptat peccatori B. Thomas à Villanoua: *Egredienti*, inquit, *à Sodomis Loth tria præcepit Angelus. Primò nè steteris in omni circa regione: Secundo noli respicere post tergum: Tertiò saluum te fac in monte. Hæc omnia cuilibet peccatori necessaria sunt: vt non solum vitiorum Sodomam,* SED ET EIVS SVBVRBANA, *& omnem regionem proximam egrediatur, neque ad præterita peccata quæ dimisit redeat, & ad virtutum, & perfectionis culmen, quantum valeat citato gressu conscendat*. Istuc idem Beatus auctor vrget elegantissimè conc. in fer. 6. Dominicæ 4. Quadrag. vbi ait: *Angeli qui in Sodomorum subuersionem destinati sunt à Deo, Loth dissimulantem extra ciuitatem & suburbium extrahentes comminati sunt, ne in omni circa regione permaneret, sed in monte saluum se faceret, typice per hoc designantes, vt quisquis* DIVINAM VLTIONEM EVADERE PROCVRAT, *exeat à peccato, exeat à peccati suburbio, idest proposito: exeat à peccati regione, idest* PECCANDI OCCASIONE.

653 *Noli respicere post tergum*. Quod Lotho iniungitur, iniungitur & ijs omnibus, qui cum ipso. Sed quare hoc præcipitur, cum terrò respicere, & Vrbes spectare, quæ comburebantur, nullum in se peccatum claudat? Sanctus Thomas multus in huius dubij solutione est, & inter alia hæc habet; *Dicendum primò, hoc factum in probationem obedientiæ, vt sic per hoc plenius suam liberationem mererentur. Secundò in detestationem sceleratæ gentis & terræ, vt docerent talia flagitia in tantum esse detestanda & fugienda, quòd etiam vsque ad primum conspectum visus vel memoria non venirent. Tertiò in reuerentiam diuini iudicij, vt sic docerent quod Dei iudicia* NON SVNT CVRIOSE PERSCRVTANDA, *sed potius metuenda*.

Noli respicere retro. Sed cur tam seuerè Deus vetuit, ne Loth retro respiceret? An vt disceremus diuina iudicia licet humanæ æstimatione atrocia nimisq; rigida videantur, non esse curiosius rimanda, ac irreuerenter scrutanda, vt Pererius notabat, qui addit hoc quoq; ob hanc causam factum: *Ad probandam & exercendam obedientiam Loth id ei preceptum est: obedientia enim in ijs quæ parua & leuia videntur, exploratius probatur. Sic probare voluit Deus obedientiam Adæ, prohibens vnius arboris fructum edere. Similiter probare voluit Deus obedientiam eius prophetæ, quem misit ad increpandum Ieroboam, mandans ei: Non comedes panem, & non bibes aquam ibi; nec reuerteris per viam, qua iuisti. Nimirum non magna* LAVS OBEDIENTIÆ *est; nec satis efficax probatio eius, in maximis & grauissimis Dei mandatis exequendis, impigrum & strenuum esse*.

Præterea Loth Deus inhibuit ne retro respiceret, vt inquit Pepinus, *ne fortè nimio* TERRORE PERCVSSVS *subito moreretur*. Addit: *Vel vt innueret Dominus, quod non debebant esse nimium curiosi in aspiciendo rem tam insolitam*, & IN DISCVTIENDO *diuinum iudicium*.

Dixitq; Loth ad eos: Quæso Domine mi.

QVæso Domine mi. Cum duo fuerint Angeli, cur non loquitur Loth numerosè? *Quia in Angelis*, inquit Pepinus, DOMINVM, *cuius nuntij erant, honorabat*. Sic vniuersè in Dei ministris Deus agnoscendus, & reuerendus.

Est Ciuitas hæc iuxta, ad quam possumus fugere.

654 HInc colligas, ægrè fieri posse, vt quis in humanis auxilijs magis, quàm sit par, non fidat. Quamuis elegisset, inquit bonus ille auctor, sibi Loth Segor, vt ibi tutior esset, & promisisset ei angelus, tuto ibi manere posse, timuit tamen, & plus in montis altitudine, quàm in angeli promissis confidit, vt videatis QVAM DIFFICILE SIT PLVS IN DEI PROMISSIS, QVAM IN HVMANIS AVXILIIS CONFIDERE. Non igitur existimare debemus hanc virtutem nostris viribus acquiri posse, sed à Deo maximo cum affectu petendam esse.

Nunquid non modica est, & viuet anima mea.

NVnquid non modica est? Cur modicam Ciuitatem vocat? Honcala hic: *Paruitatem*, inquit, *allegat oppidi, vt inde petita concedere angelis persuadeat, vel quod in parua ciuitate pauciores essent peccatores, quàm in alijs vrbibus maioribus: vel quòd minora multo erant ciuium huius vrbis peccata, quàm aliorum: vel quòd horum crimina nondum ad summum peruenerant*.

In solitudine non vult saluari Loth, sed in Ciuitate, ne solus saluaretur, sed cum multis. Peritè Claudius Marius in eius laudem cecinit:

Concessumq; sibi donum speciale salutis,
PLVRIBVS IMPERTIT, *meritumq; de munere fecit*.

Hæc virorum magnorum consignatio, vt suæ alienam quoq; iungere salutem studeant, sicq; merita sua efferunt, quod ipsis datum, pluribus curant communicari.

Dixitq; ad eum: Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas.

SVscepi preces tuas. Ex hebræo legas: *suscepi faciem tuam*, idest respectum tui habui. Magna precum cohærentia, & orantis, cum illa ab istius qualitate vires desumat; oratio Deum placat, si ille qui orat placeat.

Hæc Vrbs vna ex quinq; infamibus erat, ei tamen parcit Deus in gratiam Loth ad illam confugientis, & deprecantis pro illa; licet eo recedente statim subuersa fuerit, vt notabat Liranus: *Post eius*, inquit, *recessum subuersa est, sicut propter eum fuerat* SALVATA *ad tempus*. Quam magnum vrbis præsidium iustus vnus, vt eo præsente Vrbs stet, eo abeunte ruat. 655

Festina, & saluare ibi, quia non potero facere, quicquam donec ingrediaris illuc: Idcirco vocatum est nomen Vrbis illius Segor.

HInc colligas quam vtilis vrbibus iustorum virorum præsentia sit, quantique sint ponderis sanctorum pro non sanctis preces. Scitè ille: Ciuitas Segor à Sodomæ incendio propter orationem Loth liberata est, quod is, eam sibi ad perfugium elegerit. Ecce enim ait Angelus, in hoc suscepi preces tuas. Hoc exemplo quis non videt, quantum ORATIONES ET PRÆSENTIA IVSTORVM Ciuitatibus conferat?

Et non poterat diuina potentia & virtus Loth inter flammas illæsum seruare? *Quamuis ipsum*, inquit Sanctus Thomas, *non ingressum in Segor posset ab incendio saluare, vult tamen in hoc seruare* cem-

communem cursum, & ideo non vult quod in hora incendij sit in locis subuertendis. Vlricibus flammis absumpturus Deus sodomam cur Loth educi foras iubet, cùm posset eum vel inter flammas seruare, sicut & tres pueros in fornacis medio illæsos seruauit? An vt posset liberè Vrbem euertere, à quâ iustus abesset, tanquam ægrè cadere Vrbs posset, quam velut columna vir iustus sustentaret, vnde & Angeli dixere: *Non potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc*.

Festina, & saluare ibi. Et cur tanta indicitur festinatio? Abulensis: *Ne si* TARDE MOVERETVR *cogitatio ei insurgeret de respiciendo retro, festinatio enim motus cogitationes excludit*. Nimirum festinatio, celeritasque tentationibus auertendis vtilis.

Sectio IV.

Igitur Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem.

656 IGnis è Cœlo pluit, naturæ inuertitur ordo, ignis qui sursum volat, è Cœlo descendit. Nimirum pœna contra naturam *puniri ostendatur culpa*, vt Pepinus ait, *contra naturam*; sic pœna peccato responderet.

Quî *pluendi* verbum cum igne cohæret; cum ignis rapidus omnia deuastet, pluuia leniter cadat? Sed enim, inquit probæ notæ auctor, cum egregium hoc Dei iudicis ingenium sit, vt non rapidè, ac citato cursu, sed LENTE, AC CVNCTANTER POENAS IRROGET, mirificè subsistit locutio, atque ideo Ignem pluere, non verò iaculari Dominus dicitur, quod ignis vim, atque impetum retardet, atque cohibeat, ne supplicium rapidum, & præceps vt ignis, sed vt pluuia, & sicut stillicidia distillantia super terram descendat.

Pluendi vtitur verbo, vt in hac punitione ad beneficium illud mentem flecteremus, quo vt habetur Psal. 77. *pluit illis manna ad manducandum*. Ille idem ignem puniturus pluit, qui beneficus manna pluit. *Ipse* PLVIT *manna placidus*, inquit Sanctus Gaudentius, *qui flammam* PLVERAT *indignatus*. Diceres & dona, & pœnas, in terram Deum depluere, vt fructus etiam à pœnis velut à pluuia in nostræ mentis agro oriantur, & crescant.

Vix eductus est Loth à Sodomis, cum ignis è cœlo cecidit omnes absumpturus; vnius nimirum iusti oratio, & præsentia suspendere hanc pœnam potuit. 657 *Post iusti*, inquit Sanctus Ephræm, *ab his abscessum omnipotens manus suas posuit super eos, de cœlo pluit ignem, & sulphur, & perdidit omnes, Quemadmodum ciuitas munita subuersis muris facile capitur, eundem in modum & hi* PRÆSIDIO ORATIONVM IVSTI HVIVS DESTITVTI *pariter omnes deleti sunt*.

De Cœlo ignis, de Cœlo sulphur. Cur non aliunde? B. Alcuinus in Genesim interrogat. 186. ita nodum proponit, ac nodum soluit: *Quæritur, quare* DE CALO *vindicta data est super habitatores impios ciuitatum illarum? Resp. Quia clamor peccantium in cœlum ascendisse dicitur; idcirco de cœlo puniendi erant*.

Sed cur è Cœlo gehennales demittuntur flammæ, & non potius è gehenna euocantur peccatoribus absumendis? Quando, inquit probæ notæ auctor, eò impudentiæ deuenit malitia, vt velut lege lata prauitas inualescat; quasi peccet qui rectè facit, & qui peccat, rectè facere videatur; tunc, tunc quidem, ac si parùm foret voraces flammas EX INFERNO (quæ est seuerioris iustitiæ officina) ad vindictam adsciscere; E COELO, quod est misericordiæ conceptaculum, & perenne beneficentiæ promptuarium, aduocatur gehennalis flamma, ad oppidò grauiorem impudentioris malitiæ vltionem.

Sodomiticum solum sterile, & infœcundum reddit, sed fructum vberem in nostris mentibus ferre potest, si seriò cogitetur. Scitè Sanctus Chrysostomus lib. contra Gentes: *Sodomorum tellus, vt parua magnis conferamus, hac ratione vna cum ipsis incolis incendio absumpta, sterilis facta est, vt non solùm qui id temporis superstites essent, sed & posteri item omnes locorum vastitate admoniti, continentiores viuerent, si enim ad homines solos supplicium peruasisset, futurum erat, vt factum id postea ab alijs minime crederetur: propterea locus ipse plagam accepit, qui tempore prorogari potest*, QVIQVE ET SVBSEQVENTIA OMNIA SECVLA *admonet, lege cautum esse, vt qui similia commiserint peccata; ij similes pœnas luant*. Sicque vtilis esse peccatorum pœna debet etiam cum peccatores absumpti sunt.

Cur igne potius Deus vtitur, vt fædas puniret Ciuitates, quàm aqua? An ne homines crederent 658

derent Deum à promissis desilijsse, & iterum velle diluuio mortales obruere? Volens, inquit ille, punire Sodomorum piacula non aquam, sed ignem Deus misit. Scilicet ne cùm homines viderent arere ingentem vim imbrium ciuitates illas deleturam, putarent, Deum fidem fregisse, & eum infecti fœderis insimulassent. Maluitque ignem contra suam naturam in morem aquæ decidere, quàm à quoquam FOEDVS FRAGVM HABERI. O Deum suum in Deo sui erudit homines imitarentur, & seruarent, quod sunt polliciti.

Sulphur & ignem. Igne Deus vtitur, vt impios absumat; vt hic quoque suam misericordiam ostendat; *diuina vltio*, inquit prius ille auctor, *breuissimè, & velocissimè facta est, ne diu torquerentur, & lento cruciarentur supplicio, quibus mora seruire* AD EMENDATIONEM *in malo firmatis non poterat*.

Sulphur. Cohæret cum crimine pœna, sulphuris fœtor luxuriæ fœtorem significat. Sanctus Gregorius lib. 14. Moral. cap. 10. ita rem versat: *Per sulphur fœtor carnis accipitur, ipsa sacri eloquia historia testatur, quæ contra Sodomam ignem & sulphur pluisse Dominum narrat; qui cum carnis eius scelera punire decreuisset, in ipsa qualitate vltionis notauit maculam criminis. Sulphur quippè* FOETOREM *habet, ignis ardorem; qui itaque ad peruersa desideria ex carnis fœtore arsêrant, dignum fuit vt simul igne & sulphure perirent: quatenus ex iusta pœna discerent, ex iniusto desiderio quid fecissent*. Huc facit & illud B. Alcuini interrog. 187. in Genesim, vbi cum dixisset: *Cur sulphureo igne puniebantur?* Respondit: *Vt putidissimus libidinis ardor* PVTIDISSIMO *flammarum ardore puniretur*.

659 Prius diluuij aquis orbem abluit, & abstersit, postea acrius medicamen adhibuit ignem. *Vt autem*, inquit Sanctus Chrysostomus homil. de Abram, & Sodomitis, *vlcus luxuriæ mansit immedicabile pharmaco longanimitatis*, CANDENTI FERRO, *quasi putredo eguit, & omnem ignem statim, & flammam suscepit*. Scilicet post blanda actia Deus adhibet tanquam peccatorum medicus.

Cur nunc quoque paria similiaque peccata pari, similique supplicio non puniuntur? An quia nunc Maria adest, quæ tunc non aderat? Benè Richardus à Sancto Laurentio: MARIA IN TANTVM EMOLLIVIT DOMINVM, *& adhuc emollit meritis, & precibus suis, vt nunc maiora peccata patienter toleret, qui quondam minora durissimè vindicauit. Constat enim, quod multo grauiùs peccant moderni Sodomitæ vel luxuriosi, quam peccarunt antiqui, qui atrociter sunt puniti: nec dum enim nata erat* BEATA VIRGO, *nec dum Verbum caro factum est*.

Sodomorum pœnas dum legis, Sodomorum terram dum conspicis, ab illorum vitijs reuocaris. Pulchrè Sanctus Chrysostomus hom. 19. ad Populum: *Hoc in Sodomis factum est; postquam enim exarserunt in sui concupiscentiam mutuam, etiam terra natura ab igne superiori delato, succensa fuit volebat enim huius peccati vltionem manere perpetuam. Et nota Dei Clementiam: nos ipsos peccatores perpetuò vsque in præsentem diem ardere fecit, sed illos semel incensos occultauit: terra verò faciem succensam in medium omnibus proposuit, post hac cernere volentibus, & nunc* OMNI LINGVA CLARIVS, *omnes posteras generationes terra commonet aspectus, tantum non clamans & dicens, ne patretis Sodomorum scelera, ne pœnas patiamini Sodomorum*.

Sodomitas Deus puniuit, sed in illa punitione Dei misericordia latet, quod ita Saluianus colligit, dum ait: *Cum ad supplicium malorum gehennam in futurum arsuram esse manifestum sit, Sodomam & vicinas eius vrbes cœlesti flamma consumpsit. In præsenti aut illud, quod futurum est, Deus voluit declarare iudicium: quando super impium populum gehennam emisit è cœlo. Sicut etiam Apostolus dicit, quod Deus Ciuitates Sodomam, & Gomorrham euersione damnarit exemplum ponens impiè acturis, quamuis id ipsum, quod tibi altum est, plus habuerit misericordiæ quam seueritatis. quod enim pœnam eorum tamdiu distulit* MISERICORDIÆ FVIT: *iustitia quod aliquando puniuit*. 660

Sulphur, & ignem de cœlo Deus emisit; pares pœnas, qui timet paria crimina vitet: Huc facit cautio illa Sancti Ioannis Chrysostomi hom. de militia Christiana: *Metue delicias Sodomitarum, ne sodomitica patiaris incendia: fuge fornicationem, discede ab omni luxuria, respue gulam, abdica ebrietatem, & omnem ignium Sodomiticorum fomitem in temetipso iusto extingue*.

Et subuertit ciuitates has, & omnem circa regionem.

ET *omnem circa regionem*. Nimirum malorum societas maximè noxia est. *Omnem circa regionem*, inquit Vgo Carensis, *quasi* MALA VICINITATE INFECTAM *puniuit*. Quò se peccatum extenderat extendere debebat & pœna.

Sectio V.

Durius *punitur* in *peccatum* recidens. 661.

Impiorum stultitia cæterorum cautio.

Vxoris Loth *filiæ* cur matris *exempla* imitatæ non fuerint.

Fœminæ illiciuntur vetando. 662.

Periculum ad grandia *mala* homines sæ trahit.

Inordinata *curiositas* quàm noxia.

Vxor Loth in *statuam salis* versa q doceat.

Casus malorum bonorum cautio. 66

Proximi macula non facilè mente c sandæ.

Rerum *terrenarum affectu* corripi ne debet.

Vxo

Vxor Loth cur virum in ſuum *exemplum* non traxit. 664.

Peccandi conſuetudo quam magnas vires habeat.

Vxor de viri probitate ſibi non blandiatur ſi peccet.

Vxor Loth cur in *ſtatuam ſalis* verſa. 665.

Peccatum quaſi Sodoma fugiendum.

Mali vt bonos *condiant*.

Muliebris leuitatis poſt incæptam *religioſam* vitam retrò redire. 666.

Iuſti viri *contubernium* quàm ſalubre.

Quàm ægrè *dediſcatur*, quod altè menti inhæſerit.

Cur ſtatim *vxor Loth* perempta non *Eua*. 667.

Malorum punitio cæterorum *condimentum*.

Peccati occaſio ad *memoriam* minimè reuocanda.

Aliorum *caſus* & *ruina* cum *lacrymis* ſpectanda. 668.

Perſtricti *religioſi* qui habitum religioſum habent, carent ſpiritu.

A bonæ vitæ propoſito excidere quàm noxium.

In *lapidem* conuerſa *vxor* Loth, quòd homines lapidoſos reſpexit. 669.

Fæminæ ſapiunt eum pereunt, & condiunt cum ſepulchro conduntur.

Exemplum vxoris Loth fugiendum, ex *mundi* Ægypto exeundum.

Reſpicienſque vxor eius poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis.

661 Mirum quæ in Sodomis tuta degebat, egreſſa eòdem mente remeans, & oculos retro flectens eſt punita, vt in peccatú relabentes ruinæ ſuæ exemplum hic haberent. Cur quæſo, inquit peritus ille auctor, repetendo potius, quam habitando Sodomam, punitur, niſi vt hoc ſupplicio demonſtraretur, DVRIVS RECIDANTEM IN PECCATVM, quam primo cadentem puniendum.

Non ſine myſterio ſtulta mulier in ſtatuam ſalis eſt verſa, vt hinc colligeres impiorum ſtultitiam, ac fatuitatem ad cæterorum cautionem facere, eoſque ſapientiæ quodam ſale condire. Rem flectit Sanctus Thomas ad eos, qui in religioſas familias, vbi nomen dederint, ſecularem mentem circumferunt: *Factum eſt*, inquit, *hoc in ſignum, quòd exeuntes de ſeculo, & aſſumentes regularem vitam, & tandem corde quæ retrò ſunt, reſpicientes, ſunt hypocritalis* STATVA, *quæ ſibi quidem eſt mortua, aliis verò dat* SAPOREM *& ſenſum viuendi bene.*

Reſpicienſq. vxor eius poſt ſe. Cenſent aliqui ex Ioſephi mente non ſemel, ſed ſæpè contra Angeli iuſſa, hanc mulierem retro reſpexiſſe, tandemque cum iam ingreſſus eſſet Loth Segor, foris ipſam remanſiſſe, reſpexiſſe poſt tergum, & in ſtatuam ſalis conuerſam. Quod ſi verum, mirum cur Dei legem temerantem non corripuerit Loth, niſi dicamus leuitate fœminea coniugis monita contempſiſſe. Inter mira hic pono, quod matrem retro reſpicientem non fuerint filiæ imitatæ, & retro quoque ipſe reſpexerint, cum matris mores exprimere filiæ ſoleant. Patrem potius ſecutæ filiæ fuere, quàm matrem, quæ tam prauum relinquens ſuis exemplum nouerca fuit. Fors POENA DELINQVENTIS STATIM INFLICTA à pari culpa filias deterruit.

Retrò reſpexit Vxor Loth, ac Dei Inhibitio, quædam inuitatio extitiſſet. *Fœminæ*, inquit 662
hic feſtiuus ille auctor, *illiciuntur* VETANDO, *augente* VOLVPTATEM *periculo*. Ac ſi maius periculum augeret voluptatem; idem ſæpè in mundi cultoribus videmus, quos periculum ad grandia mala trahit.

Retro vxor Loth reſpexit *inordinata*, vt loquitur Beatus Dionyſius Carthuſianus, CVRIOSITATE acta, cupiens ſcilicet videre, quid infamibus ciuitatibus accidiſſet. Scilicet qui curioſius aliena ſpectat condire alios poteſt, ſoli ſibi inutilis eſt.

Vxor Loth in ſtatuam ſalis verſa, quid tacitè nos doceat, pulchrè docet Nicetas in orat. S. Greg. Nazianz. in ſanctum Baptiſma, vbi hæc habet: *Vxor porrò Lothi, cum oculos retro flexiſſet ſalis columna effecta eſt, columna quidem ad traducendam & condemnandam eorum* IGNAVIAM, *qui à recta viuendi ratione in vitium relabuntur; ſalis autem ad oſtendendam huiuſce mali* AMARVLENTIAM.

In ſtatuam ſalis verſa eſt Lothi vxor, nimi- 663
rum vt ab ea homines diſcerent quid cauerent; *Sicut ſal*, inquit Stephanus Cantuarienſis, *cibos condit, ita* CASVS MALORVM CAVTIO EST BONORVM.

Retro nulli reſpiciendum, *nec funereas*, vt ille ait, *proximi res* PROSPECTANDÆ, *nec eorum cineres, macula mente tractanda*. Quod illorum ingenium eſt, qui ſi quidnam maculæ in proximis viderint acutiſſimè reſpicient, cum alioquin ad virtutum exempla, quæ illi exhibent, planè cæcutiant.

Retro reſpexit vxor Loth fœminea vſa leuitate; amor rerum, quas reliquerat hoc à muliere extorſit: ita Abulenſis: *Dolens*, inquit, DESIDERIO RERVM, *quas in Ciuitate reliquerat retro conuerſa eſt*. Tanti refert rerum terrenarum affectu corripi.

Vxor Loth retro reſpexit; mirum vxoris ſuæ 664
exemplum non eſſe ſecutum virum. An hoc fuiſſet, ſi fuiſſet in ſtatuam ſalis verſa? euertere virum non potuit, nec ad paria ipſum allicere.

Dum reſpicit mulier poſt ſe, extra ſe eſt facta. Vt verè peccantes ex conſuetudine Lothi vxor referat, ſic probæ notæ auctor notabat:

Vxor

Vxor Loth symbolum est eorum, qui ex consuetudine peccant: quæ dicitur respexisse retrò; quia, etiamsi per vim eiusmodi homines extrahas à malo, qualiter per vim extracta fuit à Sodomis vxor Lot, qua possunt parte corporis ad ingenium redire gliscunt: quòd si gressu non possunt repedare, saltem vultu respiciunt, & quocumque corporis membro, quod illis liberum reliquum sit, redire conantur. Hæc autem CONSVETVDO in lapidem vertit peccatorem: quia per illam homines lapidescunt, neque monitorem patiuntur. Et optimè statua salis dicitur: quia, qui sibi adiumento esse noluerunt, saltem alijs suo exemplo salem respergant, ne diffluant.

Vxor Loth retro respiciens rectè indicat, quàm magna consuetudinis sit vis, quod tetigit Sanctus Nilus his verbis: *Nihil prodest mundo renuntiasse, nisi in proposito perseueres, sed sinas te retrahi & terga vertas rationi; ac semper ad ea, quæ reliquisti te conuertens tuum erga illum studium declares, vt vxor Loth, quæ respiciens retro stetit exemplum inobedientibus, conuersa, vt nunc est, in statuam salis.* CONSVETVDO *enim cuius illa speciem gerit, eos qui volunt omnino accedere, ad se retrahit.*

Punitur Loth, nec viri bonitas à pœna peccantem exemit. Rem sic expendit Sanctus Hieronymus in Ezechielem lib. 4. cap. 15. dum ait: *E contrario parentum vitia filijs non nocebunt: sed anima quæ peccauerit ipsa morietur. Lot in Sodomis habitans, sed & spiritu & carne peregrinus,* VXOREM QVIA POST TERGVM RESPEXERAT, NON LIBERAVIT: *sed tantum filias quæ forsitan non peccauerant.* Nimirum vxor de viri probitate sibi non blandiatur, si ipsa peccet.

665 Retro mulier respexit, & vt aliqui putant, non tàm corpore, quàm animo. Ex quo, inquit scitus ille auctor, coniectari possumus, quod à voluptate carnali omnino non fuit aliena. Vertitur igitur in Salem, quæ carnalis fuerat, & carnalem voluptatem adhuc appetebat: quia carnalis voluptas, & carnis desideria, NATVRAM SALIS imitantur, quæ sitim potius excitant, quàm satiant.

Cauendum quoque nobis, ne in statuam salis Sodomam fugientes conuertamur. Vtile est, quod offerebat Nicetas in S. Greg. Nazianzenus orat. 40. *Peccatum* QVASI SODOMAM FVGE, *ipsiusq́ pœnam velut incendium: ad virtutem ita contende, vt nequaquam ad vitium animam reflectas ne in salis lapidem concrescas, hoc est ne in cæcitatem ac stuporem prolabaris, mente videlicet ad ea, quæ conducibilia, & salutifera sunt obstupescente.*

Salis statuam illi vniuersè referunt, qui ita non proficiunt, vt alios condiant, & malo exemplo ad bonum vrgeant. Peritè Sanctus Augustinus in psal. 75. vbi ait: *Quid fecit vxor Lot? liberata est à Sodomis, & in viam posita, retrorsum respexit. Vbi respexit, ibi remansit; facta est autem statua salis, vt illius contemplatione condiantur homines, cor habeant non sint fatui, non retro respiciant: ne malum exemplum dantes, ipsi remaneant &* ALIOS CONDIANT; *nam & modo dicimus illud quibusdam fratribus nostris, quos forte viderimus velut infirmari in proposito bono: & talis vis esse, quales illi? obijcimus illis quosdam qui retro respexerunt: illi fatui sunt in se, sed alios condiunt, quando commemorantur: vt illorum exemplum timentes, isti retrò ne respiciant.*

Mali bonos condiunt, dum sana mente hi spectant, quod insani illi præstant. Clemens Alexandrinus lib. 2. stromatum: *Nam vxorem quoque Loth, quæ sua sponte solum erat conuersa ad mundanum vitium, reliquit insensibilem, efficiens eam vt petram salis, & statuens, ne vlterius progrederetur, non stultam & quæ nihil efficeret imaginem, sed* QVÆ CONDIRE *& confirmare posset eum, qui potest perspicere spiritaliter.* Et Beatus Alcuinus interrog. 188. in Genesim, cum quæsiuisset: *Cur vxor Loth in statuam salis versa est?* Respondet: *Ad condimentum fidelium, quia punitio impij eruditio est iusti.*

Vxor Loth respexit retro; nimirum muliebris est leuitatis post inceptam perfectionis viam, 666
post mundi fugam, retro respicere. Putant aliqui retro respexisse ex auaritiæ affectu. *Vxor Loth,* inquit Pepinus, *exiens de Sodomis, & respiciens retro scilicet ex auaritia, vt dicit quidam (ægre enim ferebat quod reliquerat bona sua in Sodomis) designat multas moniales, quæ ingrediendo* RELIGIONEM *reliquerunt mundum plenum omni spurcitia.*

Negligit Dei præceptum mulier, & retro se flectens Sodomam respexit; mirum quod discedere ab illa vrbe potuerit, cuius adspectu diù carere non potuit. *Propter iusti* CONTVBERNIVM, inquit Sanctus Augustinus, *eruta est de incendio;* vt marito liberationem ab igne deberet, suæ leuitati exitium.

Retro vxor Loth respexit; cur non sequuta est virum in diuini imperij expletione, quæ virum in via sequebatur? *Respexit retro,* inquit bonus ille auctor, *quia* ASSVETA FVERAT SODOMÆ VIDERE DELICIAS; vt hinc videas quàm ægrè quis illud dediscat, quod actuum frequentatione in habitum conuertit.

Iussum fuerat Euæ ne comederet ex ligno 667
vetito, iussum vxori Loth ne retro respiceret, vtraque mandatum violauit, cur igitur statim perijt vxor Loth, non statim perempta est Eua? Quia ab ista propagari genus humanum debebat, non ab illa. Addit nobilis ille auctor: Vtraque mandatum fregit; sed Eua adhuc viuit post mandatum fractum; vxor Loth statim interijt versa in statuam salis. Et quando Eua non statim perijt, cur necessum fuit, quod vxor Loth periret statim? In Sodomis nihil aliud erat, nisi Sodomorum clades, & miseriæ; quare meritò è viuis eradicatur illa, quæ ad Sodomam respiciens cladium, & miseriarum visu pascebatur.

Versa est in statuam salis. Cur in istam potius, quam in aliam? *Ad innuendum,* inquit Beatus Dionysius, *quòd sicut sal est condimentum ciborum, sic punitio mulieris illius sit* CONDIMENTVM FIDE-

FIDELIVM, *qua eius exemplo sic condiuntur sapere sapientia, quod non audent similia perpetrare*. Addit statim hebræos existimare hac pœna punitam, *quòd præcedente vespere noluit suo marito porrigere sal ad condimentum ciborum pro Angelis, quoniam instar conciuium suorum sodomitarum affectum ad peregrinos hospites non habebat*. Quod habet etiam Lira.

Statua salis vxor Loth euasit, quia ad ea respexit quæ iam forti virture reliquerat. Caue quisquis es vel ipsas PECCATI OCCASIONES ad memoriam reuocare, qui victas respicit non semel perit.

668 Vxor Loth in statuam salis est versa etiam, ob hanc causam, quod scilicet durior aliorum casum, ruinamque spectasset, & curiosè potius oculos ad eos, qui cremabantur flexisset, cum diuinæ iræ placandæ emittere lachrymas deberet. Festiuè ille: Loth coniux, quæ patriæ cladem durior vidit, quia salsis CARVIT LACHRYMIS, in sal abijt oculos suos ausa curiosè conuertere, oculos aliorum prodigio ad se conuertit.

In statuam versa est. Religiosi viri spiritu Religionis carentis imaginem hic habes: *Statua*, inquit Vgo, *habet speciem hominis sed non habet spiritum viuificantem, quia talis habet* HABITVM RELIGIOSI, *sed non habet animum, ad quem redit diabolus, cum septem nequioribus se*. Ad hanc regulam si plerosque excutiamus, qui nomen in religiosas dedere familias, deprehendemus, præter nomen vix aliquid vltra circumferre.

In statuam conuersa est Loth, vt intelligamus, inquit bonus ille author, quænam punitio eos sequatur, qui arrepto semel bonæ vitæ proposito respiciunt retro, & pœnitudine ducti resiliunt; sæpè enim accidit, vt in statuam durentur, hoc est vt fiant INSENSIBILES; & deserti à diuina gratia indurentur. Conclamata illorum est salus, qui post lapsum non cogitant, non sentiunt se cecidisse.

669 *Versa est in statuam salis*. Lapis effecta est mulier, quæ affectu, & mente lapidosos, durosq; homines respiciebat: *Hanc mulierem*, inquit Clemens Alexandrinus, *accepimus factam esse lapidem, propterea quod amaret Sodomam. Sodomitæ autem impij* DVRO ERANT CORDE. *Vt Sodomitæ duritiem lapidum habebant; sic qua eos respiciens amabat, conuersa est* IN LAPIDEM. Tam facilè peccatores refert, & imitatur, qui eos respicit, & illorum facta contemplatur.

In statuam salis conuersam fuisse vxorem Loth; quæ insulsa, cum viueret, esset, salsa mortua fit. *Sic salem fœmina*, inquit ille, SAPIVNT *cum* PERJVNT. Addo, tunc condiunt cū sepulchro conduntur. Iuuant nimirum potius mortuæ, quàm viuentes; sæpè dum viuunt ad mortem trahunt, mortuæ ad vitam vocant, & vitalia inhalant monita.

Ab vxoris Loth exemplo nos sic auocabat Sanctus Ioannes Climacus gradu 2. ait quippè: *Non vxorem Loth sed ipsam imitari studeamus. Anima quippè quæ illuc vnde exierat conuersa fuerit, vt sal infatuabitur, iamque* IMMOBILIS MANEBIT. *Fuge Aegyptum, atque ita* FVGE *vt nunquam illuc reuertaris*. Non verè fugit, qui cogitat de reditu.

Sectio VI.

Abraham autem consurgens mane, & intuitus est Sodomam.

AD Sodomam, & Gomorram flexit oculos Abraham; sed cur aliqua pœna non legitur punitus vt fuit vxor Loth? 670
Quia talis aspectus inhibitus vxori Loth fuerat non Abrahamo, & ideo legis violatæ rea fuit ipsa, non Sanctus Abraham Patriarcha. Aliter ex Paludano nodum Pepinus soluit dum ait. *Aliter intuitus est perditionem Sodomæ Abraham, & aliter vxor Loth. Nam Abraham eam intuitus est commendans, & laudans in corde suo diuinam iustitiam se vlciscentem de obstinatis peccatoribus. Item parte altera condemnans Sodomorum malitiam nefandissimam. Vnde de eo dici tunc poterat illud Psalm. Lætabitur iustus cum viderit vindictam. Vxor vero Loth intuita est perditionem Sodomæ post prohibitionem sibi factam. Insuper vt approbans Sodomorum nequitiam, & condemnans in corde suo diuinam iustitiam*. ET IDEO ILLA IVSTE PVNITA FVIT, NON AVTEM ABRAHAM.

Videns Abraham Sodomam, & Gomorram vicinasq; vrbes vindicibus flammis absumi statim nuntios misit, sic putat Paludanus apud Pepinum, qui viderent an liber ab illis incendijs esset Loth; Licet, credi etiam possit, diuinitus Abrahæ reuelatam Lothi liberationem, ne illius excidio nimis angeretur.

Recordatus Abrahæ liberauit Loth.

INter malos erat Loth, & liber ab illis euasit, nec illorum scelere est sordidatus; licuit

cauit iustitia inter iniustos, & malorum non sensit damna, etiam ob istud quòd malos iudicans non damnauit, Beati Ioannis Climaci verba huc sunt sistenda quæ gradu 4. ait. *Attendant studiosi virtutis, nedum alios ignauos iudicant, præ illis damnentur, & hinc, arbitror, Patriarcha Loth iustitiæ laudem obtinuit, quod in medio versatus,* NVNQVAM TAMEN AVDITVS SIT QVEMQVAM ILLORVM DAMNAVISSE. Scilicet damnare facilè malos nemo debet, ne damnetur ipse.

Prudentior, fortiorq; Adamo Loth; ille errantem vxorem sequutus est; non iste; nisi quod huius vxor in statuam salis est versa, vt verbis allicere ad infamarum Vrbium aspectum virum non potuerit. Eximiè Alcimus:

„ *Nec tamen hoc mirũ quod Loth non flectitur ipse,*
Nec sociam sequitur primo constantior Adam;
Quãquã id credo magis factũ quia VISA REFERRE
Iam nequit ELINGVIS, *quæ si comperta referret,*
Forsan & in similes ausus temeraria traxit.

Veni inebriemus eum vino.

671 DOcent exemplo suo Loth nullibi securitatem esse, & plerumque minus ibi nos esse securos, vbi plus nos futuros credi poterat. Præstitit ipse extra Sodomam positus, quod inter Sodomitas viuens minimè præstitit. Rem sic expendit nobilis quidam auctor: Exijt Loth Sodomis, vt pater in Genesi. Cum autem filias suas secum tulisset, ipsæ eum inebriarunt, maximasque abominationes admittere fecerunt. NEMO SECVRVM SE ESSE DVCAT, QVIA EST IN RELIGIONE dicens hic securus sum: extra Sodomæ, mundique immunditias sum. Nam quamuis quis Sodomis exierit, secum tamen passiones suas filias carnis suæ defert, quæ illum inebriabunt, atque peruertent, vt Deum offendat, nisi solicitus, & cum timore viuat. Nullibi securos nos esse, sed in omni loco locum impietati posse fieri, Loth vt ostendat exemplum, sic explicabat nobilis quidam auctor his verbis: NEMO AVT LOCORVM OPPORTVNITATI AVT PROFESSIONIS SVÆ DIGNITATI NIMIVM FIDAT. Sancta enim professio neminem sanctum efficit, sed obligat tamen ad sanctitatem. Loth in Ciuitate iustus, in monte deliquit.

Occasio, aut etiam causa lapsus in istis sororibus fuit, quod accepti beneficij fuere oblitæ obliuioni statim tradiderunt, se ab igne, quo tot hominum millia perempta fuere, fuisse liberatas: Filiæ Loth, inquit probæ notæ auctor, NON SVNT RECORDATÆ BENEFICII MAGNI, quod à Deo receperant, cum à Sodomæ incendio illas eripuit. Nec attenderunt quomodo Deus coram eis tam terribili igne nefandum carnis peccatum pridie vltus fuisset nec infælicem, & repentinam matris suæ mortem vidisse. Non inquam satis illis hæc fuerunt, quæ lapides frangere sufficiebant, in quo minus enormitatem illam perpetrarent, cum patre suo peccantes.

Dederunt itaq; patri suo bibere vinum.

LOthi exemplum clamat, quam magna vini sit vis; & ibi timenda maiora pericula, vbi nihil subesse discriminis videtur. „ *Loth, quem Sodoma non vicerat, vina vicerunt,* inquit Petrus Blesensis epist. 7. *& qui inter* SODOMITAS *fortis steterat, ne illorum consuetudine ad malum alliceretur, extra illos est lapsus.* 672

Dormiuitq; cum patre.

D*Ormiuitq; cum patre.* Id à vicinis populis. Noe filiam didicisse aliqui putant, *licitum id arbitrata est mulier*, inquit ille, *quod ab arabibus vicinis* FIERI QVOTIDIE INTELLIGEBAT. Tam facilè malos mores vicini vicinis affricant, & homines facile imitantur, quod ab alijs vident fieri.

Hebræos filiabus Loth aliqui comparant, illæ patre fuere abusæ, hi matre, lege scilicet. Hinc illud Ebrardi Rethuniensis: Vos, inquit, estis TANQVAM FILIÆ LOTH, quia sicut illæ malè abusæ sunt patre suo, ita vos mali abutimini lege vestra. Nunquid & per immolationes vestras siue per sanguinem suicorum, siue vitulorum iustificari creditis.

Vocauitq; nomen eius Moab.

NOmen istuc interpretare, & hanc Noe filiam altera imprudentiorem fuisse videbis. *Moab* idem significat ac *ex patre*. Delrius: *Maior*, inquit, *fuit scandalum minori, quare & imprudentior nominis impositione* CRIMEN PROFITETVR, *nam* מאב *ex patre interpretatur*. Ferè conclamata peccatoris est salus, cum crimen suum adeo non celat, vt prædicet. 673

Perennare peccatum suum mulier voluit, dum nomen imposuit filio, quod incæstus memoriam refricaret. *Ex quo patet*, inquit Liranus, *quod ipsa* INVERECVNDA FVIT, *quia turpitudinem quam operata fuerat cum patre, exposuit, & reuelauit in nomine filij ostendens quòd ex patre suo conceperat*. Quod ad illos flectas, qui peccata sua omni verecundia deuorata prædicant. Hoc magis mirum fuit, quod fuit à muliere, cuius proprium est verecundia.

CAP.



CAP. XX. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio Prima.

Hospitalitatis, & *charitatis* exercendæ occasio quærenda. 674.
Omne solum *forti* viro *patria* est.
Ablatis *diuitijs* idem vir *iustus* est.
Alia *peccata* Deus *punit* ac homines putent. 675.
Quàm sedulam *curam* suorum *Deus* agat.
Mortis comminatio quàm vtilis.
Vxoris pulchritudo viro quam noxia. 676.
Resilit in *Deum* quod contra *proximum* fit.
Peccatum in Saram committendum peccatum in Deum cur dicatur.
Pulchritudo res periculosa vt sit. 677.
Orationis fructum sentire qui vult *peccati* occasionem vitet.

Profectus inde Abraham in terram australem, habitauit inter Cades, & Sur, & peregrinatus est in Geraris.

674 CVm à conualle Mambre recessisse nunc dicitur Abraham, & in australem plagam abijsse? An vt loci mutatione daretur illi occasio frequentius hospites recipiendi, quæ iam cessauerat? Vbi primùm, inquit ille, cognouit Abraham ciuitates illas Sodomam, & Gomorrham fuisse combustas, profectus est inde (scilicet de conualle Mambre) in terram australem. Cuius causam assignant Hebræi dicentes illum regiones quæsijsse, in quibus melius cum peregrinis hospitalitatis munus exerceret. Cumque vsque illud tempus præcipuæ, atque illustres ciuitates essent illæ Sodoma & Gomorrha, magna peregrinorum frequentia per vallem Mambre Sodomam euntium & ex illa venientium prętribat, vt autem vrbes illæ celitus combustæ sunt, peregrinatio cessauit, sicque non erat Abrahæ occasio (sicut antea) illius CHARITATIS EXERCENDÆ, atque ideo in illam regionem profectus est, vbi maiorem reperiret opportunitatem.

Cur fertilem terram reliquit in desertum se recepit? Lippomanus: *Terra austria desertum est, quod vir totus à Deo pendens & fidelis, nec æstimat nec sentit, cui Deus sufficientia est*, OMNE SOLVM FORTI PATRIA *est*.

Et peregrinatus est in Geraris. Peregrinari potuit Abraham, ab Abraham virtutis firmitas, ac constantia in Dei obsequio non est peregrinata. Quin vt ait Oleaster hîc: *Mirabilis valde fuit æquitas, & patientia viri sancti Abrahæ, qui ex summis diuitijs, ad summam paupertatem deiectus, nihil fuit propterea mutatus. Nuper armauerat 300. vernaculos domus suæ: quibus Reges Syriæ debellarat, & nunc, baculo in manu assumpto, ipse & vxor eius cogitur ad Gerar descendere, ibi mendicare. Vbi sunt illi, qui ablatis* SIBI A DEO DIVITIIS, *quas ab eo mutuo acceperant:* MVRMVRANT, CONQVERVNTVR, BLASPHEMANT, *ac desperant? Discant sane, qualiter vtramque fortunam tolerare debeant*.

En morieris ob mulierem, quam tulisti.

CVr tantam pœnam minatur Deus ei, qui inscienter fecerat, quod fecerat? *Potest fieri*, inquit Abulensis, *vt Abimelech meruerit* PVNIRI OB ALIVD DELICTVM. In qua re errant sæpè homines, qui censent aliquando se grauius puniri, quàm peccauerint, cum alia peccata Deus puniat, ac homines putent. 675

Ex hoc loco apparet, quam sedulam suorum curam Deus habet, vt iniuria illis illata, suam Deus putet. Totum hunc locum egregiè vrget egregius ille auctor: Cum Abimelech Rex Geraræ vxorem tulisset Abraham, quam dixerat sororem suam, ait scriptura: Venit Deus ad Abimelech per somnium nocte & ait illi: En morieris propter mulierem, quam tulisti, habet enim virum. Ego scio quod simplici corde feceris, & ideo custodiui te, ne peccares in me. Peccatum enim contra amicum patratum, vt proprium iudicat Deus. Qui locus admonet QVALITER DEVS CVRET RES IVSTORVM, VT NEMO CONTRA EOS AVDEAT PECCARE. Qui enim ita arguit, quæ peccata non sunt, & quæ Abimelech simplici fecerat corde, qualiter arguet, & puniet, quæ sunt re ipsa peccata contra amicos.

En morieris. Vix poterat efficaciori medio à muliere Abimelechi animum auellere, quàm mortis non solum memoria, sed & comminatione. Sanctus Augustinus quæst. 49. in Genesim: *Quod autem dixit ei, ecce tu morieris: Etiam hoc notandum est, quomodo dicat Deus tanquam prædicens, sine dubio futurum, quod admonendo dicit*, VT A PECCATO ABSTINENDO *caueatur*.

Nonne ipse dixit: Soror mea est?

HIc quoque vxori Abraham indixit, vt se eius indigitet sororem; Saræ pulchritudo cum in diuinis litteris celebretur, non mirum, si tot calamitates Abrahæ peperisse legamus, ferè enim quò pulchrior vxor est, eò plures, maioresque molestias creare viris solet; non facilè alium reperias tot incommodis ob vxorem exercitum, quàm fuerit Abraham: quia nimirum MAXIME PVLCHRAM habebat vxorem. 676

Et

Et ideo custodiui te, ne peccares in me.

NE *peccares in me*. Resilit in Deum iniuria proximi, & maximè si ille qui læditur Deo sit charus. *Licet*, inquit hic Sanctus Thomas, *omne peccatum in proximum sit contra Deum, singulariter tamen illud, quod est factum contra* SANCTISSIMOS, ET DILECTISSIMOS DEI, *qualis erat Abraham*.

Ne peccares in me. Cur peccatum in Saram committendum, peccatum in Deum dicitur? Quia Sara ad Deum pertinebat; *& quia*, vt ille ait, *ex ipsa per intermedios nepotes Christus erat nasciturus ad ordinem vnionis hypostatica quodammodo spectabat, eratq; velut persona* QVÆDAM SACRA. Non defuere, qui hunc locum ita interpretati sunt, vt in Deum solum hic rex peccaturus dicatur, quia solum Deum vltorem sensisset, Abraham enim vtpotè priuatum non metuebat Abimelech, neq; ei rationem sui facti reddere cogebatur.

677 Quam periculosa sit pulchritudo, vel Saræ exemplo disce, cuius species & viro, & ipsi ad mortem fuisset, nisi Abrahami prudentia adfuisset. Scitè ille: CONIVGIS SPECIES *Abrahamo periculo fuerat, nisi Abrahami solertia coniugi saluti fuisset, vsque adeo mala sarcina est* PVLCHRITVDO.

Nunc ergo redde viro suo vxorem, quia propheta est.

ORdinem nota; prius iubetur Abimelech vxorem Abrahæ reddere, deinde Abrahæ orationem salutarem illi futuram dicitur; vt qui auxiliarem orantis manum sentire cupit, discat reddere prius, quod surripuit, & occasionem peccati deuitare. Aptè nuperus auctor rem versat: Cum Abimelech S. Patriarchæ Abrahæ vxorem acciperet, eum Dominus sic admonuit: Redde viro suo vxorem, & orabit pro te, quia propheta est, & viues. Vbi valde notandum est, NIHIL EI ORATIONEM PRODESSE, QVI ALIENAM MVLIEREM, VEL OPES RETINET. Ideo Dominus huic Regi ait: Redde viro suo vxorem.

Sectio II.

Et orabit pro te, & viues.

ET *orabit pro te*. His verbis Deus insinuat suæ esse mentis, vt sanctorum virorum precibus omnes etiam Reges se commendent. Opportunè ille: Quæro Domine à te, quare hanc rem huic Regi imperas? Nunquid à patriarcha Abraham dependet, vt tu in Regem beneficium hoc conferas, quia ais: Orabit pro te, & viues? Minime profectò, sed volo in hoc peccatores docere, VT SESE IVSTORVM ORATIONIBVS, quia mihi gratissimæ sunt, commendent. 678

Et orabit pro te. Pro iniuria illata orationem reponet Abraham. *Quid sanctius*, inquit ille, *quam preces offerre pro eo, à quo* INIVRIAS ACCEPERIS. Abraham in executione diuini mandati peregrinandi causa in terram Geraræ descendit, Abimelech autem putauit eum mendacem, quod Saram dicturus potius vxorem, sororem dixerit suam. Cui Dominus dixit; Redde viro suo vxorem, & orabit pro te, quia propheta est, & viues. Sed quare non datur salus, nisi precibus Abrahami? Vt orantis sanctitas apud Regem manifestetur, & à mendaci conceptu, vilique eximatur existimatione. Maximè Abrahæ opinioni detrahebatur, si MENDACIS nota notaretur.

Et orabit pro te. Oratione Abrahæ factum aliqui putant, vt à morte, ac sterilitate liberaretur Abimelech, eiusque domus. Verbum hebræum פלל *palal*, & orare significat, discernere, & dijudicare, quod aliquando qui orat, & ius sibi dici petat à Deo; aut etiam quia ritè orans discernere debet quid postulet, quin se, corque suum discutere, censere sua opera, ac iudicare, vt propitium Deum habeat, & exorare, quod orat.

Et orabit pro te. Iniuriæ nimirum oblitus, ac si parum sit offensam remittere, nisi pro eo, qui offenderat, orationem funderet. *Tum facile*, inquit hic Ferus, *reconciliabitur sibi, vt statim pro se oraturus sit*. PLVS ENIM DE SVA SALVTE SOLICITVS EST, QVAM DE SVA INIVRIA, *aut periculo*. 679

Et quid erat necesse, vt pro Abimelecho preces Abraham funderet, cum innocenter fecisset, quod fecit, inque cordis simplicitate, & munditia, vt ipse ait? *Dicendum*, inquit Sanctus Thomas, *quòd licet innocenter fecisset, quò ad hoc, quod non sciebat Saram esse vxorem Abrahe; nihilominus tamen* DIGNVS ERAT POENA, *quia à viro peregrino illam sumpserat ab illo non pra offerente*.

Si

Si autem nolueris reddere scito, quòd morte morieris tu, & omnia, quæ tua sunt.

680 AB his verbis colligas vnius principis peccatum damnum toti populo non exiguum afferre, & in multorum perniciem resilire si vnus peccet, qui super alios est. Rem sic quidam vrget. In Genesi Deus inquit: Tu & omnia quæ tua sunt; idest, tu eris causa perditionis omnium tuorum. Ex quo colligitur, qualiter PROPTER PECCATVM PRINCIPIS OMNIS POPVLVS PVNITVR, ipse verò Princeps in omnium mortibus culpatur. Quod quidem optimè Rex ille intelligebat: quoniam cum Abraham loquens ei dixit: Induxisti super me, & super regnum meum peccatum grande.

Statimque de nocte consurgens Abimelech vocauit omnes seruos suos, &c.

QVàm solicitus Abimelech, vt Dei monentis adimpleret iussa, de nocte surrexit, nec diem expectauit, ne scilicet, vt pius ille auctor ait, PECCANDI OCCASIO *domi ad lucem vsque maneret.*

De nocte consurgens: Cur non tardauit, donec sol oriretur? Docuit exemplo suo Abimelech moras omnes amoliendas esse, cum de alienæ rei restitutione agitur. Pulchrè ille: *Non distulit* ad mane, non moratus est: sed vbi Deus illi periculum ostendit, media nocte surrexit, sic nimirum huiuscemodi RESTITVTIONES FACIENDÆ STATIM, nec in longum differantur tempus.

681 *Statim de nocte consurgens.* Quî tam cito potuit surgere, qui malè se antea habebat? *Dici potest,* inquit Beatus Dionysius, *quod statim cum obtemperare proposuit reuelationi diuinæ, cæperit melius sentire;* tàm vtilis cuique propria obedientia est.

Quid fecisti nobis, quid peccauimus in te, quia induxisti super me, & super regnum meum peccatum grande.

ET *super regnum meum.* Quomodo super regnum suum grande peccatum induxisse Abraham dixit iste Rex, cum ipse solum fecisset? *Dicendum,* inquit Sanctus Thomas, *quod* REGNVM SÆPE TEMPORALITER PVNITVR PRO PECCATO REGIS, *tum quia est aliquid regis, tum quia frequenter participant in peccatis regis.*

Ecce mille argenteos dedit fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum.

MIlle soluit argenteos, tanquam dotem mulieri constitueret, quam non attigerat: vt scilicet eius famam resarciret, plerumque enim homines cum de fœminis agitur, factum putant, quod potuit fieri, & leui argumento ducuntur, vt sinistre de mulierum iudicent honestate. Opportunè ille: Hæc verba, inquit, hunc sensum habent: Mille argenteos solui in pretium eius, quòd famam tuam quodammodo denigraui, cùm in domum meam transtuli: quia, licet nihil à me sis passa; percrebuit tamen rumor, te in domum meam illatam; EX QVO NONNIHIL DETRIMENTI BONA FAMA TVI PVDORIS PASSA EST. Qui virginem deflorauit, vel eam ducit vxorem; vel, si inæqualis sit conditionis, tantùm pecuniæ cogitur erogare, quantùm sit satis, vt honesto viro mulier in matrimonio copuletur: at Abimelech pretium soluit, non quia congressus est cum Sara, sed, quia eam in domum intulit. SANE FACILE LÆDITVR FAMA, PRÆCIPVE FÆMINARVM, ET LEVI DE CAVSA DENIGRATVR: vnde & pro visa & illata fœmina in domum, dotem exoluit.

Cur Rex Abimelech post deprehensam Saram pecuniam non Saræ dedit, sed Abrahæ? An quia mulieris caput est vir, & illius partes sunt negotia tractare, non mulieris? 682
An quia à sequioris sexus affectu expedire qui se vult, debet & vincula præcidere, nec apud mulierem exstare signa debent, quibus eius memoriæ obijciatur, se ab aliquo dilectam?

Benè est quod dona non vxori dantur, licet maritus adesset, sed marito, qui frater dicitur, ne mariti nomen sic donorum exhibitione fœdaretur. Egregiè nuperus auctor: SVSPECTA SVNT MVNERA, QVÆ VEL PRÆSENTE MARITO VXOR ACCIPIT; Accipiat maritus quod vxori donatur. O bonam eruditionem, quò donorum exulent lenocinia. Quin & aduerte, quòd cùm munera donanda vxori, marito dantur; non maritum tunc, sed fratrem appellat, ne munerum acceptione dehonestetur mariti vocabulum.

Orante autem Abraham sanauit Deus Abimelech, & vxorem, ancillasq́ eius.

MIrum dictu quod multa egregie facta à Rege Abimelech obtinere non potuere, vnius Abrahæ oratio obtinuit. Quia, inquit peritus ille auctor, cum PATIENTER TVLERIT INIVRIAS ab homine, efficacitatem habuit, quicquid vellet à Deo impetrandi.

CAP. XXI. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio Prima.

Tarditas partus in *Abraham* non infecit lætitiam 683.
Tunc maximè bonorum *operum* fœtus edere homo debet cum multis obsidetur *annis*.
Diuinorum beneficiorum memoria nunquam ponenda.
Peccata etiam leuia sæpè, & serio cogitanda. 684.
Gaudium soli Deo proprium.
Quod *in parentibus* residet facilè ad *filios* transit.
In *proximi* bonis *gaudendum*, & lætandum. 685.
Lactandi Verbo cur vsus Moses in partu Isaac.
Iustorum est à rebus terrenis *ablactari*.
Mores matris cum *lacte* sugunt pueri. 686.
Iusti lætantur cum à carnalibus *voluptatibus* abstrahuntur.
Voluptatis materia in boni operis *perseuerantia*.
In die *ablactationis* cur olim *conuiuium* strueretur. 687.
Veritati potiùs quàm *voluptati* consulendum.
Tunc cælites *lætantur* cum à carnis delicijs homines auelluntur.
Mundi *gaudia* intra carceres cohibeantur. 688.
Gaudendi tempus cum quis ad *perfectiora* proficit.

Visitauit autem Dominus Saram &c. concepitq́ue, & peperit filium in senectute sua.

683 CVm tempus, ætasque dissentiret filium ex Sara suscepit Abraham; non infecit tarditas lætitiam, sed adauxit, & eò dulciori affectu in partum parentes ferebantur, quò tardius illo fuere cumulati. *Nouus sane*, inquit Sanctus Zeno, *parentum circa filium crescit affectus: qui ex promissione certior, ex* TARDITATE DVLCIOR, *ex desperatione felicior putabatur. Vnicus numero, & in amoris soliditate iam primus totum materna pietatis occupauerat pectus.*

Ex Sara filium prodijsse non minus mirum, quam ex petra aquam virga percussa. S. Chrysostomus homil. 46. in Genesim ita loquitur: *Non sic admirabile fuit quod ex* PETRA *in deserto scaturierint fontes aquarum, quando illam Moses virga percussit, sic de vulua* IAM EMORTVA *puerum nasci, & lactis fontes scaturire.*

In senectute sua, Mulierem in senectute sua filium parere inter mira poni solet; contra in mentis accidit partu, tunc maxime spirituales BONORVM OPERVM FOETVS EDERE HOMO DEBET, CVM MVLTIS OBSIDETVR ANNIS, cum fini appropinquat, sepulchro est proximus, mortem spectat.

Vocauitque Abraham nomen filij sui, &c. Isaac.

CVr nomen puero imposuit, quod risum sonaret? Id eo consilio fecit, inquit ille, vt cum amantissimi filij nomen in ore semper haberet, huius DIVINI BENEFICII MEMORIAM nunquam ex animo deponeret. Adeo vt quotiescunque filij audiret nomen, eius memoriæ acceptum beneficium obijceretur.

Mirum quod filium suum à risu *Isaac* vocauerit Abrahā. An id fecit, vt in filij nomine eius, & vxoris dubietas reprehenderetur? Claudius Marius Victor sic rem tetigit dum cecinit: 684

Sed tamen ignoscam dubijs, pueroq́ue futuro
Imponam nomen, quod CVLPAM *hanc* ARGVAT.

Ad quæ verba, hæc doctus auctor adiecit: Nempè Abraamus propè centenarius, à Deo audit, Saram nonagenariam ei parituram filium in effæta iamdiu ætate; ambigit de pollicitatione dubius fide, & pia dubietate ridet: ergo dum Deus promissionem adimplens suam, promissum illi donat filium, quod appelletur Isaac, idest, risus, iubet; vt ipsum nomen in tenella infantis carne insculptum, pristinam diffidentiam risu expressam iugiter reprehendat, & dubietatem olim suam in puero descriptam crebrò legat, quò vrbanissimè DELICTVM REPREHENDAT. Hæc nimirum iustorum consignatio, vt non facilè sinant vel minimarum labecularum memoriam deleri.

A risu Isaac est dictus; iure patri iussum, vt filium Deo offerret; quia nimirum, vt ait Philo, *lætitiam vir sapiens sacrificare Deo dicitur, per istam figuram docens, quod* GAVDIVM SOLI DEO SIT PROPRIVM, *nam humanum genus mærori, timoriq́; est obnoxium.* Tunc tutum est gaudium, est risus securus, cum Deo sacratur, non mundo.

A risu Isaac est appellatus. Culpa in parentibus fuit, & nomen quod culpam signaret filio imponitur; vt statim hinc disceremus facilè filijs hærere, INQVE FILIOS TRANSIRE, QVOD IN GENITORIBVS VIDERINT; In risu deliquens Sara, à risu filius sortitur nomen, vt migrare in filios sciremus, quod parentes deliquerint.

Di-

Dixitque Sara; risum fecit mihi Deus, quicunq; audierit corridebit mihi.

685 C*Orridebit mihi*. Hominis non meretur nomen, qui in aliorum rebus lætis non lætatur, non ridet, sed inuidia afficitur, cum alius afficitur donis. *Docemur hic*, inquit Oleaster RIDERE, ET GAVDERE, *cum audimus bona proximorum; contra eos, qui inuidia torquentur cum bona audiunt, & de malis lætantur.*

Quis auditurum crederet Abraham, quòd Sara lactaret filium, quem peperit ei iam seni.

Q*Vod Sara lactaret*. Cur *lactandi* verbo est vsus, cum sufficeret dicere Saram filium Abrahæ peperisse? Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 180. sic rem librat: *Ob id autem non dixit, peperit, ne abortiuus fœtus esse existimetur: verùm*, LACTAT, *siquidem lactis fontes partum confirmant, veri etenim partus argumentum certissimum est lactis profluuium*. Huc facit & illud, quod habet hîc Sanctus Chrysostomus: *Propter hoc, & lactis fontes concessi sunt, vt partum magis credibilem faciant, & ne quis suppostitium esse putet puerum. Fontes enim* LACTIS, *omnibus prædicabant præter humanam expectationem hoc euenisse*.

Creuit igitur puer, & ablactatus est.

E*T ablactatus est*. Bonorum hæc vota, & consignatio, vt sinant se ablactari. *Notandum*, inquit Procopius, *nullibi dici de impijs*: ABLACTATI SVNT; nesciunt à mamillis, auelli terreni homines à voluptatum terrenarum vberibus subduci.

686 *Et ablactatus est*. Ab vberibus, quæ illi Sara porrigebat. *Et hoc erat magna dilectionis*, inquit Beatus Dionysius *quòd Sara iam anus lactauit filium suum vberibus proprijs quasi* CVM LACTE *corporis cupiens ei bonitatem infundere sua mentis*, adeo vt matris mores cum lacte puer suggeret.

Fecitq; Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius.

C*Onuiuium dum filius ablactaretur struxit Abraham, quod non legimus struxisse, cum natus ei filius fuisset. Iustis tunc gaudij materia offertur, cum mundani homines dolendi tempus putant. *Quod Abraham*, inquit hîc Beatus Dionysius, *fecit conuiuium in die ablactationis Isaac, hoc designat, quod Deo præcipuè placet abstractio fidelium à* CARNALIBVS OBLECTAMENTIS.

Conuiuium in die ablactationis. Cur non potius in die natiuitatis conuiuium Abraham struxit? An quia *eo die est dubium*, inquit Delrius, AN PARTVS SIT FVTVRVS VITALIS. Vix aut ne vix quidem veri gaudij materiam in bono opere habemus, nisi in eo diù perseueremus.

Cur conuiuium in ablactatione Isaac Abraham struxit, & non potius in eius natiuitate? 687
Erat, inquit Mariana, *Hebræis vsitatum, vt à conceptione fœtus vsque ad ablactationem abstinerent ab vxoribus. Clem. Strom. 3. sic quando infans* ABLACTABATVR *quasi instaurato coniugio instruebant conuiuium*.

In ablactatione filij conuiuium struxit Abraham, vt omnibus probaret Saram verè peperisse, veram Isaac esse matrem, sicque in conuiuio veritati potius consuluit, quàm voluptati; Rem sic quidam explicat: Abraham Patriarcha fecisse legitur magnum conuiuium in die ablactationis Isaac. Videte quo tempore, qua opportunitate, nempe cum mater à lacte remouet puerum, cum fortè puer plorabat, videns se à dulcedine lactis priuari, tunc Sanctus Patriarcha conuiuium parat, tunc vicinos, & cognatos ad gaudia vocat. Et hoc fecit fortè, quia rumor fortasse erat Saram nunquam peperisse, sed quod filium quendam adoptasset, & vt sterilitatis suæ opprobrium toleretur, ac si diceret Abraham. Ita se res habet ego efficiam, vt sit omnibus veritas rei manifesta. Ablactetur infans. Plures matres cum filijs suis à mammis pendentibus venient, factum est ita, & cum venissent, iussit Abraham infantes illos ad vbera Saræ apponi; vt sugerent lac, & hoc testimonio MANIFESTA FVIT VERITAS, scilicet Saram peperisse Isaac, quandoquidem ab vberibus eius lactati sunt infantes.

In ablactationis die conuiuium struitur; nimirum tunc lætantur cælites, cum à lactis delicijs homines auelluntur. Scitè ille: „Die natali, cùm omnia gaudijs exsonarent, nihil conuiuij sapiens Abraham celebrauit, illo autem die, quo infans ademptum sibi lac flebat, epulum conuiuis datum est. Ita cælites gaudent, cùm vident hominem à lacte depulsum, solatijs exutum, miserijs obrutum, calamitatibus depressum, nihilominus à diuina voluntate non dissentientem, tranquillè ac toleranter omnia ferentem.

Auulsus ab vberibus Isaac diuiti conuiuio excipitur; quæ conuiuij lætitia, cum ablactationis tristitia, quæ epularum suauitas in amaritudine, quæ ablactationem comitatur? An rectè innuitur, terrenas voluptates, deliciasq; amaritudinibus temperari? An hinc discimus, temporalia gaudia ita coërcenda, ne nimis effusa in Dei offensam erumpant? Grande conuiuium, inquit nobilis ille auctor, facit Abraham in die ablactationis filij. Cur conuiuium in ablactatione? Nonne vbi ablactantur pueri, illis felle, & absinthio plena offeruntur vbera materna? Cur ergo vsque ad ablactationis fel, & amaritudines Abrahamus lætissima conuiuia reseruat. Meritò conuiuiorum gaudia inter ablactationis amaritudines celebrantur, vt videamus quam INTRA CARCERES MVNDI GAVDIA celebrari debeant, ne nimis effusa Deum offendant. 688

Cur in die ablactationis conuiuium struxit? *Dicunt Hebrei*, inquit Liranus, *quod vicina mulieres dicebant Isaac non esse filium Sara eo quod diu vixisset cum marito absq; prole, sed acceperat eum Sara occultè sub alia muliere pro pretio, & finxerat se eum genuisse, & ad hanc opinionem tollendam, Abraham fecit conuiuium apportauerunt pueros suos adhuc lactantes, & Sara lactauit eos ad probandum, quod habuerat filium*. Cautius id in operibus præstetur, probemus nostra esse, non esse suppositiria.

In die ablactationis conuiuium Abraham struxit. *Gaudet enim Deus*, inquit Vgo Carensis in psal. 21. *& gaudere debet Ecclesia, quando quis à* TERRENIS DELECTATIONIBVS *separatur*. Denique hoc quoque innuit Abraham, tunc gaudendi tempus esse, cum quis ad perfectiora proficit. Benè Oleaster: *Fecit*, inquit, *Abraham conuiuium in die, quo filium ablactauit: non sunt omnino damnanda conuiuia, qua virorum iustorum auctoritate comprobantur. Similiter docemur gaudere: cum ab ijs qua puerorum sunt* AD MAIORA PROFICIMVS; *vt non simus semper paruuli fluctuantes*.

Sectio II.

Peccati occasio vitanda, vt peccatum vitetur. *689*.

Ludendi verbum, vt hostilem pugnam claudat.

Quæ in tenera *atate* minima, in grauiori maxima fiunt.

Initio *malis* medendum.

Ab *Eucharistici conuiuij* vsu impiorum dictis nemo nocetur. *690*.

Persecutores habendi qui ad leuia, & *scurrilia* nos vocant.

Omni *persecutore* sæuior qui bonorum pietatem *irridet*.

Cur cum filio *Ismaele*, & mater eiecta. *691*.

In *filio* timendum, quòd in *matre* est.

Mulierum arma lachrymæ.

Suo sexu maior *fæmina* fit *filios* instituens.

Paulatim à *minoribus* ad maiora proficiendum.

Voluntatem Deo aptandam, vt ritè *obedientia* litemus.

Affectus vt oculos obueler eorum, qui illo afficiuntur. *692*.

Aliquando *inferior* aduertit quæ non aduertit *superior*.

Cur de *Ismaelis* vita pauca *Moses* tradiderit.

Cumq; vidisset Sara filium Agar Aegyptia ludentem cum Isaac, filio suo dixit ad Abraham.

689 LVdentem cum Isaac. Sub hoc ludo aliqui latere idololatriam notant; sed si ista fecit vt expellendus esset Ismael, cur cum illo eijcitur, & mater? Nodum ita soluit peritus ille auctor: Hic, inquit, ludus Ismaelis cum Isaac erat, quod eum docebat altaria construere, & idola adorare. Sed dicet quispiam, hoc cum ita esset, sufficeret quod puer, non autem mater simul domo expelleretur; siquidem non erat in culpa. Dico vtrumque fuisse necessarium, & ita ibidem Deus Abrahæ præcepit, si enim mater domi maneret, aliquando puer Ismael ad eam videndam domum reuerteretur. Idem hic dicimus, NON SVFFICIT QVOD A PECCATIS LAVERIS, ILLAQVE FORAS EIICIAS: SI MATER DOMI REMANET, QVÆ EST OCCASIO: quæ si remanserit, aliquando filius, quod est peccatum reuertetur. Hinc sæpè accidit vt peccatis quis inuoluatur quæ reiecerat, quia domi peccati materiam alit peccandi occasionem non dimittit.

Ludentem. Alibi obseruaui in *ludendi* verbo hostilem pugnam delitescere; quid si hic quoque lateat? Benè Acacius: *Vidit ludentem, hoc est pugnantem, est in libris Regum: surgant pueri, & ludant, hoc est* MANVS INTER SE CONSERANT; vt non mirum si ludum hunc persequutionis verbo expresserit Apostolus. Hunc sensum firmat illud Beati Brunonis: *Ismael natu maior* VERBERABAT *Isaac adhuc tenerum, quem videbat tenerum sibi, & haredem futurum*.

Scilicet ferè ita accidit, vt quæ in tenera ætate sunt minima, in grauiori fiant maxima; quod ex Ismaelis ludo sic nobilis auctor colligebat: Sara periculum illius ludi intelligens (nam idololatria, quæ tunc ludendo, cum pueri erant, ludus & iocus puerilis tantummodo erat, postea cum prouecta ætate essent, grauissimum scelus, & fidei quam receperant, essent apostasia) & tanto malo obuiam ire intendens coniugem suum, tam importunis precibus obsecrauit, vt ipse Domino ei iubente, & ad id impellente, Ismaelem è domo detruserit. Vbi aperte docemur, quam plurima, QVÆ IN TENERA ÆTATE, CVM PVERI SVMVS, FACIMVS, LVDI SVNT: QVÆ QVIDEM, CVM IN PROVECTIORI ÆTATE SVMVS, GRAVISSIMA PECCATA ESSE NON EST DVBIVM. Sæpè à ludo incipitur, & in grauiori crimine ludus finitur. Addit statim, & aliud monitum elicit dum ait: Monemur etiam in hoc facto, vt INITIO MALIS MEDERI, ET OBSTARE CONTENDAMVS; antequam in cordibus nostris altiores agant radices, sintque aliorum malorum causa, & origo, ita vt eis remedium adhiberi difficillimum sit.

690 *Ludentem*. Alij legunt: irridentem, scilicet post conuiuium in quo omnes Abrahamo gratulabantur, Ismael irrisit omnes. Sic Isidorus

Clarius:

Clarius: *Cum esset magnum conuiuium, & omnes gratularentur ipsi Abrahæ, quòd in senectute Dominus illi dedisset filium, ancillæ filius* DERIDEBAT, & SVBSANNABAT *illos, quod Sara aduertens marito indicauit*. Nimirum hoc ad Eucharistici conuiuij vsum non alienè transferamus, post quod Ismaelitici spiritus homines subsannant, & irrident veros Abrahæ filios, qui mensam illam frequentant, qui audiendi non sunt, sed reijciendi.

Ismael domo eijcitur, quia ludebat cum Isaac; & quid mali erat puerum cum puero ludere? Quò spectabat hoc lusu Ismael, vt *persequutionis* nomine eum indigitauerit Apostolus? *S*CVRRILEM, vt ille ait, *I*SAACVM ET LEVEM, *sicut ipse erat, facere cupiebat, ne illi posset in hæreditate præferri; ac si is tantum præferendus esset, qui morum maturitate præiret*.

Ludentem. Aliqui vertunt. *Irrisui exponentem*, aut *irridentem*; nam vt aliqui Hebræorum asserunt, videtur Ismael irrisisse pietatem Isaaci; vt non mirum si Apostolus hanc irrisionem persequutionis nomine significauit. Verè OMNI PERSEQVVTORE ACRIVS SÆVIT, QVI BONORVM PIETATEM IRRIDET.

Eijce ancillam hanc, & filium eius.

691 ET non satis erat ancillam propulsari, cum filius innocens esset? cur vterque eijcitur, cum de sola ancilla quereretur Sara? Respondet nuperus auctor, sic præceptum esse ne si vnum innocentem retineret, alter nocens inde REDEVNDI ARRIPERET OCCASIONEM. Vt autem hæc vitetur necessum fuit vtrumque pulsare. Ex quo colligas, innocentibus nocere malorum consortium. Nisi dicamus in filio timendum, quod in matre erat.

Eijce ancillam, & filium eius. Hæc verba cum fletu dixisse aliqui putant; cum precibus lachrymarum arma mulieres addunt, nihil non obtinent, omnes vincunt, vinciunt omnes. Sanctus Cyrillus lib. 3. Glaphyrorum in Genesim ait: *Vidit Sara filium Agar Aegyptiæ, qui natus erat Abrahæ ludentem cum Isaac filio suo. Deinde* PRODIT FLENS, *vt verisimile est, ac dicens: Eijce ancillam hanc & filium eius*. Nisi dicamus amorem, & affectum omnem non exuisse Saram, & eiectionem ancillæ, ac filij iussisse, vt Isaaci institutioni consuleret; in hoc & sexum suum Sara vicit, quæ lachrymas, vt mulier fudit, sed imperauit viro tanquam svo SEXV MAIOR, ac superior, quæ affectu non ducitur filij saluti consulens.

Non tibi videatur asperum super puero, & super ancilla tua.

NOn tibi videatur asperum. Nimirum paulatim à minoribus eundum ad maiora. Promptè dimittere Ismaelem nunc iubetur Abraham, quod præstitit, vt per hæc viam sibi sterneret ad Isaaci immolationem. Benè Sanctius: Non solum imperat Dominus, vt vxoris voluntati pareat, sed etiam ne sibi asperum videatur. Nam cum Deus Abrahami Dominus esset, & illum ad nutum quoquo vellet verteret, non solum imponit illi præceptum, vt opus quod oculis cernitur exequatur, sed etiam VT MENTEM, ET VOLVNTATEM SVAM, AD DIVINAM FINGAT ET ACCOMMODET, AC TANDEM SINE VLLA MORA, AVT TERGIVERSATIONE OBEDIAT. Quo factum est, vt non solum huic præcepto de Ismaele expellendo pareret Abrahamus, sed cum imperauit Dominus, vt filium sibi dilectissimum Isac immolaret, eadem nocte, quam vocem audiuit, surrexerit, nec solum de sacrificio peragendo cogitare cœpit, sed ea statim parauit, quæ ad illud erant necessaria. Scilicet maximè refert totam voluntatem obedientiæ aptari.

Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius.

MIrum quod acutius aliqua, quæ viraren- 692
tur in Ismaele Sara videret, quàm Abraham, cum soleat vir oculatior esse, quàm fœmina, atque etiam debeat. An in Abraham notitiam impediuit affectus in filium? Obuclar carnalis affectio aciem mentis. *Nota*, inquir hîc Sanctus Thomas, *quòd in hoc docemur quomodo* CARNALIS AFFECTVS IMPEDIT RECTVM IVDICIVM ET SPIRITVALEM INTELLECTVM. *Quia enim Ismael secundum carnem plus attingebat Abrahæ, quàm Saræ, & quia Abraham plus afficiebatur secundum carnem ad eum, quàm Sara: idcirco Sara fuit magis disposita ad subtiliter & spiritualiter intelligendum malum Ismael, quàm Abraham foret*. Tanti refert à carnea affectione immunem esse, qui aliquem est directurus.

Audis, vt iubeatur Abraham vxoris vocem audire? *Aliquando*, notabat istuc idem Sanctus Thomas hoc loco, INFERIOR *aliqua prudenter aduertit, quæ non* SVPERIOR; sicque non semel demittere se alijs debet, qui super alios, cum non omnia noscat.

Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam.

CVr de Ismaelis vita tam pauca scripsit Moses, qui tam multus in Isaac vita describenda fuit? *Nihil*, ait peritus ille auctor, *Moyses de vita eius scribit, quia parum boni de ipso Ismaele scribi poterat*; quædam tetigit, quæ ad eius laudem faciebant alia aliena à laude silentio sacer auctor inuoluit.

††

Sectio III.

Et tollens panem, & vtrem aquæ imposuit scapulæ eius.

693 ITane tam diues, tam magnus Patriarcha, & in hospites alioquin tam effusus, in filium, in vxorem tam est parcus? An à nimia copia eis timebat, & rerum temporalium angustiam vtilem vtrisque futuram coniiciebat? Homo, inquit bonus ille, licet nuperus auctor, ita diues & potens, qui tantas eleemosynas pauperibus largiebatur, quique ex sua familia exercitum constare poterat, quo quatuor reges euerteret, nihil aliud filio, legitimæque vxori (& si ancillæ) dat præter parum panis, & vtrem aquæ, nec saltem illis iumentum dat, super quo illum portent, sed vtrem illum miseræ coniugis humeris imponit. Dico quod sic eos tractauit, quia mater, & filius erant rebelles, & SIC NE FORTE PROPTER ABVNDANTIAM DETERIORES fierent, sed potius labore corrigerentur, ita cum eis egit, & est valde notandum, quod hæc omnia ipsemet faciebat: in quo magnopere validum Abrahæ pectus splendet.

Exaudiuit autem Deus vocem pueri.

CVr potius pueri vocem exaudiuisse Deus dicitur, quàm matris? *Quod mater*, inquit Sanctus Thomas, *non suam mortem, sed filij deplorabat, & ideo dicitur exaudisse puerum, quia exaudiuit matrem pro puero.* Reddit statim rationem aliam Sanctus Doctor: *Vel etiam in hoc innuitur quod puer fleret, & vtiq; iam præ siti quasi moriens bibere cupiebat.* IPSVM AVTEM DICITVR DEVS EXAVDISSE POTIVS QVAM MATREM, *quia erat semen Abrahæ de quo promiserat ei quod faceret illud in gentem magnam.*

Vocem pueri. Grata illa vox Deo, quæ simplicitatem refert, quæ peccatorum amaritie respersa quodammodo est, nam vt ait hîc Beatus Dionysius: *Et ipse Ismael flebat, atq; vt aliqui dicunt de* PECCATIS SVIS POENITVIT, *iam enim erat decem, & septem annorum, aut circiter.* Vox nimirum, quæ pœnitentiam redolet, Deo grata est.

Quid agis Agar, noli timere.

NOli timere. Quid timeat puero, quem sub arbore posuerat, quæ Crucis quandam vmbram referebat? Benè Vgo: *Noli timere, quasi diceret: super illum qui* CRVCEM *baiulat* NON EST TIMENDVM. Benè de illo sperandum est, qui sub Cruce degit, Crucis tegmine munitur. 694

Exaudiuit enim Deus vocem pueri de loco in quo est.

EXauditam dum audis pueri vocem, puerorum non contemnendas preces disce. Docuit istuc auctor Catenæ græcæ, dum ait: *Exaudiuit Deus vocem pueri:* ERGO NON SVNT PVERORVM PRECES CONTEMNENDÆ, *tametsi à perfecta ratione non videantur. Amat Deus simplicitatem spiritus, facileq; eiusmodi vocibus commouetur.*

Surge tolle puerum, & tene manum illius.

TEne manum illius. Hæc verba sic expendebat Sanctus Hieronymus quæst. in Genesim: *Ex quo manifestum est, eum, qui tenetur, non oneri matri fuisse, sed comitem, quod autem manu parentis tenetur, sollicitus monstratur* AFFECTVS.

Aperuitque oculos eius Deus, quæ videns puteum aquæ, abijt, & impleuit vtrem.

NImirum post orationem puteus videtur, qui ante ipsam visus non fuerat, tàm salutaris orationis est fusus. Pulchrè ille: Id etiam quod statim adiicitur, valde notandum est, scilicet: Aperuit oculos eius Deus, videlicet, matris Agar, quæ videns puteum aquæ abijt & impleuit vtrem aqua, deditque puero bibere. Ibi antea puteus erat, sed non ab eis visus est, QVONIAM NONDVM ORAVERANT. Hoc sæpenumero euenit, qui remedium nostris necessitatibus, si orationi vacaremus, cum valde propinquum sit, facile inuenissemus: sed QVIA NON ORAMVS, IDEO NOS LATET. Paratiora nobis remedia in malis obiicerentur, si promptiores ad orationem curreremus. 695

Factusq;

Factusque est iuuenis sagittarius.

FActusq; est iuuenis sagittarius. Addit ad explicatum Liranus: *Hebrei dicunt, exercens latrocinia, & prædas à transeuntibus, propter hoc dictum est supra: Manus eius contra omnes. Licet enim* POENITVERIT IN INFIRMITATE, *tamen postea rediit ad vomitum, vt dicunt hebrai.* Sæpè enim accidit, vt infirma illius sit conuersio, quam quis infirmitate correptus init.

Eodem tempore dixit Abimelech, &c. Deus tecum est in vniuersis, quæ agis.

DEus tecum est. Quàm eximie Abimelech philosophatur, Deum omnium auctorem faciens, quæ feliciter Abrahæ obtigerant; & vnde tàm sublimem se extulit, in qua hæc schola didicerat? BONI VIRI CONSORTIVM CÆTERIS OMNIVM VIRTVTVM GYMNASIVM EST. *Contubernium Abrahæ*, inquit Lippomanus, *non parum illi* PROFECERAT. Iustorum familiaritas SALVTARIS omnibus est, & ex bonorum moribus discitur, quod alibi non ita validè docetur.

Iura ergo per Deum, ne noceas mihi.

696 IVra per Deum ne noceas mihi. Mirum cur hic Rex Abrahæ felicitati non inuiderit, & amicitiam eius ambierit? *An hic ostenditur animi regij esse*, vt ille ait, ALIORVM FELICITATEM *non stimulo* LIVORIS, *sed potius* AMORIS *affectu prosequi*. Seruilis est mentis inuidia in alterius prosperitate affici.

Iura per Deum ne noceas mihi. Et non etiam sine iuramento credi tanto viro debuit? An humanæ mentis inconstantia hîc signatur, in qua sola instabilitas stabilis, & firma? An ostenditur quod cum de iniuriarum obliuione agitur in homine plus aliquid quàm homo requiritur? Constat increpatum Abimelech ab Abraham propter puteum, quem Abrahæ Regis serui abstulerant, & quia iniuria quæ seruis infertur ad heros transit, ne vindictam cogitaret Abraham aliquando, iuramenti frænum exigitur, tanquam non sit NVDI HOMINIS INIVRIAS COGITARE, & iniuriarum vindictam omnino sepelire.

697 *Iura per Deum, ne noceas mihi.* Et cui nocuit Abraham, cuius nota bonum pro malo reponere, & iniurias suas alta obliuione sepelire? QVALIS QVISQVE EST, TALES IVDICAT ALIOS ESSE; quod fors iste rex fecisset, idem fieri ab Abraham posse putat.

Dixitque Abraham: ego iurabo.

IVraturum se pollicetur Abraham, sed cur non statim iurat. An vt suo exemplo ostendat, non temere, inconsideratèque emittendum iuramentum, & vt accuratè expendatur res, supra quam iuramentum cadit? An vt doceret iuramentum cum debitis solemnitatibus concipiendum? Denique cunctanter, summaque reuerentia Dei nomen in iuramento adhibendum esse docet Abraham, dum non statim, nec vllis adhibitis ceremonijs illud concepit.

Sectio IV.

Et increpauit Abimelech propter puteum aquæ, quem ei abstulerant serui eius.

CVr non potius seruos increpauit, à quibus iniuria affectus fuerat? an quia hinc colligeremus subditorũ culpam in præpositos, superioresq; resilire, vt FORMIDOLOSA SIT PRÆSIDENTIVM CONDITIO, 698
sic loquitur Sanctus Petrus Damianus, *qui non modo pro suis, sed & pro subditorum puniuntur offensis.* Sua nimirum faciunt principes suorum scelera, dum delinquentes subditos non corripiunt, cum possent.

Fœdus initurus Abraham cum Rege Abimelech, cur obijcit illi iniuriam, qua affectus fuerat olim ab illius seruis? An vt firmior pax sequeretur, quam nulla iniuriæ memoria velut obumbraret? An vt sciremus posse nos, cum occasio apta obijcitur, recensere ea, in quibus nos alij læserunt, ne putetur in animo liuor aliquis delitescere? *Non enim ore solummodo*, ait Procopius, *vt cæteri solent, sed animo quoque fæderum* RELIGIONEM INVIOLATAM CONSERVARE

VARE

VARE voluit Abraham. Plerique odium intus tegunt, quod sub dulcibus verbis abscondunt.

Increpauit Abimelech. Nec regia dignitas reuocauit Abraham ab increpatione. Hoc exemplo docet, & Reges arguendos si delinquant. Sed cur tandiù distulit Abraham? *Abraha longanimitas*, inquit Lippomanus, *declaratur, qui cultor pacis rerum suarum iacturam tardè querebatur etiam ad amicum sibi regem, habita autem occasione digna* OPPORTVNE PROPONIT *suam causam*. Arguendi Reges, sed maximè opportunè, vt sæpè totus correctionis pereat fructus, si illa importunè obeatur.

Respondità; Abimelech: nesciui: quis fecerit rem hanc.

699 SE excusat Abimelech, & quod factum ab eius seruis ignorantiæ clypeo à se auertit. Hæc magnorum infelicitas, vt sæpè postremi sciant, quod scire debebant ante alios. Nimirum DIFFICILEM APVD MAGNOS ADITVM VERITAS HABET.

Huic excusationi non aliud reposuit Abraham, contentus hac iniuriæ dilutione, nihil aliud adiecit. In qua re id nos docet, vt cum de illatis INIVRIIS AGITVR, QVÆLIBET EXCVSATIO PLENÆ SATISFACTIONIS LOCO SIT. Quid hîc illi, qui nunquam quiescunt, nisi plenè illis satisfiat,

Et ego non audiui præter hodie.

ET non satis erat Regi dixisse, se rei nescium, vt etiam addat, à nullo se quicquid de re, quæ obijciebatur audisse? Plerumq; accidit, vt magni aliquid audiant, sed ita rem accipiunt, ac si non audirent; iure igitur dixit Rex se rem nescire, nec de illa verba facientem aliquid audiuisse.

Tulit itaq; Abraham oues, & boues, & dedit Abimelech.

700 POst increpationem munera Regi obtulit Abraham, vt vel hinc diluceat non fuisse ab vllo INIVRIÆ SENSV. Cum de iniurijs suis loquuntur iusti, adeo à vindicta absunt, vt potius mercedem offerant.

Et statuit Abraham agnas septem seorsum.

CVr *agnas* potius obtulit, quàm *agnos*? Agni tanquam electior victima Deo offeruntur; homini tanquam vtilior fœcundiorque agnæ; Nimirum Deus gloriam suam honoremque spectat; ad HOMINIS INGENIVM VTILIORA, FÆCVNDIORAQ; EXHIBENDA. Præterea, vt ille ait, *agnas, non agnos obtulit Abraham indicaturus vtilitatem, quæ ex fœderis, & pacis obseruatione erat nascitura.*

Cui dixit Abimelech: Quid sibi volunt septem agnæ istæ, quas stare fecisti seorsum.

NOn statim agnas accepit Rex, sed quid sibi vellent, requisiuit; ostendens, & MVNERA EXAMINANDA, NEC INDISCVSSA ACCIPIENDA. Non excutiendæ sunt personæ quibus damus munera, sed munera, quæ aliunde accipimus, cum sæpè aliò, ac accipiens cogitet, illa spectent. Incipit indignus esse donis, qui ea non examinat, & mysteria in ea latentia non expendit.

Quid sibi volunt agnæ istæ. Nihil casu à Dei seruis fieri inquisitio ista regis edocet: mysterium in agnorum numero, positioneque delitescere indicat Abimelech. Vel in rebus leuibus non leues, ac prætereundæ significationes latent. Qui regiam habent mentem, DISCVTERE OMNIA DEBENT, QVÆ A DEI SERVIS FIVNT. Scilicet nihil ita minimum in iustis est, quod vtilium monitorum non sit grauidum. 701

Quid sibi volunt agnæ istæ. Mentem hîc plus quàm popularem videas; dum Rex iste mysteria potius munerum spectat, quàm munera; DONA SI EXCVTIAMVS MYSTERIIS REFERTA SVNT, aliud scilicet sunt, aliud significant: Sic hominum dona spectanda, sic Dei, vt plus in illis delitescere putemus, quàm existimè videatur, in illis, quidem plus fraudis, in istis plus ponderis, plus virtutis, bonitatisque.

Idcirco vocatus est locus ille Bersabee, quia sibi vterque iurauit.

A Iuramento nomen loco imponit; scilicet etiam communibus locis suam pietatem olim sancti affigebant. *Quanta præstabat*, inquit auctor catenæ Græce, *Abraham* PIETATE, *ipsis etiam locis nomina, semper imponebat plena religionis.* Antiqui vel in puteis pietatem exercebant, quam nunc pleriq; vix in templis exercet.

Abraham verò plantauit nemus in Bersabee.

ET cui rei plantauit Abraham nemus? An non sui tam non causa, quàm hospitum: *Abraham*, inquit Abulensis, *qui delectabatur in suscipiendo hospites, plantauit arbores, de quarum fructibus* RECREARENTVR *viatores, & eorum visu* DELECTARENTVR. Adeo prolixè accipiêdi hospites, & omnis humanitatis generibus. 702

Plantauit nemus. Etiam istuc sacer scriptor litteris consignauit; ostendens nil adeo leue à iustis fieri, quod non dignum memoria posterorum sit.

Et inuocauit ibi nomen Domini Dei æterni.

NImirum Dei serui nihil operantur, quod ad Dei cultum obsequiumque non dirigant. Abraham ex nemore templum fecit, PLERIQVE EX TEMPLIS NEMORA FACIVNT; cum scilicet in templis operantur, quæ nec in nemoribus deberent.

CA-

CAP. XXII. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio Prima.

Omni est pugna grauior *filiorum affectum* superare. 703.
In Dei *obsequio* eodem impetu, ac *feruore* omnia peragenda.
Iustorum nomen quàm Deo gratum.
Seruorum Dei proprium ad omnia paratos se exhibere. 704.
Patientiæ simulacrum *Abraham.*
Maius facinus in Abraham *filium immolare*, quam se ipsum. 705.
Nostrum bonum *quærit Deus*, cum nostra à nobis exigit.
Iustus semper *idem*, semper *lætus.*
Abrahæ fides in adulto filio cur probata. 706.
Adamantinum Abrahæ cor.
In *holocaustum* cur *Isaac* immolari iussus.
Longius *virtuti stadium Abrahamo* exhibitum.
Obedientiæ celsitudo in *Abraham* expenditur. 707.
Obedientiam nullæ tenebræ obscuram reddunt.
Ordinem rectum in Dei *obsequijs* seruari quanti referat.
Celeritas in Dei cultu Deo grata. 708.
Dei iussa verus *obediens* non *discutit.*
In *filio* omnia alia bona, quæ per Christum sperabat, vt Abraham obtulerit.
Quilibet suum Isaac habet, quem *offerat.* 709.
Diuinæ *voluntatis* adimplendæ *feruor.*
Nihil adeo *vile* in Dei obsequio, quod *negligi* debeat.

Quæ postquam gesta sunt tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham, Abraham.

703 T*Entauit Deus Abraham.* Ac si alijs tentationibus serui sui constantiam Deus non probasset. Et non iussus à suis peregrinari, in terram ignotam ire? Et non grauis tentatio fuit, ablata illi à Pharaone, & ab Abimelech vxor? cum coactus fuit cum quatuor regibus pugnare? Adeo grauis hæc proprij filij immolandi tentatio, vt aliæ non fuisse videantur, hæcque sola tentationis mereatur nomen. *O*MNI EST PVGNA GRAVIOR FILIORVM AFFECTVM SVPERARE, & in filijs suis immolare se, & consequenter gloriosior omni alia victoria est; quod ad Virginem Mariam transferas, quæ Iesum obtulit, & in Iesu se.

Abrahami nomen ingeminat, rem valde difficilem filij nimirum immolationem dum iniungeret. Et verò paulo post eiusdem Patriarchæ nomen repetijt, rem facilem mandaturus, vt scilicet manum à filij occisione auocaret; quò colligeremus eodem impetu, ac feruore leuia præstanda, quo grauia, dum Deus iubet: Pulchrè ille: Eisdem verbis, eademque nominis repetitione Abrahamo præcipit Deus rem durissimam, tristissimam, & ingratissimam, nempe necem amantissimi filij, tum etiam eisdem prorsus vocibus ei mandat rem lætissimam, & gratissimam, nempe, vt impetum cohibeat, ab inferenda morte abstineat, viuum filium secum reducat. Nimirum qui paret, TANTO IMPETV ANIMI DEBET FERRI AD IMPLENDA IVSSA PRÆLATI, CVM DVRA, ET INAMÆNA PRÆCIPIVNTVR, AC QVANDO GRATA, ET LÆTA MANDANTVR; vnde non maiori vi, aut vehementiori oratione cohibendus est à tristibus, quàm à lætis rebus. Benè ergo eodem vtitur sermone, cùm ad inferendam mortem impellit, ac quando ab eodem reuocat.

Abraham, Abraham. Et cur serui sui nomen Deus repetit? *Quia*, vt ille ait, *iustorum* NOMEN *adeo est Deo gratum, vt* ILLIVS PRONVNTIATIO *sit illi suauissima.* Addit Beatus Dionysius; *R*EPETITIO NOMINIS *indicium est amoris, & familiaritatis.* Et Sanctus Chrysostomus. *Vt* ATTENTIONEM REDDERET *vocationem geminabat.*

Abraham, Abraham. Notatum hoc ab alijs, Deum dum hunc Patriarcham vocaret, nunquam vsum nomine illo magis angusto, minus augusto, *Abram.* Cur ita? *Quia nomen erat*, vt ille ait, *temporale, & quod in breui immutandum erat.* Succinit Origenes dum ait: *Abraham vocabatur vir iste prius*, ET NVSQVAM LEGIMVS *quod hoc nomine vocauerit eum Deus, aut dixerit ei, Abram, Abram. Non enim à Deo vocari poterat nomine delendo.*

At ille respondit: adsum.

CVr nudè *adesse* se Abraham dixit, & non potius se ad iussa implenda paratum? 704
An hic adesse non nudam præsentiam significat, sed promptum ad omnia animum? Abrahæ, & Abrahæ imitatoribus idem est adesse, & esse ad omnia perficienda paratum. In Hebræo legitur, *Ecce ego*, tanquam idem esset, nec à se vnquam abierit, *contra eos*, inquit ille, *qui cum ad arduum aliquod vocantur audire non videntur* EXTRA SE VELVTI ABEVNTES. Adesse non videtur, qui solo corpore adest, abest animo.

Ait

Ait illi : Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac.

QVot verba tot tela sunt, quibus Abrahami animus peteretur, vt statim probaretur quam firmus in Dei obsequio fuerit, quamq; iure *patientiæ* simulachrum dictus fuerit. Sistenda hîc quæ habet Sanctus Basilius Seleuciensis: *Tentatione Deus purgat Abrahamum* PATIENTIÆ SIMVLACHRVM *nauiculam ventis agitat: fluctuum ciet impetum, vt obstupescas, quam nulla tentatione moueatur machinas admouet, naturæ fluctus in iustum sustollit; tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Isaac; arma naturæ exacuit, omniaq; amoris ingeniti tela exhaurit.*

Mirum quàm grandem inflixerit plagam, nomen filij designans; *Et si*, inquit Eusebius Pamphili lib. 1. de resurrectione, vbi Dei expendens verba ait: *Abraham Abraham accipe tu, nec per alium præcipit, sed accipe, inquit, tu filium tuum, & hunc vnigenitum, ait; porrectio tentationis; quem dilexisti, inquit, additamentum doloris alijs. Et post hæc consignat* MAIOREM PLAGAM, *dixit enim & nomen filij. Nam & si hæc omnia essent dulcia & idonea, moueret viscera paterna, vt diceret filium tuum vnigenitum, quem dilexisti. Sed nihil tale, quantum & nuncupationem eius adnuntiaret, & diceret, Isaac accipe, & offeres eum mihi in vno montium.*

Et vade in terram visionis: atq; ibi offeres eum in holocaustum &c.

705 IVbetur Abraham occidere filium, cur non se ipsum? An illud grandius facinus erat, quàm istuc exstitisset? Hinc illud Sancti Thomæ: *Sibi etiam* DIFFICILIVS OCCIDERE FILIVM, QVAM SEIPSVM, *quia naturali instinctu & ordine filius speratur succedere patri, & pater in illo sentit se superuiuere, & ideo in illius morte non solum se, sed etiam spem suæ posteritatis sentit mori & eradicari, & præcipuè pater iam senex qualis erat tunc Abraham.*

Et vade. Hebraicè ex hebraica phrasi, *vade tibi*. Licet Caietanus dixerit sensum esse, *vade tibi, hoc est ad bonum tuum, vt consideret Abraham Deo dicenti, quod iubet ei hoc* AD PROPRIVM BONVM. Nimirum tunc maximè Deus noster bonum nostrum quærit, cum nostra à nobis exigit.

Lætus Abraham fuit, cum prædictum illi, se patrem futurum, habiturum filium, sed à lætitiæ non cecidit suggestu, cum iussus est filium habitum immolare. Idem fuit, nec alius à se; Non tam gestijsti, sic eum quidam auctor alloquebatur, cum prædictus es parens, quàm cum iussus es FILII ESSE CARNIFEX; nihil tibi antiquius, quàm præcepto parere tàm nouo: sic explorat Deus non deplorantis fidem.

Offerre iubetur filium Abraham, idque non
706 cum esset infans, sed cum iam adoleuisset, vt adulta Abrahæ fides plenius probaretur. *Quando autem*, inquit Eusebius Pamphilus lib. 1. de resurrectione, *præcipitur filius offerri?* NON STATIM VT NATVS EST, *quæ enim nuper nata sunt, nec dum tantum habent affectum. Et antequam enim loquantur infantes, perdicis aut columbæ locum ad genitores habent; visum enim tantùm delectant, & incompositè loquentes, cùm autem promouerit ætas, & effulserit sensus, & cæperit sensus per linguam promi, floruerint autem ætatis pulchritudines & firmata fuerint membra istic & initium ipsius corporis, vt rosa, aut lilium, vel aliquis flos maturus, aut fructus iam paratus, ita & pulchritudo, quæ videbatur, & maximè intellectus flectet genitores, & totum se in genitoris euacuat morem. Mouent autem & filij moribus suis parentes & sermonibus, & loquelis. Et quemadmodum extendit manum filius; quemadmodum patrem hortatus est, aut per verbum, aut per linguam, aut per eam quam sumit escam. Loquuntur autem & patres ad filios, & dulcior filij est vox omni alio quod videtur. Nam & frontes filiorum inliciunt aspectum parentum, & millia alia & alia mouent. Et omnia quæcunque locutus fuerit filius, si per noctem amplexus est, si per diem blanditus est. Cum igitur hæc omnia concurrerunt, & cùm maturum factum est donum Dei, cùm domestici in spe fuere, cùm amicis allatum est nuncium, cùm reddidit Deus Abrahæ promissiones suas, & iam haberet filium. Videbatur enim & ipsi Abrahæ solatium promissionis iam factum, cùm in Sara habuerit consolationem, & iam non ab ancilla exprobrationes audiret, cùm cognatio audiens esset in lætitia, cum pueri, & serui, cum domus maiores, & horum filij, & illi homines quibus peregrinus cohabitabat Abraham, cùm vndique excelsum factum esset donum Dei, tunc dicit Deus* TANQVAM AD QVENDAM ADAMANTINVM. *Abraham accipe filium tuum vnigenitum Isaac, quem dilexisti.*

In holocaustum. Vt nihil illius remaneret, & in fumum eius carnes abirent, nec saltem sepultura filij posset senis lenire dolorem. Oleaster hîc: *Quid hoc est Domine? si enim me lanium filij facere vis: cur sepeliri non permittis, & saltem* SEPVLCHRI *præsentia consolari? Nihil horum, sed in fumum carnes abibunt, & ossa, vt nihil vestigij, quo consoleris, relictum tibi sit.*

Super vnum montium, quem monstrauero tibi.

IN montem iubetur ire Abraham filium immolaturus, vt per itineris spatium Sancti Patriarchæ virtus probaretur. Probatus est amor, inquit scitus auctor, ipsa itineris mora, quia non inconsultus impetus est in laude, sed inolitum studium; non aboletur citò, quod placuit diu interpositum est spatium, vt esset LONGIVS VIRTVTI STADIVM.

Super vnum montium quem monstrauero tibi. 707
Dum montem non monstrat, monstrat obedientiæ celsitudinem, quæ Abraham exornabat. *In hoc autem*, verba sunt Abulensis ad verba producta, *adhuc* MAIOR PATET OBEDIENTIA, QVIA LOCVM NESCIEBAT, *ad quem iturus esset, & tamen ad Dei mandatum mouebatur.*

Scie-

Sciebat ergo Abraham terram illam, ad quam iturus erat, quia ſciebat contra quam partem erat, ſed determinate neſciebat montem, ſuper quem holocauſtum facturus erat.

Igitur Abraham de nocte conſurgens &c.

DE nocte ſurrexiſſe audis Abraham, vt nullas tenebras eius obedientiam obſcuram reddidiſſe hinc colligas. Porrò ex eo, quod non dictum eum à ſomno excitatum, aut à lecto ſurrexiſſe, colligit Caietanus hæc vigilanti Abrahamo dicta, non dormienti reuelata.

Vt multa in Abrahamo filium immolaturo placuerint Deo, placuit tamen maximè, ordo, quem ad diuinæ voluntatis regulam perfectiſſimè ſeruauit. Peritè ille auctor; Non immeritò ipſe Patriarcha Deo obediens, arduum aggrediens opus, non ſolum iuſſa impleuit; ſed Deo gratiſſimum ORDINEM SERVAVIT, cùm primum ſilentij lege ſe adſtrinxerit, ne lachrymæ vxoris eum pellicerent, ne importunæ preces ſeruorum, à recto tramite deuiare compellerent, neceſſaria aſſumpſit ſacrificio perficiendo, viam arripuit, montem ſibi ſignatum conſcendit, filium ſuper ſtruem poſuit, ligauit, ac vt inceptum perficeret, occidere aggreſſus eſt. Adeò enim placuit Deo tum mirus exequendi mandatum ordo, vt prohibuerit filij occiſionem: Ne extendas manum in puerum, dicens. Quare Ambroſius docet: Hoc immolandi ordine, meruit filium ſibi reſeruari.

708 Quam citus Abraham ſacrificio ſe parat, in quo à Caini cunctatione valde alienus, & diuerſus eſt. Sanctus Ambroſius ita Abraham Caino præferebat: *Prima voti gratia eſt* CELERITAS SOLVTIONIS; *namq; Abraham filium ſuum ad holocauſtum iuſſus offerre, non poſt dies, vt Cain obtulit, ſed exurgens mane ſtruit aſinam ſuam, & adhibuit ſecum duos pueros, & Iſaac filium ſuum, & concidens ligna ad holocauſtum, ſurgens abijt, & venit ad locum quem dixerat ei Deus, die tertia; primò aduerte immolaturi ſtudium maturum atq; feſtinum, vt mora expectationis non eſſet, niſi donec audiretur oraculum*. Sic ille lib. 1. de Abel, & Cain cap. 8.

Paruit Deo Abraham, nec Dei mandatum diſcuſſit, nec diſputauit an parendum Deo eſſet. Hinc illud Sancti Auguſtini in pſal. 30. *Abraham pater noſter fuit non propter propaginem carnis, ſed propter imitationem fidei. Iuſtus & placens Deo, per fidem ſuſcepit filium ſibi promiſſum Iſaac de Sara ſterili vxore ſua in ſenectute ſua, iuſſus eſt immolare Deo eundem filium, nec dubitauit, nec* DISCEPTAVIT, NEC DE IVSSV DEI DISPVTAVIT, *nec malum putauit, quod iubere optimus potuit.*

Aliunde etiam facinoris huius magnitudo deſumenda eſt, quia nimirum in filij mactatione Deo offerebat, bona omnia quæ per Chriſtum ſperabat. Sanctus Thomas ita rem vrget: *In hoc filio ſperabat Abraham ſe accepturum promiſſiones Chriſti naſcituri, & omnium electorum, ſiue corporaliter, ſiue ſpiritualiter ex eo propagandorum, & cùm vitam æternam adipiſci non poſſet niſi per Chriſtum, eo ipſo per hunc ſperabat ſe aſſequi vitam æternam: ergo hunc filium offerendo* OFFEREBAT TOTAM FIDEM ET SPEM OMNIVM BONORVM, *quæ erant ſibi à Deo promiſſa: & hoc erat altiſſimum.*

Nos quoque noſtrum habemus Iſaac, quem Deo, Abrahæ exemplo immolemus. Pulchrè 709
ille: Vnuſquiſque noſtrum fratres, SVVM HABET ISAAC, nempe corpus ſuum; quod naturali amore ita diligit, non defuerint matres, quæ filijs vitam eriperent, quo proprij corporis vitam incolumem conſeruarent. Vnde liquet, has, corpora ſua magis, quam filios dilexiſſe. Quod ſi ita eſt, non deeſt vtique nobis materia, quo grauiſſimum hoc Sancti Patriarchæ ſacrificium imitari quodammodo valeamus, cum ſimili pietate, ac deuotione dilectiſſimum corpus noſtrum rationabili obſequio Domino immolamus.

Strauit aſinum ſuum. Cur ſeruorum officium herus exercuit? Cupiditas diuinæ voluntati adimplendæ iſtuc fecit. *Et nota*, inquit Pepinus, *quòd ſeruus ſuus ſurgeret ad componendum huiuſmodi ligna ſuper aſinum, ſed ipſemet* EX VEHEMENTI DESIDERIO IMPLENDI QVANTOTIVS PRÆCEPTVM DIVINVM, *dictum officium quamuis vile in propria perſona executus eſt*.

Cumque concidiſset ligna in holocauſtum.

NOtatum ab alijs eſt, ligna non ab arboribus ſciſſa, ſed in minutas diducta partes, vt facilius ignem conciperent, nihilque eſſet, quod ſacrificium retardaret. *Non ſignificatur*, inquit Caietanus hìc, *quòd tunc inciderit ligna ex arboribus: ſed quod ligna groſſa* IN MINVTA LIGNA *ſciderit, vt habiliora redderentur ad ignem holocauſti*. Vbi interim vides nihil adeo vile in Dei obſequio, quod negligi debeat.

Sectio II.

Om-

Omnia *impedimenta* abscçanda, quæ in Dei obsequio nobis occurrunt.
Verus *pater*, qui filium Deo immolat.
Abrahæ obedientia expenditur. 713.
Christi menti semper eius *passio* obiecta.
Electa *victima*, qui in se *curiositatem* mactat.
Altare in impolitis lapidibus struere *Abraham* potuit, qui se in cordis sui altari Deo mactauerat. 714.
Dei timor & *patientia Isaac* vt ligauerit.
Ligari sibi manus & pedes cur voluerit *Isaac*.
Vota religiosorum commendata. 715.
Christus non *vinculis*, sed *charitatis* imperio à Patre ligatus.
Isaaci pietas, dum *ligari* se permisit.

Die autem tertio eleuatis oculis vidit locum procul.

710 VIdit locum procul. In catena græca Fumani hæc habentur ad hæc verba: *Hebræus quidam dicebat* STELLAM ILLIC CONSISTENTEM VIDISSE ABRAHAM, *quam in itinere obseruaret, eadem ratione qua legimus etiam Magis in ortu Christi de Virgine contigisse*. Cœlum locus refert, vbi quis Deo immolatur.

Expectate hic cum asino.

HOc ad noxias, alienasque cogitationes, & curas non alienè transtulit Guilielmus Abbas dum ait: *Curæ, &* COGITATIONES, SOLLICITVDINES, ANXIETATES, *& appetitus carnis expectate cum asino corpore isto, donec ego cum puero intellectus illuc properantes offeramus sacrificium Domino, & postquam adorauerimus; huc reuertemur ad vos*.

Asino isti Iudæos iudæorumque stultitiam comparabat Sanctus Isidorus Hispalensis in Genesim cap. 18. dum ait: ASINVS *ille, insensata est stultitia* IVDÆORVM. *Ista insensata stultitia portabat omnia sacramenta, & quod ferebat, nesciebat; iam quod dictum est eis, expectate hic cum asino postquam autem adorauerimus, reuertemur ad vos, Apostolum audi: cæcitas, inquit, ex parte in Israel facta est; quid est, expectate hic cum asino? vt plenitudo, inquit, gentium intret, hoc est, postquam adorauerimus, vbi sacrificium dominicæ Crucis impletum per gentes fuerit prædicatum; hoc est, vt plenitudo gentium intraret; quid est, reuertemur ad vos? & sic omnis Israel saluus fiet*.

711 *Expectate hic*. Noluit Abraham famulos adesse, cum filium erat in holocaustum oblaturus, *ne* IMPEDIRENT, inquit Caietanus, *occisionem Isaac in holocaustum*. Nimirùm amouenda, quæ impedire sacrificia, & obsequia nostra possunt. Vix seruos censeas, qui nobis in Dei seruitio non seruiunt. Rem luculentius vrget Oleaster dum ait: *Omnia relinquit, quæ ad immolationem filij possent impedimento esse. Si enim serui viderent patrem, puerum iugulare volentem, nonne eum senem delirum vocarent, eumq́; ab hoc, quod facinus putarent: prohiberent? Ideo sanctus senex neminem*, QVI PRÆCEPTVM OPVS IMPEDIRE POSSET: SECVM HABERE VOLVIT. *Quo nos optimè docet: cum aliquod bonum facere voluerimus: neminem habere nobiscum: qui* POSSIT BONVM OPVS IMPEDIRE. *Si tibi quis dixerit maceranti corpus. Cur te is perditum? noli credere, noli talem habere operis inspectorem*.

Postquam adorauerimus reuertemur ad vos.

REuertemur ad vos. Propheticè ista dixisse Abraham aliqui putant. Succensus Diocæsaræ in catena græca Fumani productus, ita scribit: *Probè sanè quod futurum erat* PROPHETIA *indicauit. Sperabat quidem ille se puerum sacrificaturum, verbo autem spirituali, quod futurum erat planum fecit; nam illud reuertemur non sponte protulit & eadem quidem obedientia considerabat, fides autem reditum prædicebat; & sanè quod extremum dixit, verum dixit: sicut etiam prophetas spiritus ea, vt loquerentur comparabat, quæ ipsi nesciebant*.

Ipse verò portabat in manibus ignem, & gladium.

GLadium in manu dum portabat Abraham, tentationis ferro mentem eius pungebat 712
dæmon, sed dum non respondit, neglectu tentatoris tentatorem vicit. Abulensis hîc hanc diaboli pugnam sic offerebat: *Magnæ cogitationes*, inquit, *&* DVRÆ TENTATIONES DÆMONIS ABRAHAM PVNGEBANT; *quia vt dicunt Iudæi, cum pergeret Abraham ad immolandum filium suum accessit malus Dæmon ad eum dicens: O insensate, quomodo filium tuum immolari, vis? Nescis enim quod hoc voluntati Dei repugnat? Non credas insensate senex, quod Deus talia tibi mandauerit, sed tua insania hoc tibi suggerit. Abraham autem in fide constantissimus, licet ad hoc respondere potuerit, spreuit potius, quam respondit*. Scilicet tunc maximè nos vrgent, cum magnum aliquid in Dei gloriam molimur, sed Abrahæ exemplo contemnendæ sunt.

Gladium & ignem secum Abraham detulit, necessaria instrumenta ei, qui Dei litaturus est. Benè Philo: *Annon vides quid & sapiens ille Abraham quando incæpit iuxta Deum metiri omnia nihil creaturæ tribuens, accepit ad ignei gladij similitudinem, ignem & gladium resecare cupiens quicquid mortale habebat, vt expedita cogitatione sublimis ad Deum volaret*. Nimirum in Dei obsequio omnia statim impedimenta abscecanda sunt, & absumenda.

Quid

Quid vis fili.

QVid vis fili. Mirum quod potuerit filium vocare, mirum quod voluerit, & quid filium vocat, qui se exhibet carnificem? *Vocare filium frequenter non timet*, inquit Sanctus Ambrosius, *& hoc se* MELIOREM PATREM PVTABAT, *si eum immolaret Deo*. Melior pater est, dum mactat, melior est & filius, imo & verior dum mactatur; vt frustra sint, qui putant patris se plenius titulum sustinere, si filijs parcant.

Vbi est victima holocausti.

713 VBi est victima holocausti. Verba hæc poterant doloris victimam patrem facere, si alius, quàm Abraham hæc excepisset verba. Quò fortior hîc stetit Abraham, eò solidior eius obedientia fuit. *Nota*, inquit Pepinus, *quòd hoc totum factum est à Deo, vt verba pietatis dicerentur à filio, vt sic magis commouerentur paterna viscera, & vt magis declararetur* PROFVNDA OBEDIENTIA IPSIVS ABRAHÆ: *qui non obstantibus omnibus illis, qua eum ad pietatem flectere poterant: & ad parcendum filio: nihilominus in nullo fuit ab obedientia retardatus.*

Deus prouidebit sibi victimam holocausti, fili mi.

IMmolaturus filium Abraham, cum ille rogaret vbi victima esset, inquit pater: *Deus prouidebit sibi victimam holocausti, fili mi*, ne cor filij dolore sauciaret, victimam non expressit; non ita in Christo factum, cui semper ob oculos vniuersa eius passio versabatur, ob id etiam sæpè mentionem de illa fecit.

Dum immolandus Isaac quæsisset, vbi esset victima holocausti, audiuitque, *Deus prouidebit*, nihil aliud quæsiuit; *simul atq; audiuit Deum*, inquit Sanctus Chrysostomus, *nihil postea loquutus est, nec amplius erat* CVRIOSVS. Electa etiam ab hoc capite victima futurus, quòd in se ipso mactare curiositatem potuit.

In quo ædificauit altare.

714 ÆDificauit altare; ex impolitis nimirum lapidibus; iusti virtutes, & sacrificium altaris ruditatem illustrabat. Honcala: *Non expectes*, inquit, *hic ædificium aliquod regale: sed quale locus, & tempus, & res ipsa amarulenta patiebatur*, IMPOLITIS NIMIRVM LAPIDIBVS ALTARE CONSTRVCTVM: *super quo ligna holocausto peragendo in ordinem disponerentur. Verum specta hic iusti fortitudinem, quomodo potuerit extruere altare, quomodo rem acerbissimam aggredi valuerit, quomodo non defecerit præ angustia: sed altare ædificauerit, & ligna imposuerit*. Qui totum se in cordis sui altare mactauerat, poterat altare struere, in quo filius mactaretur Deo.

Cumque alligasset Isaac filium suum.

ALligate se sinit Isaac, quem prius Dei timor alligauerat, euius animum patientia strinxerat, & fortitudo. Sanctus Gregorius lib. 27. Moral. cap. 5. sic eum efferebat. *Quid Isaac patientius, qui ligna portat, de holocausto interrogat, atque post paulùlum ligatur, & non loquitur, ara superponitur, & non reluctatur, quid ergo* ISTO VIRO DICI PATIENTIVS POTEST? *qui quasi ad solatium ducitur, & requirit, ad feriendum ligatur, & conticescit, & ablaturus holocaustum interrogat, offerendus in holocaustum tacet.*

Cum alligasset Isaac. Putant aliqui id Isaac postulasse ne scilicet signo aliquo, vel corporis motu quem natura imperasset, sui sacrificium veluti inficeret. Auctor sub nomine Chrysostomi hom. 1. in Matthæum hoc significauit, cum dixit: *Sicut ille* (Isaac) *non restitit Abrahæ cum vellet eum occidere, sed dixit Pater mi liga mihi manus, & pedes ne quando insurgam in impugnationem. Sic & ille* (Christus) *non contradixit Patri, sed respondit, si possibile est transeat à me calix iste, sed non sicut ego volo, sed sicut tu.*

Cumque alligasset filium. Sed cui rei volentem sacrificari vinculis ligauit? Honcala. *Non ergo Pater immolandum filium vinculis adstrinxit, veritus ne lignis succendendis superponi se reluctaretur: sed ne instanti morte naturali quodam pauore commotus, sic carnis renisu concuteretur, vt vel ab ara laberetur, vel lignorum seriem dissiparet.*

Cumq; alligasset. Maximam pietatem religionemq; alligatio ista redolet; nam vt scitus ille licet nuperus auctor, ait, *Alligatio*, & vincula Isaac ante sacrificium sponte suscepta, protestatio quædam fuit Deo grata, QVA POTESTATEM SIBI ADIMEBAT RESILIENDI AB OBEDIANTIA, si forte gladio patris aut mortis terrore in priore voluntatis proposito nutare contingeret. Quod ad vota Religiosorum transfertas, quibus se ita ligant, vt resilire inde ipsis non liceat, quod votis promiserunt. 715

Cumq; alligasset Isaac. Non inuitum ligauit pater, sed volentem, vt nimirum fugiendi occasio illi præriperetur. Vinciri se sinit, nolens vinci; *Non colligauit*, ait Abulensis, *quia stare volebat, sed ne dolore victus aufugeret. Non est putandum, quod Abraham ligauerit Isaac inuitum, quia potentior erat Isaac filius suo patre Abraham: erat enim Isaac iuuenis, & annorum 37. vt volunt quidam asserentes, quod eo anno Isaac ad immolandum ductus est, quo mortua fuit Sara mater, licet prius ipse ad immolationem ductus fuerit quam Sara mortua fuerit, & hoc satis est verisimile.*

Ligauit filium Abraham, non quod in illo timeret fugam, sed ne aliquid incompositum, indecensque etiam nolens præstaret, dum offerretur; vt videas in Dei obsequio etiam habitus corporis habendam rationem esse: Bene Caietanus; *Ratio*, inquit, *ligandi non fuit timor, ne Isaac fugeret aut ne Isaac exiliret ab altari, sed ne inuoluntarij motus vtpote naturales in actu*

Z inuola-

iugulationis existentes ordinatum compositumque situm exturbaret in nonnullam indecentiam sacrificij.

Alligauit Abraham filium suum, qui Christi figura erat. Sed reponat aliquis, Christum cruci minimè alligatum, An amor eum tenuit & ligauit? Rupertus Abbas lib. 6. in Genesim cap. 31. ita scribit: *Cumque colligasset Isaac filium suum posuit eum in altari super struem lignorum. Mira videlicet patientia, subiectum, & pro voluntate patris sustinentem intentata mortis tormentum. Ergo ne & DEVS PATER SVVM COLLIGAVIT FILIVM? Colligauit plane: verum non imbecillitatis VINCVLO, SED MAGNÆ CHARITATIS IMPERIO.*

Isaaci obedientiam, pietatem, quòd se siuerit à patre ligari sic pius ille auctor efferebat: *Siuiste te* VINCVLIS ADSTRINGI, non quòd inuitus obires mortem, sed vt caderes in morem victimæ, numquam tam amplo fuisti animo, quàm cum antè constrictus.

Sectio III.

Abraham eò melius *seruauit* filium, quò promptius Deo obtulit. 716.

Cur alia *Abrahæ sacrificia* scriptura non exprimat, sed solum illud, quo filium obtulit.

Ferrum manu gestabat *Abraham* auream efferens *mentem*.

Se supra naturam sustulit *Abraham filium* offerens. 717.

Abrahæ exemplo, quid Deo *offerendum*.

Patrem se esse nesciuit *Abraham* filium immolaturus.

Non *tristis*, sed gaudens filium obtulit *Abraham*. 718.

Quàm tuta *obedientia* via ex Abrahamo discitur.

Patres ex Abrahamo discant filiorum *trucidare voluptates*.

Cur *Abraham* filium immolans *fleuisse* non legatur. 719.

Regia *Abrahæ mens* in filij mactatione.

Abrahæ lætitia filio quoque gaudente, dum immolaretur.

Abraham diuitias contemnere potuit, qui filium immolare valuit. 720.

Admirabilis *obedientiæ* virtus in *Abrahā*.

Pectus *Abrahæ fidei* militabat.

Insigne spectaculum *Abrahæ* cum filio in *patientia* certante. 721.

Extenditque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum.

EO tutius seruauit filium Abraham, quò promptius eum mactare Deo studuit. 716
Pulchrè Sanctus Zeno: *Igitur sibi dulcissimum filium Deo victimam dulciorem contemnit, vt seruet: destinat iugulare, ne iugulet,* CREDE MIHI NVLLO MELIVS SERVARIS QVAM DVM TE PERDIS PRO VIRTVTE; *quod Deo anteponis id totum perdis, & quod vni Deo postponis id tibi seruas securissimum propone tibi ob oculos Saulem Regem: is Imperium Dei habebat, de perdendis Amalecitis, similiter, & ipse Sacramentum, fecerat de perdendo eo, qui ante prostratos hostes sumeret cibum. Quid inde? dum Amalecitas perdit, vidit eorum Regem hominem specie insignem, vidit, & multa alia bona ditia, & nescio qua misericordia ductus decreuit parcere spetioso Regi, & reseruare pulchriora bona, quibus regnum suum maneret diutius.* Exemplum, quod imiteris habes, te & tua vt serues, Deo offer.

In sacrificiū Deo oblatum Isaac legimus, non legimus Deo alia obtulisse sacrificia. Cur istuc suppressit Diuina Scriptura? Pererius. Isaac, inquit, quoniam ea re fuit maximè illustris Christi Domini figura, quod à patre suo, quantum in ipso fuit, immolatus, & sacrificatus est, vt remaneret integra eius figuræ vis plenumque mysterium, ICCIRCO NON INDVCIT EVM SCRIPTVRA OFFERENTEM DEO EXTERNA SACRIFICIA. Quamquam & illud simplicius, ac veritati historiæ propius, & conuenientius fuerit responsum, eorum dumtaxat sacrificia in Sacra Historia memorari, in quibus aliquid euenit diuinitus mirabile admodum, atque memorabile, cuiusmodi quia nihil in sacrificijs istorum accidit: propterea, nihil etiam de illis esse proditum.

Arripuit gladium. Ferro armatam effert dexteram Abraham, filium ad imperium Dei mactaturus Deo; impium hic sit patrem non ferire, *non aliter vti ferro poterat, qui* AVREAM EFFEREBAT MENTEM. Plerique plumbeam efferunt mentem, licet auream ostendant manum.

Extenditq; manum. Qui se supra se extulerat, extendere ad gladium manum potuit, qua offerens filium filium feriret. SE SVPRA NATVRAM SVSTVLIT, inquit S. Ephremus, *nihil prius, antiquiusque diuino ducens præcepto.* 717

Ex victima, quam Abraham obtulit discere quisque potest, quam ipse offerre eidem debeat. Pulchrè Prudentius.

Seuile pignus qui dicauit victima,
Docens ad aram cum litare quis velit.
Quod DVLCE *cordis est, quod* PIVM *quod* VNICVM
Deo libenter offerendum credito.

Mirum quod nihil naturæ indulserit Abraham, nihil paterno affectui, nimirum patrem se esse obliuiscitur, Domini solius memor. Rem sic expendebat Sanctus Zeno: *O Pater, Spiritum captans: corpus verò mortemq;, contemnens:*

nens: O qui se seruum domini ita esse, meminerat, VT PATREM SE ESSE NESCIRET? *Quid est pater, ecce sub oculis iacet filius vinculis astrictus, vbi sunt lacrymæ? vbi dolor qui in humanis sensibus versari consueuit? in tantis filij casibus versatur, & gaudet, & se Dominum promeruisse triumphat.*

Libens obtulerat filium suum Abraham, sed
718 nihil tristatus est, quòd perficere sacrificium suum non potuit. Nempè non suam quærebat, sed Dei voluntatem, idcireo quàm promptè filium obtulit, tàm lubens ab immolatione abstinuit. *Putas*, inquit Eusebius Pamphili libro 1. de resurrectione, *tristatus quia non perfecit promptum animum suum?* SED ABRAHAM EST, NESCIT TRISTARI. *Ignorat perscribere id quod gaudens accepit: non quia non obtulit Deus præcepit gaudens obtulit? Sed quia in nullo obediens fuit.*

Ex Abrahæ sacrificio colligere quisque potest, quàm tuta obedientiæ via sit. Rem sic vrget Alcimus Auitus in fragmentis ex sermone de Ezechia Rege, vbi ait: *Ille quondam Patriarcharum maximus pater, qui immolandum filium iussus offerre, viriliter præsumpsit, nec maiestati hominem posse resistere, nec pietatis præceptum parricidij conuenire. Et tamen, cùm mysterij ignoraret euentum, altari filium quasi iugulaturus imposuit, vnum certissimè tenens, si huius hostia Deo irreuocabilem libuisset tenere sententiam, non homicidium, sed sacrificium fore,* QVOD OBEDIENTIA COMMISISSET.

Ab Abraham patres discant si non immolare filios, saltem filiorum trucidare voluptates; sic enim loquitur Sanctus Augustinus tractat. de temp. barbarico cap. 3. *Nec potes talem te exhibere Patrem, qui paratus sis indisciplinatos filios vel exhæredare vel abijcere: Cum paratus esse debueras sicut Abraham etiam filium immolare? Omnis enim qui* FILIORVM TRVCIDAT VOLVPTATES, *sacrificium tale quale Abraham offeret Deo*: Vera hæc patris est nota, si in filijs amputet, quod Deo displicet.

719 Ad gladium manum mittit, cur non prius lachrymas emisit? An ne videretur in fide minus firmus? *Nemo*, inquit Sanctus Zeno, PLANGIT *viuas exequias, & innocentis hominis obsequium, nemo ante fletibus rigat, ne pater dubitasse videretur, ne* FLESSET.

Regiam in hoc facinore mentem extulit Abraham, regium circumtulit animum; *cum videretur*, inquit S. Chrysostomus, *interficere filium, cogita quàm multa cogitationes tunc insurrexerint in illum, & tamen subegit omnes, omnes illum metuebant. Magis quam Regem metuunt satellites, omnesque solo oculorum intuitu compescuit, nec villa illarum ausa est erumpere, sed submittebant vultus, ac velut* IMPERATORI *cedebant vniuersa, quamuis erant acerrima omnes.*

Lætus offert pater filium, filius lætus se à patre offerri, diceres inuicem certare, vter lætior alio esset in hac oblatione. Sanctus Zeno: LÆTATVS EST; inquit, *puer, patre fideli ipse quoque fidelior, nec recusabat mortem, quam Deus, qui vitam dederat imperabat,* LÆTATVS EST PATER FILIO QVOQVE GAVDENTE, *& cum gaudio vnici pignoris alligat manus, quas ille vinciendas libentius offert; pedes quoque constringit, ne in exitu mortis concitata victima calcitraret.*

Non timet immolare Deo filium; quàm par
vi diuitias faciebat, quas seruabat filio, qui 720
filium ipsum mactare non timuit? Pulchrè Sanctus Augustinus in psal. 84. *Erat Abraham in diuitijs pauper humilis, tremens præcepta & obaudiens; vsque adeò autem pro* NIHILO HABEBAT ILLAS DIVITIAS, *vt iussus à Domino, filium suum immolaret, cui seruabat diuitias; discite ergo esse inopes & pauperes, siue qui habetis aliquid in iste seculo, siue qui non habetis.*

Abraham victimam parantem, parantemque se, ad eam offerendam, sic efferebat Sanctus Bernardus serm. de virtute obedientiæ: *Hanc dulcedinem & omnis affectus vicissitudinem obliuiscitur Abraham, sternit asinum suum, ligna componit, ignem accendit, eximit gladium. Non à Domino quærit, quare? non murmurat, non conqueritur, non saltem vultum doloris ostendit, sed omnium, quæ præcipiuntur gnarus, in mortem filij pia crudelitate festinat. Ideo summa &* ADMIRABILIS OBEDIENTIÆ VIRTVS IN *ABRAHAM, & singularis excellentiæ laudibus prædicanda.*

Ferro dum esset percussurus filium Abraham, non doluit, non timuit, nec eius tremuit manus; aliena sunt ista ab illo pectore, quod fides, & deuotio corripuerat. *Membra*, inquit Sanctus Zeno, *quæ osculis premere consueuerat armatus gladio iubetur occidere.* Nil refugit, nisi quod huic facinori paratior, ac promptior, cum hoc pietas iuberet, ad illud natura alliceret. Addit: PECTVS FIDEI MILITABAT, *non pallescit vultus, non contremuit manus.* Virtus colorem illum nescit, nescit hunc motum fides.

Certant inter se Patris, & filij virtus, alter 721
alteri animum inhalabat, patientiam affricabat victima immolanti, & immolans victimæ. Felix pugna, in qua nullus vincitur. Oblatam victimam cum offerente ita conferebat idem Sanctus Zeno Veronensis serm. de Patientia: *O nouum spectaculum, ac verè Deo dignum: in quo diffinire difficile est,* VTRVM SIT PATIENTIOR SACERDOS, AN VICTIMA. *Non percussoris, non percutiendi claudicat color; non membra tremore vibrantur; non demissi, non torui sunt oculi. Nemo rogat: nemo trepidat: nemo se excusat: nemo turbatur, ne verè sit parricidium. Ille exerit gladium, ille ceruicem vno voto, vna deuotione: ne quid profanum sit, diligenter, ac patienter geritur, quod ab altero celebratur. Ille lignum, quo inuratur, sibi præportat: ille aram struit. Sub tanto, non dicam humanitatis, sed potius ipsius naturæ metu læti sunt. Soli credit affectus pietati: pietas religioni: fauet vtrisque religio. Medius stupet gladius nullo impedimento suspensus mactatione terribili gloriam se præstitisse, non crimen. Quid hoc est? Ecce immanitas in fidem & scelus transit in Sacramentum; parricida incruentus redit: & , qui*

immolatus est viuit. Ambo sibi gloria: ambo claritatis exemplum: ambo Dei cultus admirabile seculis testimonium. Felix orbis fuerat, fratres, si omnes sic fierent parricidæ.

Sectio IV.

Sinistra *opinione* ne serui sui laborent studet *Deus*. 722.

Toti in Dei *opus intenti* esse debemus.

Seruorum suorum *merita* vt augeantur *Deus* quærit.

Obedire non videntur qui ad *obsequia* adiguntur. 723.

Verus *obediens* ad omnia æquè paratus.

Quinam plus *meruerit* an *Abraham* gladium exerendo, an Isaac iugulum præbendo.

Vel *crucifixi* similitudo ad vitam. 724.

Patrem se esse vix nouerat *Abraham*, dum filium immolaret ab omni humano *affectu* discretus.

Verè *obedientiæ* forma in *Abraham*.

Deus bonis minatur, malos perimit. 725.

Sacrificium etiam incruentum Deo placet.

Prompta *voluntas* in oblationibus quanti sit momenti.

Isaac primas *passionis* partes *Christo* cessit. 726.

Vel *Crucis* figura Deo grata.

Angeli cum mactare se nequeant student, vt alij id præstent. 727.

Arietem inter spinas *præsules* in culmine positi referunt.

Voluntas suppleat, quod *victima* deest.

Qui aliquod *opus* in Dei *obsequium* præstare nequit alteri manum admoueat. 728.

Licet *victima* mutetur mutari tamen *voluntas* & cultus non debet.

Quanti referat humanam *gloriam* non quærere, sed solum *Deum* spectatorem habere.

Et ecce Angelus Domini de cælo clamauit, dicens: Abraham, Abraham.

722 CVr antea ad aurem submissè locutus pauca de cœlo tam validè exclamauit? An vt tanti patriarchæ honori consuleretur? nam inquit eruditus ille auctor, si Isaac clamorem de cœlo non audiret ac Deum prius præceptum reuocantem non auscultaret; fortasse crederet genitorem suum Abrahamum patrio affectu à Diuino obsequio reuocatum. Ne igitur sanctissimi patriarchæ nomen etiam apud filium SINISTRA OPINIONE LABORARET; palam Deus magnis clamoribus testatur, Abrahamum ab illo sacrificio, non aliter quam diuinitùs impeditum.

Abraham, Abraham, Vocem ingeminat, nam totus Patriarcha operi incumbebat, totus filij sacrificio incubabat, vt non leuiter fuerit reuocandus. *Vox mittebatur*, inquit Sanctus Basilius Seleuciensis, *& manus ligabatur. Euentem ad iugulum feriendum dexteram desuper tenet: ingeminat vocationem, vt manum comprimat.* TOTVM ENIM IN OPVS INTENTVM, *& qui tantillo abfuit, quin in filij sanguine ferrum mergeret, cohibet, appellatione conuertit verbo, frænat impetum, tanquam fræni impatientem equum ad se attrahit.*

Non extendas manum tuam super puerum.

CVm reipsa non esset Abraham filium immolaturus, cur non prius misit Deus Angelum, qui & moneret sacrificaturum? cur voluit, vt manum eleuaret? An vt sic plus mereretur? Benè ille: In diuinis litteris legitur Deum Patriarchæ Abrahæ imperasse, vt filium suum Isaac primogenitum immolaret, & quamuis puerum à morte, & senem ab illa magna afflictione eximere voluerit, tamen, nec cum ad montis sinum accesserunt, neque cum Patriarcha filium suum super struem lignorum posuit, neque quando eum ligabat, sed cum brachium iam ad puerum interficiendum, eleuatum patebat, ipse Deus voluit subuenire. Quæ omnia, vt duo illi sancti viri PLVS PRÆMII MERERENTVR, & vt mundus verè seruorum Dei fiduciam intelligeret, acta sunt.

Voce à filij immolatione auocat Angelus Abrahamum; cur non potius ferientis manum tenuit, aut ferrum? An vt promptæ parentiæ daretur locus? Is qui paret, inquit bonæ notæ auctor, non vi adigendus est ad obsequium; sed vel sola vox, vel etiam nutus sufficere debet, vt eum ad parendum trahat. Satis est monuisse Abrahamum, neque aliquid addere opus fuit. NEQVE VERO OBEDIRE ILLI DICENDI SVNT, qui vi aliqua iniuncta ad officium exhibendum vrgentur. 723

Qui voce ad filium immolandum vocatus fuerat, voce itidem ab immolatione auocatur, ad perfectè obedientis formam, qui æquè ad omnia paratus esse debet, vt non sit necesse maiori vi in vnam partem flecti, quam in aliam. Non vim, inquit scitus auctor, infert Angelus; non tenet impetum ferientis; sed voce tantummodo admonat. Nempe, voce admonuerat, vt faceret, voce item imperat, ne exequatur. Scilicet, ILLE, QVI PARET, AD OMNIA ÆQVE PENDERE DEBET, neque maiori vi ad vnum, quàm ad aliud trahi. Voce stimulatur Abraham ad immolandum filium; voce item tenetur, ne mactet. Scilicet Patriarcha forma est eius, qui legitimè paret, qui

æquè

æquè in vtramque partem propender, & in eam partem, in quam voluntas Prælati vergit, nullo negotio trahitur.

Non extendas manum tuam super puerum. Nimirum qui plenè paruërat, plenè seruatur, vt ait Honcala, qui hoc quoque adiicit: *Quæras, vter horum maius virtutis præmium apud Dominum, supremumq́; iudicem* SIT PROMERITVS: PATER NE GLADIVM EXERENDO, AN FILIVS IVGVLVM PRÆBENDO? *Ad quod facile respondemus solum Deum id apprime nosse: quia spirituum ponderator est Dominus; nihilominus exploratum nobis est in sacra historia frequentius, multoque amplius patris votum de mactando Deo filio suo, quàm filij voluntatem de moriendo paterno gladio passim celebrari.*

724 Super lignorum struem vix Isaacum Abraham posuerat cum imperium Deus reuocat, iubetque vt puero parcat. Quem postulabat, inquit pius ille auctor, Dominus paulò antea ad mortem, nunc postulat eundem ad vitam. Et cur modo eum postulet ad vitam? Vbi Isaac à parente positus est super struem lignorum, vbi sacrificandus extitit; simul apparuit simillimus Dei filio CRVCIS ARBORI SVFFIXO, ex qua similitudine non potuit non reseruari ad vitam.

Super puerum. Cur non apertius dixit *super filium?* An quia Dei operi ita etat intentus, vt patrem se esse, filium se habere oblitus est? *Abraham*, inquit Sanctus Hieronymus, *filij sui dum dexteram Deo armat, oblitus est*. Luculentius nuperus auctor: Quid ais, inquit, super puerum? Cur non clariùs loqueris, & dicis, ne extendas manum super filium, vel super Isaac? Cùm illum petebas ad mortem, ais: Tolle filium tuum, quèm diligis Isaac; quando illum liberare satagis, cur etiam non vocas filium, aut Isaac? Sic Abrahamus erat intentus Deo, ab omni affectu humano discretus, vt PRO TVNC FILIVM NON AGNOSCERET, ac propterea nec se patrem.

In Abrahamo veræ obedientiæ habemus formam, nam ille ita Deo paruit filij immolationem iubenti, vt à mactatione auocanti. Peritè Sanctus Augustinus in psal. 30. *Duxit filium suum ad immolandum, imposuit ei ligna sacrificij, peruenit ad locum, erexit dexteram vt percuteret: eo prohibente deposuit, quo iubente leuauerat, qui* OBTEMPERAVERAT, *vt feriret, obtemperauit vt parceret: vbiq́; obediens nusquam timidus.*

Nunc cognoui, quod times Deum, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me.

725 PArcit victimæ Deus, imperium reuocat, iubetque vt ferrum reuocet pater, aries mactatur pro Isaac, *De more*, vt ille ait, *Numinis, quo bonis minatur, malos perimit.*

Et non pepercisti. Ostendit nimirum sacrificium quoque incruentum Deo placere. Vt hinc quisque colligat, etiam sine sanguine posse quemlibet se Deo mactare. Scitè Sanctus Chrysostomus: *Non pepercisti enim filio tuo dilecto propter me; atque viuum eum recepit, & incolumen reduxit: quomodo igitur non pepercit? quod non ex factorum exitu, sed ex animi sententia, inquit, de eiusmodi sacrificijs soleam iudicare; non mactauit manus, at voluntas mactauit: non gladium pueri iugulo immersit: non ceruicem incidit;* SED EST SACRIFICIVM ETIAM SINE SANGVINE. Hactenus ille hom. de S. Eustachio.

Commendatur Abraham tanquam si re ipsa filium immolasset, quia nimirum voluntate id fecerat. Rem sic expendebat Sanctus Valerianus hom. 18. Abrahæ filium vnum mactantis exemplo matrem illam, quæ septem obtulerat, efferens: *Docet lectio veteris testamenti Abraham patrem nostrum vnicum filium suum Isaac immolandum Deo sacrificium obtulisse; quod per totum orbem memorabile fidei constat esse documentum; ac licet nullus perfuderit sanguis altaria,* FVIT TAMEN IN VOLVNTATE VICTORIA: *quia apud Dominum hoc est velle, quod facere: cui ita Angelum legimus adclamasse: Abraham, Abraham, ne inijciat manus in puerum sufficit quod agnoui, quod diligis Dominum Deum tuum. Si ergo pater noster Abraham vnum filium suum sacrificium obtulit, & placuit: quantò magis hæc quæ vno tempore septem votis consentientibus immolauit, se ipsum octauo loco hostiam Deo offerens.*

Non fuit occisus Isaac, vt primas passionis partes Christo ipsi cederet, cuius erat imago. Ita loquitur Clemens Alexandrinus lib. 1. pædag. cap. 5. *Solummodo autem iure Isaac non passus est, qui primas* PASSIONIS PARTES *V*ERBO CESSERIT. *Quin etiam significat Domini diuinitatem, dum non fuit occisus.*

Leuauit Abraham oculos suos, viditq́; post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus.

H*Aerentem cornibus*. Aliqui ex hebræo ha- 726
bent: *Qui pendebat*, vt crucis mysterium magis ad viuum exprimeretur. In catena græca Fumani: *Illud: qui detinebatur cornibus: syrus & hebræus habet, qui pendebat, vt sic manifestius exprimat crucem; verùm ipse quoque aries, idem apertissimè indicat; non enim dixit: agnus paruulus, vt Isaac: sed aries, vt Dominus perfectus; quin etiam quemadmodum plantam habet* SANCTAM CRVCEM *vocauit, quod vocabulum remissionem significat; ita & Ezechiel in fine, aquam remissionis vocauit eam, quæ Sanctum Baptisma exprimit; duo enim extitere, quæ peccata remittant atq́; condonent*. Scilicet vel Crucis figura Deo grata est.

Hærentem cornibus. Hoc animal in cruce expansum ab Abrahamo visum aliqui putant, vt Dei filium crucifixum referret. Sic inter alios Eusebius Pamphilus lib. 1. de Resurrectione. *Si Deus pro homine ouem præbebat, subito in ipso loco debuit, vbi erat Isaac, in ipso altari, aut in terra, aut iuxta altare, aut ligatum ad radicem arboris. Hunc autem apparet ouis suspensa, & à cornibus, & suspensa in arbore. Natura autem interpretabatur, quod erat occultum. Si quis enim*

suspenderit euem à cornibus in arbore id quod sequitur, videbit quod erat futurum. Necesse enim est istam quæ ita pendet in arbore ouem, separatos expandere pedes priores; hoc enim expedit ouis quæ ita suspenditur. Necesse est enim & separari eius, qui deorsum sunt pedes. Cum igitur ouis suspensa in ligno, & in arbore expansa fuerint manus, & pedes, neque interpretatione indigent hi, qui habent oculos mentis. Sed quis est, qui periclitabatur occidi homo. Quid est quod pro homine immolabatur? ouis suspensa in ligno. Tanquam si diceret Deus ad Abraham. Non tuus vnigenitus necessarius. Sed curras quidem forma per tuum, seruetur autem meo vnigenito quod fit. Ita ouis apparuit pro homine; & hæc in ligno; & hoc suspensa; & hæc cuius HÆSERVNT MANVS ET PEDES TANQVAM IN CRVCE.

727 Quæri hîc potest, qui arietem, qui vepri cornibus hæreret post Abrahæ tergum adduxerit. *Dicendum*, inquit Liranus, *quòd fuit ibi adductus* MINISTERIO ANGELICO. Cum se ipsos mactare Angeli nequeant, nec vitam profundere pro Deo, amant quo possunt modo operam suam exhibere, vt alij id præstent.

Inter vepres hærebat aries; hunc arietem referunt, qui in supremo sunt culmine, spinosus seriò cogitanti dignitatis est thronus, qui totus floridus tem non pendentibus, videtur. Adrianus Papa IV. inquit nobilis ille auctor, velut ARIES ILLE DIVINVS ABRAHAMI, inter vepres hærens cornibus, se in tam alto solio dignitatis collocatum, vepribus vndique circumsessum mærebat. Cathedram enim summi Pontificis appellare spinosam consueuerat, tam acutis horrentem aculeis, tantæq; molis, vt robustissimos humeros tereret, & comminueret. Coronam aiebat, & Phrygium, clara multis speciosaque videri, se verò ab eo tempore, quod ad tantum honoris gradum esset euectus, nullam quietis & felicitatis partem habuisse, sed à Domino in incude & malleo semper dilatatum, & meminit Sarisberiensis, qui familiaris illi fuit.

Cur alia additur, quæ offeratur victima? *Sacrificium Domini*, inquit Sanctus Zeno, *non dimittitur, sed mutatur*. Vt electior videatur, quæ dimittitur, voluntas, ac pietas, suppleuit quod deerat in victima, nihil exiguum dixeris, quod magno offertur affectu. Denique à victima vilitatem abstulit Abraham, dum in victima obtulit se, suamque voluntatem Deo sacrauit.

Præterea hæc victimæ mutatio docet, cum
728 quis aliquod obsequium præstare Deo non potest, vt alteri manum admoueat suppleatque in vno, quod in altero deficit.

Mutauit Abraham victimam non animum, non vultum, non feruorem, in re non eadem offerenda eundem se exhibuit. *Eo ferro*, inquit Sanctus Zeno *mactauit arietem, quo filium percutere iam parabat. A filio ad agnum transtulit dexteram semper lætatus, & gaudens.* NEC MVTATVS EST VVLTVS EIVS, CVM ESSET VICTIMA COMMVTATA. *Cum tanta lætitia arietem obtulit, cum quanta obtulerat, & filium; ubi enim fides fuit, non erat dolor.*

Appellauitque nomen loci illius: Dominus videt.

D*Ominus videt*. Spectatores homines habere non quærit, satis est si Deus videat, vt non mirum sit in omni sæculo homines tanti facinoris admiratores esse Deus voluerit. Benè ille. O quam longè sancti aberant à quærenda laude? In his, quæ agebant, solos Dei oculos intuentes optabant. Dominus videt, inquit Abraham. Quid? in re tam ardua, tam insolita, tanti meriti iure digna omnium creaturarum conspectu, spectatores non quærit, Dominus videt, satis est. Sed notate: Quia fecisti hanc rem, &c. multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & vocabor Deus Abraham quasi dicat. TV GLORIAM NON QVÆRIS: solis meis contentus oculis: & ego conspicuum te reddam, & Angelis, & hominibus; scilicet plusquam homo est, qui homines spectatores habere non curat.

Sectio V.

Voluntas apud *Deum* pro facto computatur. 729.

Quanti *obsequia* sibi à nobis exhibita *Deus* æstimat.

Dei *beneficia* magnè æstimanda.

Quicquid *filius* boni præstat in *Patris institutionem* resilit. 730.

Imitari mactantem *Abraham* vt quisque debeat.

Abrahæ *fides* expenditur.

Bonis mali *nocere* nequeunt. 731.

Ferè *cælestis Abraham* factus post immolationem filij.

Inimico parcere quàm grande apud Deum facinus sit.

Fęcunditas crescentis *Ecclesiæ*, ex multitudine inimicorum eius. 732.

Qui se totum Deo *obtulit* nihil cum seruis *mundi* commune habet.

A *iactantia* exulet, qui Deo militat.

Quò plura, ac maiora præstamus in Dei *obsequium*, eò parcius de nostris operibus *loquamur*.

Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me.

Q*Via fecisti rem hanc*. Fecit quia voluit, 729
voluntas apud Deum pro facto computatur, VOLVNTATE *iugulauit*, inquit Sanctus Hieronymus: & Sanctus Ioannes Chrysostomus sic locum istum expendebat: *Considera misericordiam Domini. Non pepercisti, inquit, filio tuo? Attamen*

men viuum ipsum reduxit. Non euentum considera, sed VOLVNTATEM, *qua faciebat mandata citra ratiocinationem curiosam. Quantum enim ad voluntatem attinet, cruentauerat dexteram Patriarcha, & per ceruicem pueri immiserat gladium, perfectumque obtulerat sacrificium. Idcirco & Dominus quasi sacrificio consummato laudat, iustum. Tu quidem non pepercisti propter meum mandatum; ego autem peperci propter tuam obedientiam.* Audiendus hîc quoque Sanctus Ephræm Abrahamum sic efferentem sermon. in Abraham. ARDENTEM VOLVNTATEM *admirati sunt Angeli, Principatus, & Potestates, Throni, Dominationes, omnesque exercitus: obstupuerunt Cœli, Sol, Luna, & astrorum Chorea, super re adeò admirabili atque stupenda. Deus porrò sola contentus fuit voluntate fidelissimi reuera, Sanctique Abraham.*

Quia fecisti rem hanc, Sed quam? Cur non explicat quidnam Patriarcha præstiterit, vt Deo obsequeretur? In Libro Genesis, docti sunt auctoris verba ad verba producta, præcepit Deus Abrahæ, vt sibi filium suum immolaret. Et solummodò quia hoc facere voluit ei dixit. Quia fecisti rem hanc. Ecquid est hoc Domine, nullum ei nomen imponis? O benedictus talis Deus, qui tantum suis defert honorem, eorumque sibi EXHIBITA MINISTERIA TANTI ÆSTIMAT, VT NVLLVM EI NOMEN INVENIRE VIDEATVR. Quod si ministerijs hominum Deo exhibitis nomen non reperit? quomodo eius in homines COLLATA BENEFICIA, cum sint innumerabilia, satis apto vocabulo poterunt explicari?

730 Abrahæ obedientiam cum Deus efferat, & commendet, cur non etiam extulit patientiam Isaac? *Ratio est*, inquit peritus ille auctor, quòd patientia filij paternæ institutioni tribuebatur, & propterea quicquid boni filius agebat, REFVNDEBATVR IN PARENTEM: ideoque pater potius quam filius dignus erat, qui à Deo laudaretur. Tanti refert benè à patribus filios institui.

Imitari Abraham quisque debet. Imitatur qui se ipsum Deo offert, & diuinæ voluntati suam mactat. Hinc illud Sancti Gregorij Nazianzeni orat. 20. *Magnus Abraham, & Patriarcha, & noua victimæ mactator, eum quem ex promissione acceperat beneficij auctori offerens, victimam promptam, & alacrem, atque ad cædem properantem: atqui nec parua huius nostri laus est,* QVI SEIPSVM DEO OBTVLIT, *nec quicquam in eius locum, tanquam ipsi par (quidnam enim illud esset) substitutum est, sed plenè perfecteque litatum.*

Oblatum ab Abrahamo filium putauit Deus, quia mentem eius spectauit potius quàm gladium, voluntatem potius quàm manum. Pulchrè de hac oblatione Sanctus Zeno: *Abraham Dominum filio: Sacerdotem pretulit patri: nec pium se credidit, nisi probasset fidelem. Denique carissimi intrepidus ad ministerium immolationis armatur; rimatur ad ictum vulneris securus animus: sed securior manus: elatus in immolandum gladius libratur: nec puerum mors vicina contristat: ne trepidatio fidem prodat infirmam. Sub hac denique immolantis, immolandique constantia absolui meruit, dum humanum ex se deponit timorem: & quantum ad* FIDEM *pertinet, pater promissa compleuit: Dominus parricidium probata voluntate prohibuit.*

Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas, & velut arenam, quæ est in littore maris.

Cvr stellis Abrahæ semen comparatur? *Filij Abrahæ*, inquit ex R. Salomone Abulensis, *comparantur stellis quantum ad bonos, quia quando boni essent* NVLLVS EIS NOCERE POSSET, *sicut* NVLLVS NOCET STELLIS *in sublimi positis, quando mali essent, comparantur arenæ vel pulueri, quia ita conculcarentur ab omnibus sicut puluis.* 731

Ac si cœlestis naturæ fuerit effectus stellas in cœlis positas pro filijs iussus numerus, qui vnicum filium in terris pro Deo consumpserat. Hinc illud Sancti Hieronymi: *Abraham cum vnico non parcit in terris:* STELLAS PRO FILIIS *annumerare iubetur in cœlis: carnalisque despector naturæ* IN NATVRA SYDERVM *collocatur.* Sic nimirum ferè cœlestis fit, qui humanum exuit erga filios affectum, vt Diuinæ litet voluntati.

Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.

Eadem promissio, quæ nunc fit Abrahæ, facta est etiam Dauidi, sed quid fecit Dauid, vt in hoc pariari Abrahæ potuerit? Licet filium non obtulerit, inimico tamen pepercit, quod magnum apud Deum facinus est. *Ratio docet*, inquit Rupertus, *non multo minoris esse meriti pepercisse inimico propter Deum, quam non pepercisse vnigenito filio propter Deum*, HOC FECIT DAVID INIMICO SVO INFENSISSIMO QVÆRENTI ANIMAM SVAM, INIMICO REGI, *cuius regnum sine dubio se suscepturum sciebat, ibi pepercit vbi quærebat animam suam, quod eatenus fuerat inauditum, sicut ipse testatur Saul admirans & dicens ad eum: quis enim cum inuenerit inimicum suum dimittet eum in viam bonam? ob hanc maxime causam iuratum esse illi arbitramur, quod semen vel caro eius assumenda foret in filium Dei; quia maxime causa ista facit filios Dei, sicut testatur ipse Dominus cum ait, diligite inimicos vestros vt sitis filij patris vestri qui in cœlis est.* Qui filium non habet, quem Deo offerat, inimico ignoscat, illatas iniurias obliuione sepeliat, & Abrahæ comparari potest.

Omnes gentes. Hæc verba peritè discutit Sanctus Augustinus lib. 4. contra Cresconium grammaticum cap. 61. dum ait: *Hac tu vera dixisti; & sic impletur promissio quæ dicta est Abraham, in semine tuo benedicentur omnes gentes. Omnes, inquit, gentes: non dixit, omnium gentium omnes homines. Vnde necesse est non solum,* FÆCVNDITATE 732

DITATE CRESCENTIS ECCLESIÆ, *verumetiam permixta multitudine inimicorum eius, per quos pietas eius exerceri, & probari possit, vsque in finem iudiciariæ separationis totus orbis impleatur*.

Reuersus est Abraham ad pueros suos.

REuersus est Abraham, cur de Isaac nihil dicitur, præsertim quod dixerat Abraham ad pueros: *Ego & puer illuc vsque properantes postquam ibimur adorauerimus reuertemur ad vos.* Nodum proponit, & acutè soluit eximius ille auctor dum ait: Ante sacrificium dicebat, & se, & puerum reuersuros ad seruos, & quidem id non putabat futurum. Verum post sacrificium Abrahamus solus dicitur reuertisse, & puer reuertisse non exprimitur, & quidem iam nunc reuertebatur, & puer cum parente suo. Cur ergo qui ante promittebatur reuersurus ad seruos, post sacrificium peractum non exprimitur reuertisse, nisi quia ille, QVI SE TOTVM OBTVLERAT DEO, NIHIL CVM SERVIS MVNDI DEBET HABERE COMMVNE? Equidem vbi Isaac se totum Deo in holocaustum obtulerat, iam non debuit numerari inter eos, qui ad seruos redeunt, qui adhuc exhibent miseram creaturis seruitutem.

Reuersus est ad pueros. Non legimus Abraham magnas promissiones seruis aperuisse, non diuinitus seruatam filij vitam narrauit, hæc apud se condebat Abraham. *De tanto opere*, inquit Lippomanus, *vel promissis* NIHIL IACTAT IVSTVS, *simpliciter arbitratur se id egisse quod obligabatur, & Domino debebat tanquam seruus inutilis parcissimus verbis vbique, sed sapientissimus consilijs, & factis*. Hac lege incedere in Dei obsequio debemus, vt quò plura, quò maiora præstamus, eò parcius de ijs quæ præstiterimus, loquamur.



CAP. XXIII. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio Prima.

Mortis memoria pro Dei præsentia sufficit. 733.
Moderato *fletu mortui* prosequendi.
A *funere* ad sublimiorem *virtutis* statum eundum.
Sepulchrum propria hominis possessio, alia aliena est. 734.
Qui Deo se subiecit nihil cogitat, quod *mundum* sapiat.
Maximè *nostri*, qui hinc *abierunt*.
Dilectio erga *mortuos* commendata. 735.
Mortui vtilitatem in omnes spectatores spargunt.
In viris *principibus* virtutes potius spectandæ, quàm *diuitiæ*.
Verus *obediens* maximi à Deo fit. 736.
Princeps, & *iudex* ob oculos semper *Deum* habeat.
Sanctitas, & quædam diuinitas in *verbis* Principum virorum eluceat.
Magnanimi est suis *laudibus*, & encomijs non labefactari. 737.
Mulierum familiaritas, malique *occasio* vitanda.
Bonum *exemplum* diuinæ maiestatis testimonium.
Dona grandi pretio vt *emantur*, scilicet libertate. 738.
Qui *obeunt litium* semina posteris non relinquant.
Diuinis *pollicitis* tantum *fidendum*.
Præsentia Christi sub *Eucharistico* pane quanti facienda. 739.
Qui viua *fide* imbuti altè *mortem* cogitent.

Vixit autem Sara centum viginti septem annis.

NOtant aliqui post Saræ mortem, Deum vlterius Abrahamo apparuisse, non legi: tanquam scilicet vxoris mors, 733
& mortis memoria præstaret, quod Dei præsentia præstabat, adeo vt non esset necesse, vt Deus Abrahamum inuiseret. Benè ille: Non solum mortis memoriam conseruabat Abraham, sed insuper de paranda sibi ipsi sepultura sollicitus erat. Igitur quando mors in Patriarchæ memoria viuit, & de sepulchro sollicitus est, tunc quasi Dei visitatio, & præsentia non sit necessaria, Deus suum subtraxit aspectum, nec vltra Abrahamo se se videndum exhibuit: QVIA PRO DEI PRÆSENTIA SVFFICIEBAT MORTIS MEMORIA, quam de proprio tumulo sollicitus retinebat, in vna sepeliebatur vir, & ideo Deum ipsi postmodum apparuisse non perhibetur. Scilicet qui de sepulchris agit, & in vita quodammodo sepelit se, Dei apparitione non indiget, quia diuinæ præsentiæ vicem mortis cogitatio supplet, & tractatio sepulchrorum.

Planxit Abraham vxorem suam Saram, *veruntamen*, inquit Beatus Dionysius, *sicut spiritaliter ac sapienter eam amauit, sic* MODERATE EAM DEFLEVIT; non sapienter amat, nec amat in Deo qui modum in fletu excedit. Addit idem auctor. *Sed cum Sara fuerat mulier Sancta, quare Scriptura non recitat eam obijsse in senectute bona, & plenam dierum, sicut refert de Abraham, & alijs sanctis viris quibusdam? Forsitan*

tan ideò, quia non eſt conſuetudinis ſcripturarum, MORTEM FOEMINARVM, *quamuis ſanctarum, tam ſolemniter deſcribere, ſicut virorum.*

Cumque ſurrexiſſet ab officio funeris; locutus eſt ad filios Heth, dicens.

Signatè *ſurgendi* vtitur verbo potiùs quàm *recedendi*, vt hoc verbo innueretur; à ſepulchro, à funere, à mortuorum adſpectu ad ſublimiorem virtutis gradum eundum. Hinc nobilis ille auctor: *Non dicitur receſſiſſe, ſed ſurrexiſſe, hoc eſt ad* ALTIOREM, PERFECTIOREMQVE *viuendi ſtatum euaſiſſe.*

Aduena ſum, & peregrinus ſum apud vos; date mihi ius ſepulchri vobiſcum, vt ſepeliam mortuum meum.

734 PRima terra quæ emitur, emitur in ſepulchrũ; vix alio ſpectari debet homo morti obnoxius. Bene Sanctus Thomas: *Eſt valde notabile, quod prima terra quam de iure ſibi acquiſiuit, imò qua in ſcriptura prima empta legitur,* FVIT SEPVLCHRVM, HOC ENIM DE IVRE HOMINI LAPSO COMPETIT, *nec aliud hic nobis eſt quærendum aut habendum.* Scilicet ſepulchrum propria hominis poſſeſſio, alia aliena eſt.

Date mihi ius ſepulchri. Cum aduenam, & peregrinum ſe dixiſſet cur non potius ius exigit ciuitatis quàm ſepulchri? *Abraham*, inquit Sanctus Hieronymus, *poſt verbum Domini, locum ſibi non vbi* VIVERET, *ſed vbi* MORERETVR, *acquirit;* vbi ſe Deo dederat, Dei ſe ſubiecerat voluntati, nihil cogitat, quod mundum ſaperet.

Vt ſepeliam mortuum meum. Cur ſuum vocat, cum vinculum illud, quod ambos nectebat eſſet ſolutum? Beatus Dionyſius Carthuſianus ſic exponit hunc locum: *Sepeliam mortuum meum, hoc eſt exanime corpus, ſeu cadauer coniugis meæ, quod eſt meum, ſeu ad meam pertinens curam, quantum ad* SEPVLTVRAM. Illi ſcilicet maximè noſtri ſunt, qui hinc abierunt, contra ac cenſere hominum plerique ſoleant; qui caros, & ſanguine iunctos pro alienis habent poſtquam abierint, & obliuionis ſepulchro condunt, quos viderint ſepultos.

735 *Mortuum meum*, ſuum fecerat amor, qui in morte adeo non erat mortuus, vt magis incaleſceret. Hinc Beatus Vincentius Ferrerius ſer. 2. in die Paſchæ, loquens de pijs mulieribus, quæ ad Chriſti monumentum ibant, ait: *Quare iſtæ mulieres volebant appropinquare monumento, cum nullam haberent de reuolutione lapidis certitudinem? Ratio eſt, quia credebant, adhuc corpus Chriſti eſſe in monumento, vnde dicebant, & ſi non poſſumus eum vngere, ſaltem poterimus monumentum eius tangere, & ibi eum flere, & aſſociare.* ECCE MIRABILIS DILECTIO, ET DEVOTIO MVLIERVM ERGA MORTVVM SVVM.

Mortuum meum, Saram defunctam mortuum ſuum vocare poterat Abraham, ſed & vtilitate, omnes ſpectatores dicere illam poterant mortuum ſuum; nam quilibet VITA FVNCTVS QVOSLIBET DOCET, & ad omnes clamat, vt ad mortem cogitent, morti ſe parent, & mentis oculos ad alteram ita flectant, vt mores meliores induant.

Audi nos Domine princeps Dei, es apud nos.

PRinceps Dei es apud nos. Itane principem vocat, qui agrum non habebat, in quo vxoris corpus conderet? An hinc rectè docemur in viris principibus virtutes potius ſpectandas, quàm diuitias? Hinc Beatus Dionyſius Carthuſianus: *Ex curialitate vocabant Abraham Dominum, quia vir magnus, potens, diues, ac ſapiens erat. Ideò addiderunt. Princeps Dei es apud nos. Alia litera habet. Rex Dei es, Ideſt vir principalis ob* TVAM SAPIENTIAM, AC VIRTVTEM. Falluntur qui in externam illorum pompam, ornatumq́; oculos conijciunt. 736

Princeps Dei es apud nos. Scilicet tanti ab hominibus fit, qui Deo filij immolationem iubente, tam promptè paruerat: *Quando filium, inquit Abulenſis, ſuum voluit, immolare* PRO TANTA OBEDIENTIA, DAVS fecit, *vt omnes gentes in circuitu cognoſcerent famam eius & crederent eum Dei familiarem.*

Princeps Dei es apud nos, Chaldæa Paraphraſis ſic habet, *Princeps coram Deo tu es apud nos.* Quam lectionem ſic exponit Petraſancta. Princeps coram Deo dictus eſt Abraham, quia in eo videbatur præcipuus, & eximius, quod exiſtimaret, SE VIVERE SEMPER IN OCVLIS, ET IN CONSPECTV DEI. Enimverò hæc præſentia Dei, ſola eſt, quæ altæ prouidentiæ Principes facit, & tales Iudices, ac Præſides populorum, quos non facile ſit à recti vnquam ſemita deuiare. Hoc debere imprimis cordi eſſe Principibus, etiam Ethnici exemplis plurimis docuerunt. Athenis in Curia quingentorum, qui ſummæ rei præerant, ſtatua viſebatur Iouis Conſiliarij, quia inſpectorem Deum ſemper Principes, & Iudices, & præſides populi habere ſe, opinari deberent. Plato præcepit, vt templa circa vrbium fora extruerentur, & iuxta hæc eſſent magiſtratuum Curiæ, ac Iudicum palatia, in quibus, inquit ipſe, quaſi ſacratiſſimis iuſtam & accipient, & ferent ſententiam: partim quidem tanquam de rebus ſacris iudicaturi, partim verò tanquam iudicantium Deorum ibi ſint delubra. Sic ipſe. In delubris verò maximè præſentes Dei eſſe credebantur.

Sed vnde tantam ſibi conciliauit Abraham, auctoritatem, & reuerentiã? An propter maieſtatem, ſanctitatemq́; verborum? ita Philo: *Honorabant, inquit, eum, quaſi ſuum Principem; ſuſpicientes ingenium anguſtius humano faſtigio: nec enim* SERMONIBVS VTEBATVR VVLGARIBVS. SED DIVINITATEM QVANDAM PRÆ SE FERENTIBVS. Quàm abeunt principes, qui emit-

emittunt verba mundum, resque terrenas redolentis.

Surrexit Abraham, & adorauit populum terræ.

737 ADorauit populum terræ. Hæc veri iusti nota est, cum laudibus erigitur; sed humiliatur: Cum *Dei Princeps* est dictus Abraham, statim se demittit humilius, quàm antea legatur præstitisse. Cur inde, inquit probæ notæ auctor, modestius se habet, quam antea, dum ita sublimatur, vt princeps Dei dicatur? QVIA MAGNANIMI EST, SVIS LAVDIBVS, ATQVE ENCOMIIS NON LABEFACTARI, sed viriliter, ac submissione stare. Scilicet omnibus laudibus est maior, qui laudatus fit sibi minor.

Vt det mihi speluncam duplicem, quam habet in extrema parte agri sui, pecunia digna tradat eam mihi coram vobis, in possessione sepulchri.

VTile ex hac spelunca duplici monitum aliqui eliciunt, nimirum cauendum à viuentibus nimiam mulierum familiaritatem, malique occasionem vitandam: sem ita conficit bonus ille auctor: Multum conducit ad bene operandum mali occasiones adimere, sepeliuit Abraham Saram vxorem suam in spelunca agri duplici. Dicuntque nonnulli super hunc locum illam speluncam in duplicem locum fuisse diuisam, vt in vno viri atque in altero fœminæ conderentur. Nam etiam post mortem non indecòre videntur VIRI A FÆMINIS SEPARARI, quanto magis viui?

Antequam Sara obiret nullam terræ partem possidebat Abraham, nec emeret, nisi sepulchrum vxori esset parandum, fecit istuc, vt promptior iret in omnem terræ regionem; sed cur ad tam varia, & diuersa loca voluit Deus, vt se Patriarcha conferret? *Vt vbique*, inquit nuperus auctor, BONVM EXEMPLVM *ostenderet, ac Diuinæ Maiestatis, ac virtutis testimonium exhiberet.* Tanti vnius boni viri præsentia valet; tantum ad bonum boni viri exemplum potest.

738 Pecuniam enumerat, vt speluncam in sepulchrum emeret: gratis accipere noluit, tanquam secum cogitaret, viliori emi pretio, quod pecunia acquiritur, quàm quod gratis accipitur, cum sic nonnihil LIBERTATIS DEPERDATVR, quæ omni pretiosior auro est.

Pecunia digna. Cur pecunia comparare sibi sepulchrum Abraham voluit? An ne posteris, & hæredibus vlla litium occasio relinqueretur? Quo monentur, qui abeunt, vt dissidiorum semina posteris non relinquant. *Pretium agri annumerat*, inquit Procopius, *ne postea* ALIQVA CONTROVERSIA inde suboriatur.

Pecunia digna tradat mihi eam. Mirum terræ portiunculam quærit emere, cui tota fuerat terra promissa, nec quicquam à spe concepta excidit. *Collige hinc*, ait Honcala, *pie lector, aliam aduersus Abraham non paruam tentationem; ille cui tota terra chanaan maxima ipsius Domini totius orbis asseueratione in perpetuam possessionem promissa fuerat, cogitur in eadem terra agellum emere, in quo vxorem suam sepeliat; nec tamen ideo à concepta semel spe cecidit*, TANTVM FIDEBAT DIVINIS POLLICITIS; nam humanæ promissiones sæpè vacillant.

Agrum in sepulchrum emit Abraham, non suæ vxoris tantum causa, sed etiam sui, vt constat ex ijs, quæ infra dicuntur; sed cur de suo corpore adeo solicitus Abraham fuit, vt tàm maturè de eo condendo cogitauerit? 739
An quia in spiritu Saluatorem cogitabat, quia ea erat loca nobilitaturus? Sancti Iesu Christi præsentiam tanti fecerunt, quam plures sub eucharistico pane contemnunt.

In possessionem sepulchri. Mirum hic primum in diuinis litteris sepulchri mentionem fieri. Primus Abraham credentium pater, & forma, sepulchri ius obtinere quærit; nimirum ijs QVI VIVA FIDE SVNT IMBVTI MORTIS MEMORIA ALTE HÆRET, frequenterque ad illam mentem flectunt.

Sectio II.

Contentiones morituri anteuertant. 740.
Pietas in *mortuos*, vel ab Ethnicis discenda.
Mortuorum exequiæ commendatæ.
Agrum in *sepulturam* emere cur voluerit *Abraham*, qui gratis offerebatur. 741.
Sepulchrum proprius hominis locus.
Mundi cultores sæpè quod *gratis* exhibent carius *vendere* solent.
Multorum *liberalitas* in *auaritiam* desinit. 742.
Terra non *auaritiæ* sed quietis emenda.
Cum de *mortuis* agitur nulli parcendum sumptui.
Religio circa *sepulchra*.

Cunctis audientibus, qui ingrediebantur portam ciuitatis illius.

CVnctis audientibus. Cur publicè fit, quòd priuatè etiam poterat fieri? vt omnis 740
contentionis occasio posteris præcideretur, quò spectare debent superstites dum aliquem contractum celebrant. Peritè Lippomanus in Catena: *Emptio, ac legitima possessio speluncæ pro sepultura publicè agebatur, ne posteris relinqueretur contentionis occasio. A patribus prospiciendum posteris, vt rebus partis sine* CONTENTIONE VTI POSSINT POST OBITVM, *cum gratia eorum cum quibus conuersantur.*

Nequa-

Nequaquam ita fiat, Domine mi; sed tu magis ausculta, quod loquor; agrum tradam tibi, & speluncam quæ in eo est præsentibus filijs populi mei.

INfidelis iste fideles illos arguit, qui crudeles in defunctos sunt. Cur non sint Christiani in defunctos liberales, cum hic ethnicus agrum offerat in donum, vbi mortuus sepeliretur? *Ad exemplum*, inquit nuperus auctor, *dictumq; istius pagani pudeat Christianum hominem, aut cum amicis lucrari velle*, AVT ERGA DEFVNCTOS *auarum se, crudelemque exhibere.*

Præsentibus filijs populi mei. Cur agrum Saræ, defunctæ sepeliendæ præsentibus Hethæis Ephron tradidit? An plerique omnes accurrerant, vt Saræ exequijs adessent? *Omnes de Ciuitate*, inquit Liranus, *ab* OPERIBVS SVIS CESSAVERANT, VT SEPVLTVRÆ SARÆ DEBITVM HONOREM PERSOLVERENT? Digna res quæ in exemplum eat, nec negent fideles fidelibus, quod Ethnici fideli præstitere.

Dabo pecuniam pro agro; suscipe eam, & sic sepeliam mortuum meum.

741 OBlatum agrum gratis noluit Abraham accipere, voluit emere, vt liberius posset Saræ corpus ab infidelium commixtione liberare. Peritè Abulensis hic: *Noluit*, inquit, *Abraham gratius accipere, quia postea vellent, ibi* INFIDELES SVOS MORTVOS SEPELIRE, *quasi ager esset eorum, & Abrahæ ex gratia concessum esset sepelire ibi mortuos suos, quod Abraham valde refugiebat, ne Infideles apud Saram sepelirentur.*

Emit sepulchrum Abraham hominis proprium locum esse innuens. Pulchrè pius ille auctor: Abrahamus ille magnus, cùm Dei iussu peregrinabundus huc illuc commearet, nihil potius habuit, quàm vbi stabilem locum reperisset animum adijcere sepulchro emendo. Hoc ita voluit esse suum, vt id omni iure modoque possideret. Hinc omnem pecuniam à venditore designatam sine cunctatione adnumerauit, probata moneta publica. Nec illi satis emptionem publicè transigi, voluit insuper omnes loci incolas adesse testes emptionis. Quia in re vir fide plenus monstrauit, SEPVLCHRVM ESSE HOMINIS LOCVM PROPRIVM, quem is verè, si quidquam aliud, suum diceret. Abrahami exemplo, optimus quisque inter primas curas numerat, rem sepulchri curare.

Terra quam postulas quadringentis siclis argenti valet.

EPhron qui gratis terram in sepulchrum Abrahamo pollicebatur, tandem eò eius beneficentia deuenit, vt carius venderet. Mos plerisque solemnis, qui promissis diuites, re ipsa sua lucra quærunt. *Dicunt Hebræi*, inquit Liranus, *quod ipse Ephron ostendit in principio, se multa agere, pro Abraham, & tamen in fine nihil fecit, sed terram suam* CARIVS IVSTO PRETIO VENDIDIT, *ideo postea remota est littera, de eius non nomine ad designandam eius imperfectionem, & sic diminutè scribitur deinceps.* Hic mos valde mundi cultoribus familiaris, vt sæpè, quod gratis exhibent, carius vendere soleant.

Qui prius tam liberalis est, nunc liberali-
tatem suam contrahit, & cupiditatis extendit 742
limites, quia nimirum tam cupidum agri emendi Abraham vidit. Benè Beatus Dionysius: *Quamuis Ephron primò se habuit circa Abraham multum liberaliter, & honestè præbendo agrum cum spelunca omninò gratis*, POSTEA TAMEN SE HABVIT CVPIDE, *agrum valdè carè vendendo, quia videbat intensum Abrahæ appetitum ad agrum illum habendum.* Sic fit, vt multorum liberalitas desinat in auaritiam.

Quod cum audisset Abraham, appendit pecuniam, quam postulauerat audientibus filijs Heth.

APpendit pecuniam. Cum agrum condendo cadaueri emat, non fuit auaritiæ hæc emptio, fuit pietatis. De agri hujus emptione hæc habet Sanctus Paulinus ad Pammachium: *Idem humanitatis memor, non spreuit corporis curam, propter animæ securitatem, sed empto ad sepulchrum agro mortuam suam pretiosa sede composuit, docens pariter, quid sibi iusti deberent homines prouidere, cum ii, qui ad Dei verbum de terra patria cognationeq; exierant, nihilq; præterea de peruagatis natione diuersa spatijs comparauerant, omnis terræ aduenæ, solum tamen agrum sepulchro, id est, non temporalem, sed æternam possessionem, nec* TERRAM AVARITIÆ, SED QVIETIS EMISSET.

Quærunt hic aliqui, cur qui cauit, ne vel minimum pecuniæ consumeret in alijs agris habendis, nunc tantum pecuniæ prodigit pro sepulchro? An indicare voluit cum de MORTVIS agitur nulli parcendum sumptui? An quia emptio religionis cultum spectabat, in quo auaritia omnis ponenda, ne inficiatur.

Audientibus filijs Heth. Quasi hi essent huius contractus testes. Sed cur non potius priuatè, absque vlla vllius præsentia istuc est actum? Nodum ita soluit probæ notæ auctor: *Solicitus fuit Abraham, vt publicè, non priuatim & coram testibus hæc fierent; enim infideles esse, &* TRANQVILLITATI STVDENS, *contractuum testes habere voluit.*

Et confirmatus est ager &c. in possessionem monumenti.

SIgnatè illa addita fuêre verba, *in possessionem monumenti*; ne crederetur in alium vsum agrum illum fuisse exhibitum, quod in mortuorum, sepulchrorumq; iniuriam resiliuisset.

Cum

Cum ibi, inquit Abulensis, *sepulchra facta essent, nullo modo vendidisset Ephron ad alios vsus maximè quia si concessisset ad alium vsum, scilicet ad colendum agrum, magna iniuria fieret Ephroni*, QVOD SEPVLCHRA SVA CONVERTERENTVR IN VSVS PROFANOS, *& etiam omnibus alijs Hethæis, quia tunc fortè oporteret quadrigas, & iumenta ad cultum necessaria transire per sepulcra aliorum, quod valdè esset inhonestum*. Quæ res nos monet, vt singulari religione sepulchra prosequamur.

CAP. XXIV. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio I.

Erat autem Abraham senex.

743 ERat autem Abraham senex. Vix tumuli, in quod sepulta Sara fuerat Sacer Textus mentionem fecerat, cum tenuiſſe Abraham dixit, & sepulto proximum; vt hoc nexu innueret hanc ab aliena morte mentem referendam, vt cogitemus NOS QVOQVE MORITVROS, & tumulo proximos esse.

Vix mortuam vxorem Abraham extulerat, & sepelierat, cum statim de vxore filio quærenda agit, tanquam innueret, nuptiarum, & matrimonij vsu sobolem quærendam, qua eorum numerus suppleatur, qui obierunt. Post tumulatam vxorem, primum negotium, quod tractaſſe Abraham legitur, fuit istuc, in quo de filio danda vxore agebatur. Scilicet A TVMVLO eam referre quilibet mentem potest, qua negotia quæque etiam maximi momenti, ritè tractet.

Dixitq; ad seruum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus, quæ habebat: Pone manum tuam subter femur meum.

SOlus Abraham curare filij nuptias dicitur nihil de Isaac legimus; quod casu factum nefas est asserere. Peritè ille auctor: *Nulla*, inquit, *in Isaac de nuptijs ostenditur cura, nulla in illo de elligenda, iungendaque sibi puella cogitatio, id solus pater Abrahamus meminit, solus curat, solus seruum vocat, & cum seruo tractat, seruile & lasciuium Chananæorum genus effugere, & virginem ex propria mundiſsima cognatione filio dare. Et cur in hac cura solus introducitur pater, nisi vt ostendatur, quam præcipuè* PARENTES TANGANT, *quæcumque sunt* FILIIS PVDICITIÆ & CASTITATI.

Cur seruo ætati iam prouectæ non parcit? cur viridioris ætatis seruum non elegit? *Docet*, inquit Oleaster, *ardua nec* NEGOTIA *non nisi senioribus & præcipuis domus* ESSE COMITTENDA, *maxime ea in quibus prudentia opus est: licet ad iter conficiendum aptiores iuuenes videantur, si tamen negotium discretione eget, eis demiſsis seniores mittendi sunt*. 744

Non esse cuiuslibet coniugia tractare ex hoc loco colligebat Petra Sancta, dum ait: Interim illud aduertere est, senem esse patrem, & senem esse famulum, qui sunt in matrimonij huius procuratione. Discant qui credunt id negotij potius iuuenibus esse committendum, quos amor vehemens & libido, etsi honesta, libido tamen, nihil patitur vltra voluptatem, in quæsita coniuge, admodum studiosè metiri: ex qua sæpè re, & ex quibus amoribus tristes nuptiæ, ac flebiles domus redduntur. Prima mundi corruptio orta est, quia viderunt filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ, & formam, non virtutem ac pietatem, IN CONIVGIO quæsierunt. Vbi plus amoris terreni minus solet esse prudentiæ minus pietatis.

Seruus qui eligitur senior dicitur; sed cur eius quoque nomen non exprimitur? Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 3. Glaphyrorum in Genesim: *Animaduerte autem quo pacto serui Abrahæ nomen non exprimitur: vt in omnes fideles ac probatos* DISCIPVLOS MINISTERII *typus extendatur*. Omnium est sponsas ad Christum ducere.

Pone manum tuam subter femur meum. Cur cum de nuptijs agitur iubetur seruus manum subter femur Abrahæ ponere? Quia in patriarchæ femore velut in radice Christus erat; Qui solus, vt ille ait, in illo connubio spectabatur, non diuitiæ, non dominatus, non formæ venustas; 745

stas, cupiditatis pabulum, ò sponsa Isaaco digna, pro qua ELIGENDA NON TEMPORALIA COMMRDA, SED CHRISTVS SPECTATVR; fallat, nisi inde auspicatissimum connubium appareat, connubiorum enim discrimina tunc oriuntur, quando non Christus, sed lucrum quæritur temporale.

Sub hoc iurandi titu venturum Messiam, vt verum Deum delitescere notabat Alcimus Auitus epist. 2 dum ait: *Dicat mihi quaso, qua iurisiurandi reuerentia putetur in femore. Quod si personaliter tantummodo fieret, faciliùs caput tangere adiuratus. Aut qua causa* FEMORIS, *interposita Dei, ac Domini mentione iurandi; nisi quia per illum Deum, ac Dominum Cæli, quem inde sæcula videbantur prolatura, iuratum est? scit ergo nimirum, cui prosapia non tam præemineat ipse, quàm seruiat. Nouit quippe quid in corpore suo debeat adorare: intelligit membra, quæ contra humanam consuetudinem* SPECIALI HONORE VENERETVR. Benè est, quod sub suis membris veluti latentem adoret Christum; reuerentia summa tractanda membra, ne in Christum iniuria illis illata resiliat. Quod ad nos quoque flectamus, qui in eucharisticæ mensæ vsu Christum nostro pectori inserimus, nostris membris copulamus, vt memhta nostra iam membra Christi facta videantur.

Vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananaorum, inter quos habito.

746 VT *non accipias.* Tanquam ab vxoribus malis plus filio timeret, quàm ah hostihus Chananæis; *ne* VXORES, inquit Ystella, *virum, aut filios ad idololatriam allicerent;* nihil mali non timendum, si mulier sit mala; scilicet quò dehilior est mulier, eò fortius ad malum allicit suis blanditijs.

Mirum quòd seruo Abraham inhibeat, ne vxorem filio accipiat ex filiabus Chanaam, cum tamen ipse Cethuram duxerit ex ea terrâ? Nodum istum ita soluit nobilis ille auctor: Hoc est mysterium cur Patriarcha Abraham seruo illi suo antiquo dixit, non accipies vxorem filio meo de filiahus Chananæorum inter quos habito. Cur ò sancte vir prohibes filio tuo, quod paucos post dies tu ipso facturus es? an non Cethuram ex ea terra duxisti vxorem? Respondetur quod sanctus hic senex in fide, & amore Dei optime fundatus erat, & ita ab vxore peruerti non timebat, imo eam meliorem reddere sparabat. Iuuenes vero, qui teneri adhuc in virtute sunt, peccati occasiones euitare debent. Quò nimirum viridior est ætas facilius flecti ad malum potest; quæ annis aridior difficilius.

Si noluerit mulier venire mecum in terram hanc.

SI *noluerit mulier venire mecum.* Mollioris sexus instabilitatem hîc notatam notarunt aliqui. *Profectò*, inquit Honcala, *signanter ait: si mulier noluerit: quia* VARIVM *&* MVTABILE SEMPER GENVS FÆMINARVM, *plerumq; quamuis sibi vtiles non tam iudicio, quàm affectu decernit, & persequitur: præter id, quod longa exilia proculque à patria sua dissitus secessue haud libenter mulier admittit.* Vt hæc sola sit huius sexus constantia, inconstantia.

Ipse mittet Angelum suum coram te, & accipies inde vxorem filio meo.

NImirum à beneficijs acceptis nouis se donandum conijcit, ac si diceret, inquit Sanctus Chrysostomus: *Certus sum quod qui tantis me beneficijs hactenus prosecutus est,* PRIORIBVS ETIAM ILLVD ADDET, *& mittet Angelum suum ante te.* Scilicet apud Deum accepta beneficia ad noua accipienda viam sternunt.

747 *Ipse mittet Angelum suum coram te.* Quid sequitur? *Et accipies inde vxorem filio meo.* Scilicet cum de ducenda vxore agitur, vt feliciter id præstetur, HVMANA IMPAR INDVSTRIA, requiritur angelica; plusquam homo esse debet, qui coniugium inter homines est perfecturus, ne infelicitati nubat, qui nupturus, quæ nuptura.

Tulitque decem Camelos de grege Domini sui, & abijt.

OPes licet secum detulerit ad orationem tamen confugit seruus iste, probè sciens amorem qui à diuitijs originem trahit non solere firmum esse, ac diuturnum; quod expendens hîc Ferus aiebat: *Quamquam seruus is ex omnibus bonis Domini sui secum ferret, quibus, & ipsam sponsam, & parentes donari, & honorari, atque ad amicitiam allici, & protrahi possent; non tamen confisus est diuitijs, sed ad Deum, per orationem currit,* SCIEBAT INSTABILEM ESSE AMOREM, QVI TANTVM PER DIVITIAS CONCILIATVR. Deo nisi nitatur, cadit, terrena omnis firmitas infirma est.

Fac misericordiam cum Domino meo Abraham.

PRecatur seruus Deum, vt cum Abraham misericordiam faciat; cur non potius Isaac meminit, nam cum de vxore agitur, quàm ducere Isaac ducebat, res potius ad ipsum pertinebat, quàm ad Abraham? Abrahæ meminit, quia ab ipso missus fuerat non ab Isaac. Nisi quod hinc colligitur, in patrem præcipuè resilire, cum de filio agitur. Benè patris sustinent formam, qui ita rem filiorum tractant NON SECVS AC, SI IPSORVM ESSET PROPRIA. Addit nobilis auctor: *Vt* MERITA ABRAHÆ, *cuius vices gerebat, apponeret, Deo gratissima fore credens.*

Sectio II.

Nuptias comitari puritas debet. 748.
Coniugia inter expiantes diuinæ *gratiæ* fontes contrahenda.
In contrahendis *nuptijs* diuinæ prouidentiæ res committenda.
Tutior *castitas* puellarum inter simpliciores mores. 749.
Diù in *publico* non maneat, quæ suæ puritati vult consultum.
Etiam in *minimis* hominum probatur virtus.
Plura præstanda obsequia quam à nobis exiguntur. 750.
Cum aliquid efficiendum, *spectandi* alij non sunt, à quibus illud præstari potest.
Crescunt *bona*, quæ *liberaliter* exhibentur.
Auri, & *diuitiarum* vis. 751.
Munera, & *dona* multum apud mortales valent.
In *pane Eucharistico* omnes deliciæ latent.
Ecclesiæ dona, quibus eam Christus cumulauit. 752.
Iactantia semper vitanda.
Iusiurandum cur *maledictionis* nomine significatum.

Ecce ego sto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum huius ciuitatis egredientur ad hauriendam aquam.

748 QVæ rit apud fontem aquæ seruus iste vxorem filio Abrahæ; cur non alibi? An vt ex aquæ prompta exhibitione discerct, quænam vxor futura? An vt ab aquis quæ sordes abluunt, vxores colligerent, earum esse vito aquarum loco esse; hinc in diuinis litteris aquam ex cisterna sua bibere de honesto operis coniugalis vsu dicitur. Cohærent nuptiæ cum aquis, QVIA COMITARI EAS PVRITAS DEBET, vt ab omni sint sorde immunes.

Sæpè antiqui illi iuxta puteos, fontesq; aquarum coniugia sibi inuenisse leguntur; non caret hæc res mysterio, quidam ait, id factum, vt significentur non inter ASTVANTIS CONCVPISCENTIÆ IGNES; sed inter expiantes DIVINÆ GRATIÆ FONTES matrimonia contraxisse. Infelicia futura coniugia ad concupiscentiæ ignem contracta multorum exempla satiatè probat.

Igitur puella cui dixero; inclina hydriam tuam, vt bibam.

PVella cui dixero. In sponsæ electione non requiritur genus; nec formæ mentio fit, non nobilitatis, res tota Deo committitur, nec sensibus creditur, qui falluntur, & falluntur. *Ipse*, inquit Rupertus, *puellæ petendæ indicium*, SVIS NON COMMISIT OCVLIS, *qui solam faciem, non etiam mores, aut virtutem peruidere possent: sed credens, quòd Domini sui curam haberet Deus, totam in illo posuit electionis spem.*

Et ecce Rebecca egrediebatur.

MIrum quod tam facilè modesta puella, & virgo in aliorum se conspectum dederit, & foras prodierit, & non maiori cautione domi fuerit custodita. *Potest dici*, inquit Sanctus Thomas, *quòd sub tali circumstantia iuxta morem terræ hoc fiebat, quod nullum periculum*, NVLLAQVE SVSPICIO *mala poterat suboriri*. Tutior nimirum puellarum erat castitas, cum inter simpliciores mores incurreret. 749

Et impleuerat hydriam, ac reuertebatur.

IMpleuerat hydriam ac reuertebatur. Prius mentem prudentia, ac castimonia repleuerat, quam hydriam aqua, dum statim post impletam hydriam refertur domum, vnde discessérat, tedijsse, nec longas in publico traxisse moras. Ecce, inquit bonus ille auctor, puellæ virginis stemma singulare, necessum fuit domo exire, vt aliquid parentibus necessarium præstaret. Et quomodo exijt? Ait textus: Descenderat autem ad fontem, & impleuerat hydriam, ac reuertebatur. Nihil morata, vt hydriam impleuit, domum reuertebatur. Necessitatis fuit exire domo, vt aquam è fonte portaret: sed virtutis, quod adimpleta hydria, non moraretur amplius, sed ad domus secessum festinaret. Hæc sit prima lex eorum, qui secessum amant, quibus potest obesse turbarum conuersatio. Cum necessum fuerit, vt à secessu exeant, propter suam, vel proximorum necessitatem, sic exeant, VT FINITO NEGOTIO, SINE VLLA MORA IN SECESSVM REVERTANTVR.

Quæ respondit: Bibe Domine mi.

NImirum etiam in minimis probatur hominum virtus. IN MODICIS, inquit ille, SERVI DEI PROBANTVR, si quidem, vt hic perspicimus, Sancta Rebecca largitatem suam in modica aqua frigida demonstrauit, etiam cum iuxta puteum existeret. Frequenter leuia, & minima ingentium rerum indicia sunt, vel leui vmbra solis ipsius cursum adeo magnum dimetimur.

Cumque

Cumque ille bibisset, adiecit: Quin & Camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant.

750 EXemplo suo docuit Rebecca plura præstanda quàm à nobis requirantur. Benè bonus ille auctor: signum quod petijt seruus ille Abraham, vt quænam Isaac sponsa futura erat dignoscere posset, hoc fuit, puella cui dixero inclina hydriam tuam, vt bibam, & illa responderit bibe, quin, & Camelis tuis dabo potum ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac. Ita etiam argumentum est, & signum satis apertum animam in Spiritus Sancti sponsam electam esse, CVM PLVRA DAT, QVAM AB EA PETATVR, & in præstandis obsequijs exigentiæ limites non tantum æquat, sed etiam superat.

Effundensque hydriam in canalibus; recurrit ad puteum vt hauriret aquam.

OBsequium suum maximè extulit Rebecca, cum potum eo tempore alienis Camelis obtulit, cum cito illa domum redire deberet, potum prius suis gregibus exhibere. Rem sic expendebat Sanctus Thomas: *Humilis puellæ obsequiositas apparet, quòd longè plus ei obsequeretur, quàm ipse peteret, & hoc in loco, & tempore ad contrarium fortiter inclinante, scilicet tempore vespertino, & in quo tàm pro gregibus, quàm pro domo oportebat eam celeriter pro se, & aquam haurire, domumq́; redire, & potissimum quia* PLVRES ALIÆ PRO CONSIMILIBVS CAVSIS HABEBANT IBI TVNC HAVRIRE. Sed prudens puella non spectauit, alias nec illarum frequenria, à quibus idem officium præstari poterat, ab hoc obsequio se passa est auocari. Quod illi expendant, qui dum alios spectant, à labore se eximunt, & bonum opus fieri ab alijs malunt, vt suis viribus parcant.

Mirum quæ aquam exhibuit aureis muneribus ditatur, *vt videas*, inquit ille, *quàm crescant bona, quæ liberaliter exhibentur*. Auribus autem ornandis inaures accepit, quia vacuas aures hospitis verbis obtulit. *AVRES quidem*, inquit Theodoretus, *vt potè quæ hospitum petitiones facilè excipiebant auro exornant.*

Habebat autem Rebecca fratrem nomine Laban festinus egressus est ad hominem, vbi erat fons.

751 VIdes Rebeccam sine vlla mora seruo tradi? cur Rachel non nisi post quatuordecim annorum seruitutem tradita fuit Iacob? Ratio, inquit peritus ille sacrarum litterarum interpres, illa est, quia Eliezer ditissimus accessit ad Labanum: profectus enim fuerat ex domo Abrahæ cum magno virorum, & Camelorum apparatu: & vt est in littera. Ex omnibus bonis eius portans secum Gen. 24. 10. At vero Iacobus inops, & peregrinus, & omnium egenus ad Mesopotamiam accessit, quia nihil amplius ex paterna domo dicitur detulisse, quam paternam benedictionem, & paterna mandata Gen. 28. 1. quibus ille pro magno viatico, amplisque muneribus vtebatur. Hinc igitur effectum est, vt illius nobilitas contemptibilis; illius obscuritas illustris, apud Labanum redderetur: nam HOMINES AVARI NON TAM SANGVINIS QVAM AVRI SPLENDORE CAPIVNTVR. Tantum apud homines aurum potest, possunt diuitiæ.

Pende quam prolixæ beneuolentiæ significationem seruum Laban excipiat, quin & maiori quàm Iacobum exceperit. Cur ita? Credo, inquit probæ notæ auctor, ex eo quod viderat inaures, & armillas in manibus sororis suę: quas cum non vidisset in manibus Rachelis filiæ suæ, minorem erga Iacobum beneuolentiam exhibuit: quia non tam hospitis honorem, quàm filiæ suæ LVCRVM SPECTAVIT. Magnetis munus lucrum obit, homines ad se trahit, sed ferè ferreos.

Et appositus in conspectu eius panis.

NOn quod nudus esset ei panis appositus, sed panis nomine alia etiam fercula comprehendit; Vgo Victorinus hæc habet: *Nota in veteri testamento, vix aliquando dicitur apponi eibus, nisi panis: non quod solo pane viuerent, sed quia panis principalis est in mensa, & maxime quia principalem, &* SPIRITVALEM PANEM SIGNIFICAT. Quod ad panem Eucharisticum transferas, in quo omnes latent delitiæ.

Et dedit ei oues, & boues argentum, & aurum, &c.

VT seruus iste donatione ista illi prælusefrit, quam Ecclesiæ sponsæ suæ fecit postea Christus sic explicat Sanctus Augustinus 752
serm. 75. de temp. *Puer obtulit inaures aureas ad ornandam faciem Rebeccæ, & Christus* VERBA DIVINA MARGARITIS OMNIBVS PRETIOSIORA DEDIT ECCLESIÆ: *& armillas posuit in manibus Rebeccæ, & Christus dedit opera sancta in manus Ecclesiæ.*

Et peperit Sara vxor Domini mei filium Domino meo in senectute sua deditque illi omnia, quæ habuerat.

DEditq́; illi omnia. Vix efficacius ad nuptias inuitare Rebeccæ consanguineos potuit, quàm significans filio Abrahæ, qui vniuersorum hæres esset, eam nupturam. Mirum nihil seruum de Isaac oblatione addidisse, nihil de ijs, quæ dum Deo offerrentur, acciderat, quæ omnia in viri sanctitatem resiliebant. An se ijs aptauit, cum quibus loquebatur? An & pro-

tulit, quæ magis obuia, ET A IACTANTIA ALIENA; quid seruus proferret, quod Abraham, aut Isaac effudisse, passim non legimus.

Innocens eris à maledictione mea.

INnocens eris à maledictione. Ac si diceret, non teneberis ad iurisiurandi pœnam subeundam; sed cur iuramentum maledictionem vocat? *Eo quòd*, inquit Delrius, *in iurisiurandi fine imprecatio addebatur.*

Sectio III.

Et virgo, quæ egredietur ad hauriendam aquam, &c.

753 VIrgo quæ egredietur. Videtur virginis potius fuisse domi se continere; quàm egredi, at TERRÆ CONSVETVDO, vt ait Thomas Anglicus, *sine scandalo egredi permittebat*; vt non facilè damnanda, quæ communis vsus aut fert, aut probat.

Ipsa est mulier quam præparauit Dominus filio Domini mei.

QVam præparauit Dominus. Cur seruus iste Abrahæ Deum alloquens, non potius dixit: *Quam præparasti? Loquitur in tertia persona*, inquit Abulensis, *cum deberet dicere, ipsa est mulier, quam præparasti, sed fit talis mutatio ad honorem, quia magnis Dominis cum consueuimus loqui in secunda persona, dicentes: vos Domine mandastis hoc, sed dominatio vestra mandauit hoc.* Nisi dicamus hunc seruum ita Dominum loquutum, vt adstantes etiam respiceret, in quorum vtilitatem resilire cupiebat, quod Deum alloquens, Deo dicebat.

Dumque hæc tacitus mecum voluerem, apparuit Rebecca veniens cum hydria, quam portabat in scapula.

EXternus orationis est cultor, qui sistit in externa, nec vlterius it: *Discamus*, inquit Procopius, *hinc, quando oramus non sensilem solummodo edere vocem, sed* MENTE ADORARE *illum, qui explorat corda, & renes.* Qui mente negotia quæ tractat non voluit, & cum Deo non tractat, se magnis discriminibus inuoluit.

Quæ festinans deposuit hydriam de humero, & dixit mihi: & tu bibe, & Camelis tuis tribuam potum.

ET non satis erat potum petenti dedisse, absque eo, quod exprimeretur id sine cunctatione, sed cum festinatione præstitum? *In hoc*, inquit Abulensis, *magna Rebeccæ vrbanitas notatur, & assuefactio in bonis, quia* PROMPTE, ET DELECTABILITER BENEFACIEBAT. 754
Quod libens, & ex vsu quis facit prompte facit, & sine mora; nam videtur nolle, qui cunctanter aliquid præstat, vt vbique celeritas commendatur, commendatur præcipuè cum aliquid in proximi obsequium fit, vt iure id in Rebecca diuinus scriptor extulerit.

Quæ respondit: Filia Bathuelis sum, filij Nachor, quem peperit ei Melcha.

QVem peperit ei Melcha. Cur Melchæ meminit, quæ auia, & matris suæ nomen suppressit? DEVS, inquit Abulensis, MOVEBAT SIC REBECCAM AD RESPONDENDVM, *vt certificaretur Eliezer, quòd esset Rebecca de cognatione Abrahæ, vt sic iret ad petendum eam.* Scilicet qui Deo se commendauerat, & in negotijs quæ pertractat, spem suam in Deum iactat, iactari dubitationis æstu non finitur, & plenius instruitur, quàm postulauerit.

Vt sumerem filiam fratris Domini mei filio eius.

VT sumerem filiam. Loquitur iste seruus, tanquam iam à parentibus Rebeccam

in

in Isaaci sponsam obtinuisset. Spes nimirum, quam in Deo habebat huc hominem duxerat. *Eliezer*, inquit Abulensis, *demonstrabat se quasi credere, quod iam puella danda erat ei, tanquam Deo ad hoc stimulante*. Qui tàm cito gratias Deo agit, vix frustrari spe sua potest, vt possidere actu videatur, quod est accepturus.

Quamobrem si facitis misericordiam, & veritatem cum Domino meo: indicate mihi; sin autem aliud placet, & hoc dicite mihi.

755 *SI facitis misericordiam*. Sibi potius facere misericordiam videbantur, quàm alijs, cum tàm diuiti, tam nobili, tam sancto viro filiam iungerent. At seruus iste ita loquitur, quia dum aliquid in aliorum gratiam præstamus, nostræ debemus vtilitatis, temporalisque lucri obliuisci, licet illa, licet istuc sequatur.

Sin aliud placet, & hoc dicite mihi. Ac si diceret mentem mihi vestram, vestramque voluntatem exponite, nec diù me verborum ambiguitate tenete; aut sponte concedite, quod peto, aut apertè negate. Addit, *vt vadam ad dextram, siue ad sinistram*, scilicet vt alibi quæram filio Domini mei sponsam; locum non exprimit, ne inuidiam expressio moueret; nec se preces adiecturum dicit; innuens sponte, nec precum vi TRACTANDA MATRIMONIA, libera enim ab omni parte debent esse.

Responderunque Laban, & Bathuel: A Domino egressus est sermo, non possumus extra placitum eius quidquam aliquid loqui tecum.

MIrum; quod iunior promptius respondet; filius scilicet ante patrem, Laban frater Rebeccæ erat, Bathuel pater, & cum respondere prius pater deberet, primo loco ponitur filius. Scilicet ætatum nescit discrimina Dei gratia; indicatur etiam iuniores debere promptiores esse ad explicandam Dei voluntatem, & quod est grandius, sequendam. *Quod nominetur prius*, inquit Caietanus, *filius, quàm pater*, PROMPTITVDINIS FILII SIGNVM EST, PROMPTIOR ENIM IVVENIS ANIMVS *praueniens patris responsionem, suggerendo hoc diuinum opus esse intimatur*. Præstandum idem est, cum non soror tradenda est viro, sed Deo in sponsam; non sinant se à senioribus iuniores vinci in Dei voluntate perficienda. Plerumque accidit, vt tardiores sint in vtilibus monitis, consilijsque promendis, qui promptiores esse debebant.

Quod cum audisset puer Abraham procidens adorauit in terram Dominum.

756 CVr genua flexit, cum satis esset, vt in corde Deum adoraret, eique tacitus gratias ageret? An id fecit, vt suo exemplo ad idem alios exstimularet? *Serui sapientiam*, inquit Lipponanus, *& pietatem cognosce, qui vt & alios adorare doceret*, IN EORVM CONSPECTV *genua flexit*, sicque damnabilem aliquorum verecundiam damnat, qui aliquem religionis actum exstimè exercere erubescunt, cum interim eos non pudeat præstare, quæ vbiq; vitanda, cum non fiant sine Dei offensa proximique damno.

Adorauit Dominum. Quàm pius hic seruus, qui prius Deum adorauit, eique gratias egit, quàm munera, quæ attulerat, exhiberet. *Seruus Abraham*, inquit Sanctus Cyrillus Alexandrinus, *prius Deo* GRATIAS EGIT, *postmodum dona amicis dedit*; gratiarum actionem quodammodo inficit, qui eam tardè offert.

Prostratus in terram gratias Deo egit, nec hominum præsentia à quo hoc, & religioso actu seruum auocauit. Quod prius ad fontem præstitit cum Rebecca aquam illi, Camelisq; obtulit, idem nunc coram Rebeccæ parentibus præstat. Illos hac re arguens, qui pietatem, quam aliquo in loco prodiderant, alio eiurant, & coram aliquibus religiosos se exhibent, CORAM ALIIS SVNT ALIVD. Vera pietas vbique se eandem prodit, & cum vbique eundem Deum inueniat, eadem vbiq; est.

Fratribus quoq; eius, & matri dona obtulit.

CVr dedisse dona fratribus, & matri dicitur non patri? An quia, vt aliqui voluêre, pater iam obierat? *Vel*, inquit Sanctus Thomas, *sustinendo, quod Bathuel pater eius viueret, quod scriptura magis sonat, ideo seruus dedit dona matri, & fratribus eius potius, quàm patri, ne essent communia alijs vxoribus, & eorum filijs.* 757

Surgens autem manè locutus est puer: Dimitte me, vt vadam ad Dominum meum.

ET cur tàm cito cogitat hic seruus de discessu? poterat post itineris labores paululum quiescere, nec reditum tam festinè accelerare? An quia menti illius hærebat Abraham, qui rei euentum expectabat? *Si magis* MORATVS FVISSET, inquit Abulensis, *anxiaretur Abraham, ideo noluit expectare per aliquot dies*.

Dimitte me. Petit dimitti, nec longas trahit moras. *Festinanter*, inquit Oleaster, *agenda sunt negotia, quæ impediri possunt, qualia sunt matrimonia*. In hoc seruorum commendatur diligentia, quod celeriter dominorum iussa exsequuntur.

Maneat puella saltem decem dies apud nos & postea proficiscetur.

MAneat puella saltem decem dies. Dies hîc aliquibus annos significant, alioquin 758

non erat, quod diceret hic seruus. *Nolite me retinere*; cum decem dierum spatium longum iter facturæ, à suisq; ituræ virgini breue sit; sic & Ystella: *Non desunt qui dicant dies sumi pro anno, quasi dicat saltem per decem menses; quod mos fuerit hebrais, virginem desponsatam per annum integrum* ORNARI, *&* PRÆPARARI *marito, & sic traduci cum absens esset*. Ac si cum de ornanda muliere agitur annus dies videatur, & spatium omne contrahatur poliendæ mulieri. Sed rem ad Eucharisticam mensam flectere possumus, in qua vt Christo tanquam sponso iungamur, diù parare nos debemus, adeo vt anni spatium pauci nobis dies videantur. Alijs simplicius dies sunt, cum seruo reditum vrgenti etiam breuis mora longa esset.

Maneat puella saltem dies decem. In his verbis mundanorum morem notes, qui eum aliquem impedire non possunt, ne ad Christum eat, saltem retardant, & moras trahunt. Pulchrè Vgo Carensis: *Sic seculares ita faciunt, si ex toto retinere non possunt*, SALTEM PROCRASTINABVNT *bonum propositum filiorum*. Ex quo non semel accidit, vt omnino ab eo, quod proposuerant, excidant.

Sectio IV.

Puella nuptias contractura, vt se gerere debeat. 759.

Ore non proferendum, quod intus non sentimus.

Suo sexu maior *mulier*, quæ de muliebri *ornatu* nimis non est sollicita.

Familia felix vbi bona eam *mulier* regit. 760.

Domorum prosperitas à *diuitijs* minimè est.

Cum aliquis ad *Christum* it diei lætitia inutilibus *lachrymis* haud temeranda.

Seruorum est, vel dominorum *suspiciones* anteuertere.

Initurus *nuptias* totum se *religioni*, & pietati det. 761.

Coniugio oratio præmittenda.

Inanes *vanitates* à *nuptijs* amouendæ. 762.

Qui occurrit *Christo* se *demittat*.

Cum aliquid in Dei obsequium præstiterimus eius omninò *obliuiscamur* tanquam *nihil* fecissemus. 763.

Domus pro stata domus parte.

Parentum defunctorum memoriam non facilè ponunt filij. 764.

Notati, qui *defunctorum* parentum *obliuiscuntur*.

Et dixerunt: Vocemus puellam & quæramus ipsius voluntatem.

V*Ocemus puellam*. Quæ pudori consu-
lens suo abierat; Cum de nuptijs agi- 759
tur, ita se habere sponsa debet, ac si de illa minimè ageretur. *Vocemus puellam*, inquit Abulensis, *quia ipsa non assistebat, vacans circa* ALIQVA NEGOTIA *domestica*.

Quæramus ipsius voluntatem. Ex hebræo aliqui vertunt: *Interrogemus os eius*. Sensum expressit vulgatus, & harum notionum nexu innuitur, ore non esse proferendum, quod voluntate non velimus; ne aliud dicamus, aliud sentiamus.

Vis ire cum homine isto? Quæ ait: Vadam.

ITuram se dixit, nec moras quærit reculis suis colligendis; suo sexu in hoc maior apparet, quod ad sponsum itura Rebecca non legamus de MVLIEBRI ORNATV illam fuisse solicitam.

Imprecantes prospera sorori suæ, atque dicentes: Soror nostra es, crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum.

I*Mprecantes prospera sorori suæ*. Cur non etiam
seruo, aut potius Isaaco, cuius erat vxor 760
futura? An quia peculiari affectu in sororem ferebantur, vt aliorum obliuiscerentur? An quia tota fœminæ felicitas in virum resilit, inque totam domum; tota nimirum FAMILIA FELIX, si benè cum vxore sit, imo si bona sit vxor.

Crescas in mille millia. Numerosam posteritatem Rebeccæ precantur; NVLLAM DIVITIARVM MENTIONEM audis fieri; tanquam ab illis vera prosperitas non sit, cum potius plerumq; diuitiæ prosperitatem illius inficiant, quem diuitem faciunt.

Igitur Rebecca & puella illius ascensis camelis, secuta sunt virum, qui festinus reuertebatur ad Dominum suum.

IVisse audis Rebeccam cum viro, nullas lachrymas emissas legis, nullas teneri oris affectus in ijs, qui remanebant, notas. Hinc colligis, cum aliqua ad sponsum it, non esse diei lætitiam inutilibus lachrymis temerandam. *Vides*, inquit Lippomanus, QVOMODO HIC NVLLVS DESCRIBITVR FLETVS, *nullaq; turbatio? credebant omnes verbo Dei, & adhærebant alacriter*. Tanquam fidei defectum arguat nimius dolor, quo quis afficitur, dum aliquos ad Christum suum ire conspiciunt.

Qui festinus reuertebatur. Et quid seruum vrgebat? *Vt Dominus suus*, inquit Abulensis, *non suspicaretur aliquid mali de* CONTRACTA MORA.

Ad

Ad seruorum nimirum solertiam spectat, non offensam solum dominorum vitare, sed & suspiciones anteuertere.

Eò autem tempore deambulabat Isaac per viam, quæ ducit ad puteum.

761 SEd cur illam præcipuè viam elegit Isaac, per quam ambularet? *Ob* LOCI RELIGIONEM, inquit Lippomanus, *vbi bis Agar ab Angelo consolata legitur frequentabat Isaac*. Scilicet qui initurus nuptias est, totum se debet religioni dare, & sacratiora loca frequentare; à qua mente abeunt, qui communibus, & omnis sanctitatis expertibus locis se dant.

Et egressus fuerat ad meditandum in agrum, inclinata iam die.

AD *meditandum in agro*. Chaldæus Paraphrastes, *exierat ad orandum*. Et cui rei fundebat orationem? An quia de matrimonio ineundo agebatur? *Nonne id fieri debuit*, inquit Franciscus Georgius, *in negotio tam arduo, quàm est indissolubile vinculum matrimonij?*

Et egressus fuerat ad meditandum. Benè in catena græca Fumani: *Oportet egredi de terrenis cum, qui rebus diuinis interesse, in ijsq; versari familiarius velit, quam quidem rem nunc meditationis nomine appellauit; non est autem additum, quo cum ambularet, merito: quoniam nec ad homines quidem spectat talis consuetudo seu confabulatio, sed vel ad Deum, vel ipsiusmet cuiuspiam ad seipsum*.

In agro erat, sed nihil in agro operabatur, tantum meditationi vacabat. Qui vxorem ducendam expectabat, meditationi potius operam dare debet, quam terram colere. Nisi dicamus solius meditationis mentionem factam, quia nondum habebat, quibus præesset, alioquin, vt ait Sanctus Bernardus lib. 2. de consid. ad Eugenium scribens: *Isaac ad meditandum exiens, tu ad* EXTIRPANDVM EGREDIARIS *necesse est*.

762 Ab Isaac disce quid præmittendum nuptijs, quid vitandum; sic bonus ille auctor rem expendebat: Quando senex ille sponsam ei ex Mesopotamia deferebat, attendite vbi repertus fuerit, dicit quippe sacratus textus, quod egressus fuerat ad meditandum in agro inclinata iam die. Non vtique ludis intendebat, NEC AD NVPTIAS VANITATES INANES EXQVIREBAT, sed in agro, & solitudine persistebat.

Rebecca quoq; conspecto Isaac descendit de camelo.

VBi Isaac vidit Rebecca è camelo descendit, suo nos exemplo docet, qua occurrere Christo, qui verus est animarum sponsus debeamus. Nimirum vt NOS DEMITTAMVS, de nobis sentiamus humiliter, & quò propius ad eum accedimus, eò nos profundius humilitatis sensu deijciamus. Quàm ineptè occurrunt Christo, qui se efferunt. Pulchrè nobilis ille auctor: De Rebecca narratur, quòd dum proficisceretur ad sponsum suum Isaac, videns eum in agro ambulantem, & intelligens esse sponsum suum, conspecto eo mox & ipsa descenderit de camelo, & obuiam ei processerit, si indecorum putauit Rebecca pedestri sponso equestrem, & humili sublimem obuiare sponsam, quanto magis decet, vt cum videamus sponsum animarum nostrarum tam humili specie versari in terrâ DESCENDAMVS & ipsi de gibboso & superciliosò superbiæ camelo?

At illa tollens citò pallium operuit se.

REbeccam euntem ad Isaac sic efferebat Tertullianus de veland. Virg. cap. 11. vbi ait: *Et desponsata quidem habent exemplum Rebeccæ, quæ cum ad sponsum ignotum adhuc ignota perduceretur, simul ipsum cognouit esse, quem de longinquo perspexerat, non sustinuit dexteræ collustationem, nec osculi congressionem, nec salutationis communicationem, sed confessa quòd senserat, id est, spiritu nuptam, negauit virginem velata. O mulierem iam de Christi disciplina*.

Seruus autem cuncta quæ gesserat, narrauit Isaac.

CVr potius Isaaco totam rei seriem exposuit, quàm Abrahæ, à quo missus fuerat? 763 *Nota*, inquit Sanctus Thomas, *quomodo scriptura narrat à principio missum seruum à Patre, sed redijsse ad filium tanquam ad Dominum suum: Hoc enim conuenit litteræ simul & mysterijs. Litteræ quidem quia prima tractatio vxorationis filij magis spectabat ad patrem: sed eius consummatio potius ad filium. Mysterijs vero quia prima origo bonorum, & prima missio nunciorum plus appropriatur Deo Patri: Desponsatio verò Ecclesiæ plus filio, cui rex fecit nuptias sicut Christus ait, amor verò quo dilecta est sponsa plus spiritui sancto*. Nisi hinc quoque vtile monitum nobis exhibetur, vt cum aliquid in Dei obsequium, Deoque iubente præstiterimus, eo peracto, sic nos habeamus, tanquam nihil præstiterimus, omnis operis, laborisque obliti.

Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ.

IN eam domus partem Rebeccam introduxit Isaac, in qua olim habitabat Sara Abrahæ vxor, & *quæ*, vt ait Ystella, *post eius mortem Abraham non vtebatur, sed vxori Isaac seruabat, nec alijs vxoribus Abrahæ communis erat*. Peculiare domicilium quæ vxor habet, debet esse commune virtutum domicilium.

In tabernaculum Saræ matris suæ. Aliqui legunt: *In domum matris suæ*. Quæ verba hoc donat explicatu quidam auctor in Catena græca Fumani: *In domum matris suæ; hoc quidem propterea, quòd cum plures duxisset vxores, plures etiam*

etiam domos haberet, dicitur enim domus etiam domestica multitudo, quæ ex vxore & liberis constet. Sed domum pro ſtata domus parte, quam mulieres inhabitabant, ſumi alibi dixi, alibi luculenter probaui.

Vt dolorem, qui ex morte matris eius acciderat temperaret.

764 LIcet plures anni tranſiuiſſent à morte matris Iſaac, adhuc tamen totus dolor, quo in eius morte affectus erat, cum tranſierat, vt Rebeccæ aduentus maxima eum ex parte lenierit. Mirum quod ſacer ſcriptor cum mors Saræ accidit non meminerit doloris, qui Iſaaci corripuit mentem, & nunc velut ex obliquo eum recenſeat; vt quàm fuerit diuturnus ſciremus, quem mortuæ virtutes expreſſerant, & in dolentis mente diù ſeruauerant. Nec ex illis Iſaacum fuiſſe intelligeremus, qui vix ſinunt parentes ſepeliri, cum EORVM MEMORIAM PRORSVS PONVNT, & ſub alto obliuionis eos condunt ſepulchro.

Adhuc dolor ob defunctam matrem Iſaaci animum corripiebat, qui nuptijs non penitus ablatus, ſed temperatus dicitur. Conſiderate, inquit ille, filij pietatem, etenim plus quam trienniuni erat, ex quo mater eius obierat, & adhuc eius obitum deplorabat. Et quanquam vxorem duxit præ vxoris amore non dolorem penitus amiſit, ſed exultatio hæc eius mærorem aliquantuhim temperauit. O quanto amore, atque reuerentia matri ſuæ viuæ ſeruiebat, qui eius obitum tantopere ſentiebat. Nunc autem vbi primum liberi vxores ducunt, ſtatim viuorum etiam, quanto magis DEFVNCTORVM PARENTVM OBLIVISCVNTVR? Quid ni ſuorum obliuiſcantur, cum obliuiſcantur etiam ſui, & animæ ſalutem, toti corporis voluptatibus mancipati, alta obliuione ſepeliant?

CAP. XXV. GENESIS

Expenditur, & illuſtratur.

Sectio Prima.

Abraham verò aliam duxit vxorem.

ABſit vt hîc aliquam incontinentiæ vmbram ſuſpicemur, & in illa ætate, fideique ſanctitate aliquid non ſanctum. *Quid*, verba ſunt Sancti Auguſtini rem expendentis, *ſi & hoc prouiſum eſt contra hæreticos futuros ſecundarum aduerſarios nuptiarum, vt in ipſo patre multarum gentium poſt obitum coniugis* ITERVM CONIVGARI *demonſtraretur, non eſſe peccatum*. Scilicet etiam in ijs, quæ carnem ſpectant, ſacra dogmata firmant atque ſtabiliunt magni illi Patriarchæ, vt hinc videas, quàm facile in alienis operibus dijudicandis homines falli poſſint. 765

Filij autem concubinarum largitus eſt munera, & ſeparauit eos ab Iſaac filio ſuo.

CVr ab Iſaac filios concubinarum ſeparauit? *Vidit*, inquit S. Thomas, *vtilius fore ipſos diſpergi, vt plures terras occupando nomen Dei Abrahæ amplius dilataretur, aut magnificaretur in eis*. Aliter nodum ſoluit nuperus, ſed peritus auctor, qui quærens cur Abraham vbi hæredem Iſaac conſtituit eum ſtatim à filijs Ceturæ, & Agar ſeparauerit, an quia, inquit, præuidit tam multos ex illis poſteros naſcituros, vt vna omnibus regio non ſufficeret? An quia timuit, ne religio Iſaac, & filiorum eius ex commercio filiorum Ceturæ, & Agar idololatriæ ſeruientium deprauaretur? An denique quia in ſpiritu præcognouit fore, vt filij ancillarum inuiderent filio ſuo Iſaac, ſi eum viderent in paternam hæreditatem cooptatum, & maioribus, quam illos, bonis affluentem? ſcilicet probi patris eſt filium ab ijs ſeparare, qui filio familiaritatẽ affricare improbitatẽ poſſunt. An quia idem auctor ait: præſciebat, illos filios fore impios, timebat, ne Iſaac, ſi ILLORVM FAMILIARITATI ASSVESCERET, eorum pariter impietatem etiam ſequeretur. Quàm cautius id Abraham feciſſet in auocando ab alienis filio, cum id fecerit etiam cum ageretur de filio à filio ſeparando?

Et

Et deficiens mortuus est in senectute bona.

766 PRimus inter mortales senis decoratus est titulo in diuinis litteris Abraham, licet multi ante illum annorum multitudine eum superarint, vt hinc discas à moribus potius quàm ab annis senectutis decus sumendum. Primus, inquit ille, cui hæc laus tamquam illa dignissimo tributa est, fuit Abraham. Nonnulli quippe ante illum nongentos vixerant annos: sed de nullo eorum dictum fuit quod esset senex, & prouectæ ætatis: quia FORTASSE PLVRIMIS ANNIS, NON TAM BENE VSI SVNT, sicut hic venerabilis senex paucis quos vixit. Scilicet senectus non nudè ab annorum numero sumenda, sed ab annis benè exactis.

Et sepelierunt eum Isaac & Ismael filij sui in spelunca duplici.

VT nihil aliud magnum facinus de Ismaele legatur, hoc Moses non prætermisit, quod patrem Abraham cum Isaac sepelierit; *Ex quo videtur*, inquit Sanctus Thomas, *quòd aliqualiter ad* PATERNAM AMICITIAM *esset restitutus*. Explicari non potest quanti sit meriti mortuorum habere curam.

Itane etiam Ismael patrem sepeliuit, à quo sciebat se cum matre eiectum? *Aduerte*, inquit Oleaster, *Ismaelem* INIVRIÆ SIBI ILLATÆ A PATRE IMMEMOREM CVM OPVS FVIT EVM SEPELIRE, *& nosset se cum matre ab eo abiectum*. Nimirum cum de mortuis curandis, & sepulturæ tradendis agitur omnis iniuriæ memoria obliuioni tradenda est.

Ismael qui prius Isaac persequebatur, meliorem iam mentem ebiberat, & à patris sepulchro potuit vterque discere omnem iniuriæ memoriam sepeliendam. Oblitus est Isaac persecutionis ab Ismaele, oblitus est Ismael eorum, quæ fuerat passus ob Isaac, tunc maximè sepeliendæ iniuriæ, cum sepulchrum spectatur. Omnibus melior à sepulchro mens elicienda, vt inclamatæ sit salutis à sepulchro salutaria non haurire.

Plures alios ad Abrahæ funus concurrisse non
767 est dubium, Isaac, & Ismael soli recensentur, quia ad illos præcipuè hæc cura spectabat. *Multi alij*, inquit Abulensis, *conuenerunt ad exequias Abrahæ, sed non fit mentio de his*, QVIA ISAAC, ET ISMAEL ERANT PRINCIPALES PERSONÆ, *sic etiam ad exequias Saræ tota Ciuitas Hebron, & vniuersa gens Hethæorum affuit*. Omisit narrare alios scriptura, vt in his officijs ad pietatem potius spectaremus, quàm ad externam pompam.

Et post obitum illius benedixit Deus Isaac, qui habitabat iuxta puteum nomine viuentis, & videntis.

POst obitum illius benedixit Deus Isaac. Et cur ante obitum immo non benedixit filio ipse pater Abraham? Nodum ita soluit Honcala hic: *Quæritur*, inquit, *cur* ABRAHAM MORTI PROXIMVS NON BENEDIXIT FILIO SVO ISAAC? *An quia in benedictionibus Abrahæ à Deo collatis Isaac quoque benedictus intelligitur? cui dictum est, in Isaac vocabitur tibi semen, idcirco vir iustus non est ausus benedictioni diuinæ humanam addere. An quia de Isaac nasciturus erat Esau Deo reprobandus? Et ideo reliquit ipsi Deo benedictionem, qui benè nouerat alterum assumere, alterum omittere iuxta illud Matthæi. duo erunt in vno lecto, & vnus assumetur, & alius relinquetur.*

Hæ sunt generationes Ismael filij Abrahæ.

MIrum cur tanti hic Ismael fiat, vt eius generationes recenseantur; scilicet qui Patris cadauer tumulauerat, & cum honore extulerat, meruit, vt eius memoria, & posterorum perennaret. *Quia scriptura*, inquit Liranus, *fecerat mentionem* DE HONORE, QVEM DETVLIT ISMAEL PATRI SVO, *ideo breuiter eius describitur generatio*. Vt aliunde non meruerit tanto honore affici, hic honor patri cadaueri delatus efferre hominem potuit. Scilicet mortuorum cura viuos effert.

Primogenitus Ismaelis Nabaeoth, deinde Cedar & Adbed, & Mabsam.

NOn caret mysterio, quod aliqua de descendentibus ab Ismaele hic Sacer Textus dicat, factum enim istuc est, ait Sanctus Thomas, *vt appareret promissionem factam de eo ad Abraham benè fuisse impletam*.

Qui cum quadraginta esset annorum duxit vxorem Rebeccam filiam Bathuelis &c.

ANnos quibus à nuptijs Isaac abstinuit, signatè Moses indicauit, vt innueret illum etiam reliquum vitæ tempus virginitati consecraturum. *Nisi Deus*, inquit Sanctus Thomas, *& ratio illius temporis aliud suasisset*. Vt 768
videas quanti VIRGINITAS, iis qui se totos Deo sacrarunt eo tempore, quo virginitas floret, & commendatur.

Cum quadraginta esset annorum. Hic Isaac patientiam in ferenda vxoris sterilitate aliqui admirantur: *Cæterum*, inquit Honcala, *vndeuiginti annis Isaac* ἄτεκνος *manens* MIRABILI PATIENTIA REBECCÆ STERILITATEM TVLIT; *neque enim sterili vxori infæcunditatem improperauit: neque Domino, pro quo iugulum tetenderat liberos sibi minimè elargienti obmurmurauit: Verum, vt iustus in vxorem, & in Deum pius, quoniam vidit naturam claudicantem, religiosa mente ad naturæ conditorem confugit: & vincula naturæ precibus soluere festinauit.*

De-

Deprecatusq́; est Isaac Dominum pro vxore sua, eo quod esset sterilis: qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebecca.

CVm certus esset Isaac se prole ditandum, cur orationes præmisit, cum certò sit futurum, quòd Deus promisit? *Dicendum*, inquit Sanctus Thomas, *quod* DIVINA PROMISSIO, ET PRÆDESTINATIO NON EVACVAT ORATIONES, IMO EXIGIT EAS, *quia Deus non promittit aut destinat talia futura absolutè, & in omnem euentum, sed sub congruis conditionibus, & præsuppositis debitis dispositionibus. Posset etiam dici, quòd licet Isaac esset certus se habiturum filios, non tamen erat certus quod de Rebecca esset illos habiturus.*

Deprecatusq́; est Isaac. Cur non & Rebecca pro sua sterilitate orauit? An preces & ipsa fudit, licet id non legatur? *Simul orabant*, inquit Ystella, *sed precantium efficacior fuit Isaac*. Quod vir fecit, fecit & vxor, præsertim cum de oratione agitur, in quam proniores mulieres solent esse, & viris præire.

769 Quàm magna orationis huius perseuerantia exstiterit ab aureo habes calamo. Sanctus Chrysostomus hom. 49. in Genesim ita scribit: *Deprecabatur autem pro Rebecca vxore sua quoniam sterilis erat, & exaudiuit eum Deus: non quia mox ita subditur, & scriptum est, putes è vestigiò & protinus assecutum esse, quod optabat & quærebat; nam viginti annis* PERSEVERAVIT ORANS, *& deprecans Deum, & tunc tandem assecutus est, quod desiderabat*. Quo exemplo monemur, cum perseuerantia fundendam orationem esse, vt quod oramus, exoremus. Rem luculentius vrget idem Sanctus Doctor dum ait: *Non assecutus Isaac, quod optabat, viginti annos perseuerauit orans & deprecans Deum, & tunc demùm assecutus est, quod desiderabat. Si enim quadraginta annorum erat, quando Rebeccam duxit, sexaginta verò quando illa peperit: manifestum est, quod* VIGINTI ANNIS PERSEVERAVIT ORANS DEVM; *& sic vterum Rebeccæ inhabilem generationi idoneum fecit. Vides orationis vim, quod & naturam ipsam superat.*

Eo quod esset sterilis. Vndenam exploratum Isaac habuit sterilitatem vxoris potius esse, quàm suam? & non in vtrouis coniuge poterat sterilitas esse, aut alia generationis impedimenta? An ex communi more, quo facilè culpam in alios facilè deriuamus? An quia certus erat Isaac ex diuina promissione data parenti suo Abrahæ, sibi non defuturam prolem? An quia transactis aliquot annis in coniugio sine prole, tum demum existimauit Isaac, vxorem sterilem esse?

Indigni sæpè rapiunt *dignitates*, non diù seruant. 770.
Finitimum *virtuti* est *vitium*.
Ad *meliora* semper eundum.
Plerique cum de illorum *commodis* agitur solliciti, qui aliàs *torpent*. 771.
Mali bonis seruiunt, dum eos persequuntur.
Gula affectus supprimendus, ne nos supplantet
Res à *qualitate* potius, quàm à multitudine censendæ. 772.
Venatores vt in diuinis litteris malè audiant.
Qui toti in exteriora effunduntur Esau pariati.
Parentum consilia non negligenda. 773.
Suorum *calumniam* vt *Deus* antecertat.
A *dolo* absint, qui Deo seruiunt.
Domus bonorum virtutum palæstra. 774.
Religiosi domi se contineant, foras non facilè *vagentur*.
Perstricti *religiosi* nimis *vagi*.

Collidebantur in vtero eius paruuli.

COntendunt pueri quis prior prodeat, primas obtinuit pessimus Esau, sic sæpè accidit, vt dignitatis culmen subeant, qui è probitatis suggestu ceciderunt. At diù non seruauit primatum Esau: VT DIGNITATES, inquit ille, INDIGNI RAPIVNT *non diu seruant*. Rapero violentiæ est, ritè seruare virtutis, quæ in malis desideratur, nec desideratur à malis, tantum abest, vt inquiratur. 770

Rebeccæ vterus gemino tumescit fœtu; Iacob optimus lætam fecit matrem, Esau pessimus miseram; *disce*, inquit ille, *quam* FINITIMVM VIRTVTI SIT VITIVM, *cum malum, & bonum idem contineat vterus*. Iacobi exemplo eò maiori studio litare probitati quis debet, quò vieiniores malos habet.

Perrexit vt consuleret Dominum.

IN hac aditione transitum ad meliora notabar Origenes, dum inquit. *Abijt: quo abijt ex eo loco in quo erat Dominus ad locum in quo non erat? Nonne vbique est Deus? quo ergo abijt Rebecca? ego puto quod non de loco in locum, sed de vita ad vitam, de actu ad actum*, DE BONIS AD MELIORA TRANSIERIT, *de sanctis ad sanctiora properarit*. Benè Dominum consulit, optimè consulit sibi, qui transitum ad perfectiora facit, bono inchoato non contentus.

Vt consuleret Dominum: Paraphrasis Ierosolymitana vertit; *vt peteret misericordiam à Domino*, 771

no, in tanto scilicet posita discrimine. Sed mirum, sola dicitur Dominum adijsse, non sociata marito, cum prius solus maritus legatur pro vxoris fœcunditate Dominum orasse. Apparet hîc hominum conditio, qui tunc mouentur, cum illorum res propria agitur. Pulchrè nuperus auctor: Cur primo solus Isaac, & secundò sola Rebecca ad Dominum iuit? sterilitas, non sic damnosa erat Rebeccæ, vt Isaac, cuius semini promissa erat mundi benedictio, & ideò damnosa semini suo sterilitate percussus Isaac ad Dominum confugit non Rebecca, cuius semini nulla erat promissa benedictio. Verum vteri molestiæ vt solam percutiebant Rebeccam, SIC SOLA ILLA EXCITATVR, VT AD DEVM CONFVGIAT, NEVTERQVE MOVETVR AD DEVM, NISI TVNC CVM SVIS PROPRIIS QVISQVE FLAGELLVM EXPERITVR. O ingenia hominum misera, vix sciunt in alieno discrimine discere, raro sapiunt, vt ad Deum eant, nisi cum suis proprijs percutiuntur.

Et maior seruiet minori.

Maior *seruiet minori*; tanquam lima ferro: Benè Vgo hic: *Maior* SERVIET *minori, quia eum* PERSECVTVS *est; nam quod lima ferro: flagellum grano: fornax auro facit: hoc impius iusto*: Bonis mali seruiunt, dum sæuiunt. Sanctus Augustinus serm. 78. de tempore. *Populus*, inquit, *maior seruiet minori. Quo, inquis, ordine? illo vtique, quo mali seruiunt bonis, non vtique* OBSEQVENDO, *sed* PERSEQVENDO. Et in Psalm. 40. rem Iudæis aptat in hunc modum: *Maior filius, ipse est maior populus reprobatus: minor populus dilectus: maior seruiet minori modo impletum est modo fratres, nobis* SERVIVNT *Iudæi, tanquam Capsarij nostri sunt, studentibus nobis codices portant.*

Protinus alter egrediens plantam fratris tenebat manu.

Totum istuc sic ad mores flectabat Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 192. *Iacob, Esau plantam in ortu correptam tenebat hoc videlicet per hanc speciem significans, quod mens quæ Deum per puritatem cernit (id enim si interpreteris, Israel sonat)* GVLÆ AFFECTVS SVPPLANTAT; *quod quidem in illis ipsis impletum est, cùm Edom effrenata cuiusdam rabiei significationem dedit, at primogeniorum honorem edulij seruum effecit.*

772 Ablata etiam viri precibus Rebeccæ sterilitate Iacob edidit, sed cur non alium post ipsum? An vt colligeremus res à qualitate potius, quàm à multitudine censere? *Debuit illi sufficere*, inquit Pepinus, *genuisse Iacob, qui appretiari poterat* SVPER MILLE *alios filios.*

Quibus adultis factus est Esau vir gnarus venandi, & homo agricola.

Vir *gnarus venandi*. Venandi studium non est malum, nec venatio culpabilis est, licet in Diuinis Litteris eundem virtutum venatorem fuisse non legamus, & ferarum. *Equidem*, inquit Pererius hîc, *non memini me legere in Sacris Litteris, quemquam de sanctis, & in Scriptura laudatis viris* FVISSE VENATOREM; *vt, nonnullos fuisse agricolas, multosque pastoralem vitam egisse, plurifariam in Sacris Historijs proditum est. Quin etiam vocabulum venatoris, & venandi ferè malam in partem in scripturis vsurpari solet.*

Agricola, & venator fuisse perhibetur Esau, ab omni parte in sola exteriora effusus. Vt illum referant amatores mundi peritè, vt solet, explicat Sanctus Gregorius lib. 5. moral. cap. 8. *Quid per venationem Esau nisi eorum vita figuratur, qui* IN EXTERIORIBVS VOLVPTATIBVS FVSI *carnem sequuntur? qui etiam agricola esse describitur: quia amatores huius sæculi, tantò magis exteriora colunt, quantò interiora sua inculta derelinquunt.* Ferè ita accidit, vt quò quis studiosius exteriora curat, eò nocentius negligat interiora.

Abijt à pietate Esau quia à parentum se 773
oculis subducens illorum consilia, monitaque adeo non perfecit, vt nec audiret; contra Iacob domi degens vtriusque parentis audiuit consilia, sicque eam pietatem bibit, qua frater eius caruit. Pulchrè ille: Dicitur in Genesi: Factus est Esau vir gnarus venandi, & homo agricola: Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis. Iacob vir syncerus semper domi erat cum parentibus suis, EORVM CONSILIA, ET ADMONITIONES PERCIPIENS, & hinc maximum illi commodum dimanauit, quod consilio matris suæ adeptus est primogenituram, & benedictionem à patre suo. Optimum sanè est iter ad illam gloriosam benedictionem consequendam. Venite benedicti patris mei, inter eos versari, qui tibi obstent, & quando opera tua meruerint te reprehendant. Contra verò, est à via recedere, separari, & fugere correctionem, præcipuè parentum, & eorum hominum, quibus honor, & reuerentia debetur.

Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis.

Vir *simplex*. Aliqui legunt: *Vir sine dolo*. Sed cur hac præcipuè laude donatur Iacob? An Deus calumniam anteuertit, quam præuidebat Iacob percutiendum, nam eius pater dixit: *Venit germanus tuus fraudulenter*, ne verò fraudulentus haberetur necesse fuit simplicitatem eius ab omni dolo alienam diuino testimonio probari. Scitè Sanctus Augustinus: *Iste*, inquit, *dolus Iacob*, NE PVTARETVR FRAVDVLENTVS DOLVS, *& non in eo magna rei mysterium quæreretur, superius dixit Scriptura: erat autem Iacob vir simplex: hoc est sine dolo. Quis est dolus sine dolo? Quæ fictio non mentientis, nisi profundum mysterium veritatis.*

Vt suorum nomini, ac famæ Deus consulit, simplicem ac doli expertem Iacobum pronuntiat antequam de primogenituræ emptione ageret,

ageret, ne quod accidit eius dolo, astuique tribueretur. *Iacob*, inquit Sanctus Thomas, *vir simplex, idest sine dolo, & sine fictione. Quod signanter dicitur, ne subsequens emptio primogenituræ, & benedictionis paternæ subtractio credantur prouenisse* EX ALIQVO DOLO. Ne proximum suum fallendi ansam hinc aliquis acciperet.

774 Alium sensum, monitum aliud sub his verbis vidit peritus auctor, cuius verba exhibeo: Aliqui legunt in Genesi, Iacob erat vir integer, minister domus doctrinæ. Erat enim illa domus PALÆSTRA QVÆDAM HONESTARVM ACTIONVM, in qua Iacob in omni genere prudentiæ, atque virtutum erudiebatur, quas parentes Deo cari, & ab eodem inspirati, in luce oculisque ponebant, vt continua videretur esse doctrina honestatis. Quare cùm frequens domi esset, & parentibus ad nutum obsequeretur, dictus est habitare in tabernaculis, & minister esse domus doctrinæ, vt de oeconomicæ rationes hausit pulcherrimas atque diuinas.

Habitabat in tabernaculis. Nimirum, vt virtutum se faceret domicilium manebat domi. *Typus*, inquit eruditus ille interpres, *peregregius religiosorum hominum Iacob habitans in tabernaculis, & non* VAGO PROGRESSV *per fora, & mortalium consessus passim discurrens*.

Habitabat in tabernaculis. Et cur in hoc Iacobum ab Esau discriminat, cum etiam Esau in tabernaculis habitaret, nam hæ tum illis domus erant? An *habitare* posuit pro *manere*? nam Iacob rarò progrediebatur, domumque se continebat, rei domesticæ curam gerens, non venationi intendens. Hoc torqueas in eos, qui cum in religiosas familias nomen dederint, sæculumque reliquerint, tum frequentes se in vias, in plateas dant, vt inhabitare religiosas domos non videantur.

Sectio III.

Escæ quàm magnam ad *capiendos* homines vim habeant. 775.
Virtutibus aliorum animos *venari* quisque debet.
Isaac cur adeò Esau *diligeret*.
Antiquorum *frugalitas*, & *deliciarum* fuga. 776.
Malè incipit *olere*, qui *ferculorum* odore ac fragrantia capi se finit.
In *cibis* nimia *concupiscentia* maximè damnatur.
Laxior *vita* timenda, amanda *disciplina* angustia. 777.
Lenticula cur *ruffa* dicta.
Matris mores facilè *filius* ebibit.
Festinans fœmina ingenium.
Gulosi ingenium quale. 778.
Gulæ vitium nihil pendere facit pretiosa quæque.
Mortis memoria à *dignitatum* amore homines auocat.
Esau Iacobi simplicitati, vt irriserit. 779.
In quo situs verus *primatus*.
Qui temporalibus *voluptatibus* seruiunt *lentem* manducant.
Lenticula Aegyptiorum cibus.
Parum refert quonam cibo *gulæ* concupiscentiam nutrias. 780.
Perstricti qui *ferculorum concupiscentia* animam *vendunt*.
Plerique vilissima *voluptate vendunt Christum*, æternamque hæreditatem.

Isaac amabat Esau eò quod de venationibus illius vesceretur.

TAntum etiam in tantum virum escæ potuere, vt Esau licet peiorem amaret Isaac, quia nimirum venatione eius vescebatur. Et quando, inquit scitus ille auctor, Isaac sanctissimus sic cibis capiebatur, quis longè distans ab Isaac SANCTITATE NON CAVEAT CIBIS CAPI. Habent equidem escæ VIM MAXIMAM, vt affectus humanos trahant, ad vniuersas leges conculcandas. 775

Cur Isaac, Esau diligeret hîc causa exprimitur; sed cur Rebecca amaret Iacob nulla adducitur causa? Esau sola venatione venari patris amorem potuit, Iacob venatus se ipso, suisque virtutibus. Dictum est Isaac, inquit Pererius, dilexisse filium suum Esau, verum non simpliciter, sed quia de venationibus eius vescebatur. Non enim persona Esau erat amabilis, nec aliud in eo dignum amore patris erat, præter cibum venatione eius comparatum; quæ profectò amandi causa admodum exilis, & leuis erat. At Rebecca præcipuè, & absolutè dicitur amasse Iacob, quia simpliciter ille, & absolutè amabilis erat. Nimirum, multa, & præclara erant in Iacob, quæ Rebeccam AD EIVS AMOREM ALLICERENT, ATQVE INCENDERENT: primo quietum, & lene, miteque ingenium; tum animus simplex, & sincerus, modestusque, & ad omnium virtutum studia propensissimus: deinde morum singularis integritas, & suauitas; ad hæc summa erga parentes reuerentia, & pietas aduersus Deum eximia. Et quia Iacob domi morabatur, continua matris cum eo consuetudo, quæ perefficax amoris esse solet conciliatrix, conciliatique antrix, & conseruatrix. Scilicet virtutibus aliorum animos venari quisque debet, felicior quàm Esau futurus, cui ferarum venatio adeo nihil ad benedictionem profuit, vt obfuerit potius.

Itane eduliorum causa, quæ Esau ipsi Isaac offerebat, diligebatur Esau ab Isaac? Sanctus Thomas hîc in hunc modum rem versat: *Isaac amabat,*

amabat, idest prædiligebat, eò quòd de venationibus illius vesceretur. Hæc non fuit causa, sed fuit quædam prædiligendi occasio. REVERENTIA ENIM ET OBSEQVIOSA DEVOTIO, *quam Esau ad patrem in hoc plus quam Iacob habere videbatur, fuit huius prædilectionis causa, & præcipuè pro vt erat ei annexa dignitas primogenituræ: quibus Isaac humanitus æstimabat in Esau promissiones diuinas in eo principaliter esse complendas. Sed nihilominus scriptura non sine causa carnale obsequium & edulium dicit esse motiuum huius prædilectionis, vt innuat quod etiam in sanctis viris est plerumque aliquid affectionis carnalis: quo ad aliquid obscurantis iudicium rationis, saltem pro quanto homo plus debito bonum sentit de sibi magis obsequiosis.*

Coxit autem Iacob pulmentum.

776 COxit *autem Iacob pulmentum*. Antiquorum hîc frugalitas elucet, apud quos quæ nunc vilissima putantur, electæ deliciæ, epulæque erant. Vide quæso, inquit nuperus auctor, FRVGALITATEM VICTVS PRISCORVM ILLORVM HOMINVM. In domo Isaac, licet opulentissima, atque omnium rerum copiosissima, filius eius Iacob pro lauto, & delicato cibo pulmentum lentis parauerat. Digna res, quæ nostris objiciatur, quos vt purior vita, sic tenuior, & vilior victus deceret.

Pulmentum sibi coxerat Iacob, sibi vtique soli, non toti familiæ. Non erat sane, inquit hîc Pererius, pulmentum illud commune domus & familiæ Isaac: sed in proprium vsum Iacob paratum: alioqui aliunde potuisset eum cibum habere. Fortasse IVCVNDI ODORIS FRAGRANTIA, index optimi saporis, tantum eius cibi desiderium in Esau excitauit atque inflammauit. Sed profectò potuisset alio cibo, cuius ei copia in domo patris deesse non poterat, famem pellere. Scilicet malè incipit olere, qui ferculorum odore, ac fragrantia capi se sinit.

Iacobi pulmentum quæsiuit Esau. Hinc colligas in cibis damnari maximè nimiam concupiscentiam. Rectè rem Esau, aliorumq; exemplo vrget Beatus Laurentius Iustinianus tract. de sobrietate cap. 5. *Cohibendus est*, inquit, NIMIVS CIBI APPETITVS. *Nam longè melius est moderatè carnibus ad tempus vesci, quàm ventoso legumine vsque ad ventris repletionem exsaturari. Præcipuè quum Esau non de carnibus, sed de lente sit reprehensus, & de ligno Adam, non de carnibus sit damnatus, atque Ionathas ex gustu mellis, non carnium morti iudicatus fuerit. E contrariò verò Helias innoxiè carnem comedit, Abraham angelos carnibus gratissimè pauit, & de ipsis sua fieri sacrificia præcepit Deus.*

Ad quem cum venisset Esau de agro lassus.

777 MAlum omen, à campi latitudine redit Esau, importunè patris benedictionem sperat; quæ res rectè indicat ægrè Dei benedictione donandum, qui laxiorem amat vitam, omnem disciplinæ angustiam auersatur. Benè hîc cadunt Tertulliani verba: *Vera*, inquit, *si velimus dicere, tuæ qui tantum gulæ indulges, & merito te priorem iactas, semper agnosco sapere Esau venatorem ferarum, ita passim indagandis turdis studes, ita* DE CAMPO LAXISSIMÆ DISCIPLINÆ TVÆ VENIS, *ita spiritu deficis: si tibi lenticulam defruto inrufatam obtulero, statim totos primatus tuos vendis: apud te agape in cacabis feruet, fides in culinis calet.* O idem multis occini non posset, non posset obijci?

Da mihi de coctione hac rufa, qui oppidò lassus sum.

DA *mihi*. Verba hebraica plenius petentis intemperantiam significant; sic enim se habent: *Fac me vorare de rufso, rufso isto;* sed cur lenticulam *ruffum* vocat? Delrius: *Fortassis* LENTICVLA RVFFA *erat, vel croco tincta, aut alio condimento.*

Cui dixit Iacob vende mihi primogenita tua.

MIrum cur tam cito de primogenituræ iure Iacob cogitet. An id à matris ingenio prouenicbat? Scitè ille: Promissio matri Rebeccæ dicta fuit: quæ vt à Rebecca Iacobo communicabatur, simul communicabatur fœmineus aculeus ad habenda promissa, & abruptissimum, FESTINANTISSIMVMQVE INGENIVM FOEMINEVM, ne posset moram accipiendi promissi perferre vllam. Scilicet matris mores facilè filius ebibit.

Ille respondit: En morior, quid mihi proderunt primogenita?

EN *morior*. Moriebatur qui epulis immoriebatur. Ostendit, inquit bonus ille auctor, INGENIVM GVLOSI HOMINIS, & luxurioso cibatu ventris: quicquid enim concupiscit, ita flagranter expetit, vt nisi protinus habeat, moriturum sese dicat. 778

Quid mihi proderunt primogenita? Gulæ vitio affecto nec prodest, quod prodesse alijs solet, ferculorum mancipium, etiam illa pericula timet, quæ aliàs timenda non essent. *Nota*, inquit hîc Sanctus Thomas, *quod vitium gulæ in omni fame de facili imaginari facit* PERICVLVM ET ANGVSTIAM MORTIS, *ac parui pendere ac negligere spiritualium pretiositatem & vtilitatem.* Scilicet fercula qui deperit, omnia alia contemnit.

Hoc boni à mali Esau verbis colligi potest, scilicet mortis memoria dignitatum exuendum affectum: *En morior*, dixit, *quid mihi proderunt primogenita?* vbi Vgo Victorinus. *Quasi dicat non semper viuam,* SED MORIAR, *nec scio quando, quid igitur valebunt mihi primogenita?* Idem efferat, qui dignitates ambit, non vt eas vendat, sed vt contemnat.

Ait Iacob: Iura ergo mihi. Iurauit ei Esau, & vendidit primogenita.

779 GVlæ tactus rabie Esau, primogenita vendidit, vt lenticularum edulium sibi compararet. Itane tàm fatuus, vt tam magnam rem, & illo tempore tanti factam pro re tantilla mutaret? An decipere fratrem studuit? Nec mora, inquit scitus ille auctor, pacto inter fratres cibi pretio, absumptis epulis INCIPIT ESAV IRRIDERE IACOBI SIMPLICITATI, credentis se beneficio cibi obtenturum, quod ipsa natura negauerat. Sed interim irridere qui fratrem voluit, omnium se irrisioni exposuit.

In quo situs vetus primatus sit egregiè docet Sanctus Augustinus lib. 5. contra Donatistas cap. 15. vbi ait: PRIMATVS *non est nisi in sancta conuersatione, & vita bona, quo pertinent omnes, ex quibus tanquam membris constat illa sponsa non habens maculam neque rugam, illa columba inter multorum coruorum improbitatem gemens, nisi forte cum Esau propter lenticulæ concupiscentiam primatum perdiderit, tenere primatum arbitrandi sunt fraudatores, raptores, fæneratores, inuidi, ebriosi, & cæteri huiusmodi.*

Et sic accepto pane & lentis edulio, comedit & bibit, & abijt, paruipendens quod primogenita vendidisset.

QVòd Esau lentem comederit, quam Iacob coxerat sic ad Ecclesiam transfert Sanctus Augustinus serm. 44. de diuersis: „*Ergo* QVI TEMPORALIBVS VOLVPTATIBVS SERVIVNT IN ECCLESIA, LENTEM MANDVCANT; *quam quidem coxit Iacob, sed non manducauit Iacob: idola enim magis in Aegypto viguerant. Lens cibus est Aegypti, per lentem omnes errores gentium significantur. Quia ergo Ecclesia eminentior, & manifestior in filio minore de gentibus ventura significabatur, lentem coxisse dicitur Iacob, & manducasse Esau: Etenim dimiserunt idola gentes, quæ colebant, iudæi autem seruiebant idolis.* Et in psal. 46. paulo aliter rem versat, inquiens: *Desiderauit lenticulam, & ait illi frater eius; si vis vt dem tibi, da mihi primogenita tua: ille plus amauit quòd corporaliter concupierat, quam quod spiritaliter prius nascendo meruerat, & deposuit primogenita sua, vt manducaret lenticulam.* LENTICVLAM AVTEM *I*NVENIMVS ESSE CIBVM *A*EGYPTIORVM; *nam ibi abundat in Aegypto. Vnde magnificatur lenticula Alexandrina, & venit vsque ad terras nostras: quasi hic non nascatur lenticula, ergo desiderando cibum Aegyptium, perdidit primatum; sic & populus Iudæorum, de quo dictum est, conuersi sunt corde in Aegyptum, lenticulam quodammodo desiderauerunt, & primatum perdiderunt.*

780 Ob lentis edulium à primatus suggestu excidit Esau; vt statim discas, parum interesse, quo cibo gulæ concupiscentiam nutrias, si nutrias. Hinc illud Sancti Augustini lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 37. *Primatus maioris transfunditur in minorem ex pacto, & placito inter illos, eò quòd lenticulam, quam minor parauerat, maior immoderatius concupiuit, eoque pretio primogenita sua fratri iuratione interposita vendidit; vbi discimus* IN VESCENDO NON CIBI GENERE, SED AVIDITATE IMMODERATA QVENQVE CVLPANDVM. Idem rem eandem vrget serm. 71. de diuersis: *Quid interest in* QVALI CIBO CONCVPISCENTIA IMMODERATA *culpetur? non vtique de solis carnibus, sed etiam de quibusdam pomis, & agricolis alimentis Israelitarum concupiscentia diuina voce damnata est; & Esau non propter offam suillam, sed propter lenticulam defricatam, sua primogenita perdidit; vt omittam quid Esuriens Dominus tentatori etiam de ipso pane responderit: qui certè non suam carnem quasi rebellem domabat: sed quid in talibus tentationibus respondere deberemus misericorditer admonebat.*

Primogenita vendidit Esau pro vili lente, sed quod mireris, cum dolore corripi deberet ad tantam iacturam, contempsit, vt ait Scriptura Diuina, quod primogenita vendidisset. Verè contemnendus qui pretiosis contemptis ad vilia rapitur. Quid hìc illi qui contemnunt non quod primogenita vendiderint, sed quod se, animam suam. Sed pende id fecisse Esau, cum vile edulium edidisset. Post cibi ingurgitationem, inquit nobilis ille auctor, abijt Esau paruipendens, quod primogenita vendidisset, quod ponderans Thargum Ierosolymitanum, inquit: abijt, & contempsit Esau primogenituram, & flocci pendit partem futuri sæculi, negauitque resurrectionem mortuorum. Nec grauabor credere id perpetratum fuisse ab homine pleno epulis concupitis, de intemperantia enim escarum nil citius, quàm diuinorum contemptus solet parturiri. Hinc Dominus populum suum sic composuit, vt à multorum ciborum copia illum abstineri iusserit, vt per gulæ temperantiam magis hæreret religioni, à qua facit desciscere luxurians escarum appetitus.

Esau stultitiam admiraris, quod pro lentis edulio primogenituram vendiderit; maior est illa, qua pleriq; corripiuntur, *dum vilissima voluptate* VENDVNT CHRISTVM; & cum Iuda exclamant, quid vultis mihi dare, & ego eum tradam? Huc faciunt, & illa probi doctoris verba: Stultus Esau fuit, qui pro pulmento LENTICVLÆ ius primogenituræ, seu hæreditatem primariam vendidit? Et ò quot ei similes, qui pro vanissima voluptatis aut lucri exigui illecebrâ animam Diabolo vendunt, vnaque Dei gratiam ac ius ad æternam hæreditatem, quod Christus sanguine suo nobis promeruit, & in baptismo debet? quid enim sunt vani honores, voluptates, modicum lucrum, breuis vindicta, vna inebriatiò, nisi spuma maris & exigua lenticula. O vtinam sic omnes viuerent, vt nullus perstringi his verbis posset, nulli hæc in cautionem obijcere esset necesse.

CAP.

CAP. XXVI. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio I.

Bonorum nota sine *querela mala* ferre. 781

Dei *iustitiam* timeat, qui à *bonis* meliorem mentem non sumit.

Qui *terrenis* abundant sæpe *bonorum* verorum sterilitate laborant.

In tribulationibus mentem ad eos, qui patienter *mala* passi, flectamus. 782

Regia nota *peregrinis*, & extraneis succurrere.

Paternam suorum *curam Rex* habeat.

Querelas in *aduersis* non facilè Dei serui emittunt. 783

Varij Diuinæ *Prouidentiæ modi* in seruis suis tuendis.

Tunc maximè suis *Deus* adest, cum aliqua *tribulatione* eos exercet.

Ab *Aegypto* cur *Deus* auocauerit Isaac. 784

Qui se *Deo* sacrarunt ne quærant, quæ *mundum* sapiunt.

Virtutis exercitationem in suis *Deus* amat.

Non omnes eodem *vita instituto* ligandi. 785

גור quid. *Vita* nostra *peregrinatio* quædam. 786

In hac *vita* tanquam in *scena* agimus.

Qui à sua *patria* peregrinatur *timoris* materiam habet.

Orta autem fame super terram post eam sterilitatem, quæ acciderat, in diebus Abraham, abijt Isaac ad Abimelech.

781 ORta fame super terram. Etiam fame suos Deus exercet; Legimus Isaac abijsse, non legimus questum, nec impatienter tulisse. Hęc bonorum nota SINE QVERELA FERRE MALA, quæ Deus infert, vt hoc minus feriant, quo fortiori animo sustinentur.

Ortam audis famem in loco, vbi Isaac degebat. Quis non credidisset summam vbertatem ibi futuram, vbi Dei amicus Dei legem verbo, & exemplo docebat. An meruerunt fame puniri, qui ex iusti præsentia, & prædicatione nihil boni collegerant, Diuinæ Prouidentiæ ingrati? tunc maximè punientem Dei manum timere debemus, cum MELIOREM A BONIS NON SVMIMVS mentem, nec probitati litamus probos videntes, audientes bonos.

Vbi Isaac degebat oritur fames, vbi exleges Palæstini, ibi vbertas vigebat, vt discamus plerumque terrenis abundare, qui verorum bonorum sterilitate laborant; nisi quod etiam terra Geraris fame, vt aliqui notarunt, obsidebatur; eò verò se contulit Isaac, vt inde in Ægyptum transiret.

Post eam sterilitatem, quæ acciderat in diebus Abraham. Quid erat necesse sterilitatem illam recensere, quæ tempore Abrahæ contigerat? An vt in tribulationibus, quæ suis Deus immittit, STATIM MENTEM AD EAS FLECTEREMVS, QVÆ ALIIS ILLISQVE PERFECTIORIBVS IMMISIT, eorumq; exemplo æquo omnia ferremus animo. 782

Abijt Isaac, ad Abimelech Regem. Apud eum indigentiæ suæ Isaac consulturus. Iurè Regis titulo donatur Abimelech, Regia nota insignis, scilicet liberalitate. Indignus Regis nomine, qui aliorum inopiæ non promptè succurrit. Addit Oleaster: *Docentur hic REGES auxilio esse peregrinis, & extraneis.* Alioquin à regia mente Rex peregrinatur, si negligat peregrinos.

Notatum ab alijs Abimelech Regum Palæstinæ nomen commune fuisse, vt nouerint Reges se suorum patres esse; nam *Pater meus Rex* hoc nomen sonat. *Abimelech*, inquit Lippomanus, *non personæ nomen est, sed regiæ dignitatis nomen datum apud Palæstinos, quasi Pater sit, & Rex, SIC ENIM ESSE DEBENT, QVI POPVLIS PRÆFICIVNTVR.* Paternam qui suorum curam non habet, Regis est titulo indignus.

Abijt Isaac. Sicut tanquam mendicus, ita tamen vt nullam in Deum querulam emitteret vocem: *Illud valde notandum est*, inquit Oleaster, *non murmurasse Isaac, sicut nec Abraham, quòd cum essent sancti, & iusti cogerentur extra propriam terram emendicare.* Pende mala quæ patriarchis acciderunt, nec facilè questos eos inuenies. 783

Apparuitq; ei Dominus, & ait: Ne descendas in Aegyptum, sed quiesce in terra, quam dixero tibi, & peregrinare in ea.

NE descendas in Aegyptum. Cur Deus noluit Isaac ire in Ægyptum, quò tamen ire antea patrem eius Abraham voluit? Vt ostenderet, inquit Pererius, Deus VARIOS MODOS ET RATIONES PROVIDENTIÆ SVÆ, quibus mirabiliter vtitur in seruis suis variè liberandis, tuendis, magnificandis, & ad prædestinatam ipsis æternam fœlicitatem perducendis. Vt abeant, qui ad vnum modum diuinam prouidentiam cogunt.

Apparuit ei Dominus. Non legimus antea Deum Isaaco apparuisse; cum fame vrgeretur, Dei apparitione beatur; scilicet TVNC MAXIME SVIS DEVS ADEST, CVM ALIQVA TRIBVLATIONE PREMVNTVR. Rerum temporalium penuria, bonorum spiritualium sæpe est mater, sicut nouerca solet esse copia & vbertas.

Ne descendas in Aegyptum. Cur Ægyptum 784

Isaac Deus interdicit, quam non interdixerat patri? Hebræi censent id factum, quia tanquam victima Deo consacratus fuerat, & in Ægyptum descendere non debebat, in eorum exemplum, qui, vbi se DEO SACRARVNT, OMNE, QVOD MVNDVM SAPIT, DEBENT REPVDIARE. Alij dicunt id factum, vt experiretur etiam tempore famis, quæ terram, vbi erat, inuaserat, posse Deum ei succurrere, quin etiam eum locupletare.

Vetat descendere in Ægyptum, nec tamen iudicat, quò ire eum vellet, sed suspensum retinet, & ex suo nutu pendentem, *ad maioris*, inquit Salianus, VIRTVTIS EXERCITATIONEM. Idcirco dixit, *quiesce in terra, quàm dixero tibi*. Vt dum venturum denuo cogitaret, non torperet, sed ad eius separaret aduentum, in perfectæ parentiæ sinu interim quiescens.

785 Isaac prohibetur in Ægyptum descendere, sed cur hoc Abrahæ permissum? An ne omnes eodem vitæ instituto ligandos esse credere mus, & à varijs varia Deum exigere? Aliter nodum soluit auctor Catenæ Græcę dum ait; *Quamobrem Deus vrgente famę secedere in Aegyptum non sinit Isaac? nullibi cessat summa Dei tum sapientia, tum prouidentia. Antea fuit hoc Abrahæ concessum haud equidem annona charitate, vbique præstò Deus esse poterat, sed vt Aegyptij cognita viri religione ad æmulationem eius virtutis concitarentur. Isaac autem in ijsdem locis esse voluit, vt multiplici prouentu contra terræ malignitatem ditatus, palam faceret & potuisse quoque parentibus eadem prosequi liberalitate, nisi aliter exegisset œconomia.*

Cur tempore famis in Ægyptum ire Abraham Deus voluit, non Isaac? *Ad ostendendum*, inquit Sanctus Thomas, *multiplicem modum Diuinæ* POTENTIÆ, ET PROVIDENTIÆ; *si enim omnes tempore famis in Aegyptum iuissent, videretur quòd Deus non potuisset eos nutrire in terra Chanaan tempore talis famis.*

Sed quiesce in terra. Non nudam iniungit
786 Deus mansionem Isaac, sed quietam. Etiam inter exleges quietè morari quis potest, si Deum vbique ob oculos habeat, simplicius verbum שכן *Sacan*, quod hîc habetur, significat degere, morari, inhabitare, ita tamen vt non diuturnam, perpetuamque commorationem notet, sed ad tempus, & agendi aliquid causa. *Hinc fortasse*, inquit in suo thesauro adhuc inedito Elisæus Pesentus, *Græci, & Latini suam Scenam mutuati sunt, quæ non perpetuò durat. Sed enim & vitam nostram in hoc mundo, tanquam in Scena agi, nosque tanquam scenicos dixerunt sapientes, quasi minimè hic nobis commorandum sit; sed sine fundamentis quasi mox* MIGRATVRI *ædificandum, vtpotè peregrini*.

Peregrinare. In fonte est verbum גור *ghur*, quod & peregrinari significat, & metuere. Prou. 10. 24. *Quod timet impius veniet super eum.* Hebr. hoc est verbum. Quasi indicetur, eum qui à sua patria, suisque peregrinatur, sine metu non esse.

Sectio II.

Dei præsentia omnium bonorum mater. 787
Iusti suorum *meritorum* obliuiscuntur, oculos in eos, qui præierunt, flectunt.
Pater laudatur, vt *filius* eum imitetur.
Obedientia virtus quàm magna. 788
שמע quid; tam prompta *obedientia* esse debet, vt idem esse videatur, & audire, & obedire.
Obedientia laus quàm eximia.
Dei *præcepta* custodiunt eos, qui ea custodiunt. 789
Illis præcipuè vitandus *mundus*, qui Deo se sacrarunt.
Aliorum *pœna*, cautio nostra sit.
Promptæ *obedientiæ* fructus.
Quàm sit periculosum sua *sponte*, non diuino *ductu* loca adire periculosa. 790
Ludus Isaac cum vxore expenditur.
Quàm *circumspectè* alij *iudicandi*.
In *meliorem* partem aliena facta *interpretanda*. 791
Nimis *festinata opulentia* ægrè inculpata esse solet.
Innocuæ in *diuite diuitiæ* si non sibi, sed alijs sit diues. 792
Quàm cæca *inuidia*, amens inuidus.
Fertilis *vitiorum*, & præcipuè *inuidia* natura.

Eroque tecum, & benedicam tibi: Tibi enim, & semini tuo dabo vniuersas regiones has complens iuramentum, quod spopondi Abraham.

Eroque tecum, & benedicam. Iure substernit concedendis bonis, & bonorum affluentiæ diuinam præsentiam, & assistentiam Dei, quia ab ista, vt notauit Oleaster, bonorum copia gignitur. 787

Quod spopondi Abraham. Cur Abrahæ mentio fit? An sciret ob meritum Abrahæ præcipuè terram promissam exhibendam. *Licet Isaac*, inquit Abulensis, *vir Sanctus esset, tamen non dixit ei Deus, quod dabat ei terras illas propter eum, sed propter iuramentum factum ad Abraham, quia in hoc maioris meriti credidit esse Abraham*. Præterea hinc docemur, iustorum esse dum viuunt, MERITORVM SVORVM OBLIVISCI, & in præcedentium patrum MORES oculos flectere.

Eò quod obedierit Abraham voci meæ, & cuſtodierit præcepta, & mandata mea, & cerimonias, legeſque ſeruauerit.

EO *quid obedierit Abraham voci meæ*. Cur cum Iſaac Deus alloqueretur ea hîc inſeruit, quæ Abrahæ laudem tangebant? an vt in Patris IMITATIONEM filius excitaretur? Addit Liranus, *hoc additum, ne crederetur Iſaac ſimpliciter perfectior ipſo Abraham, ideo in promiſſione ſibi facta ſit memoria de iuſtitia ipſius Abrahæ.*

Eò quòd obedierit Abraham. Pende ſapien-
788 tiam Dei, vt iuſti mentem erigat, reddatque alacriorem, Abrahæ exemplum obijcere, vt illius imitator fieret. Porrò TANTA OBEDIENTIÆ EST VIRTVS, vt eius fructus in ſolo obediente non ſiſtat, ſed in alios etiam reſilit, parum fuit adeo ſalutarem Abrahæ fuiſſe obedientiam, Abrahæ fuit & Iſaac, & poſteris.

Eò quod obedierit. In Hebræo eſt verbum שמע *Samangh*, quod & audire ſimpliciter ſignificat, & obedire, ſeu obtemperare. Rectè autem hæ duæ notiones inter ſe cohærent, quia ſcilicet ita PROMPTA DEBET ESSE OBEDIENTIA VT IDEM ESSE IN PARENTE VIDEATVR ET AVDIRE, ET OBEDIRE: à quo abeunt, qui audito ſuperiorum imperio longas trahunt moras, & aliud in illis omnino eſt audire, & obedire.

Eo quòd obedierit Abraham voci meæ. Iure iſtuc adiecit. Vt multa in Dei obſequium Abraham præſtiterit, eius tamen OBEDIENTIA præcipuè commendatur, vt quantum hæc virtus Deo placeret hinc colligatur.

789 *Præcepta*. Ex Hebræo aliqui vertunt, cuſtodiam ſic Pagninus; quod in idem reſilit; cuſtodia autē iure Dei præcepta ſignificantur, & quia NOS CVSTODIVNT, & cuſtodire ea debemus, quin hoc ipſo cuſtodiunt, quod cuſtodiuntur.

Manſit itaque Iſaac in Geraris.

MAnſitq; Iſaac in Geraris. Cur in Ægyptum non iuit? *Noluit Dominus*, inquit Liranus hic, *quòd deſcenderet in Aegyptum*. Sed quæri adhuc poteſt, cur Dominus noluerit, præſertim cum Abraham eius pater eò ierit, ibi fuerit. *Cauſam huius*, refert idem auctor, *dicunt Hebræi, quia* ISAAC FVERAT DOMINO CONSECRATVS, *quando fuerat oblatus in monte, & ideo non erat decens, quod exiret terram promiſſionis, & ideo remanſit in Geraris, quia tota terra Palæſtina continetur infra terminos terræ promiſſionis*. Nullus in vitiorum Ægyptum debet deſcendere, nullus mundo famulari, ſed illis præcipuè vitandus eſt mundus, qui oblati fuere Deo, aut obtulerunt ſe.

Paret Deo Iſaac, & licet ſciret hîc olim Saram magnum periculum ſubiiſſe, Deo præcipienti haud reluctatur; nec legimus vllam Rebeccæ pudorem iniuriam paſſam; ſcilicet ob prius crimen à Deo puniti, ſanius Geraritæ ſapiunt, nec ſimilem culpam committunt, ne ſimili pœna plecterentur, niſi dicamus, & promptæ parentiæ fructum exſtitiſſe, ne moleſtiam aliquam in vxore Iſaac pateretur.

Qui cum interrogaretur à viris loci illius ſuper vxore ſua, &c.

790 MIrum Geraritas, qui antea Saram à viro ſuo ablatam Regi Abimelech obtulerunt, vt habetur cap. 20. Geneſeos, nunc Rebeccæ in eadem regione peregrinanti pepercisse. Quænam diſcriminis eſt ratio? Quia Abraham, inquit ſcitus ille auctor, & Sara, ſua ſponte Geraris peregrinabantur, quin à Deo illic commorari iuberentur: vt patet ex priori loco Geneſis citato, at vero Iſaac, & Rebecca Deo inſpirante, & imperante illic verſabantur, iuxta illud Dei oraculum: quieſce in terra, quam dixero tibi, & peregrinare in ea. Gen. 26. 3. quod autem quis SVO DVCTVS ARBITRIO AGGREDITVR NON EST A PERICVLO IMMVNE. Quod vero diuino actus inſtinctu, vel imperio exequitur, nulli poteſt errori, aut periculo ſubiacere: Deo ſemper ſua iuſſa auſpicanti, & in melius promouente, & nonnullis interiectis: aliam idem auctor rationem huius diſcriminis reddit, dum ait: Altera ratio eſt, quòd Geraritæ grauiter à Deo flagellati propter illam priorem iniuſtitiam, ſic ab ea reſipuerant, vt in ſimilem relabi non auderent. Hæc enim eſt vera pœnitentia, quæ ſic præteritas culpas deteſtatur, vt in illas relabi perhorreſcat; quod ſuperius etiam tangebamus.

Vidit eum iocantem cum Rebecca vxore ſua.

DE hoc ludo, de hoc Iſaaci cum Rebecca ioco ſerio philoſophatur Clemens Alexandrinus lib. 1. pædag. cap. 5. dum ait: *Tum vidit ludentem cum vxore, & auxiliatrice Rebecca rex curioſus. Rex autem, cui nomen erat Abimelech, mihi videtur eſſe quædam ſupramundana ſapientia, quæ pueriles ludi ac diſciplinæ conſiderat myſterium. Interpretantur autem Rebeccam, tolerantiam.* O PRVDENTEM LVDVM AC DISCIPLINAM! *Riſus & è tolerantia adiuuatur, & Rex, qui ea attendit, ſtupet, & admiratur ſpiritum eorum qui ſunt pueli in Chriſto, qui in tolerantia vitam agunt. Et hic eſt diuinus ludus, ac diſciplina.*

Perſpicuum eſt quod vxor tua ſit.

QVanta Regis circumſpectio in ferendo de alijs iudicio; maluit ex blanditijs illis colligere, Iſaacum maritum potius eſſe, quam animum in illo turpem ſuſpicari. Quæ res eos damnat, qui in alijs iudicandis in peiorem ſemper inclinant partem.

Vel Ethnicus Rex nos docet aliena facta in 791

meliorem semper esse partem interpretandam. Rem sic expendit nobilis quidam auctor: Aduertite, inquit, nunc gentilis regis probitatem, qui videns Isaac ludentem cum Rebecca noluit illum cum sorore sua incassum iudicare; Sed REM HANC IN MELIOREM PARTEM VERTIT dicens; absque dubio hæc est vxor eius, siquidem cum ea iocatur. Nos verò cum Christiani simus, cumque maiori ratione ab hoc malo nos abstinere debeamus, statim nos temere præcipitamus, & quod peius est, illa quæ temerè, & insipienter iudicamus, statim alijs reuelamus, occasionem illis præbentes, vt etiam & ipsi ita iudicent. Et aliquando ea dicimus, sic vt certa, & iam deliberata, non vero sub suspicione constituta. Ab hac parte incipit malus esse, qui aliena facta in malam partem vertit, cum possit in bonam.

Locupletatus est homo, & ibat proficiens atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est.

CVr statim diuitem eum non reddidit Deus, cur per quosdam veluti gradus acquirere, augereque diuitias voluit? An quia nimis festinata opulentia apud homines inculpata, & sine labe censeri non soleat, nec aliud certius est, inquit Pererius, diuitiarum iniustè partarum signum, quàm si præpopera sit, AC NIMIS FESTINA earum copia, præsertim si inquilinum, & peregrinum in alieno solo præter cæteros breui contingat locupletari.

792 *Locupletatus est homo*. Diues effectus est Isaac, nec tamen de probitatis suggestu cecidit, quin nec iustitiæ aliquid, diuitiæ, quod non semel præstant, surripuere. Efferantur Isaaci diuitiæ, nam in illo fuerunt innocuæ, *cum* NON SIBI, SED ALIIS, sic de illo, & eius Patre Abrahamo loquitur Sanctus Chrysostomus, *diuites fuerint*, & ad bona opera vterentur diuitijs, quibus plerique vitia fouent, & nutriunt.

Ob hoc inuidentes ei Palæstini.

QVam cæca inuidia est, quam amentes sunt inuidi, vt noceant sibi, alijs nocituri: *puteos obstruunt*, notabat hoc Ferus, *qui etiam ipsis vtiles erant, tantum vt iustum affligerent*, TANTVM MALVM EST INVIDIA, *vt etiam cum suo damno alijs noceat, nec curat cui noceat, tantum vt inuidiæ Zelo satisfiat*, In lucrum computat sua damna inuidus, vt noceat cæteris.

Inuidentes Palæstini. Dixisset, *aliqui Palæstinorum*: nunquid omnes inuidiæ liuore corripiebantur? An maiorem partem significauit? An eos omnes, quibus notus Isaac, & nota miraeius opulentia? fertilis vitiorum, & præcipuè inuidiæ natura est.

Sectio III.

Quàm sibi quàm Deo iniurij, qui mentem suam rerum *terrenarum affectu* replent. 793
Inuido aliena bona apparent multiplicata, & maiora quàm sint.
Inuidus nocet sibi, prodest alijs.
Ab *inuidis* ratio vt exulet. 794
Aliena *prosperitas inuidos* maximè cruciat.
Inuidiæ minima quæque maxima videntur.
Regum populique *fauor* maximè instabilis. 795
Vbi *inuidia*, ibi fortitudo omnis in imbecillitatem vertitur.
Inuidiæ natura qualis.
Iustorum *humilitas*, & *mansuetudo*. 796
Puteum in se vt quilibet habeat, quem fodiat.
A bonis operibus nos aliorum *inuidentia* non auocet, sed ad illa vrgeat.
Filiorum imprudentia temerè se velle *prudentiores* patribus ostendere. 797
Pacis fouendæ causa, *iuri* suo cedere valde gratum Deo.
עשק, quid, à *contentionibus* ad *calũnias* itur.
In illos minimè sæuiendum qui, nos *iniuria* afficiunt.

Omnes puteos quos foderant serui patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt, implentes humo.

PVteos omnes obstruxerunt; inuidi non alijs tantum nocent, sed etiam sibi. Lippomanus hîc: *Puteos*, inquit, *vtiles obstruunt tam sibi, quam alijs, non curant cui noceant, tantum vt* INVIDIÆ *Zelo satisfiat*. Magna fuit inuidentia Palæstinorum, quod puteos humo impleuerunt, quos Abraham suis reliquerat: Quàm sibi, quàm Deo iniurij, qui mentem suam replendam Deo, replent humo, terrenarumque rerum affectu obstruunt? 793

Puteos obstruunt, inuidia obcæcati: quàm vilis inuidorum animus, abiectusque, vt aquam quoque alijs inuideant, scilicet inuidia ita aliena bona oculis inuidentium obijcit, vt minimum quoque magnum videatur: fiunt tubospecilla quædam, quibus minutissima quæque videntur maxima, & culex ipse illorum ope surgat in elephantem: idem inuidia præstat, atomos in montes vertit, si in alijs videat.

Hæc puteorum natura, vt sine fodientis, possidentisque damno omnibus sint vtiles: quin aquæ meliores fiunt, quò plures accurrunt; cur igitur palæstini puteos, quos foderant serui Abra-

Abtaham terra obſtruxerunt? Pende inuidiæ corteptos id præſtitiſſe innidus autem adeo malignus eſt, vt non cutet cum ſuo damno alijs nocere.

Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es valdè.

794 QVam longè ab inuidis tatiu recedit, vt non aliam recedendi ſiue cauſam, ſiue occaſionem adducant, quàm quod illis potentior eſſet Iſaac factas. Hinc illud Sancti Chryſuſtomi, qui Regem Ahimelech perſtringens, hæc cuntra illum torquet: ,, *Cuius gratia abigis iuſtum, num aliqua in re tibi nocuit, num iniuriam intulit? ſed ita ſe habet inuidia,* NIHIL CVM RATIONE OPERATVR. Eijciunt inſtum non quia contra illos ſæuiret, ſed quia inuidia in illos ſæuiebat. *Quoniam*, inquit, *potentior nobis factus, es valde*; non auſus eſt dicere, *potens contra nos es factus.*

Recede a nobis. Nec eius ferre præſentiam poteraot; *ne* inquit Ahulenſis, *ex eius bone magis cruciaretur, qua eſt conditio inuidorum, dixis ei vt recederet*. Nihil eſt, quod magis inuidos torqueat, quàm VISA ILLIVS PROSPERITAS, quem inuido oculo ſpectant; diceres nulla validiora tela iaci ah hoſtili manu in inuidum poſſe, quàm ab illius fęlicitate, cui inuidet.

Recede à nobis. Inuidia hîc ſe prodit, cui minima quæque videntur maxima. Ita Abulenſis. *Non poterat videre Abimelech rectis oculis tantam, tamque ſubitaneam Iſaac multiplicationem. Ideoque dixit ei, quod recederet, inſinuans cauſam fictam, ſcilicet, quod timebant, quia potens effectus fuerat. Vel fortè ex inuidia eorum ſequebatur timor, quia inuidus* BONVM ALTERIVS MAIVS EXISTIMAT ESSE, QVAM SIT. Sicque magis torquetur, quò maiora illi aliena apparent.

795 *Recede à nobis*. Qui præceperat ne quis ſub capitis pœna vxorem Iſaac tangeret, nunc immemor prioris beneuolentiæ, eum dimittit, quia nimirum, vt Lippomanus ait, *Regum populiq; fauor* MAXIME INSTABILIS. In hoc ſolum firmus, quod firmus non ſit. Qui ſuperius Abraham partem tuebatur, nunc Iſaac abire iubet. Principis fauor ſtatim deprimit, quos erexerat, & pro hoſtibus habet, quos vt amicos exceperat.

Quoniam potentior nobis factus es valdè. Vbi inuidia regnat, fortitudo omnis in imbecillitatem vertitur; valde infirmus eſt, qui inuidia corripi ſe ſinit, & fit omnibus minor, etiam ſe ipſo, qui alteri inuidet quod videt. Ita agere ſolet inuidentia, ait hic Lippomanus, non poteſt benigniter videre aliorum fœlicitatē, ſed fęlicitatem proximi ſuam putat infęlicitatem, & tabeſcit bonis proximi, id quod & hic fuit. Rex enim ſub cuius poteſtate tota ciuitas erat, & habens omnes ſub manu ſua, peregrino, vago, huc & illud migranti, dicit, Recede à nobis, quia potentior nobis factus es valde. Et verè potentior erat, ſupernum præſidium habens in omnibus, dexteraque Dei munitus. Quo igitur abigis iuſtum? ignoras quod quocumque eum ire coegeris, ſemper erit in his, quæ domini ſui ſunt? Non docuit te rerum experientia, quod Dei manus eſt, quæ illuſtrem facit, & conſeruat iuſtum? Quare igitur abigendo iuſtum, erga dominum ingratitudinem declaras? & neque magna viri manſuetudo tuam domare potuit inuidiam, ſed victus, inuidiam opere comples, & iterum migrare eum cogis, qui in nullo te læſit? Neſcis quod, licet in ipſiſſimam ſolitudinem eum fugaris, habebit tamen potentem dominum, qui ſe iouare (ſicut & illic factum) & multo clariorem facere nouit? Nihil enim fortius, quam frui ſuperno præſidit, ſicut nihil infirmius quam eo deſtitui.

Potentior nobis factus es. Inuidiæ hic natura elucet cui ſemper plura, ac maiora videntur aliena. *Non erat Iſaac*, inquit hic Honcala, *Rege populoq; Paleſtino potentior, ſed videbatur eis plus æquò excellentior: quoniam inuidentibus aliena bona, multo quam ſint,* MAIORA SEMPER VIDENTVR. Quod ſuperius etiam tangebamus.

At ille diſcedens, vt veniret ad torrentem Gerara habitaretque ibi.

SVmma hîc elucet Iſaaci humilitas, ac manſuetudo. *Vide iuſti magnam manſuetudinem,* 796
inquit Sanctus Chryſoſtomus, *quomodo non ſuperbiuit, neque videns re ipſa diuinam ſibi gratiam aſſiſtere, contra regem fretus commilitantis virtute inſurrexit, ſed quaſi vir omni patrocinio carens, & nullum auxilium aliunde expectans, multa cum manſuetudine ne verbis quidem reſſiſtens, fecit quod ſibi a rege præceptum eſt, & ſtatim illinc diſceſſit.*

Rurſum fodit alios puteos, quos foderant ſerui patris ſui Abraham.

HAbet in ſe quilibet puteum, qui vtiliter ſodiendus eruendusque, quod verbi eſſe opus aſſerit Origenes homil. 13. in Geneſim: *Adeſt Verbum Dei, & hæc nunc eius eſt operatio, vt de anima vniuſcuiuſque noſtrum* REMOVEAT TERRAM, *& aperiat fontem viuum.*

Rurſum fodit alios puteos. Nimirum nos à bonis operibus aliorum inuidia auocare non debet nec aliena perfidia retrahere. Benè Ferus: Quò magis impij aduerſabantur, inquit, eo fortius ipſi fidebat, nec propter ipſorum ingratitudinem, & inuidiam ſegnior efficiebatur, debet enim pius homo non ſolum tueri innocentiam, ſed & conſtantiam, & fortitudinem & magnanimitatem ſeruare, VT NVNQVAM CESSET PROPTER ALIORVM INVIDIAM, ſed perſeueret ac pergat in promouenda, & efferenda veritate, & iuſtitia, forti animo ferens omnes iniurias, & inſultus amore illius ſummi Dei, cui ſe totum dedicauit.

Appel-

Appellauitq́, eos eisdem nominibus, quibus ante pater vocauerat.

797 CVr nouis puteis noua non indidit nomina, sed eadem, quæ Abrahã imposuerat, imposuit? an vt patris memoriam seruaret, neue se patre prudẽtiorem, sapientioremq́; ostenderet? *Vix inuenies filium*, inquit Oleaster, *qui permittat, quæ patre instituit permanere, omnia volunt mutare, vt se* PATRIBVS PRVDENTIORES OSTENDANT, qui ab hoc capite se probant imprudentiores.

Foderuntque in Torrente, & repererunt aquam viuam.

REpererunt aquam viuam; Nimirum qui concordiæ seruandæ causa aliquorum iacturam facit, donatur melioribus, ditioribus ditatur. *Aduerte*, inquit Oleaster, *qualiter dominus meliora semper tribuit eis, qui iuribus* SVIS CEDVNT, VT PACEM FOVEANT, *nam quia obturarunt puteos mortua aqua, concessit Deus puteum aqua viua.*

Quamobrem nomen putei ex eo, quod acciderat, vocauit calumniam.

VOcauit calumniam. Vocem Hebraicam עשק *ghesech contentionem* aliqui vertunt; sed quia facile à contentionibus, & iurgijs ad calumnias itur, sub eadem voce, & calumnia, & contentio potest delitescere.

Mira hic viri lenitas apparet, qui titulum hominibus debitum puteis affixit: *In sola puteorum appellatione*, inquit Sanctus Chrysostomus, *malitia illorum indelebilem reliquit memoriam*. Non illorum nomina traduxit, qui puteos humo impleuerant, suo nos exemplo docens, NE IN EOS SÆVIAMVS, qui nos afficiunt iniuria.

Sectio IV.

A *difficultate* crescere *animus* debet. 798
Iniuriarum obliti totum in Deum reicere debemus.
Vnus *homo* pluris à Deo fit si *bonus*, quàm omnes alij si bonitate careant.
Ea prius quærenda, quæ ad Dei *cultum* pertinent, quàm *humana*. 799
Viri *iusti adulari* magnis viris nesciunt.
Patientiæ vis quàm eximia.
Sanctitas, & *virtus* vel ipsos hostes admiratores habet. 800
Qui in *iniurÿs* tacet, Deum defensorem habet.
Boni pro *malis* bona reddunt.
Nobile *victoriæ* genus pugnare *beneficÿs*. 801
Iuramentum maturo consilio præstetur.
Maiorum *consilia* respuenda non facile sunt.
Vestium vanitas sæpe alijs vitijs vestita. 802
Mulier contentiosa quàm toti domui infesta.
Mulieris mala consuetudo quàm noxia.

Profectus inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt: itaque vocauit nomen latitudo.

FOdit alium puteum. Viri iusti nota est, à difficultate animos sumere; nam vt ait Vgo Carensis, *non est virtus, nisi crescat animus in ipsa* DIFFICVLTATE.

Totum in Deum reijcit, iniuriarum oblitus, 798
quas acceperat. *Hic*, inquit Sanctus Chrysostomus, *quia nulla fuerunt obstacula, sed absque omni pauore laboribus suis frui licuit, totum tribuit Deo, vocauit enim, inquit, puteum illum latitudinem: & deinde interpretatus vocabulum, dixit: propter hoc latitudinem voco: quia dilatauit Dominus, & auxit nos super terram: vidisti piam mentem, quomodo non facta mentione tam atrocium difficultatum, quæ obstiterant, bonorum tantum meminit, & pro illis gratias Deo offert, & dicit: quia dilatauit Dominus nos, & auxit nos super terram: nihil enim tam gratum Deo, vt anima* GRATA, ET GRATIAS AGENS.

Ego sum Deus Abraham patris tui, noli timere.

CVr suam potentiam, ac ius ad vnum hominem Deus coarctat, ad vnum Abraham? An quia vnus homo si iustus, pluris à Deo fit, quàm alij innumeri? Loca ab vna parte vnicum iustum, ab alia omnes alios homines expende, & vnus ille apud Deum cæteris præponderat. Hinc illud Sancti Chrysostomi: *Orbis conditor vnius hominis Deum se dicens non concludit, & abbreuiat cum Patriarcha appellatione suum dominium. Ita inquit, eum mihi feci proprium, vt apud me reputetur* TANTI, *quanti* ALII HOMINES.

Et inuocato nomine Domini extendit tabernaculum.

NImirum prius Deo altare ædificauit, quàm 799
tabernaculum extenderet, vt exemplo suo doceret, ea prius curanda, quæ potiora, & ea quæ Dei cultum respiciunt, ijs præferenda, quæ commodum nostrum tangunt, si fieri id potest. Peritè Honcala: *Ad piæ obseruationis speciem pertinet: vt prius Domino altare erigeret, quàm sibi tabernaculum tenderet, semper enim* DIVINA, *si opportunitas adsit*, HVMANIS SVNT PRÆFERENDA: *vt pro rerum dignitate sit, & officiorum dispensatio.*

Prius

Prius altare ædificat Deo, quàm tabernaculum sibi, contra eos, qui res diuinas postremo loco habent, aut etiam nullo, de suis tantum commodis sunt solliciti: *Patet*, inquit Abulensis, magna affectio Isaac ad Deum, quia prius ædificauit ALTARA DEO, quàm SIBI EXTENDARAT TABERNACVLVM. Contra ac plerique alij præstare soleant, qui toti in suis commodis addicti, & negligunt, quæ ad Dei obsequium spectant.

Quid venistis ad me hominem quem odistis & expulistis à vobis,

ALiquid aculei habent hæc verba, & regem nonnihil pungunt: viri iusti adulari nesciunt magnis viris: *Non vanas*. inquit Procopius, *Isaac regi admiscet laudes*, NON ENIM ADVLATVR VIR PRVDENS, *verum huiusce- modi illecebras detestatur*. Imprudentes contra tunc se officio suo ritè fungi putant, cum adulationis expandunt vela, & inani quadam laudum aura magnos vehunt,

Pende quanta patientiæ vis sit; illum quem reiecerant, sequuntur patientia eius victi. Opportunè Porrecta hic: Palestinorum princeps cum suis ob patientiam ipsius Isaac mouetur ad quærendas amicitias cum ipso. MAGNA CERTE VIS PATIENTIÆ. Nunc, nunc à suis confinibus, à sua ciuitate, à suo conspectu Abimelech cum Palestinis ipsum Isaac sequuntur, ipsius patientia visa. Nunc, nunc nec terra Isaac dignus à Palæstinis habebatur, & aqua; cum puteos ipsius toties clausissent: & modo beatos se existimant, si ipsius amicitiam habere possint. Et, vt ipsos valdè amicitiam cum Isaac desiderare noueris: vide quòd fœdere illam firmare satagunt. Nisi enim maximo desiderio ad iungendum dextras cum illo mouerentur: fœdus interponi minimè curarent. Quis à tanta sæuitia, ad tantam humanitatem, à tanto odio, ad tantum amorem, à tanta ira, ad tantam pacem, animos Palestinorum subito mouit? Patientia visa in ipso Isaac. Bene (inquit) patientes erunt, vt annuncient. Ergo malè patientes; vt malè annuncient, id est, vt fructum in populo id sciente non faciant.

800 Tanta sanctitatis est vis, vt vel hostes admiratores reddat, vt sectatores iusti habeant, quos prius experti insectatores fuerant: *Abimelech*, inquit Porrecta, *idololatra erat, cum suis; tantum abest, vt sanctitatem profiteretur: & tamen, visa ipsius Isaac sanctitate ipsum Isaac* ADMIRATVR, *ipsi confœderari nimium desiderat*.

Vidimus tecum esse Dominum, & idcirco nos diximus.

VIdimus tecum esse Dominum. Et qua id ratione viderunt? Quia, inquit scitus ille auctor, tacentem vidimus in iniurijs; qui enim se ab iniurijs non defendit, DEVM CERTISSIME HABET DEFENSOREM. Defendit nimirum eos, qui se non defendunt. Qui toti in sui defensionem sunt, se non indigere defensore clamant.

Fecit ergò eis conuiuium, & post cibum, & potum &c.

EX Iustorum præscripto, bonum pro malo reddit, *Hoc proprium sanctorum est*, inquit hic Oleaster, *scilicet* PRO MALIS BONA REDDERE; *quod statim Dominus illi soluisse videtur, dando nouam aquam*. Licet enim vbique liberalis Deus sit, est tamen maximè, cum quis eius causa, & amore illis benefacit, à quibus malis fuerat affectus.

Fecit eis conuiuium. Hæc iustorum nota, bona pro malis reponere, & iniurijs alta obliuione sepultis in inferentes omne humanitatis genus exercere, quod fecit Isaac, dum conuiuio excepit eos, à quibus multis affectus iniurijs fuerat. Hinc factum, vt qui hostes, & pugnaturi, vt aliqui notarunt, adnenetant, nihil hac comitate victi effecerint. Nobile victoriæ genus pugnare beneficijs. 801

Surgentes manè iurauerunt sibi mutuo.

EX quo colligas non statim perfecto absolutoque conuiuio iuramentum fuisse præstitum; sed id in mane sequentis diei distulisse; *vt iurarent*, inquit Abulensis, EX CONSILIO MATVRO, *& non ex impetu hilaritatis cibi, vel ebrietatis*. Plerumque enim in conuiuij calore aliquid aliqui præstant, quod postea aut non seruant, aut eos vellent non promisisse.

Esau verò quadragenarius duxit vxores.

DVas duxit vxores Esau, quæ vt statim subijcitur, animum Isaac, & Rebeccæ offenderunt, vt ab hac parte valde infelicia fuerint hæc coniugia, quod sine parentum consilio ea inierit: *Esau*, inquit Lippomanus, *sine patris, & matris* CONSILIO *duas vxores accepit, ideo infeliciter cessit*. Qui fuerunt consilium respuit in his, in quibus errare potest, impœnitenda labitur.

Quæ ambæ offenderant animum Isaac, & Rebecca.

FAcile Isaac, & Rebeccam offendere Esau vxores potuere, cum diuersis ab illis moribus essent. *Dissimilitudo morum*, inquit Caietanus, *amara erat eorum spirituali animo*. Addit Carthusianus, offendisse, *quia more Chananæorum fuerunt* POMPATICÆ, ET CVRIOSÆ. Sed facilè est vestium vanitatem alijs vitijs fuisse vestitam, quæ nuda non incedit. Nisi dicamus Isaac, & Rebeccæ animum exacerbasse, quia contentiosæ fuerunt, hinc LXX. legūt: *Contendentes cum Isaac*, & Procopius: *Qua ratione non* 802

non exacerbassent facientes omnia CONTENTIOSE, vel vna mulier contentiosa integram domum infestat; quid credas duas præstitisse?

Supra legimus Palæstinos actos inuidia puteos obstruxisse, nec tamen audimus Isaaci animum exacerbatum. Plerumque mulieres, quæ sunt domi acerbius habitantium animos feriunt, quàm faciant, qui sunt foris, licet hostilem isti animum præseferant: quasi plus duæ mulieres sæuierint, quàm omnes simul Palæstini inuidia correptos. Denique Palæstini humo puteos impleuerunt, hæ vxores filij sui mentem vanitate, & rerum terrenarum affectu, inaniumque Deorum cultu omnes curabant inficere, & malo exemplo ad omnia scelera omnes inuitabant, quod grandius damnum, quàm quod à Palæstinis puteos obstruentibus esse potuerit. Nimirum leuis rerum externarum iactura est, si ei comparetur, quàm quis malæ mulieris præsentia, ac consuetudine subit.



CAP. XXVII. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio Prima.

Nihil præter *Dei ordinem fit.* 803
Deus non semper illos *præfert*, quos præferunt homines.
Oculata *dominandi cupiditas.*
Nil salubrius *senes* adolescentibus ingerant, quam *mortis* memoriam. 804
Prompta *obedientia*, & *obsequia* in parentes viam ad accipienda Dei *beneficia* sternunt.
Externa solatia quærere quam noxium.
Isaac cur comedere prius voluerit, quàm filio *benedictionem* impertiret. 805
Filiorum inclinationi se aptent parentes, nisi aliud ratio suadeat.
Esau dum ferarum venationi incumbit, venabatur ab illo pater *obedientiam.*
Quò spectaret *Isaac venationem*, Esau indicens. 806
Cauendum, ne de *ferculorum* lautitijs Dei *serui* notentur.
Perstricti qui semper per alios Deo *seruire* quærunt.
Illi præcipuè *iuuandi* qui *auxilio* magis indigent. 807
Mali *beneficijs* emendandi, non minus, quam minis.

Senuit autem Isaac, & caligauerunt oculi eius, & videre non poterat.

CAligauerunt oculi eius. Et quid referebat referre Isaaci oculos caligasse? 803
an vt disceremus nihil præter Dei ordinem fieri, vt notabat Lippomanus, nec oculorum quidem defectum, qui Isaaco meriti materiam præbuit.

Et videre non poterat. Non casu id factum, sed diuino consilio, vt nimirum sic minorem filium Iacob maiori præferret: quod notabat Oleaster hic dum ait: *Vt quid quæso Domine seruum tuum excæcare voluisti? Quia senex ægrè ferret minorem maiori præferri: voluit eum prius excæcare. Miris modis Deus disponit res suas, & nostras, quoniam disposuerat Iacob furari benedictionem Esau, ne pater hoc deprehenderet, voluit eum prius excæcare.* NEQVE DEVS ILLOS SEMPER PRÆFERT, QVOS PRÆFERT HOMO. Sæpè primas apud Deum tenent, qui secundas apud homines habent.

Cui pater, vides, inquit, quòd senuerim, & ignorem diem mortis meæ.

SImplicius dixisset, video quod senuerim, & ignoro diem mortis meæ; id tamen videri etiam à filio curabat, vt in paterna morte, & suam Esau cogitaret. *Vides, quòd senuerim.* Obseruare hoc filij in parentibus solent, absque eò, quod moneantur, nimirum oculatos eos in hac re dominandi cupiditas facit, & paterni imperij excutiendi amor.

Maturè suam mortem meditatur Isaac, diù 804
postea vixit, sed mortem cogitabat, se comparabat ad mortem, quia nesciebat, quando esset ventura. *Vides quod senuerim.* Nil vtilius, SALVBRIVSQVE SENES ADOLESCENTIBVS INGERVNT, QVAM MORTIS MEMORIAM: rectè dum se cogitare Isaac mortem significauit, ad paria Esau inuitauit.

Sume arma tua pharetram, & arcum, & egredere foras.

AVertit Isaac filium suum Esau, & daturus ei benedictionem, iubet vt venatu sibi paret cœnam, non vt gulæ consuleret, sed vt obedientiæ exercitio se filius ad excipiendam benedictionem pararet. Benè Salianus: *Ad accipiendam, inquit, benedictionem eum conuenienter disposuit, per opus obedientiæ, & charitatis in parentem suum:* Sic ille nihil cunctatus ad patris iussionem implendam proficiscitur: scilicet vt quis se ad Dei dona accipienda disponat, nihil aptius prompta obedientia, & obsequijs parentibus ex charitate præstitis, præmitti possit. Hæc ad excipienda Dei beneficia viam sternunt.

Egressus est foras Esau, venationibus operam dedit, sed interim patris benedictione caruit:

ruit: *Externis solatiis incumbebat*, inquit Lippomanus, *id Sancte Patri non displicuit, benedictioni tamen obfuit*. Quid hîc illi qui totos se externis dant solatijs, & externas delicias quærunt, cœlestibus, verisque contra cęlestis patris mentem repudiatis?

805 Comedere prius Isaac voluit, quàm filio benediceret, cur benedictionem non præmittit? Honcala: Cur pransus filio benedicere voluit, cum sacra stomacho ieiuno melius multò peragantur? Sed COMEDERE VOLVIT PRIVS QVAM BENEDICERE, vt læta mente, ac proinde alacriori, atque deuotiori animo filio benedictionem inferret. Vel illud quoque ad quandam illius temporis imperfectionem pertinet, iuxta illud, quod Diuus Gregorius ait: Per temporum successionem Dei cognatio in Sanctis Patribus, similiter & Dei cultus augumentata sunt. Hic est, quòd ius primogenituræ, quod ratione annexi Sacerdotij ad diuinum cultum pertinebat, Abraham tradidit filio suo cum bonorum suorum datione nulla verborum adhibita solennitate: Isaac autem dedit primatum filio suo Iacob cum magna verborum solennitate.

Cumq; venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti.

CVI carnem potius ex venatione Isaac postulauit ab Esau quàm ex animantibus, quæ domi ad manum erant? An quia venationi assueuerat Esau? scilicet, & à iunioribus petenda, nisi aliud ratio suadeat ad quæ noscuntur inclinati? Præterea id fecit, sic Cornelius notabat, *quia volebat vt Esau se* DISPONERET AD BENEDICTIONEM *recipiendam per hanc obedientiam, & obsequium venationis*. Denique ita disposuit Deus, vt interim Iacob percipere à patre benedictionem ac si esset primogenitus posset.

Mirum cur filio benedictionem daturus Isaac, eum ad venationem foras mittat. An istuc fecit, vt obedientiæ actibus se benedictioni excipiendæ redderet idoneum, plus enim filij saluti consulere, quàm suo gustui curabat prouidus pater; hinc illud Sancti Thomæ: *Misit Isaac Esau ad venationem, vt meritoriè ad suscipiendam paternam benedictionem disponeretur, per opus prompta* OBEDIENTIÆ *obsequiosa ac filialis dilectionis, & necessaria in sanctum patrem suum*, vt superius etiam tangebamus. Obedientiæ exercitium præmitti debebat, quia in hac subditi se præcipuè exercere deferre. Scilicet, dum Esau feram venationi incumbit, obedientiam ab illo pater venabatur.

Fac mihi inde pulmentum. Non vt gulæ con-
806 tuleret, sed vt senectuti, atque infirmitati. *Ista*, inquit ex mente Sancti Augustini Abulensis, *non sunt imputanda Isaac ad gulam, quia non propter carnis illecebras sed propter senectutis, &* INFIRMITATIS ANGVSTIAS *istis delicatis cibis vtebatur*. Vt non mirum si statim præmiserit Moses Isaac iam senuisse, *senuit autem*, inquit, *Isaac*, vt deinde venationis postulationem senectuti, & infirmitati tribueretur, non gulæ. Scilicet Dei seruis cauendum, ne de ferculorum lautitijs quærendis notati iurè possint.

Et affer, vt comedam, & benedicat tibi anima mea.

ET *affer, vt comedam*. Ab ipsomet Esau præstari hoc obsequium noluit pater, voluit, vt serui alicuius ministerio vteretur: *Affer*, inquit Vgo Charensis, *non mitte. & est contra quosdam*, QVI SEMPER PER ALIOS SERVIVNT DOMINO, *sed numquam, vel rarò personaliter*, tanquam si alij non ipsi præmio essent donandi.

Et benedicat tibi anima mea. Et non poterat pius pater filio benedictionem impertire, absque eo quod tam magnum laborem subiret filius, cibum illi ex venatione parans? Consuluit filij profectui pater dum commoda propria videtur quærere. Benè Beatus Dionysius hîc: *Cur Isaac filium suum benedicere cupiens, primò ipsi istud iniunxit? Non vtique ex carnali affectu, aut intemperantia appetitu, sed vt filius suus sibi in isto obtemperans, per* OBEDIENTIAM ISTAM MAGIS IDONEVS REDDERETVR *ad benedictionis susceptionem, & item vt ipsemet Isaac ex beneficio, atque obsequio sibi à filio exhibitis, magis beneuolus efficeretur ad filij sui benedictionem*.

Vt benedicat tibi. Cur non potius benedi- 807
ctionem impertire meliori cogitauit Isaac? An quia ea magis indigere Esau putauit? *Noueras*, inquit Lippomanus, *Isaac bonum filium bonitate propria* SIBI IPSI AVXILIO FORE. Scilicet illi præcipuè iuuandi qui auxilio magis indigent.

Vt benedicat tibi. Cur malum in benedictione meliori præfert Isaac? An vt ita ad meliorem eum frugem traduceret? *In deteriorem filium*, ait auctor in Catena Græca, *pater deflectit benedictionem, non quia meliori praferret, sed ipsius* DEFECTVM EMENDARE *cupiens*; mali plerumque aptius beneficijs emendantur, quàm pœnis, quàm minis.

Sectio II.

Ægrè ibi sistunt *verba* vbi dicuntur. 808
Multorum *obedientia* vt claudicet.
Dei *voluntas* non proprium commodum ad *opera*, quæ iniunguntur præstanda nos vrgeat.
In *filijs* vt *æqualitas* seruanda. 809
Vxores ne temerè *maritis* lites moueant.
Ex aliena *venatione*, alienisque *laboribus* plerique suam gloriam quærunt.
Verè fœlix qui *virtute* sua est fultus. 810

Quàm

Quàm *fallacia* humana *consilia*.
Quod occultum volumus, non facilè seruis committatur.
Cur duos *hædos* vni Isaac parandos postulauerat Rebecca. 811
Reproborum signum *asperitas*, electorum verò *lenitas*.
Sæuus delinquentis *carnifex conscientia*.

Quod cum audisset Rebecca, & ille abyssset in agrum, vt iussionem patris impleret.

808 ISaaci verba excepit Rebecca, & fors furtim; vt videas ægrè inter eos limites secretum contineri posse, intra quos nascitur. Facilè aliò volant verba, nec ibi sistunt, vbi emittuntur, atque adeo ab hoc capite intra labia premenda, quæ sciri nolumus.

Et ille abiisset. Statim patris iussionem impleuit Esau, ne longiori mora promptæ parentiæ opus inficeret, ac deturparet. Promptè patuit Esau, quia res ei iussa; ad quam sua sponte currebat pronus; fors difficilior fuisset, si rem ab eius inclinatione alienam excepisset. Multorum obedientia in hac parte claudicat, quòd, facilè quædam præstant ad quæ sua sponte alias currunt, cunctantur, cum ea iubentur, quæ illorum animis affectibusque se non aptant.

In agrum. Et quid necesse erat hoc referri? In hac re aliqui peccant, quod aliquid perfecturi, locum rei perficiendæ aptum non eligunt. Quid ferarum venationi operam daturus domi se contineret? Sæpè id fit, cum scilicet alienum locum à re, quam optamus eligimus. In agrum iuit Esau; nollem ab agris eum didicisse agrestem esse.

Vt iussionem patris impleret. Benè est, quod patris voluntas eum foras misit, non venationis exercendæ voluptas. Non semel accidit, vt qui in Dei obsequium aliquid præstant, non à Dei voluntate ferantur: sed à proprio commodo, sicque amori proprio litant, non diuino.

Dixit filio suo Iacob: Audiui patrem tuum loquentem cum Esau, fratre tuo.

809 IN Iacob mater propendet, pater in Esau, non ambo in vnum, *vt dum singuli singulos fouent, non in vnum vterq; conspirent*, ait Sanctus Ambrosius, *defraudent alterum, & compenset alter, quod alter imminuit; sic pio affectu Isaac Patriarcha, & Rebecca certabant*, VT NEVTRVM INFERIOREM FACERENT, SED VTRVMQVE ÆQVALEM. Sicque pax magis stabiliretur, si vnus filius ab vno condignè erigeretur, alius ab alio, nec vtrique in vnius erectionem currerent, & in alterius depressionem conuenirent.

Audiui patrem tuum. Prudenter Rebecca, cum audisset Isaacum de benedicendo Esau cogitare, non iurgatur cum marito, non vi obsistit, sed latenter id curat; in qua re vxores docet, ne temerè cum maritis lites moueant, si aliquid illi cogitent, quod pacem coniugalem violare potest.

Dicentem ei: Affer mihi de venatione tua, & fac cibos, vt comedam, & benedicam tibi coram Domino.

DE *venatione tua*. Plerique de aliena venatione cibos parant, non de sua; illi suam licet, qui ex alienis laboribus laudem cibi, & gloriam parare student.

Et benedicam tibi coram Domino. Cur benedictione sua Isaac Esau potius cumulare studuit quàm Iacobum? Philo Episcopus in Catena Græca: *In deteriorem filium deflectit pater benedictionem, non quia meliori præferret, sed præuidens alterum* SEMPER FELICEM FORE VIRTVTE SVA, *alterum suis moribus prolabentem in peius benedictionis pedamento indigere*. Ac si satis esset benedictus, qui virtute probisque moribus, est fultus.

Et benedicam tibi coram Domino. Quàm fallacia sunt humana consilia, quàm deceptoria spes, quæ humanis machinis, vt ita loquar, innititur! *Nunquam Esau*, inquit Cornelius, *certior fuit de benedictione accipienda, quàm dum pater ei sic loqueretur, & tamen tunc vel maximè* PERDIDIT EAM, disce Deo fidere, non hominum verbis. 810

Pergens ad gregem affer mihi duos hædos optimos.

ET *pergens ad gregem*. Cur in hoc seruorum ministerio minimè vsa Rebecca, sed ipsius Iacob? quod tectum, & occultum volumus non facilè seruis committendum: *Non misit Rebecca*, inquit Abulensis, *aliquem alium de seruitoribus suis ad ferendum hædos*, SED IPSE IACOB IVIT, *vt factum hoc cautius, & secretius fieret*. Facile in alios spargitur, quod seruis committitur, sciunt serui, qui sæpè eò difficilius secretum seruant, quò cautius illis fuit commissum.

Duos hædos. Et cur duos afferri iussit, cum vnus vni Isaac sufficere videretur? *Respondetur*, inquit Abulensis, *quod quia Isaac erat senex indigebat cibis multum confortum conferentibus. Et quia in vno hædulo fortè non potuissent tot particulæ de illis reperiri, mandauit afferri duos; nec hoc multum erat: quia Isaac diues erat abundans in gregibus. Maximè, quia nihil de hoc superfluebat, quia quod Isaac non comederet, pro familia remaneret*. Duos postulat hædos, vt ex duobus delicatiores partes abscinderet, quæ Isaaco offerrentur.

rentur. Ex his diſcamus quænam Deo offerenda; optima ſcilicet, quin ex optimis meliora.

Affer mihi duos hædos. Nunquid non vni v-
811 nus hædus ſufficiebat? cur afferri duos iubet? *Poteſt dici*, inquit Sanctus Thomas, *quod licet ſufficeret, nihilominus in ſignum ſolennioris epuli multo plus debuit ſibi offerri, quàm eſſet neceſſarium refectioni ſuæ. Vel forte, vt duplici modo illos ſibi offerret, vnum elixum, alterum aſſatum.*

Noſti quod Eſau homo piloſus ſit, & ego lenis.

Piloſus erat Eſau, lenis Iacob, in quo vt ille reprobos refert iſte electos, ſic pius quidam auctor explicabat: Cum Eſau reproborum, Iacob verò electorum typum teneant, hoc inter ipſos diſcrimen fuiſſe conſtat; quòd Eſau homo piloſus, & horridus, Iacob verò lenis eſſet; quod quidem diſcrimen REPROBORVM ASPERITATEM, ELECTORVM VERO LENITATEM. & manſuetudinem adumbrat.

Ne inducam ſuper me maledictionem.

N*E inducam ſuper me maledictionem*. Cur non potius inducendam à patre aſſerit? an quia pœnarum ſuarum auctor eſt, qui parentum iuſſa contemnit, qui ea præſtat, quibus illorum incurrit offenſam? An quia *licet*, ſic Iacobum loquentem Procopius faciat, *pater re cognita me non obiurgabit, tamen* CONSCIENTIA REDARGVET ME, *quod maledictione digna commiſerim*. Vt videas nullum tàm ſæuum delinquentis carnificem eſſe, quàm ſit propria illius conſcientia.

Sectio III.

Perſtricti *parentes*, qui *vt filijs* benè ſit, perire ipſi non timent. 812
Chriſti in nos *amor* vt collectus.
Cautæ *mulieres* ſint in *maledictionibus* effundendis.
Contentiones coniuges vitent. 813
Viri mulieres ne contemnant.
Quàm tuta, & ſecura *obedientia* via.
Magnorum virorum eſt varias *induere formas*, cœleſti *benedictione* vt donentur. 814
Veſtium vſus bonus ad conſequendam cœleſtis Patris benedictionem.
Plures *vulpinas* induunt *pelles*, quam hœdinas,
Tutus inter pericula *obediens*. 815
Iuſtos, & prudentiores aliquando *falli* *Deus* permittit, vt aliorum audiant *conſilia*.
Cito dat *Deus*, contra ac homines in Deum præſtent.
Auditu, à quo eſt *fides*, duci ſe quiſque ſinat. 816
Pœnitens Iacobum vt referat.
Quanti referat *verba* emittere, quæ *pietatem* ſapiant.
Simplices, & *decipere* neſcij aliquando facilius decipiunt. 817
Ex *reuerentia vox* quoque ita aptanda, vt nihil rigidum, nihil ſuperbum ſonet.
Plerique *vocem* habent Iacob, ſed *manus* Eſau.

Ad quem mater: In me ſit, ait, iſta maledictio, fili mi.

QVi idem quod Rebecca operibus ali- 812
qui dicant, aptè quidam auctor explicat dum ait: In Geneſi habetur, quod cum Rebecca conſuleret filio ſuo Iacob, & benedictionem à fratre ſuo Eſau fraudulenter ſurriperet, timeret autem Iacob ne ſi factum Patri eius innoteſceret, loco benedictionis illum malediceret, illa reſpondit. In me ſit iſta maledictio fili mi, tantum audi vocem meam. Ita nonnulli veſtrum quamuis non verbis, attamen operibus idem omnino facitis. Nam illicitæ negotiationes, & inuentiones diabolicæ, quas adhibetis, vt filij veſtri ſedes, officia, & dignitates in hoc ſæculo obtineant, idem eſt ac ſi diceritis: filius meus dignitatem obtineat, & ego in infernum abeam. O vtinam non eſſent, qui hiſce verbis perſtringi poſſent?

In me ſit iſta maledictio. Maternus hæc amor, verba dictauit, Chriſti in nos amorem ex his verbis colligebat Sanctus Chryſoſtomus homil. in Seraphim: *Cum imperaſſet aliquando filio Rebecca, vt illam de furto benedictionis fabulam ageret; poſtquàm omni ex parte preclarè ipſum adornauit, eique fratris perſonam impoſuit: quandoquidem ne ſic quidem illum fiducia preditum vidit, omnem ex animo filij metum volens eximere: Super me ſit, ait, tua maledictio fili, matris re vera vox, & qua amore filij eſſet intenſa. Chriſtus autem non hoc dixit tantum, ſed etiam fecit: non promiſit tantum, ſed & opere exhibuit, quòd & Paulus clara voce pronuntiat dicens: Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.*

In me ſit iſta maledictio. Tàm liberè loquitur, quia benedictione cumulandum Iacobum prænpræuidebat mater. Turò imprecetur ſibi mala, quæ ingeotia vertenda bona illa ſciebat. Hinc ſignatè non abſolutè dixit, ego maledictione percellar, ſed iſta maledictio in me ſit, iſta, inquit non alia. Nollem hinc aliæ

matres disserent, se filiosque imprudenti impetu noxijs maledictionibus ferire. Fors prima, quæ legatur imprecatam sibi maledictionem fuisse, mulier exstitit, vt non aliam quam similis formæ similis sexus effunderet.

813 Non quod ex vero Isaaci maledictione percuti vellet, hæc babet Rebecca, sed ita loquitur, quia secura de felici euentu erat, quod sciret Deum ita promisisse futurumque, vt maiorem minori seruiret. In hoc prudentiam Rebeccæ admirare, *licet enim sciret*, inquit Cornelius, *maritum errare in ea, quòd contra voluntatem Domini maiorem filium benedicere volebat, non tamen cum eo iurgatur, non vi obsistit, sed latenter curat, vt benedictio ei obtingat, quem Deus destinauerat*. Habent exemplum, quod imitentur vxores, ne facilè lites maritis moueant, eosque contentionibus exasperent in rebus, in quibus eas latet, quænam Dei sit voluntas.

In me sit ista maledictio. Existimè sibi maledictionem imprecatur: à quà per prophetiam se liberam futuram didicerat, vnde Chaldaica versio legit: *Mihi dictum est per Prophetiam quod non venient super te maledictiones*. Sed cur id aperitur diuinitus Rebeccæ, quod non legimus datum Isaac? *Forsan*, inquit Pepious, *hoc ideo factum est, vt* VIRI NON CONTEMNERENT MVLIERES, *ex quo per eas loquitur Spiritus Sanctus*.

In me sit ista maledictio. Humanis ab omni malo, ab omni maledictione obediens est: *Hic habes*, inquit Porrecta expendens producta verba, *quod nulla via pro salute nostra* SECVRIOR EST, QVAM VIA OBEDIENTIÆ, *ab oppositis ergo habes. Secundò: quod nulla via ad salutem capescendam ineptior est, quam suo de capite viuere, Consequenter igitur verus obediens, vt sit à quibuscumque hostibus decipi non potest; quamdiu talis extiterit: & inobediens, siue suo genio innixus facilè decipitur ab inimico*.

Et vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi induit eum.

814 Alius apparet Iacob, alius est, vestibus Esau refert, qui re non erat, nimirum maiorum virorum est in varias figuras, in varias se formas efformare, vt æterni Patris benedictionem indipiscantur, Benè nobilis ille auctor: Mirabar, inquit, strenuum virum Iacob sustinuisse alienis indui vestimentis, & hœdinis pellibus adornari, vt Esau ferat laruam. Et hoc strenui viri est, sic laruali figura, quasi in theatro alterius personam agere; Equidem quod viles, & effœminati histriones agunt pro vili lucello, hoc & strenui viri posse efficere pro benedictione æterna comparanda, vt in varias personas velint efformari.

Et vestibus Esau valdè bonis. Bonæ vestes, & bonus vestium vsus, qui ad patris benedictionem obtinendam dirigitur; in quo multorum damnatur vanitas, qui superfluarum vestium ornatu, & damnando luxu Dei sibi maledictionem auersunt.

Pelliculasq; hædorum circumdedit manibus.

Non caret mysterio quòd Iacobi manus hædinis, non vulpinis pellibus inuoluuntur, vt mysterium hìc potius quàm fraudulentiam, astutiamque latere colligeremus. Festiuè ille: Non vulpinam, sed HÆDINAM induit pellem, quia non fraudis erat, sed imagini locus, fuerunt quippè illa non tàm ficta, quàm picta, Plures vulpinas induunt pelles, quam hædinas. Præterea hædinis pellibus est vsus, quia hæ facilius parari quàm vulpinæ poterant.

Quibus illatis dixit: Pater mi.

Discrimini se magno obiecerat Iacob, se ante Isaac sistens tanquam esset Esau, nihil tamen mali esse ratus; quid mali pateretur, qui comitem, imò & ducem habebat obedientiam? Benè Porrecta: *Vt in quanta*, inquit, *securitate versetur obediens intelligas, audi. Erat Esau pilosus, erat Iacob lenis, habebat contrectari Iacob à patre suo. Nunquid ex hoc ipsi obedienti filio aliquid aduersi contigit? non. Quare? quia* OBEDIENTIA OMNIBVS FVTVRIS ADVERSIS PRO SALVANDO OBEDIENTEM OCCVRRIT: *Et illa ne obedienti, quippiam noceret, mirificè fecit. Etsi (inquiebat Christus) mortiferum quid biberint: non eis nocebit. De quibus loquebatur. De obedientibus. Nonne mortiferum hoc videbatur, ac omni periculo periculosius: quod Iacob lenis deberet à Patre diu tractari, & pro Esau piloso iudicari? mortiferum vtique hoc indicauit Iacob, quando dixit: timeo, nè pater putet me sibi voluisse illudere, & inducat super me maledictionem*. 815

Quis es tu, fili mi?

Quis es tu? Iacobi vocem audiens Isaac statim dubitare cæpit an esset, quem se simulabat, *Sinit Deus*, inquit Cornelius, IVSTOS ALIQVANDO FALLI, *cadere, ac decipi, vt se agnoscant*. Addit: *Deus aliquando paruulis reuelat, quæ magnis abscondit. Sic Rebeccæ reuelatur, quod Isaac ignorabat*. Vt prudentiores non renuant etiam illorum audire consilia, qui si rem ad mundi calculum expendas, non adeò prudentes sunt.

Qui respondit: Voluntas Dei fuit, &c.

Voluntas Dei fuit: Vt non mirum si tam cito inuenire potuerit, tarda enim Deus molimina amolitur; CITO DAT DEVS, inquit Sanctus Ambrosius lib. 1. de Abel capit. 8. *Verbum enim Dei non est opus, sed operans, praeuenit omnia sicut est ante omnia*. Aliter se in

Deum homines exhibent, qui in eius obſequijs ſemper cunctantur, & quod pollicentur ſerò præſtant.

Vox quidem vox Iacob eſt, ſed manus manus ſunt Eſau.

816 TActus decepit Iſaac, auditus non eſt deceptus, vt diſcas, hoc ſenſu duci, à quo eſt fides. Peritè, vt ſolet, rem verſat Sanctus Bernardus: *Aduerte*, inquit, *in Iſaac, quomodo præ cæteris ſenſibus* AVDITVS *in ſene viguerit, caligant oculi Patriarchæ, palatum ſeducitur, fallitur manus, non fallitur auris, quid mirum ſi auris percipit veritatem, cum fides ex auditu, auditus per Verbum Dei? Verbum Dei veritas ſit, vox inquit Iacob eſt, nihil verius, manus autem manus ſunt Eſau, nihil falſius, manus ſimilitudo decipit te, nec in guſtu veritas, & ſi ſuauitas eſt, nam quod habet veritatem, qui ſe putat edere venationem, cum domeſticis veſcatur hædorum carnibus, multo minus oculus, quo nihil vides, ſapiens fuit Iſaac, ſed tamen errauit in ſenſibus, ſolus habet* AVDITVS VERVM, *qui percipit Verbum.*

In Iacobi veri pœnitentis figuram notabat Vgo, dum ait: *Pœnitens debet habere* VOCEM IACOB *id eſt verba humilia, & ſimplicia in oratione, & confeſſione ſed manus Eſau, id eſt fortia opera & dura in ſatisfactione, & tunc ſtatim recipit benedictionem à Chriſto.*

Vox quidem vox Iacob eſt. Et vnde Iſaac innotuit eam eſſe Iacobi vocem? An quia pietatem ſapiebant voces, quas emiſerat, dixerat enim: *Voluntas Dei fuit, vt cito occurreret mihi, quod volebam*. Sanctus Baſilius: PIAM HANC VOCEM *agnoſcens pater in Iacob, vocem eſſe Eſau merito negabat.* Vt hinc videas, quanti referat verba emittere, quæ pietatem ſapiant.

817 *Vox quidem vox Iacob eſt*. Cum vox eſſet Iacob, cur non potius voci credidit Iſaac, quam tactui? An quia Iacob ſimplex erat, & decipere neſcius, inde non putauit pater eò prorupiſſe, vt ſe pro fratre obijceret, ac venditaret. Facilè nimirum alios poſſunt decipere, qui ab alijs decipiendis putantur abeſſe. Addit Sanctus Thomas, vocis non magnam habuiſſe rationem Iſaac, *quia ſecundum quoſdam putauit quod Eſau ad benedictionem à patre petendam ex* QVADAM REVERENTIA VOCEM HVMILIASSET, *& quod ex hoc eſſet ſimilis voci Iacob. Fortaſſe enim vox Eſau fuit groſſior, & rigidior; vox autem Iacob, ſubtilior, & ſuauior.* Nihil non agunt, vocem ipſam mutant, qui rem aliquam impensè deſiderant. Benè tamen eſt, ſi ex reuerentia vox quoque ita aptetur, vt nihil ſuperbum ſonet.

Multos eſt reperire qui vocem habent Iacob, & manus Eſau, verbis innocentiam præferunt, reipſa litant improbitati. Hinc Petrus Cellenſis: *Vox quidem veſtra, vox Iacob eſt,* & VTINAM MANVS NON ESSENT ESAV. *Verba veſtra venti ſunt, litteræ cymbalum tinniens, promiſſiones nubes ſine aqua, ſermo ſine voce, flores ſine fructu. ignis ſine calore, aqua ſine humore, corpus ſine anima, anima ſine vita. Quoties dilectiſſime Domine, Baculus arundineus mihi factus eſt is dum vobis crederem, & nihil acciperem.* Hactenus ille lib. 6. epiſt. 13.

Sectio IV.

Dei Patris *benedictionem* qui cupit, *Chriſtum* imitari ſtudeat. 818

Flagellorum patientia oſculo præmittenda.

Eccleſiæ obediat, Æterni Patris benedictione qui cupit cumulari.

Conſcientiæ ager excolendus, vt *odor* bonus erumpat. 819

Diuerſarũ *virtutum odorem* emittere quiſque debet.

Fructuoſa, non inutilia *pigmenta*, & aromata quærenda.

Feruentis *orationis fragrantia*, quam Deo grata. 820

Magna *ſuauitate* afficitur, qui rebus huius *mundi* oculos claudit.

Cur *Abraham* filio ſuo Iſaac *benedixiſſe* non legatur.

Benedictionem Dei nemo *otioſus* expectet. 821

Bona *opera*, etiam per *corpus* præſtanda.

Boni *tribulationibus* probati in *bona* poſteriora feruntur; contra ac mali. 822

Celeritas in bono quàm ſalutaris; quàm noxia *cunctatio*.

Et non cognouit eum, quia piloſæ manus ſimilitudinem maioris expreſſerant.

818 HOc quod hîc dicitur, aliqui ad Chriſtum, Chriſtiq; imitatores referunt, nimirum ijs qui Dei patris benedictionem quærunt, Chriſti mores moribus exprimunt, omni mollitie repudiata. Pulchrè ille: „ Scimus Iacobum à matre ſubornatum, vt benedictionem Patris impetraret, & fratri præciperet, ſibi timuiſſe, quod ipſe lenis eſſet, adeoque valdè diſſimilis fratri Eſau primogenito, vtpote piloſo. Quare vbi manus ſaltem ſuas obduris hædi pellliculis, tum denique benedictionem, & petere auſus eſt, & obtinuit, quia piloſo manus ſimilitudinem maioris expreſſerant. Deus Pater non benedicet nobis, niſi filio eius, qui eſt frater noſter primogenitus, aliquatenùs aſſimilemur, ideò dixit: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audire. Mat. 19.

quare cùm ipse asperam virtutibus duxerit vitam, si nos suauem, mollem, & blandam duxerimus, quam benedictionem obtinebimus?

Accede ad me, & da mihi osculum fili mi.

ACcede ad me, & da mihi osculum. Non prius ad osculum Iacob admittitur, quàm Isaac eum tetigisset, & oblatos ab eo cibos comedisset. *Post tactum*, inquit hîc Vgo Carensis, *tunc demum fit osculum, idest post patientiam flagellorum, & fortitudinem bonorum operum.* Scilicet tribulationum patientia osculo præmittenda.

Benedicens illi ait: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni.

PAtris benedictionem adeptus est Iacob, quia matris consilia secutus est, Rebeccæ obtemperauit; quod ad Ecclesiam in hunc modum transfert Raulinus: *Filij debent prudenti matri obedire, vt Patris benedictionem consequantur: scilicet ad obtinendum benedictionem Dei, primum* DEBEMVS OBEDIRE MATRI, SAPIENTI ECCLESIÆ *scilicet, & seruare præcepta eius, & prælatorum, & indui vestibus valde bonis virtutum, ita vt dominus sentiat odorem bonorum operum.*

819 Conscientiæ quoque ager ita est cuilibet excolendus, vt virtutum odorem emittat. Peritè Petrus Blesensis epist. 3. *Excole igitur* CONSCIENTIAM *tuam: hic est enim* AGER, *cui benedixit Dominus: de quo scriptum est, pulcritudo agri mecum est, planta igitur, & semina ibi semen virtutum, vnde fructus vitæ, &* ODOR *sanctæ opinionis erumpat.*

Agrum plenum ille refert, qui omnium virtutum odore fragrat, nec enim vna sufficit virtus. Rem sic ad Christum refert Diuus Vigilius: *Agrum carnem Christi singulariter nominat. De hoc enim agro maximè Isaac in suis benedictionibus prophetauit. Ecce, dicens, odor fili mei sicut odor agri, cui benedixit Deus. Corpus enim dominicum magnis* DIVERSARVM VIRTVTVM FLAGRAT ODORIBVS, *& sui beneuolentia diuersa pigmenta, infirmos quosque viuificant.*

Ecce odor agri pleni. Cur similitudo ab aromatibus potius non est sumpta, aut à prætiosis vnguentis, & odorem exhalantibus succinis? An vt tacitè fructuosa, non inutilia quærenda esse insinuaret? Egregiè nobilis ille auctor: Vestimentorum odore, quibus ornabatur Iacob, excitatus Isaac, totam filij speciositatem figurans, non illam à pigmentis, nec à fucis, nec à gemmarum ornatu trahit, sed ab agri similitudine. Ait enim: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni. Cur non magis aromata exhalant pretiosæ Iacobi vestes? Cur non magis pigmenta, odoraque succina aureis, gemmatisque catenulis inserta sentiuntur in maximo Iacobi cultu, & decore? Cur de solo pleno agro similitudo eius speciositatis, & cultus profertur? Sanè in succis, in pigmentis, in aromatibus, in auro, & gemmis nullus fructus cernitur, qui abundantissimus apparet in agro pleno. Non ergo sumenda erat speciositas tanti viri ab inutilibus rebus, sed à fructuosis, quando verus hominis decor à bonis operibus, virtutum fructibus venit.

Quæ hîc ad filium quem benedicit dicit Iacob, optat Ioannes Eusebius Deo, dum feruenter orantis oratio non velut odorem suauissimum sentit: *Sic*, inquit, *Deus cùm* ARDENTIS ORATIONIS FRAGRANTIAM *sentit, & benedicit animæ deuotæ, impletque rore gratiarum, & bonorum corporalium pinguedine, quatenus spiritum iuuare possint, dominamque illam constituit corporis fratris sui maioris natu, vt caro subdita rationi in omnibus virtutibus felici procedat cursu.* 820

Isaaci cæcitas non impediuit, quin odoris fragrantiam sentiret, quæ à vestibus exibat; quod sic bonus ille auctor versabat: Cum esset, inquit, cæcus Sanctus Isaac fragrantiam odoris filij sui Iacob sentiens, inquit: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. O quam suauitatem sentit anima illa, quæ huius MVNDI REBVS SENSVS SVOS OBTVRAT, & interiori visu operans res Saluatoris nostri Iesu Christi suauissimè pertractat.

Quæstionem hîc aliqui mouent, cur non legatur, quod Abraham benedixerit Isaac, sicut Isaac Iacob benedixit. Huic quæstioni ita satisfacit Diodorus in Catena Lippomani: *Illud*, inquit, *quæritur cur* ABRAHAM FILIO SVO ISAAC NON BENEDIXIT, *sicut Isaac Iacob? Non benedixit vtpotè quem iam Deo immolauerat, & tanquam thesaurum Deo repositum sciret, ex cuius semine omnium gentium benedictio nascitura erat.*

Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini.

BEnedictio ista etiam operantis laborem exigit; *Addit*, inquit Ferus, *de rore cæli, & pinguedine terræ, ne* OTIOSVS, ET CONTEMPTO LABORE *expectet, quando è cælo sibi subueniatur, nam Deus promittit quidem se subuenturum, sed vt plurimum hoc facit per media.* 821

Parum est aliquem rore cœli adspergi, nisi & terræ pinguedine repleatur. Sanctus Gregorius hom. 6. in Ezechielem. *Ros, inquit, desuper, & subtiliter cadit: & toties de rore cœli accipimus, quoties per infusionem contemplationis intimæ de supernis aliquid tenuiter videmus: cum verò* BONA OPERA ETIAM PER CORPVS AGIMVS, DE TERRA PINGVEDINE DITAMVR.

Qui maledixit tibi sit ille maledictus, & qui benedixerit tibi benedictionibus repleatur.

CVr maledictionem benedictioni præposuit, cum aliter fecisse Balaam Numerorum 822

22. Le-

22. legatur? Honcala ita rem excutiebat; *Obseruandum est, inquit, hunc Patriarcham maledictionem benedictioni pratulisse: Balaam verò insignem illum ariolum inuerso ordine benedictionem maledictioni præposuisse: neque id immerito: namq; Balaam, velut Israelitarum hostis, cœpit à bono populi Dei, quod diffiteri non poterat: finiuit autem in malo, quod eidem populo vehementer optabat, hic autem Patriarcha ab auertendo malo est orsus: vt in bonorum finem posteros suos perduceret. Et reuera sic vsu venit, vt boni præcedentibus* TRIBVLATIONIBVS PROBATI, ATQVE PERFECTI IN POSTERIORA BONA FERANTVR, *iniqui autem per præcedentia bona, quibus abutuntur, in vera mala protrudantur. Nec mouearis, quod Abraham benedicendo filium suum Isaac à bono exorditus ad maledictionem transit, quia tandem totum sermonem benedictione conclusit.*

Obtinuit Iacob benedictionem ab Isaac, quia moras omnes amouit, & celeritati litauit, contra Esau moras traxit. Dum Esau, boni auctoris sunt verba, MORAS TRAHIT, dum campos, syluasque fatigat, dum dolos nectit auibus, dum esca fallit, dum canes explicat, dum feras insequitur, dum spicula torquet, dum præcordia transfigit, Iacob celeri cursu ad gregem venit, duos hædos pingues selegit, matri parandos offert, conditos patri infert, caligantem fallit, fratrem præuenit, benedictionem percipit, leges ipsas naturæ inuertit, res tota celeritate agitur, impigro obsequio ius primogenij venit; non tam Deus munus pensat ex valore, quàm ex celeritate præstiti officij.

Sectio V.

Vix Isaac sermonem impleuerat, & egresso Iacob foras, venit Esau.

Tantum tantulum temporis fecit; à benedictione paterna Esau excidit, quia minimum tardauit, Iacob indeptus eam est, quia fratrem præuenit. *Obserua, inquit Ferus, quàm magna bona Esau in breui tempore amiserit, adeò* NIHIL EST PRETIOSIVS TEMPORE; vt erret qui temporis momenta negligit, quum à non magno magna plerumque pendeant. 823

Vix Isaac sermonem impleuerat. Non prius Esau venit, quàm res tota esset completa, vt colligas à Dei dispensatione, prouidentia totum fuisse. *Vides*, inquit Sanctus Chrysostomus in Catena Lippomani, *quomodo post illius exitum iste statim aduenit. Non hoc absque causa, vel temerè factum, sed vt ignorans afferret, & ipse edulia, & à patre addisceret rem totam, vt acta erat. Nam si prius nouisset, & in fratrem incidisset, forsitan & ipsum interemisset, victus ira. Nam qui hoc postea deliberauit, multo magis in negotio medio attentasset. Sed* MANVS DEI ERAT, *quæ puerum saluabat, & hunc quidem dignum benedictione effecit, illum autem & benedictione priuauit, & primogenitura.*

Dum foras exit Esau venaturus patris benedictione priuatur; rem ijs aptat B. Thomas à Villanoua, qui curiosè intellectus sui acumine scrutantur magna, venantur latentem, fugientemque veritatem, cum interim qui simplicitati cum Iacob domi litant, æterni Patris benedictione beentur. Præstat hîc sistere, quæ beatus iste auctor affert: *Similes, inquit, sumus venatori illi, cui frater simplex domi residens furatus est benedictionem: cælos, terrasque intellectu lustramus peruigili cura capiendis volucribus, id est, arduis veritatibus inhiamus, & (vt Augustinus ait) prauolat intellectus, & sequitur tardus, vel nullus affectus. Dum igitur in hoc venanda veritatis studio vitam expendimus, vetula simplex & deuota ad regnum cælorum admittitur, & nos cum nostra scientia miseri foras excludimur, gratior enim Deo est deuota* SIMPLICITAS, *& pia, quam diserta sine pietatis oleo philosophia.*

Sedulus Esau fuit, vt patri obsequeretur, nulla negligentia opus infecit, nulla cunctatione, & tamen spe sua frustratus fuit; tanti refert in rebus peragendis Dei voluntate duci. *Quamquam*, inquit Lippomanus in Catena, *videretur Esau prospera vsus venatione, citoque reuersus, tamen longe citius Dei negotia gerebantur, vt placuit, & vt* VOLVNTAS DOMINI CERTIOR *agnosceretur, modici tantum temporis interuallo, alter fuit præuentus ab alio. Et hic quoque nihil omittitur de obedientia, reuerentia, sedulitate, ne-* 824

gligentia nulla in venatione, coctione, appositione, inhortatione, postulatione, omnia syncere agit Esau, solum anteuerterat iamdudum Dei verbum, & fides promissionis, vt propositum Dei impediri non potuerit.

Expauit Isaac stupore vehementi, & vltra quàm credi potest admirans, ait.

EXpauit Isaac, noo tamen factum mutat, sciens ita Deum voluisse. Peritè idem Lippomanus: *Licet*, inquit, *valde admiratus sit Isaac, & pauore vehementi obstupuerit, non tamen Iacob irascitur, non factum comprobat, non reclamat, non punit, sed* DOMINI VOLVNTATEM COGNOSCENS ACQVIESCIT, *scit enim Deo placuisse, & mutari non posse.*

Expauit. Hebraicè est verbum, חרד *charad*, quod metum formidinem, trepidationemque significat, quæ ex religione, & reuerentia potius proueniat, quàm ex mala suspicione, quæ vis hic propriè locum habet, nam in hoc metu tacitè admiratus est Isaae diuinæ prouidentiæ ordinem, & diuinorum iudiciorum arcana veneratus est. Hinc est, vt Isaae Iacobo non legatur iratus, nec quippiam durum in illum effudisse.

Benedixiq́ ei, & erit benedictus.

825 E*T erit benedictus.* Cur beoedictionem confirmat, & non potius se deceptum querens, benedictionem in maledictionem commutat? *Ecce*, inquit Honcala, *petente benedictionem sibi promissam filio maiore expauescit Isaac, & alterum pro altero se benedixisse cognoscens miratur, & quisnam ille sit percontatus: nec tamen se deceptum esse conqueritur: imò confestim reuelato sibi in corde magno sacramento deuitat indignationem,* BENEDICTIONEM CONFIRMAT. *Nonne potius maledictionem minaretur iratus, si hæc non superna inspiratione, sed terreno more gererentur?*

Auditis Esau sermonibus patris irrugijt clamore magno.

EIulatu magno Esau fleuit, vt patrem flecteret, sed interim de peccatis suis oon cogitauit, quæ vera fletus materia sunt. Opportunè Sanctus Ephræmus Syrus: *Lachrymatus est Esau, non quia peccauit; occupabat mentem malitia, & per* SOLAM LINGVAM VOLVIT BENEDICTIONEM IMPETRARE. *Sed istud cur dico? vt tu si amaritudinem in anima habeas, primum eam radicitus euellas, & postea sic ad Deum accedas.*

Irrugijt. Quasi homioem exuisset, induisset feram, nec mirum ita Esau dolorem circumscriptum, quia *non tam indignatur*, vt ait Procopius, *quòd benedictionem nequit percipere, quam quod cernit* FRATREM BENEDICTIONE DIGNVM HABITVM. Qui talis est mentis, feræ potius est similis, quàm homini.

Quid rugitum, & clamorem ab Esau exsculpsit? 826
terrenarum rerum cupiditas, & proprij commodi amor. *Fuit hic dolor*, inquit Lippomanus, *ex priuato commodo procedens, & cupiditatis affectu.* Diceres priuati commodi amorem hominem in feram vertere.

Irrugijt. In hebræo est verbum צעק *Zanghach*, quod est clamare, vociferare, ex ingenti dolore animi perstrepere, vt solent tormentis pressi, & infirmi ingenti corporis dolore correpti, & verò hoc idem verbum sæpè in diuinis ad orationem transfertur; vt hinc discamus clamorem, quem dolor extorquet, ex industria ita dirigere ad Deum, vt velimus orationis, & precum munus exercere; ante hoc statuentes, nostræ mentis, & intentionis esse, vt clamor ex dolore emissus, sit diuini auxilij quædam imploratio.

Irrugijt. Feram noo hominem dices, dum rugitum audis, audis rugijsse; non videtur hominem referre, qui inuidia corripi se sinit, cum alteri res fęliciter succedunt, nam hunc clamorem, ac rugitum ab inuidia fuisse notabat auctor Catenæ græcæ, cuius ad hæc verba hæc sunt verba: *Non tam dolet præreptam benedictionem quam* FRATRIS INVIDET DIGNITATI, *vt qui ingenio liuenti fratris damno magis, quàm suo commodo inuigilaret, id quod arguit & clamor vehemens, & amarulentus, & consternatio.*

Irrugijt. Tamquam leo, non tristitiam mo- 827
do prodens, sed furorem. Putant aliqui Esau irrugijsse, non tàm ex dolore amissæ benedictionis, *quàm ex inuidentia*, vt loquitur Cornelius, *fraterni incrementi, præsertim quod illum sibi prætulerat, seq́, illi subiecerat pater.* Nihil grauius percellere inuidi mentem potest, quàm alterius fęlicitas, & euectio.

Esau irrugijt. Qui à venatione redierat, hoc à feris didicerat referre feras. Rugire dicitur tamquam leo. Aptè Petrasancta: Ira eius vehemens aptè admodum exprimitur, per Leonis rugitum. Hoc enim animal præ cunctis iracundia ferox est, ad quam iram non intus modò ęstuante sanguine circa cor, sed foris etiam caudæ flagello inciratur. Principio siquidem, quando irascitur, terram cauda; in incremento terga, velut inciramento quodam, diuerberat. Ira homini necessaria est, nec expugnari quidquam potest; nisi ipsa impleat animum, & spiritum accendat. Sed enim vti ea oportet, non vt Duce, verum vt milite: quia rationis est, Ducis munus, & vices obire; præcipiendo ea, quæ in rem fore existimauerit: mox ira, ceu belli quodam impetu, iussa exequetur.

Qui ait: Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam.

E*T accepit benedictionem.* Mirum, quod Isaac non dixerit Deo sic volente benedictionem in fratrem fuisse translatam, *Non declarauit*, inquit Abulensis, *hic Isaac filio suo Esau, quod benedictio mutata fuisset ad alium dispositione dini-*

diuina, quia fortè indignus erat talia ſcire. Vel quia talia ei non decebant, quia FORTE IIA COGNITIS PEIOR EFFECTVS FVISSET MAGIS INGRATVS *cum Deum, qui ei tollebat quod à natura ei videbantur pertinere; ſecundum veritatem tamen licet Deus mutaſſet iura primogenituræ ab Eſau in Iacob, & Eſau eſſet maior quantum ad quandam anteceſſionem originis, non debuiſſet indignari Eſau, quia ſi ipſe non egreſſus fuiſſet prior nullo modo iſta competerent ſibi ſecundum rem, vel apparentiam.* Scilicet malorum extremum eſt, cum malitiam auget, quod tollere debebat.

Sectio VI.

Mendaciorum ferax improbitas, & *inuidia*. 828
Bona virtutis fulcrum ſint.
Quidquid præter *Chriſtum* pro *nihilo* debet computari.
In *benedictione* Eſau cur Dei *nomen* minimè recenſitum. 829
Iuſti *ſpiritualia terrenis* præferunt, impij contra.
Quodam *benedictionis* genus alterius imperio ſubdi, eiuſque *conſilio* regi.
Malitia ſtare neſcit. 830
Impijs à *peccato* non Dei *timor*, ſed rerum *terrenarum* iactura plerumque auocat.
In pœnitenda facilè labitur, qui ſuam *mortem* non cogitat, ſed alienam.
Secreta ægrè cohiberi poſſunt. 831
Iratus animus mare refert, foras omnia euomit dum feruet.
[illegible] quid, poſt peccatum ſola *pœnitentia* ſolatium afferre poteſt.
Mala non facilè *referenda*, cum aliundè medicinam poſſunt accipere. 832
Ira correptus ſibi nequit imperare.
Peccati occaſio ſollicitè vitanda.

Primogenita mea antea tulit, & nunc ſecundo ſurripuit benedictionem meam.

828 MEndaciorum ferax improbitas, & maximè inuidia, & luxus eſt. *In vtroque aberrat*, inquit hîc Hoocala, *nam in altero mentitur, in altero mendacium dicit. Quippe mentitur, in eo quòd aſſerit fratrem Iacob abtuliſſe ei primogenita, non vtique abſtulit, ſed ipſe Eſau ei illa, quantum in ſe fuit, impiè vendidit. Imò Iacob putatur illa nullatenus emiſſe: quia vir pius benè nouerat ſpiritualia iura: ſed oblatione, necnon petitorum datione vexationem propriam redemiſſe. In altero autem falſum loquitur: quoniam Iacob minime alienam benedictionem ſurripuit, ſed ſuam artificioſe præripuit, quamuis Eſau ignorauerit primogenitorum iura Dei voluntate eſſe ſibi ablata, & ad fratrem ſuum translata.*

Primogenita mea tulit. Falſus eſt Eſau; non enim eius primogenita Iacob abſtulit, quæ ſponte ipſe veodidit. *Mentitur Eſau*, inqnit Abulenſis, *in duobus. Primo quia dicit Iacob abſtuliſſe primogenita ſua, tamen non erant ſua, ſed Iacob, cum Deus tranſtuliſſet illa ad Iacob abſtulit, ſed falſum eſt, quia nen abſtulit, ſed ipſe gratis vendidit: Iacob autem ius ſuum redemit.*

Frumento, & vino ſtabiliui eum.

SVo pondere non caret illud verbum ſtabiliui, quod ſic nobilis auctor expeodit, & vrget hæc premens verba: inquit Iſaac de Iacob, frumeoto, & vino, & oleo ſtabiliui eum. Diuinitus ait ſtabiliui: quòd ea bona prouidebat eſſe filio, vt baſim hooocatam, vt fulcrum aoreum atque ſtabile, IN QVO VIRTVS AD ÆTERNAM MEMORIAM VELVTI CONSECRARETVR, & de illius modeſtia, & liberalitate poſteri omnes com inſigni admiratione prædicatent. Sic aiebat vir Deo plenus in Eccleſiaſtico. Aurum & atgentum eſſe conſtitutionem pedum, & ſtabilimeotum bonorum operum gemmeas eſſe columnas, duos validos pedes, quibus itur ad fœlicitatem.

Num vnam, inquit, tantùm benedictionem habes, pater?

SEd cur vnam tantum beoedictionem Iſaac hahebar, vt ſolam Iacob eâ cumulare potuerit? An quia, quidquid præter Chriſtum licet alioquin magnum, pro nihilo debet haberi? Pererius hîc: Quærendum, inquit, cur vnam tantum benedictionem habuerit. Ac primò dicimus, non multa eſſe ſemina, ſed vnum eſſe ſemen, quod eſt Chriſtus: in quo ſecuodum promiſſionem datam Abrahæ, benedicendæ eraor omnes gentes. Quam verò præter illud ſemen benedictum, habere poterat Iſaac benedictionem. Nihil omnia ſunt, nihilique habenda, quæ extra Chriſtum, quæ oon ſapiant Ieſum, Ieſum claudant, aut ſpectaot.

Motus Iſaac dixit ad eum: In pinguedine terra, & in rore cœli deſuper erit benedictio tua.

MIrum io hac benedictionis formula Dei 829
nomen minimè Sanctum Patriarcham protuliſſe, quod fecit cum Iacob benedixit. Honcala ita rem verſabat ad verba producta: *Hoc in loco notandum eſt, in Eſau benedicendo non dixiſſe Iſaac, & det tibi Deus, id quod prædixerat*

rat benedicendo Iacob: quod ideo factum esse putatur, quòd ad diuini iudicij mensuram habere dictiones disposita sunt. Quia enim Iacob vir erat iustus, & in Deum pius, beneficij meritus in eum, qui iustus erat, & iustitias diligebat, benedictio illius cœlestibus præmijs, donisq́ referta ab ipso Deo, tanquam misericorde bonorum largitore, & veracissimo præmiorum retributore fuit inuunda. Quia verò Esau peccator erat, nihilq́ boni pro meritis ei debebatur, sed potius pro demeritis ei pœna irroganda foret, nomen Elohim, quod est iustitiæ notamen, suppressum est, vt nonnullum misericordi Deo locum benefaciendi etiam tanto peccatori forte superesse monstraretur. Accedit ad hoc benedictionem, qua Iacob fuit benedictus, diuinam fuisse: alteram verò humanam, vtpote humanis tantum precibus nitentem, quare illa tantum fuit à Deo inchoanda, quæ eodem auctore prolata sit, non autem ea, qua ab homine tantum paterno affectu potiùs, quàm diuino nutu proferebatur.

Verborum ordo hîc pendeudus. Esau pinguedo terræ prius promittitur, & deinde cœli ros; Iacobo coutra. Benè ille rem expendit: Vtriq; vtrumq; datur, sed diuerso ordine, nam Iacobo, qui imagiuem præsefert iustorum, prius cœlestia conceduntur, tandem donatur terrenis, Esau verò impiorum symbolum priùs terrena accipit, postea cœlestia. Tam pij, quàm impij cœlestibus, & terrenis egent, & vtraque iu votis habent: cæterum PII SPIRITVALIA TERRENIS ANTEFERVNT: AST IMPII CÆLESTIA TERRENIS POSTPONVNT.

Fratri tuo seruies.

FRatri tuo seruies. Benedictio est homini seruire, cur non plenior, ac maior erit seruire Deo? Sanctus Ambrosius lib. de Paradiso, capit. 14. vniuersè seruitutem efferens aiebat: *Seruitus Dei donum est. Denique inter benedictiones numeratur huius seruitutis obsequium: nam & Isaac in loco benedictionis eam dedit Esau filio suo, vt seruiret fratri suo.* Singulare beneficium est, & quoddam benedictionis genus alterius imimperio subdi, qui tegere se ipsum nescit; hinc Isaac beuedicens Esau fratris seruum illum constituit, quod appendens idem Sanctus Ambrosius lib. 2. epist. 7. ait: *Ostendens quia seruitus ei remedio sit, quia stultus regere se non potest, & nisi moderatorem habeat præcipitatur proprijs voluntatibus. Diligens ergo Pater &* CONSVLENS *seruum eum fratris sui fecit, vt eius regeretur* CONSILIO.

Dixitq́ in corde suo: Venient dies luctus patris mei.

830 NEsciunt occulta crimina stare, ab odio fratris, ad odium patris pergit Esau: *Patrem*, inquit Sanctus Ephrem, *mori optabat dicens, quando morietur pater meus, & occidam Iacob? non solum fratricidam eum iracundia fecit sed etiam parricidam, nam semper* MALITIA OCCVLTATA SCELVS ADAVGET.

Venient dies luctus. Mirum quod viuente patre fratrem occidere sit veritus; noudum quippè omnem patris reuerentiam reiecerat; nisi dicamus à fratris nece abstinuisse, ne paterna hæreditate priuaretur: *Patre viuente*, inquit Sanctus Thomas, *hoc non audebat, quia* TIMEBAT EXHÆREDARI, *& maledici ab eo.* Hic impiorum mos, vt à peccatis eos uou Dei timor, sed rerum potius terrenarum iactura plerumque arceat.

Venient dies luctus. Iu quibus cum hæreditas diuideuda, facilè discordiæ occasio nasci poterat, quà Esau insurgeret iu fratrem, & morti posset tradere. Id quod nobilis auctor his verbis innuebat: Dicitur luctus id est mortis, quando paterna hæreditas inter fratres diuiditur, & tunc iurgij occasio est, eò tamen distulit, quia timebat patris maledictionem, si illo superstite fratrem necasset.

Venient dies luctus patris mei. Breui patrem suum moriturum cogitabat Esau; satius fuisset, si mortem suam cogitasset, vt iram, qua in fratrem sæuiebat, poneret; aliena facilè agit qui alienam mortem spectat tantum, obliuiscitur suæ. Morituri patris meminit, cur non & matris moriturae? *Et non dixit*, inquit Abulensis, *quòd volebat expectare diem luctus matris suæ; causa est: quia etiamsi viuente matre occideret fratrem, tamen non timebat maledictionem maternam.*

Nuntiata sunt hæc Rebeccæ.

NVntiata sunt hæc Rebeccæ. Mirum, cum 831
præmisisset, *dixit Esau in corde suo*, statim additur, hæc Rebeccæ fuisse nuutiata; quis secretum suum alteri fidat, cum proprium cuiusque vix cohibere quis possit?

Nuntiata sunt hæc Rebeccæ. Sed à quo? Quod animo tegebat Esau, ira supprimere non potuit, vt res ad alios uou iret, iratus animus impotens sui est, iratum mare iratus refert, facilè quæ delitescunt foras euomit, dum feruet, quibusdam familiaribus quod cogitabat fors Esau aperuit, nouæ alicuius offensæ, vt aliqui notaruut, occasioue.

Ecce Esau frater tuus minatur, vt occidat te.

MInatur. Hebraicè est נחם *naham*, quod propriè significat cousolari, sed sensus idem est, nam impiorum consolatio est iu bonos sæuire.

Notandum cum se mali vindicant, tunc 832
consolationem accipiuut: hoc quoque apud Hebræos נחם *naham* de pœnitentia, & consolatioue dici, *quia vt ille ait, post peccatum nihil aliud valet* SOLATIVM AFFERRE, NISI POENITENTIA, *& consiliorum commutatio in melius.* Vt frustra sint peccatis obstricti, si aliumde, quàm à pœnitentia solamen sperent.

Frater minatur, vt occidat te. Mirum quod rem tam grauem non detulerit Rebecca Isaaco,

co,

eo, vt crimen anteuerteret, & grauiter Esau argueret. Non fecit, qua ne nimia tristitia senem Isaacum afficeret, qua ne nimis Esau exasperaret, occultè, & prudenter omnia agit, docens non facilè propalanda, quæ aliunde accipere medicinam possunt. In hac re fœmina fœmineo non laborauit vitio, sciuit tacere, & potuit.

Frater minatur. Et verò Esau mortem tunc fratri se illaturum dixerat, cum pater obijsset, cur ergò tàm sedula est Rebecca, vt ab Esau ira Iacob subducat? An quia ira correptus tanquàm sui impotens, sibi nequit imperare? An quia cum de occasione peccati vitanda agitur, cunctatio omnis auferenda? Quam fatui, quàm deliri, qui pœnitentiam vsque ad mortem differunt!

Sectio VII.

Temporis interstitio in sedanda *ira* vtendum. 833

In temporali *morte* vitanda præcipua ratio habeatur spiritualis mortis.

Nullius *desperanda salus*.

Parentum iussa adimplenda, nisi aliter, *Deus* iubeat. 834

Iusti de Dei *offensa* plus sollicitì, quam de sua.

Alterius *interitum* qui quærit, quærit suum.

A *filij* titulo excidit, qui in *fratrem* sæuit. 835

Cauendum nè facilè aliena perturbetur *quies*.

Non facilè *referenda*, quæ excitare *odia* possunt. 836

Mulier, suo sexu major, quæ muliebria *vitia* odit, & signatè inanem *pompam*.

Nunc ergo fili mi audi vocem meam, & consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran.

833 FVgam filio mater suadet; cur non studuit Esau muneribus placare, quod postea à redeunte Iacob præstitum? In iræ feruore, & æstu sola fuga cogitanda, inutilia alia remedia, & noxia extitissent; quare docemur, passionibus cum feruent, non facilè esse remedia admouenda, nisi temporis interstitio non nihil mitigentur, sicque medicæ manus vtilius admittant tactum.

Habitabisq́; cum eo dies paucos.

CVr dierum paucitatem adiecit? An quia contrahendum, quantum fieri potest, tempus est, quo cum malis versari quis debet? Honcala hìc: *Dies paucos. Paucos inquam, ne fortè dum mortem fugis temporalem, & corporalem, in spiritualem, & æternam incidas, si longa mora apud impium hominem tracta, idololatriæ labem contrahas. Mane igitur ibi dies paucos*. Scilicet in temporali morte vitanda præcipuè habeatur ratio spiritualis.

Bona mulier meliora de filio sperat, vt hinc colligamus nullius desperandam esse salutem. Scitè ille: Sed ò bona quis tibi dixit, quod Esau furor quieturus sit? Nosti feralissimam hominis rabiem, cur non magis putas hanc in perpetuum duraturam? Cur non magis satagis iniquissimi hominis furorem implacabilem? sanè prudentissima fœmina MELIORA MALVIT ETIAM DE FERALI HOMINE SIBI PROMITTERE, cum nullus adeo scelestus homo possit inueniri, cuius debeat DESPERARI EMENDATIO VITÆ.

Habitabis cum eo dies paucos. Fugæ se dedit Iacob ex matris consilio; sed cur post paucos dies, cum statim redijt, nam hoc matris ferebant verba? An quia vt innueret, Parentum iussa implenda à filijs, nisi Deus aliud ab illis velit? Scitè peritus ille auctor: Ecce, inquit, matris consilium probatum filio, Fuge ad Laban fratrem meum, habitabis cum eo dies paucos. Fuga ad Laban suadetur facilè, quia ea simul ordinabatur à Deo; at paucorum dierum apud Laban commoratio minimè suadetur, quandoquidem ibi inuenitur Iacob pluribus annis moratus esse. Et cur, qui præscriptum matris secutus est, dum iret ad Laban; non idem sequitur, vt citò redeat? Sanè & iter ad Mesopotamiam, & moratio inibi à Deo ordinabatur, vocante Iacobum in peregrinam terram: sequitur ergo bonus filius matris præscriptum in capessenda via, quæ Deo placebat; & quia Deo non placebat discessus, in eo matrem minimè sequitur. Sic equidem sequendi sunt à nobis parentes, in ijs, quę ad Deum ferunt, VBI A DEO DECLINANT, MINIME SEQVENDI. 834

Donec requiescat furor fratris tui, & cesset indignatio eius.

ET *cesset indignatio eius*. Fugam suadenti matri obtemperauit Iacob, exiliumque à parentibus sustinuit, non tàm vt mortem, quam frater minabatur, vitaret, quàm ne frater hoc se crimine obstringeret: *Exilium non reformidat*, inquit Sanctus Ambrosius, Sanctum Patriarcham Iacob efferens, *sed impigrè suscipit, non tàm vt* PERICVLVM SALVTIS, *quàm vt* INCENTIVVM SCELERIS VITETVR. Sancti plus de Dei offensa sunt soliciti, quàm de sua vita.

Cur vtroq́; orbabor filio in vno die.

CVr *vtroq́; orbabor filio in vno die?* Etverò de vnius tantum periculo agebatur? An per hoc indicatur alterius qui quærit interitum, & quærere suum, & alteri mortem inferentem,

dignum

dignum se morte reddere? Benè B.Dionysius: *Cur vtroque orbabor filio in vno die? hoc est, si tu non fugeris, ipse occidet te: & TE OCCIDENDO, OCCIDI MEREBITVR, aut expelletur seu fugiet de hac terra; & ita vobis ambobus simul priuarer: quod totum per istud, quod tibi nunc do, consilium potest vitari.*

Cur vtroque orbabor filio. Tamquam obiret, qui abiret profugus. Vix viuere dici potest, qui fratri necem infert, & longè à parentibus it; certè matri vtroque videretur carere, altero occiso, altero ob illatam mortem profugo.

835 *Vtroque orbabor.* Et quî in vnius nece priuandum se dicit vtroque? An quia filij titulo excidit, qui fratrem occidit? Thomas Anglius: *Si*, inquit, *occiderit te*, NON REPVTABO EVM FILIVM MEVM, *& sic orbabor vtroque*. In vnius filij cæde vtroque se orbandam mater conijcit, sibi persuadens fore vt Deus cædem fratris ab Esau admissam impunitam non relinqueret; vniuersè malum qui proximo infert, eodem, aut simili se damnat inferendo à Deo. Aliter nodum soluit Procopius, dum ait: *Vtroque orbabor quasi fratricida quo ad destinatam & conceptam cædem iam iam mortuo.*

Tadet me vitæ meæ propter filias Heth.

MIrum cur causam prætermiserit, quæ erat potior, nimirum Isaac Iacobi mortem quærere: Prudens mulier istuc suppressit, ne nimio dolore Isaac corriperetur. *Non autem dixit*, inquit Liranus, *ipsi Isac aliam causam, scilicet de machinatione Esau in mortem Iacob, ne in senectute sua* NIMIS AFFLIGERETVR. Scilicet cauendum, ne facilè aliena perturbetur quies alienorum malorum narratione.

Si acceperit Iacob vxorem de Stirpe huius terræ nolo viuere.

836 HAnc prætexit causam dimittendi Iacob, ne scilicet sumeret in vxorem aliquam ex filij Heth; cur non potiorem affert, Esau odium in Iacob, & meditatam mortem? *Hac ratio*, inquit Abulensis, *de furore, vel indignatione Esau non fuit proposita Isaac, ne propter hoc* ODIO HABERET ESAV. Nimirum non facilè referenda, quæ creare odia possunt, iram fouere; mitiora exponenda, vt vitentur illa, deleatur ista.

Nolo viuere. Sed cur Rebecca à tali coniugio tantum abhorrebat?. *Respondetur*, inquit Beatus Dionysius, *quod propter* INCOMPOSITIONEM, POMPAM, ET ALIA VITIA MVLIERVM *Chananæarum, & item quia sciebat promissiones illas magnificas Abrahæ, & Isaac factas, in posteris Iacob implendas: ideò voluit vt de sua cognatione duceret coniugem, propter quod etiam Abraham adiurauit seruum suum, vt de sua parentela acciperet filio suo Isaac contoralem.* Scilicet mulier suo sexu est maior, quæ muliebria vitia odit, & inanem pompam vitat, in qua leuitatem suam ostendere mulieres solent.

CAP. XXVIII. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio I.

Vocauit itaq; Isaac Iacob, & benedixit eum.

CVr noluit Deus, vt Isaac ex Cananæis vxorem acciperet? *Ne filij*, inquit Paludanus, *Israel descensuri ex Iacob putarent obtinuisse terram promissionis propter contractam amicitiam cum ipsis Cananæis, &* 837
non

E DIVINA. Scilicet humanæ ami- ... tribuendum, quod à virtute diuina ...

... eum, præcepitque ei. Prius benedi- ... præcepit, vt benedictio præcepto ... quod iniungebatur, ex affectu, amo- ... dere comprobaret. Addit Ferus id ... *Iacob ex benedictione videns bonam ... tatem*, PROMPTIVS OBEDIAT. ... il non agere superiores debent, vt ... a parendo reddant subditos.

... de, & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ.

... Mesopotamiam Iacob iuit, & non ... is apud patrem mansit? Vt ab Esau ... occasionem submoueret. Apud igno- ... , ne à pietate, amoreque fraterno ... Esau. Quidni cum Deus tantum ex- ... Cadunt hic optimè, quæ in eius com- ... onem habet Sanctus Ambrosius: *An ... us Iacob etiam cùm patriam relinqueret. ... nè beatus, qui dura exilij suscepit, vt fra- ... igaret iracundiam. Nam si beatus est, qui peccatum declinat, vtique negari, beatus esse, non potest; qui alterius culpam leuat, crimen auertit. Paratumque parricidium declinauit exilio volunta- rio, eòque facto* SIBI SALVTEM QVÆSIVIT, *fratri innocentiam donauit. Meritò itaque eum diuina comitata est gratia.*

838 *Vade in Mesopotamiam*. Quàm promptè, quàm facilè à se filium Isaac dimittit, non illi itineris incommoda timuit, expertus nimirum quantum ipse profecisset, à propria domo a- biens, cum in montem duceretur à patre, im- molandus Deo. Scilicet expertus diuinam pro- uidentiam inniti totus deinceps illi debet.

Crescere te faciat. Verbum hebræum פרה *pa- rah* significat ferax esse, fructificare, virtutem suam proferre, extenditurque ad fructificatio- nem omnem siue vteri, siue telluris. Aliqui *crescendi* verbum ad filiorum ortum transferunt, *multiplicandi* verò ad nepotum multitudinem. His autem verbis Isaac filij abituri mentem ere- xit, vt eò fortius exilium à paterna domo fer- ret, quò certius sciret, fæcunda posteritate à Deo donandum. Vt interim doceat in tribu- latione positos erigendos, ne nimis preman- tur.

Quam pollicitus est auo tuo.

QVam pollicitus est. Hebraicè est verbum נתן *natan*, quod propriè dare, & re ipsa exhibere significat, vnde Pagninus, ita vertit: *Quam dedit auo tuo*. Sed quia certissima est Dei promissio, idem apud eum est, & polliceri, & dare. Aliter apud homines accidit, sæpè enim quod polliciti sunt, negant, nec obseruant, quod promiserunt, vt in illis aliud sit promit- tere, aliud dare.

Cumque dimisisset eum Isaac.

NVllius comitis fit mentio, & nullius in itinere apparatus, quod mirum cuipiam 839
videri possit, præsertim quòd ad demerendam, deducendamque vxorem Isaac iam ante seruus, cum tanto comitatur, tàmque magnis muneri- bus missus fuerat. Huius rei ratio reddi solet, quod Iacob iret non statim reuersurus, sed ibi habitaturus, & gratiam apud Laban inuenturus, vt non opus haberet alia re viam sibi sternere; secus in Isaaci vxore ducenda accidit. Adijce Dei voluntate ita factum, qui in Iacobo osten- dere voluit, quàm eximia sit eius in viros iu- stos cura, & prouidentia; hos præcipuè Deus protegit, quos humana solicitudo nudos relin- quit.

Iacob fugit Esau, *declinans à malo*, DANSQVE LOCVM IRÆ, *dum peregrè proficiscitur*, ait Ri- chardus de exterm. mali tract. 3. cap. 16. ergo danti locum iræ, quid accidit? reperit scalam, quæ ad Cœlum tendebat; nullus Cœlo proxi- mior, quàm qui persecutoribus cedit.

Vt fratris iram Iacob fugiat, patriam fugit, à parentibus abit; *disce*, ait bonus ille auctor, *quàm* ARDVVM SIT FRATRES, COMPONERE, NISI DIVIDAS. A suis se subduxit Iacob, suos deseruit, ne desereret, quam plus, quam pa- rentes amabat, concordiam.

Tulit de lapidibus, qui iacebant, & suppo- nens capiti suo dormiuit in eodem loco.

QVàm durum puluinar sibi Iacob parauit; 840
iucundè tamen dormiuit eo vsus, vt hoc quoque præterito labori deberet, quod tàm incommodè iacens, tàm commodè dormiuit. NECESSITAS OMNIA CONDIT, & dura omnia mollit. LABOR suauitatem rebus ama- ris affricat, otium, ac torpor dulcibus amarorem.

Duros capite sternit lapides Iacob innuens à vitæ duritie, ac asperitate magna speranda. Conueniant huc, inquit nobilis ille auctor, qui humanas fœlicitates auspicantur, & vi- deant Iacobum ad fœlicitatum vocatum sum- ma, qualia paret fundamina fœlicis vitæ. Non equidem aurea strata requirit, non delitiosi lectuli comparat mollitiem, sed dispersos con- gerit lapides, illisque paulisper quieturus in- cubat. Sic de vitæ duritie, de LAPIDVM ASPE- RITATE diuinæ plantationes assurgunt.

Lapides post itineris labores capiti suo sup- posuit dormiturus Iacob, sed deinde mira scalæ visione erigitur, vt nosceremus RIGOREM, DE- LICIARVMQVE ABDICATIONEM superis Dei donis excipiendis sternendam. Lapides duros capiti Iacob subiecit, qui nihil durum in men- te habebat, totus mollis, & ad omnia flexibi- lis. Frustra duræ mentis lapidi qui incubat ad sublimia cœli mysteria erigendum se speret.

Cur non ingressus est Iacob Vrbem Luzan, quæ non longè aberat, vbi commodius quie- uisset? An quia de animæ salute magis erat 841
solici-

matres discerent, se filiosque imprudenti impetu noxijs maledictionibus ferire. Fors prima, quæ legatur imprecatam sibi maledictionem fuisse, mulier exstitit, vt non aliam quam similis formæ similis sexus effunderet.

813 Non quod ex vero Isaaci maledictione percuti vellet, hæc habet Rebecca, sed ita loquitur, quia secura de felici euentu erat, quod sciret Deum ita promisisse futurumque, vt maiorem minori seruiret. In hoc prudentiam Rebeccæ admirare, *licet enim sciret*, inquit Cornelius, *maritum errare in ea, quod contra voluntatem Domini maiorem filium benedicere volebat, non tamen cum eo iurgatur, non vi obsistit, sed latenter curat, vt benedictio ei obtingat, quem Deus destinauerat*. Habent exemplum quod imitentur vxores, ne facilè lites maritis moueant, eosque contentionibus exasperent in rebus, in quibus eas latet, quænam Dei sit voluntas.

In me sit ista maledictio. Exstimè sibi maledictionem imprecatur: à quà per prophetiam se liberam futuram didicerat, vnde Chaldaica versio legit: *Mihi dictum est per Prophetiam quod non venient super te maledictiones*. Sed cur id aperitur diuinitus Rebeccæ, quod non legimus datum Isaac? *Forsam*, inquit Pepinus, *hoc ideo factum est, vt* VIRI NON CONTEMNERENT MVLIERES, *ex quo per eas loquitur Spiritus Sanctus*.

In me sit ista maledictio. Humanis ab omni malo, ab omni maledictione obediens est: *Hic habes*, inquit Porrecta expendens producta verba, *quod nulla via pro salute nostra* SECVRIOR EST, QVAM VIA OBEDIENTIÆ, *ab oppositis ergo habes. Secundò: quod nulla via ad salutem capescendam ineptior est, quam suo de capite viuere, Consequenter igitur verus obediens, vt sit à quibuscumque hostibus decipi non potest; quamdiu talis extiterit: & inobediens, siue suo genio innixus facilè decipitur ab inimico*.

Et vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi induit eum.

814 Alius apparet Iacob, alius est, vestibus Esau refert, qui re non erat, nimirum maiorum virorum est in varias figuras, in varias se formas efformare, vt æterni Patris benedictionem adipiscantur, Benè nobilis ille auctor: Mirabar, inquit, strennuum virum Iacob sustinuisse alienis indui vestimentis, & hædinis pellibus adornari, vt Esau ferat laruam. Et hoc strenui viri est, sic laruali figura, quasi in theatro alterius personam agere; Equidem quod viles, & effœminati histriones agunt pro vili lucello, hoc & strenui viri possunt efficere pro benedictione æterna comparanda, vt in varias personas velint efformari.

Et vestibus Esau valdè bonis. Bonæ vestes, & bonus vestium vsus, qui ad patris benedictionem obtinendam dirigitur; in quo multorum damnatur vanitas, qui superfluarum vestium ornatu, & damnando luxu Dei sibi maledictionem auersunt.

Pelliculasque hædorum circumdedit manibus.

Non caret mysterio quòd Iacobi manus hædinis, non vulpinis pellibus inuoluuntur, vt mysterium hìc potius quàm fraudulentiam, astutiamque latere colligeremus. Festiuè ille: Non vulpinam, sed HÆDINAM induit pellem, quia non fraudis erat, sed imagini locus, fuerunt quippè illa non tàm ficta, quàm picta, Plures vulpinas induunt pelles, quam hædinas. Præterea hædinis pellibus est vsus, quia hæ facilius parari quàm vulpinæ poterant.

Quibus illatis dixit: Pater mi.

Discrimini se magno obiecerat Iacob, se ante Isaac sistens tanquam esset Esau, nihil tamen mali esset pauus; quid mali pateretur, qui comitem, imò & ducem habebat obedientiam? Benè Porrecta: *Vt in quanta*, inquit, *securitate versetur obediens intelligas, audi. Erat Esau pilosus, erat Iacob lenis, habebat contrectari Iacob à patre suo. Nunquid ex hoc ipsi obedienti filio aliquid aduersi contigit? non. Quare? quia* OBEDIENTIA OMNIBVS FVTVRIS ADVERSIS PRO SALVANDO OBEDIENTEM OCCVRRIT: *Et illa ne obedienti, quippiam noceret, mirificè fecit, Etsi (inquiebat Christus) mortiferum quid biberint: non eis nocebit. De quibus loquebatur. De obedientibus. Nonne mortiferum hoc videbatur, ac omni periculo periculosius: quod Iacob leuit deberet à Patre diu tractari, & pro Esau piloso iudicari? mortiferum vtique hoc iudicauit Iacob, quando dixit: timeo, nè pater putet me sibi voluisse illudere, & inducat super me maledictionem*. 815

Quis es tu, fili mi?

Qvis es tu? Iacobi vocem audiens Isaac statim dubitare cœpit an esset, quem se simulabat, *Sinit Deus*, inquit Cornelius, IVSTOS ALIQVANDO FALLI, *cadere, ac decipi, vt se agnoscant*, Addit: *Deus aliquando paruulis reuelat, quæ magnis abscondit. Sic Rebeccæ reuelatur, quod Isaac ignorabat*. Vt prudentiores non renuant etiam illorum audire consilia, qui si rem ad mundi calculum expendas, non adeò prudentes sunt.

Qui respondit: Voluntas Dei fuit, &c.

Voluntas Dei fuit: Vt non mirum si tam cito inuenire potuerit, tarda enim Deus molimina amolitur; CITO DAT DEVS, inquit Sanctus Ambrosius lib. 1. de Abel capit. 8. *Verbum enim Dei non est opus, sed operans, praeuenit omnia sicut est ante omnia*. Aliter se in

Deum

Deum homines exhibent, qui in eius obſequijs ſemper cunctantur, & quod pollicentur ſerò præſtant.

Vox quidem vox Iacob eſt, ſed manus manus ſunt Eſau.

816 TActus decepit Iſaac, auditus non eſt deceptus, vt diſcas, hoc ſenſu duci, à quo eſt fides. Peritè, vt ſolet, rem verſat Sanctus Bernardus: *Aduerte*, inquit, *in Iſaac, quomodo præ cæteris ſenſibus* AVDITVS *in ſene viguerit, caligant oculi Patriarchæ, palatum ſeducitur, fallitur manus, non fallitur auris, quid mirum ſi auris percipit veritatem, cum fides ex auditu, auditus per Verbum Dei? Verbum Dei veritas ſit, vox inquit Iacob eſt, nihil verius, manus autem manus ſunt Eſau, nihil falſius, manus ſimilitudo decipit te, nec in guſtu veritas, & ſi ſuauitas eſt, nam quod habet veritatem, qui ſe putat edere venationem, cum domeſticis veſcatur hædorum carnibus, multo minus oculus, quo nihil videt, ſapiens fuit Iſaac, ſed tamen errauit in ſenſibus, ſolus habet* AVDITVS VERVM, *qui percipit Verbum.*

In Iacobi veri pœnitentis figuram notabat Vgo, dum ait: *Pœnitens debet habere* VOCEM IACOB *id eſt, verba humilia, & ſimplicia in oratione, & confeſſione ſed manus Eſau, id eſt fortia opera & dura in ſatisfactione, & tunc ſtatim recipit benedictionem à Chriſto.*

Vox quidem vox Iacob eſt. Et vnde Iſaac innotuit eam eſſe Iacobi vocem? An quia pietatem ſapiebant voces, quas emiſerat, dixerat enim: *Voluntas Dei fuit, vt cito occurreret mihi, quod volebam*. Sanctus Baſilius: PIAM HANC VOCEM *agnoſcens pater in Iacob, vocem eſſe Eſau merito negabat.* Vt hinc videas, quanti referat verba emittere, quæ pietatem ſapiant.

817 *Vox quidem vox Iacob eſt*. Cum vox eſſet Iacob, cur non potius voci credidit Iſaac, quam tactui? An quia Iacob ſimplex erat, & decipere neſcius, inde non putauit pater eò prorupiſſe, vt ſe pro fratre obijceret, ac venditaret. Facilè nimirum alios poſſunt decipere, qui ab alijs decipiendis putantur abeſſe. Addit Sanctus Thomas, vocis non magnam habuiſſe rationem Iſaac, *quia ſecundum quoſdam putauit quod Eſau ad benedictionem à patre petendam ex* QVADAM REVERENTIA VOCEM HVMILIASSET, *& quod ex hoc eſſet ſimilis voci Iacob. Fortaſſe enim vox Eſau fuit groſſior, & rigidior; vox autem Iacob, ſubtilior, & ſuauior.* Nihil non agunt, vocem ipſam mutant, qui rem aliquam impensè deſiderant. Benè tamen eſt, ſi ex reuerentia vox quoque ita aptetur, vt nihil ſuperbum ſonet.

Multos eſt reperire qui vocem habent Iacob, & manus Eſau, verbis innocentiam præferunt, reipſa litant improbitati. Hinc Petrus Cellenſis: *Vox quidem veſtra, vox Iacob eſt*, & VTINAM MANVS NON ESSENT ESAV. *Verba veſtra venti ſunt, littera cymbalum tinniens, promiſſiones nubes ſine aqua, ſermo ſine voce, flores ſine fructu, ignis ſine calore, aqua ſine humore, corpus ſine anima, anima ſine vita. Quoties dilectiſſime Domine, Baculus arundineus mihi factus eſt is dum vobis crederem, & nihil acciperem.* Hactenus ille lib. 6. epiſt. 13.

Sectio IV.

Dei Patris *benedictionem* qui cupit, *Chriſtum* imitari ſtudeat. 818

Flagellorum patientia oſculo præmittenda.

Eccleſiæ obediat, Æterni Patris benedictione qui cupit cumulari.

Conſcientiæ ager excolendus, vt *odor* bonus erumpat. 819

Diuerſarũ *virtutum odorem* emittere quiſque debet.

Fructuoſa, non inutilia *pigmenta*, & aromata quærenda.

Feruentis *orationis fragrantia*, quam Deo grata. 820

Magna *ſuauitate* afficitur, qui rebus huius *mundi* oculos claudit.

Cur *Abraham* filio ſuo Iſaac *benedixiſſe* non legatur.

Benedictionem Dei nemo *otioſus* expectet. 821

Bona *opera*, etiam per *corpus* præſtanda.

Boni *tribulationibus* probati in *bona* poſteriora feruntur; contra ac mali. 822

Celeritas in bono quàm ſalutaris; quàm noxia *cunctatio*.

Et non cognouit eum, quia piloſæ manus ſimilitudinem maioris expreſſerant.

HOc quod hîc dicitur, aliqui ad Chri- 818
ſtum, Chriſtiq; imitatores referunt, nimirum ijs qui Dei patris benedictionem quærunt, Chriſti mores motibus exprimunt, omni mollitie repudiata. Pulchrè ille: „ Scimus Iacobum à matre ſubornatum, vt benedictionem Patris impetraret, & fratri præciperet, ſibi timuiſſe, quod ipſe lenis eſſet, adeoque valdè diſſimilis fratri Eſau primogenito, vtpote piloſo. Quare vbi manus ſaltem ſuas obduxit hædi pelliculis, tum denique benedictionem, & petere auſus eſt, & obtinuit, quia piloſæ manus ſimilitudinem maioris expreſſerant. Deus Pater non benedicet nobis, niſi filio eius, qui eſt frater noſter primogenitus, aliquatenùs aſſimilemur, ideò dixit: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite. Mat. 19.

quare cùm ipse asperam virtutibus duxerit vitam, si nos suauem, mollem, & blandam duxerimus, quam benedictionem obtinebimus?

Accede ad me, & da mihi osculum fili mi.

Accede ad me, & da mihi osculum. Non prius ad osculum Iacob admittitur, quàm Isaac eum retigisset, & oblatos ab eo cibos comedisset. *Post tactum*, inquit hîc Vgo Carensis, *tunc demum fit osculum, idest post patientiam flagellorum, & fortitudinem bonorum operum.* Scilicet tribulationum patientia osculo præmittenda.

Benedicens illi ait: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni.

Patris benedictionem adeptus est Iacob, quia matris consilia secutus est, Rebeccæ obtemperauit; quod ad Ecclesiam in hunc modum transfert Raulinus: *Filij debent prudenti matri obedire, vt Patris benedictionem consequantur: scilicet ad obtinendum benedictionem Dei, primum* DEBEMVS OBEDIRE MATRI, SAPIENTI ECCLESIÆ *scilicet, & seruare præcepta eius, & prælatorum, & indui vestibus valde bonis virtutum, ita vt dominus sentiat odorem bonorum operum.*

819 Conscientiæ quoque ager ita est cuilibet excolendus, vt virtutum odorem emittat. Peritè Petrus Blesensis epist. 3. *Excole igitur* CONSCIENTIAM *tuam: hic est enim* AGER, *cui benedixit Dominus: de quo scriptum est, pulcritudo agri mecum est, planta igitur, & semina ibi semen virtutum, vnde fructus vitæ, &* ODOR *sanctæ opinionis erumpat.*

Agrum plenum ille refert, qui omnium virtutum odore fragrat, nec enim vna sufficit virtus. Rem sic ad Christum refert Diuus Vigilius: *Agrum carnem Christi singulariter nominat. De hoc enim agro maximè Isaac in suis benedictionibus prophetauit. Ecce, dicens, odor fili mei sicut odor agri, cui benedixit Deus. Corpus enim dominicum magnis* DIVERSARVM VIRTVTVM FLAGRAT ODORIBVS, *& sui beneuolentia diuersa pigmenta, infirmos quosque viuificant.*

Ecce odor agri pleni. Cur similitudo ab aromaribus potius non est sumpta, aut à prætiosis vnguentis, & odorem exhalantibus succinis? An vt tacitè fructuosa, non inutilia quærenda esse insinuaret? Egregiè nobilis ille auctor: Vestimentorum odore, quibus ornabatur Iacob, excitatus Isaac, totam filij speciositatem figurans, non illam à pigmentis, nec à fucis, nec à gemmarum ornatu trahit, sed ab agri similitudine. Ait enim: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni. Cur non magis aromata exhalant pretiosæ Iacobi vestes? Cur non magis pigmenta, odoraque succina aureis, gemmatisque catenulis inserta sentiuntur in maximo Iacobi cultu, & decore? Cur de solo pleno agro similitudo eius speciositatis, & cultus profertur? Sanè in succis, in pigmentis, in aromatibus, in auro, & gemmis nullus fructus cernitur, qui abundantissimus apparet in agro pleno. Non ergo sumenda erat speciositas tanti viri ab inutilibus rebus, sed à fructuosis, quando verus hominis decor à bonis operibus, virtutum fructibus venit.

Quæ hîc ad filium quem benedicit dicit Iacob, optat Ioannes Eusebius Deo, dum feruenter orantis oratio non velut odorem suauissimum sentit: *Sic*, inquit, *Deus cùm* ARDENTIS ORATIONIS FRAGRANTIAM *sentit, & benedicit anima deuota, impletque rore gratiarum, & bonorum corporalium pinguedine, quatenus spiritum iuuare possint, dominamque illam constituit corporis fratris sui maioris natu, vt caro subdita rationi in omnibus virtutibus felici procedat cursu.* 820

Isaaci cæcitas non impediuit, quin odoris fragrantiam sentiret, quæ à vestibus exibat; quòd sic bonus ille auctor versabat: Cum esset, inquit, cæcus Sanctus Isaac fragrantiam odoris filij sui Iacob sentiens, inquit: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. O quam suauitatem sentit anima illa, quæ huius MVNDI REBVS SENSVS SVOS OBTVRAT, & interiori visu operans res Saluatoris nostri Iesu Christi suauissimè pertractat.

Quæstionem hîc aliqui mouent, cur non legatur, quod Abraham benedixerit Isaac, sicut Isaac Iacob benedixit. Huic quæstioni ita satisfacit Diodorus in Catena Lippomani: *Illud*, inquit, *quæritur cur* ABRAHAM FILIO SVO *ISAAC* NON BENEDIXIT, *sicut Isaac Iacob? Non benedixit vtpotè quem iam Deo immolauerat, & tanquam thesaurum Deo repositum sciret, ex cuius semine omnium gentium benedictio nascitura erat.*

Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini.

Benedictio ista etiam operantis laborem exigit; *Addit*, inquit Ferus, *de rore cœli, & pinguedine terræ, ne* OTIOSVS, ET CONTEMPTO LABORE *expectet, quando è cœlo sibi subueniatur, nam Deus promittit quidem se subuenturum, sed vt plurimum hoc facit per media.* 821

Parum est aliquem rore cœli adspergi, nisi & terræ pinguedine repleatur. Sanctus Gregorius hom. 6. in Ezechielem. *Ros*, inquit, *desuper, & subtiliter cadit: & toties de rore cœli accipimus, quoties per infusionem contemplationis intima de supernis aliquid tenuiter videmus: cum verò* BONA OPERA ETIAM PER CORPVS AGIMVS, DE TERRA PINGVEDINE DITAMVR.

Qui maledixit tibi sit ille maledictus, & qui benedixerit tibi benedictionibus repleatur.

Cur maledictionem benedictioni præposuit, cum aliter fecisse Balaam Numerorum 822

22. Le-

22. legatur? Honcala ita rem excutiebat; *Obſeruandum eſt*, inquit, *hunc Patriarcham maledictionem benedictioni pratuliſſe: Balaam verò inſignem illum ariolum inuerſo ordine benedictionem maledictioni prepoſuiſſe: neque id immerito; namq; Balaam, velut Iſraelitarum hoſtis, cœpit à bono populi Dei, quod diffiteri non poterat: finiuit autem in malo, quod eidem populo vehementer optabat, hic autem Patriarcha ab auertendo malo eſt orſus: vt in bonorum finem poſteros ſuos perduceret. Et re vera ſic vſu venit, vt boni pracedentibus* TRIBVLATIONIBVS PROBATI, ATQVE PERFECTI IN POSTERIORA BONA FERANTVR, *iniqui autem per pracedentia bona, quibus abutuntur, in vera mala protrudantur. Nec mouearis, quod Abraham benedicendo filium ſuum Iſaac à bono exorditus ad maledictionem tranſit, quia tandem totum ſermonem benedictione concluſit.*

Obtinuit Iacob benedictionem ab Iſaac, quia moras omnes amonit, & celeritati litauit, contra Eſau moras traxit. Dum Eſau, boni auctoris ſunt verba, MORAS TRAHIT, dum campos, ſyluaſque fatigat, dum dolos nectit auibus, dum eſca fallit, dum canes explicat, dum feras inſequitur, dum ſpicula torquet, dum præcordia transfigit, Iacob celeri curſu ad gregem venit, duos hædos pingues ſelegit, matri parandos offert, conditos patri infert, caligantem fallit, fratrem præuenit, benedictionem percipit, leges ipſas naturæ inuertit, res tota celeritate agitur, impigro obſequio ius primogenij venit; non tam Deus munus penſat ex valore, quàm ex celeritate præſtiti officij.

Sectio V.

Temporis quam magna habenda ratio. 823

Dei *prouidentia* fiunt, quæ *caſu* videntur fieri.

Gratior Deo deuota *ſimplicitas*, quam curioſa *ſcientia*.

In rebus peragendis Dei *voluntate* duci, quanti referat. 824

Diuinæ *voluntati* acquieſcendum.

יין quid ſignificet; Diuinæ *Prouidentia* ordo in omnibus admirandus.

Benedictionem cur confirmarit *Iſaac*. 825

Sola *lingua* non vtatur, qui Dei *benedictionem* quærit.

Feram refert, qui ob alterius bonum *indignatur*.

Priuati *commodi* amor *hominem* in feram vertit. 826

פיז quid notet; *dolor orationem* exculpat.

Homo non videtur eſſe, qui *inuidia* corripitur.

Nihil grauius *inuidi* mentem ferit, quàm alterius *fælicitas*. 827

Ira vti vt debeamus.

Mali bonorum notitia plerumque peiores fiunt, & magis *ingrati* euadunt.

Vix Iſaac ſermonem impleuerat, & egreſſo Iacob foras, venit Eſau.

TAntum tantulum temporis fecit; à be- 823
nedictione paterna Eſau excidit, quia minimum tardauit, Iacob indeptus eam eſt, quia fratrem præuenit. *Obſerua*, inquit Ferus, *quàm magna bona Eſau in breui tempore amiſerit, adeò* NIHIL EST PRETIOSIVS TEMPORE; vt erret qui temporis momenta negligit, cum à non magno magna plerumque pendeant.

Vix Iſaac ſermonem impleuerat. Non prius Eſau venit, quàm res tota eſſet completa, vt colligas à Dei diſpenſatione, prouidentia totum fuiſſe. *Vides*, inquit Sanctus Chryſoſtomus in Catena Lippomani, *quomodo poſt illius exitum iſte ſtatim aduenit. Non hoc abſque cauſa, vel temerè factum, ſed vt ignorans afferret, & ipſe edulia, & à patre addiſceret rem totam, vt acta erat. Nam ſi prius nouiſſet, & in fratrem incidiſſet, forſitan & ipſum interemiſſet, victus ira. Nam qui hoc poſtea deliberauit, multo magis in negotio medio attentaſſet. Sed* MANVS DEI ERAT, *quæ puerum ſaluabat, & hunc quidem dignum benedictione effecit, illum autem & benedictione priuauit, & primogenitura.*

Dum foras exit Eſau venaturus patris benedictione priuatur; rem ijs aptat B. Thomas à Villanoua, qui curioſè intellectus ſui acumine ſcrutantur magna, venantur latentem, fugientemque veritatem, cum interim qui ſimplicitati cum Iacob domi litant, æterni Patris benedictione beentur. Præſtat hîc ſiſtere, quæ beatus iſte auctor affert: *Similes*, inquit, *ſumus venatori illi, cui frater ſimplex domi reſidens furatus eſt benedictionem: calos, terraſque intellectu luſtramus peruigili cura capiendis volucribus, id eſt, arduis veritatibus inhiamus, & (vt Auguſtinus ait) prauolat intellectus, & ſequitur tardus, vel nullus affectus. Dum igitur in hoc venanda veritatis ſtudio vitam expendimus, vetula ſimplex & deuota ad regnum calorum admittitur, & nos cum noſtra ſcientia miſeri foras excludimur, gratior enim Deo eſt deuota* SIMPLICITAS, *& pia, quam diſerta ſine pietatis oleo philoſophia.*

Sedulus Eſau fuit, vt patri obſequeretur, nul-
la negligentia opus infecit, nulla cunctatione, 824
& tamen ſpe ſua fruſtratus fuit; tanti refert in rebus peragendis Dei voluntate duci. *Quamquam*, inquit Lippomanus in Catena, *videretur Eſau proſpera vſus venatione, citoque reuerſus, tamen longe citius Dei negotia gerebantur, vt placuit, & vt* VOLVNTAS DOMINI CERTIOR *agnoſceretur, modici tantum temporis internallo, alter fuit præuentus ab alio. Et hic quoque nihil omittitur de obedientia, reuerentia, ſedulitate, ne-*

gligentia nulla in venatione, coctione, appositione, inhortatione, postulatione, omnia syncere agit Esau, solum anteuerterat iamdudum Dei verbum, & fides promissionis, vt propositum Dei impediri non potuerit.

Expauit Isaac stupore vehementi, & vltra quàm credi potest admirans, ait,

EXpauit Isaac, non tamen factum mutat, sciens ita Deum voluisse. Petitè idem Lippomanus: *Licet*, ioquit, *valde admiratus sit Isaac, & pauore vehementi obstupuerit, non tamen Iacob irascitur, non factum comprobat, non reclamat, non punit, sed* DOMINI VOLVNTATSM COGNOSCSNS ACQVIESCIT, *sciu enim Deo placuisse, & mutari non posse.*

Expauit. Hebraicè est verbum, חרד *charad*, qood metum formidinem, trepidationemque significat, quæ ex religione, & reuerentia potius proueniat, quàm ex mala suspicione, quæ vis hic propriè locum habet, nam in hoc metu tacitè admiratus est Isaac diuinæ prouidentiæ ordinem, & diuinorum iudiciorum arcana veneratus est. Hinc est, vt Isaac Iacobo non legatur iratus, nec qnippiam durum in illum effudisse.

Benedixitq; ei, & erit benedictus.

825 ET *erit benedictus*. Cur benedictionem confirmat, & non potius se deceptum querens, benedictionem in maledictionem commutat? *Ecce*, ioquit Honcala, *petente benedictionem sibi promissam filio maiore expauescit Isaac, & alterum pro altero se benedixisse cognoscens miratur, & quisnam ille sit percontatus: nec tamen se deceptum esse conqueritur; imò confestim reuelate sibi in corde magno sacramento deuitat indignationem*, BENEDICTIONEM CONFIRMAT. *Nonne potius maledictionem minaretur iratus, si hæc non superna inspiratione, sed terreno more gererentur?*

Auditis Esau sermonibus patris irrugijt clamore magno.

EIulatu magno Esau fleuit, vt patrem flecteret, sed interim de peccatis suis non cogitauit, quæ vera fletus materia suot. Opportunè Sanctus Ephræmus Syrus: *Lachrymatus est Esau, non quia peccauit; occupabat mentem malitia, & per* SOLAM LINGVAM VOLVIT BSNEDICTIONEM IMPSTRARS. *Sed ista cur dico? vt tu si amaritudinem in anima habeas, primum eam radicitus euellas, & postea sic ad Deum accedas.*

Irrugijt. Quasi hominem exuisset, induisset feram, oec mirum ita Esau dolorem circumscriptum, qoia *non tam indignatur*, vt ait Procopius, *quòd benedictionem nequit percipere, quam quod cernit* FRATREM BSNEDICTIONE DIGNVM HABITVM. Qui talis est mentis, feræ potius est similis, quàm homini.

826 Quid rugitum, & clamorem ab Esau exsculpsit? terrenarum rerum cupiditas, & proprij commodi amor. *Fuit hic dolor*, inquit Lippomanus, *ex priuato commodo procedens, & cupiditatis affectu*. Diceres priuati commodi amorem hominem in feram vertere.

Irrugijt. Io hebræo est verbum צעק *Zaghach*, quod est clamare, vociferare, ex iogenti dolore animi perstrepere, vt solent tormentis pressi, & infirmi ingenti corporis dolore correpti, & verò hoc idem verbum sæpè in diuinis ad orationem transfertur; vt hinc discamus clamorem, quem dolor extorqoet, ex industria ita dirigere ad Deum, vt velimus orationis, & precum munus exercere; ante hoc statuentes, nostræ mentis, & intentionis esse, vt clamor ex dolore emissus, sit diuini auxilij quædam imploratio.

Irrugijt. Feram non hominem dices, dum rugitum audis, audis rugijsse; non videtur hominem referre, qui inuidia corripi se sinit, cum alteri res fęliciter succedunt, nam hunc clamorem, ac rugitum ab inuidia fuisse notabat auctor Catenæ græcæ, cuius ad hæc verba hæc sunt verba: *Non tam dolet præreptam benedictionem quam* FRATRIS INVIDET DIGNITATI, *vt qui ingenio liuenti fratris damno magis, quàm suo commodo inuigilaret, id quod arguit & clamor vehemens, & amarulentus, & consternatio.*

827 *Irrugijt.* Tamquam leo, non tristitiam modo prodens, sed furorem. Putant aliqui Esau irrugijsse, non tàm ex dolore amissæ benedictioois, *quàm ex inuidentia*, vt loquitur Cornelius, *fraterni incrementi, præsertim quod illum sibi prætulerat, seq; illi subiecerat pater.* Nihil grauius percellere inuidi mentem potest, quàm alterius fęlicitas, & euectio.

Esau irrugijt. Qui à venatione redierat, hoc à feris didicerat referre feras. Rugire dicitur tamquam leo. Aptè Petrasancta: Ira eius vehemens aptè admodum exprimitur, per Leonis rugitum. Hoc enim animal præ cunctis ira ferox est, ad quam iram non intus modò ęstuante sanguine circa cor, sed foris etiam caudæ flagello incitatur. Principio siquidem, quando irascitur, terram cauda; in incremento terga, velut incitamento quodam, diuerberat. Ira homini oecessaria est, nec expugnari quidquam potest; nisi ipsa impleat animum, & spiritum accendat. Sed enim vti ea oportet, non vt Duce, verum vt milite: quia rationis est, Ducis munus, & vices obire; præcipiendo ea, quæ in rem fore existimauerit: mox ita, ceu belli quodam impetu, iussa exequetur.

Qui ait: Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam.

ET *accepit benedictionem*. Mirum, quod Isaac non dixerit Deo sic volente benedictionem in fratrem fuisse translatam. *Non declarauit*, inquit Abulensis, *hic Isaac filio suo Esau, quod benedictio mutata fuisset ad alium dispositione diui-*

diuina, quia fortè indignus erat talia scire. Vel quia talia ei non decebant, quia FORTE IIS COGNITIS PEIOR EFFECTVS FVISSET MAGIS INGRATVS *cum Deum, qui ei tollebat quod à natura ei videbantur pertinere; secundum veritatem tamen licet Deus mutasset iura primogenitura ab Esau in Iacob, & Esau esset maior quantum ad quandam antecessionem originis, non debuisset indignari Esau, quia si ipse non egressus fuisset prior nullo modo ista competerent sibi secundum rem, vel apparentiam.* Scilicet malorum extremum est, cum malitiam auget, quod tollere debebat.

Sectio VI.

Mendaciorum ferax improbitas, & *inuidia*. 828
Bona virtutis fulcrum sint.
Quidquid præter *Christum* pro *nihilo* debet computari.
In *benedictione* Esau cur Dei *nomen* minimè recensitum. 829
Iusti *spiritualia terrenis* præferunt, impij contra.
Quodam *benedictionis* genus alterius imperio subdi, eiusque *consilio* regi.
Malitia stare nescit. 830
Impijs à *peccato* non Dei *timor*, sed rerum *terrenarum* iactura plerumque auocat.
In pœnitenda facilè labitur, qui suam *mortem* non cogitat, sed alienam.
Secreta ægrè cohiberi possunt. 831
Iratus animus mare refert, foras omnia euomit dum feruet.
[illegible] quid, post peccatum sola *pænitentia* solatium afferre potest.
Mala non facilè *referenda*, cum aliundè medicinam possunt accipere. 832
Ira correptus sibi nequit imperare.
Peccati occasio sollicitè vitanda.

Primogenita mea antea tulit, & nunc secundo surripuit benedictionem meam.

828 MEndaciorum ferax improbitas, & maximè inuidia, & luxus est. *In vtroque aberrat*, inquit hîc Houcala, *nam in altero mentitur, in altero mendacium dicit. Quippe mentitur, in eo quòd asserit fratrem Iacob abstulisse ei primogenita, non vtique abstulit, sed ipse Esau ei illa, quantum in se fuit, impiè vendidit. Imò Iacob putatur illa nullatenus emisse: quia vir pius benè nouerat spiritualia iura: sed oblatione, necnon petitorum datione vexationem propriam redemisse. In altero autem falsum loquitur: quoniam Iacob minime alienam benedictionem surripuit, sed suam artificiose praripuit, quamuis Esau ignorauerit primogenitorum iura Dei voluntate esse sibi ablata, & ad fratrem suum translata.*

Primogenita mea tulit. Falsus est Esau; non enim eius primogenita Iacob abstulit, quæ sponte ipse vendidit. *Mentitur Esau*, inquit Abulensis, *in duobus. Primo quia dicit Iacob abstulisse primogenita sua, tamen non erant sua, sed Iacob, cum Deus transtulisset illa ad Iacob abstulit, sed falsum est, quia non abstulit, sed ipse gratis vendidit: Iacob autem ius suum redemit.*

Frumento, & vino stabiliui eum.

SVo pondere non caret illud verbum stabiliui, quod sic nobilis auctor expendit, & vrget hæc premens verba: inquit Isaac de Iacob, frumento, & vino, & oleo stabiliui eum. Diuinitus ait stabiliui: quòd ea bona prouidebat esse filio, vt hasim honoratam, vt fulcrum aureum atque stabile, IN QVO VIRTVS AD ÆTERNAM MEMORIAM VELVTI CONSECRARETVR, & de illius modestia, & liberalitate posteri omnes cum insigni admiratione prædicarent. Sic aiebat vir Deo plenus in Ecclesiastico. Aurum & argentum esse constitutionem pedum, & stabilimentum bonorum operum gemmeas esse columnas, duos validos pedes, quibus itur ad fœlicitatem.

Num vnam, inquit, tantùm benedictionem habes, pater?

SEd cur vnam tantum benedictionem Isaac habebat, vt solam Iacob eâ cumulare potuerit? An quia, quidquid præter Christum, licet alioquin magnum, pro nihilo debet haberi? Pererius hic: Quærendum, inquit, cur vnam tantum benedictionem habuerit. Ac primò dicimus, non multa esse femina, sed vnum esse semen, quod est Christus: in quo secundum promissionem datam Abrahæ, benedicendæ erant omnes gentes. Quam verò præter illud semen benedictum, habere poterat Isaac benedictionem. Nihil omnia sunt, nihilique habenda, quæ extra Christum, quæ non sapiant Iesum, Iesum elaudant, aut spectant.

Motus Isaac dixit ad eum: In pinguedine terra, & in rore cæli desuper erit benedictio tua.

MIrum in hac benedictionis formula Dei nomen minimè Sanctum Patriarcham 829
protulisse, quod fecit eum Iacob benedixit. Honcala ita rem versabat ad verba producta: *Hoc in loco notandum est, in Esau benedicendo non dixisse Isaac, & det tibi Deus, id quod prædixerat*

rat benedicendo Iacob: quod ideo factum esse putatur, quòd ad diuini iudicij mensuram habere dictiones dispositæ sunt. Quia enim Iacob vir erat iustus, & in Deum pius, beneficij meritus in eum, qui iustus erat, & iustitias diligebat, benedictio illius cœlestibus præmijs, donisq; referta ab ipso Deo, tanquam misericorde bonorum largitore, & veracissimo præmiorum retributore fuit inunda. Quia verò Esau peccator erat, nihilq; boni pro meritis ei debebatur, sed potius pro demeritis ei pœna irroganda foret, nomen Elohim, quod est iustitia notamen, suppressum est, vt nonnullum misericordi Deo locum benefaciendi etiam tanto peccatori forte superesse monstraretur. Accedit ad hoc benedictionem, qua Iacob fuit benedictus, diuinam fuisse: alteram verò humanam, vtpote humanis tantum precibus nitentem, quare illa tantum fuit à Deo inchoanda, quæ eodem auctore prolata sit, non autem ea, quæ ab homine tantum paterno affectu potius, quàm diuino nutu proferebatur.

Verborum ordo hic pendendus. Esau pinguedo terræ prius promittitur, & deinde cœli ros; Iacobo contra. Benè ille rem expendit: Vtriq; vtrumq; datur, sed diuerso ordine, nam Iacobo, qui imaginem præsefert iustorum, prius cœlestia conceduntur, tandem donatur terrenis, Esau verò impiorum symbolum prius terrena accipit, postea cœlestia. Tam pij, quàm impij cœlestibus, & terrenis egent, & vtraque in votis habent: cæterum PII SPIRITVALIA TERRENIS ANTEFERVNT: AST IMPII CÆLESTIA TERRENIS POSTPONVNT.

Fratri tuo seruies.

FRatri tuo seruies. Benedictio est homini seruire, cur non plenior, ac maior erit seruire Deo? Sanctus Ambrosius lib. de Paradiso, capit. 14. vniuersè seruitutem efferens aiebat: *Seruitus Dei donum est. Denique inter benedictiones numeratur huius seruitutis obsequium: nam & Isaac in loco benedictionis eam dedit Esau filio suo, vt seruiret fratri suo.* Singulare beneficium est, & quoddam benedictionis genus alterius imperio subdi, qui regere se ipsum nescit; hinc Isaac benedicens Esau fratris seruum illum constituit, quod appendens idem Sanctus Ambrosius lib. 2. epist. 7. ait: *Ostendens quia seruitus ei remedio sit, quia stultus regere se non potest, & nisi moderatorem habeat præcipitatur proprijs voluntatibus. Diligens ergo Pater & CONSVLENS seruum eum fratris sui fecit, vt eius regeretur CONSILIO.*

Dixitq; in corde suo: Venient dies luctus patris mei.

830 NEsciunt occulta crimina stare, ab odio fratris, ad odium patris pergit Esau: *Patrem*, inquit Sanctus Ephrem, *mori optabat dicens, quando morietur pater meus, & occidam Iacob? non solum fratricidam eum iracundia fecit sed etiam parricidam, nam semper* MALITIA OCCVLTATA SCELVS ADAVGET.

Venient dies luctus. Mirum quod viuente patre fratrem occidere sit veritus; nondum quippè omnem patris reuerentiam reiecerat; nisi dicamus à fratris nece abstinuisse, ne paterna hæreditate priuaretur: *Patre viuente*, inquit Sanctus Thomas, *hoc non audebat, quia* TIMEBAT EXHÆREDARI, *& maledici ab eo.* Hic impiorum mos, vt à peccatis eos non Dei timor, sed rerum potius terrenarum iactura plerumque arceat.

Venient dies luctus. In quibus cum hæreditas diuidenda, facilè discordiæ occasio nasci poterat, quà Esau insurgeret in fratrem, & morti posset tradere. Id quod nobilis auctor his verbis innuebat: Dicitur luctus id est mortis, quando paterna hæreditas inter fratres diuiditur, & tunc iurgij occasio est, eò tamen distulit, quia timebat patris maledictionem, si illo superstite fratrem necasset.

Venient dies luctus patris mei. Breui patrem suum moriturum cogitabat Esau; satius fuisset, si mortem suam cogitasset, vt iram, quà in fratrem sæuiebat, poneret; aliena facilè agit qui alienam mortem spectat tantum, obliuiscitur suæ. Morituri patris meminit, cur non & matris morituræ? *Et non dixit*, inquit Abulensis, *quòd volebat expectare diem luctus matris suæ; causa est; quia etiamsi viuente matre occideret fratrem, tamen non timebat maledictionem maternam.*

Nuntiata sunt hæc Rebeccæ.

NVntiata sunt hæc Rebeccæ. Mirum, cum præmisisset, *dixit Esau in corde suo*, statim additur, hæc Rebeccæ fuisse nuntiata; quis secretum suum alteri fidat, cum proprium cuiusque vix cohibere quis possit? 831

Nuntiata sunt hæc Rebeccæ. Sed à quo? Quod animo tegebat Esau, ita supprimere non potuit, vt res ad alios non iret, iratus animus impotens sui est, iratum mare iratus refert, facilè quæ delitescunt foras euomit, dum feruet, quibusdam familiaribus quod cogitabat fors Esau aperuit, nouæ alicuius offensæ, vt aliqui notarunt, occasione.

Ecce Esau frater tuus minatur, vt occidat te.

MInatur. Hebraicè est נחם nacham, quod propriè significat consolari, sed sensus idem est, nam impiorum consolatio est in bonos sæuire.

Notandum cum se mali vindicant, tunc consolationem accipiunt: hoc quoque apud Hebræos נחם nacham de pœnitentia, & consolatione dicit, *quia vt ille ait, post peccatum nihil aliud valet* SOLATIVM AFFERRE, NISI POENITENTIA, *& consiliorum commutatio in melius.* Vt frustra sint peccatis obstricti, si aliunde, quàm à pœnitentia solamen sperent. 832

Frater minatur, vt occidat te. Mirum quod rem tam grauem non detulerit Rebecca Isaaco,

eo, vt crimen anteuerteret, & grauiter Esau argueret. Non fecit, qua ne nimia tristitia senem Isaacum afficeret, qua ne nimis Esau exasperaret, occultè, & prudenter omnia agit, docens non facilè propalanda, quæ aliunde accipere medicinam possunt. In hac re fœmina fœmineo non laborauit vitio, sciuit tacere, & potuit.

Frater minatur. Et verò Esau mortem tunc fratri se illaturum diceret, cum pater obijsset, cur ergò tàm sedula est Rebecca, vt ab Esau ira Iacob subducat? An quia ita correptus tanquàm sui impotens, sibi nequit imperare? An quia cum de occasione peccati vitanda agitur, cunctatio omnis aufetenda? Quam fatui, quàm deliri, qui pœnitentiam vsque ad mortem differunt!

Sectio VII.

Temporis interstitio in sedanda *ira* vtendum. 833

In temporali *morte* vitanda præcipua ratio habeatur spiritualis mortis.

Nullius *desperanda salus*.

Parentum iussa adimplenda, nisi aliter, *Deus* iubeat. 834

Iusti de Dei *offensa* plus solliciti, quam de sua.

Alterius *interitum* qui quærit, quærit suum.

A *filij* titulo excidit, qui in *fratrem* sæuit. 835

Cauendum nè facilè aliena perturbetur *quies*.

Non facilè *referenda*, quæ excitare *odia* possunt. 836

Mulier, suo sexu maior, quæ muliebria *vitia* odit, & signatè inanem *pompam*.

Nunc ergo fili mi audi vocem meam, & consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran.

833 Fvgam filio mater suadet; cur non studuit Esau muneribus placare, quod postea à redeunte Iacob præstitum? In iræ feruore, & æstu sola fuga cogitanda, inutilia alia remedia, & noxia extitissent; qua re docemur, passionibus cum feruent, non facilè esse remedia admouenda, nisi temporis interstitio non nihil mitigentur, sicque medicæ manus vtilius admittant tactum.

Habitabisq́; cum eo dies paucos.

CVt dierum paucitatem adiecit? An quia contrahendum, quantum fieri potest, tempus est, quo cum malis versari quis debet? Honcala hic: *Dies paucos. Paucos inquam, ne fortè dum mortem fugis temporalem, & corporalem, in spiritualem, & æternam incidas, si longa mora apud impium hominem tracta, idololatriæ labem contrahas. Mane igitur ibi dies paucos.* Scilicet in temporali morte vitanda præcipuè habeatur ratio spiritualis.

Bona mulier meliora de filio sperat, vt hinc colligamus nullius desperandam esse salutem. Scitè ille: Sed ò bona quis tibi dixit, quod Esau furor quieturus sit? Nosti feralissimam hominis rabiem, cur non magis putas hanc in perpetuum duraturam? Cur non magis satagis iniquissimi hominis furorem implacabilem? sanè prudentissima fœmina MALIORA MALVIT ETIAM DE FARALI HOMINE SIBI PROMITTERE, cum nullus adeo scelestus homo possit inueniri, cuius debeat DESPERARI EMENDATIO VITÆ.

Habitabis cum eo dies paucos. Fugæ se dedit Iacob ex matris consilio; sed cur post paucos diēs, cum statim redijt, nam hoc matris ferebant verba? An quia vt innueret, Parentum iussa implenda à filijs, nisi Deus aliud ab illis velit? Scitè peritus ille auctor: Ecce, inquit, matris consilium probatum filio, Fuge ad Laban fratrem meum, habitabis cum eo dies paucos. Fuga ad Laban suadetur facilè, quia ea simul ordinabatur à Deo; at paucorum dierum apud Laban commoratio minimè suadetur, quandoquidem ibi inuenitur Iacob pluribus annis moratus esse. Et cur, qui præscriptum matris secutus est, dum iter ad Laban; non idem sequitur, vt citò redeat? Sanè & iter ad Mesopotamiam, & moratio inibi à Deo ordinabatur, vocante Iacobum in peregrinam terram: sequitur ergo bonus filius matris præscriptum in capessenda via, quæ Deo placebat; & quia Deo non placebat discessus, in eo matrem minimè sequitur. Sic equidem sequendi sunt à nobis parentes, in ijs, quę ad Deum ferunt, VBI A DEO DECLINANT, MINIME SEQVENDI. 834

Donec requiescat furor fratris tui, & cesset indignatio eius.

ET *cesset indignatio eius*. Fugam suadenti matri obtemperauit Iacob, exiliumque à parentibus sustinuit, non tàm vt mortem, quam frater minabatur, vitaret, quàm ne frater hoc se crimine obstringeret: *Exilium non reformidat*, inquit Sanctus Ambrosius, Sanctum Patriarcham Iacob efferens, *sed impigrè suscipit, non tàm vt PERICVLVM SALVTIS, quàm vt INCANTIVVM SCALARIS VITATVR*. Sancti plus de Dei offensa sunt soliciti, quàm de sua vita.

Cur vtroq́; orbabor filio in vno die.

CVr *vtroq́; orbabor filio in vno die?* Etverò de vnius tantum periculo agebatur? An per hoc indicatur alterius qui quærit interitum, & quærere suum, & alteri mortem inferentem, dignum

dignum se morte reddere? Benè B.Dionysius: *Cur vtroque orbabor filio in vno die? hoc est, si tu non fugeris, ipse occidet te: & TE OCCIDENDO, OCCIDI MEREBITVR, aut expelletur seu fugiet de hac terra, & ita vobis ambobus simul priuarer: quod totum per istud, quod tibi nunc do, consilium potest vitari.*

Cur vtroque orbabor filio. Tamquam obiret, qui abiret profugus. Vix viuere dici potest, qui fratri necem infert, & longè a parentibus it; certè matri vtroque videretur carere, altero occiso, altero ob illatam mortem profugo.

835 *Vtroque orbabor.* Et qui in vnius nece priuandum se dicit vtroque? An quia filij titulo excidit, qui fratrem occidit? Thomas Anglus: *Si*, inquit, *occiderit te*, NON REPVTABO EVM FILIVM MEVM, *& sic orbabor vtroque*. In vnius filij cæde vtroque se orbandam mater coniicit, sibi persuadens fore vt Deus cædem fratris ab Esau admissam impunitam non relinqueret; vniuersè malum qui proximo infert, eodem, aut simili se damnat inferendo à Deo. Aliter nodum soluit Procopius, dum ait: *Vtroque orbabor quasi fratricida quo ad destinatam & conceptam cædem iam iam mortuo.*

Tædet me vitæ meæ propter filias Heth.

Mirum cur causam prætermiserit, quæ erat potior, nimirum Isaac Iacobi mortem quærere: Prudens mulier istuc suppressit, ne nimio dolore Isaac corriperetur. *Non autem dixit*, inquit Litanus, *ipsi Isaac aliam causam, scilicet de machinatione Esau in mortem Iacob, ne in senectute sua* NIMIS AFFLIGERETVR. Scilicet cauendum, ne facilè aliena perturbetur quies alienorum malorum narratione.

Si acceperit Iacob vxorem de stirpe huius terræ nolo viuere.

836 Hanc prætexit causam dimittendi Iacob, ne scilicet sumeret in vxorem aliquam ex filij Heth; cur non potiorem affert, Esau odium in Iacob, & meditatam mortem? *Hæc ratio*, inquit Abulensis, *de furore, vel indignatione Esau non fuit proposita Isaac, ne propter hoc* ODIO HABERET ESAV. Nimirum non facilè referenda, quæ etiam odia possunt, itam fouere; mitiora exponenda, vt vitentur illa, delea tur ista.

Nolo viuere. Sed cur Rebecca à tali coniugio tantum abhorrebat? *Respondetur*, inquit Beatus Dionysius, *quod propter* INCOMPOSITIONEM, POMPAM, ET ALIA VITIA MVLIERVM *Chananæarum, & item quia sciebat promissiones illas magnificas Abrahæ, & Isaac factas, in posteris Iacob implendas: ideo voluit vt de sua cognatione duceret coniugem, propter quod etiam Abraham adiurauit seruum suum, vt de sua parentela acciperet filio suo Isaac conioralem.* Scilicet mulier suo sexu est maior, quæ muliebria vitia odit, & inanem pompam vitat, in qua leuitatem suam ostendere mulieres solent.

CAP. XXVIII. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio I.

Vocauit itaq; Isaac Iacob, & benedixit eum.

Cur noluit Deus, vt Isaac ex Cananæis vxorem acciperet? *Ne filij*, inquit Paludanus, *Israel descensuri ex Iacob putarent obtinuisse terram promissionis propter contractam amicitiam cum ipsis Cananæis, &* 837

non

non VIRTVTE DIVINA. Scilicet humanæ amicitiæ non tribuendum, quod à virtute diuina est.

Benedixit eum, præcepitque ei. Prius benedixit, deinde præcepit, vt benedictio præcepto substrata, quod iniungebatur, ex affectu, amoreque procedere comprobaret. Addit Ferus id factum, *vt Iacob ex benedictione videns bonam patris voluntatem*, PROMPTIVS OBEDIAT. Scilicet nihil non agere superiores debent, vt promptos in parendo reddant subditos.

Sed vade, & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ.

CVr in Mesopotamiam Iacob iuit, & non potius apud patrem mansit? Vt ab Esau peccandi occasionem submoueret. Apud ignotos exulat, ne à pietate, amoreque fraterno exularet Esau. Quidni eum Deus tantum extulerit? Cadunt hîc optimè, quæ in eius commendationem habet Sanctus Ambrosius: *An non beatus Iacob etiam cùm patriam relinqueret. Imò planè beatus, qui dura exilij suscepit, vt fratris mitigaret iracundiam. Nam si beatus est, qui peccatum declinat, vtique negari, beatus esse, non potest; qui alterius culpam leuat, crimen auertit, Paratumque parricidium declinauit exilio voluntario, eòque facto* SIBI SALVTEM QVÆSIVIT, *fratri innocentiam donauit. Meritò itaque eum diuina comitata est gratia.*

838 *Vade in Mesopotamiam.* Quàm promptè, quàm facilè à se filium Isaac dimittit, non illi itineris incommoda timuit, expertus nimirum quantum ipse profecisset, à propria domo abiens, cum in montem duceretur à patre, immolandus Deo. Scilicet expertus diuinam prouidentiam inniti totus deinceps illi debet.

Crescere te faciat. Verbum hebræum פרה *parah* significat ferax esse, fructificare, virtutem suam proferre, extenditurque ad fructificationem omnem siue vteri, siue telluris. Aliqui *crescendi* verbum ad filiorum ortum transferunt, *multiplicandi* verò ad nepotum multitudinem. His autem verbis Isaac filij abituri mentem erexit, vt eò fortius exilium à paterna domo ferret, quò certius sciret, fœcunda posteritate à Deo donandum. Vt interim doceat in tribulatione positos erigendos, ne nimis premantur.

Quam pollicitus est auo tuo.

QVam pollicitus est. Hebraicè est verbum נתן *natan*, quod propriè dare, & re ipsa exhibere significat, vnde Pagninus, ita vertit: *Quam dedit auo tuo.* Sed quia certissima est Dei promissio, idem apud eum est, & polliceri, & dare. Aliter apud homines accidit, sæpè enim quod polliciti sunt, negant, nec obseruant, quod promiserunt, vt in illis aliud sit promittere, aliud dare.

Cumque dimisisset eum Isaac.

NVllius comitis fit mentio, & nullius in itinere apparatus, quod mirum cuipiam videri possit, præsertim quòd ad demerendam, deducendamque vxorem Isaac iam ante seruus, cum tanto comitatur, tàmque magnis muneribus missus fuerat. Huius rei ratio reddi solet, quod Iacob iret non statim reuersurus, sed ibi habitaturus, & gratiam apud Laban inuenturus, vt non opus haberet alia re viam sibi sternere; secus in Isaaci vxore ducenda accidit. Adijce Dei voluntate ita factum, qui in Iacobo ostendere voluit, quàm eximia sit eius in viros iustos cura, & prouidentia; hos præcipuè Deus protegit, quos humana solicitudo nudos relinquit. 839

Iacob fugit Esau, *declinans à malo*, DANSQVE LOCVM IRÆ, *dum peregrè proficiscitur*, ait Richardus de exterm. mali tract. 3. cap. 16. ergo danti locum iræ, quid accidit? reperit scalam, quæ ad Cœlum tendebat; nullus Cœlo proximior, quàm qui persecutoribus cedit.

Vt fratris iram Iacob fugiat, patriam fugit, à parentibus abit; *disce*, ait bonus ille auctor, *quàm* ARDVVM SIT FRATRES, COMPONERE, NISI DIVIDAS. A suis se subduxit Iacob, suos deseruit, ne desereret, quam plus, quam parentes amabat, concordiam.

Tulit de lapidibus, qui iacebant, & supponens capiti suo dormiuit in eodem loco.

QVàm durum puluinar sibi Iacob parauit; iucundè tamen dormiuit eo vsus, vt hoc quoque præterito labori deberet, quod tàm incommodè iacens, tàm commodè dormiuit. NECESSITAS OMNIA CONDIT, & dura omnia mollit. LABOR suauitatem rebus amaris affricat, otium, ac torpor dulcibus amarorem. 840

Duros capite sternit lapides Iacob innuens à vitæ duritie, ac asperitate magna speranda. Conueniant huc, inquit nobilis ille auctor, qui humanas fœlicitates auspicantur, & videant Iacobum ad fœlicitatum vocatum summa, qualia paret fundamina fœlicis vitæ. Non equidem aurea strata requirit, non delitiosi lectuli comparat mollitiem, sed dispersos congerit lapides, illisque paulisper quieturus incubat. Sic de vitæ duritie, de LAPIDVM ASPERITATE diuinæ plantationes assurgunt.

Lapides post itineris labores capiti suo supposuit dormiturus Iacob, sed deinde mira scalæ visione erigitur, vt nosceremus RIGOREM, DELICIARVMQVE ABDICATIONEM superis Dei donis excipiendis sternendam. Lapides duros capiti Iacob subiecit, qui nihil durum in mente habebat, totus mollis, & ad omnia flexibilis. Frustra duræ mentis lapidi qui incubat ad sublimia cœli mysteria erigendum se speret.

Cur non ingressus est Iacob Vrbem Luzan, quæ non longè aberat, vbi commodius quieuisset? An quia de animæ salute magis erat 841
solici-

solicitus quàm de corporis commodis, & quiete? *Noctu*, inquit Liranus, *morabatur in campis, suspectos habens* HABITATORES CIVITATVM PROPTER EORVM MALITIAM. Maluit duros lapides capiti supponere quàm inter duros, lapideosque peccatores habitare.

Cur extra vrbem, & sub dio iacuit Iacob? *Vt liberius*, inquit Sanctus Thomas, *orationi vacaret*: Addit statim: *Vel hoc fecit, quia fortè solitus erat austerè iacere*; qui solitus erat à delicijs abstinere, non ægrè tulit capiti lapidem tanquam ceruical supponere. Vt videas quantas vires consuetudo habeat.

Iacob exemplo nos ad lectorum mollitiem vitandam sic inhortabatur Sanctus Chrysostomus conc. 1. de Lazaro: *Vis tibi alium commonstrem* LECTVM IACOB? *Solum habebat substratum, & lapidem capiti suppositum, eoq; vidit illum intelligibilem lapidem, eatq; scalas per quas ascendebant, & descendebant Angeli: huiusmodi lectos excogitemus, vt eiusmodi videamus insomnia, quod si lecto argenteo indormiemus, non modò nullam capiemus voluptatem, verum etiam animi molestiam perferemus.*

842 Super terram iacet, & dormit, nullæ hîc lectorum deliciæ, nullus corporearum rerum amor. Quid ni diuinas visiones videat, adeo terrenorum contemptor? *Vide*, inquit Sanctus Chrysostomus, *pueri robur, lapide pro puluinari vsus est, igitur quoniam bene moratam animam habebat, & masculum spiritum ab omni vanitate liberum, admirabilem visionem illam meruit, hoc enim more agit Dominus noster, quando viderit animam* PRÆSENTIA NON MAGNI FACIENTEM PLVRIMAM SIBI ILLIVS CVRAM DECLARAT, *vide igitur iustum illum super solo cubantem, & visionem habentem, imò visione Dei dignum videri.*

De lapide quem capiti suo supposuerat Iacob ita Philosophatur Vgo Victorinus de Claustro animæ cap. 28. 11. „ *In lectulo Iacob ad caput ponitur lapis, non pluma leuitatis, quæ vento superbiæ ad aquilonem rapitur.*

In lapide, cui caput Iacob imposuerat, Christum signatum notauit Sanctus Gregorius lib. 5. moral. capit. 22. vbi rem in hunc mundum versat: *Notandum est valdè quòd ille dormiens Angelos conspicit, qui in lapide caput ponit: quia nimirum ipse ab exterioribus operibus cessans, interna penetrat, qui intenta mente, quæ principale est hominis, imitationem sui redemptoris obseruat. Caput quippè in* LAPIDE *ponere, est mente Christo inhærere*. Eodem spectauerat etiam Sanctus Augustinus in Psal. 44. dum ait: *Iacob Patriarcha* LAPIDEM *sibi ad caput posuerat, dormiens autem, illo lapide ad caput posito, vidit apertis cœlis Scalam à cœlo in terram, & Angelos ascendentes, & descendentes, hoc viso euigilauit, vnxit lapidem, & discessit, in illo lapide intellexit Christum, ideo vnxit, videte ex quo prædicatur Christus, quid sibi vult illa vnctio lapidis, præsertim apud Patriarchas, qui vnum Deum colebant? factum est autem in figura, & discessum est, non enim vnxit lapidem, & venit illuc semper adorare, & sacrificia sibi facere, expressum est mysterium, non inchoatum sacrilegium.*

Sed quî tanti patris filius, tot seruis obseptus, & onustus diuitijs nunc adeo pauper incedit, & solus, incederet & adiuuantem non haberet, & careret molliori ceruicali, quod capiti subijceret? Sanctus Thomas. *Potest*, inquit, *dici primò quod fortè voluit suum iter esse fratri suo occultum. Vel potest dici quod licet plures seruos, ac diuitias haberet, nihilominus soliti erant illi Patres simpliciter, & humiliter viuere. Vnde & Esau agricola erat, & fessus de agro venerat quando Iacob valde simplicem cibum sibi ipsi coxerat. Nec Esau, vt videtur, aliquod aliud pulmentum in domo sua tunc paratum inuenit. Supra etiam dicitur Rebecca cum hydria super scapulam iuisse, & tamen dicitur habuisse puellas in ancillas, cum quibus de domo patris ad Isaac venit. Vnde videtur quod nolebat liberos suos in otio carnali nutriri. Quamuis etiam Iacob non omninò sine socijs fuisse credatur. Nam paulò pòst subditur, quod ipse amouit lapidem ab ore putei, & adaquauit gregem Rachelis, & ibidem dicitur quoque, quòd ille lapis est valde grandis*. Hinc vniuersè habes, quàm magna fuerat antiquorum patrum simplicitas, & externi apparatus contemptus. 843

Dum humi cubat Iacob, & lapides supponit capiti, scalam quæ cacumine cœlum pertingeret vidit, vt sciremus statim duram corporis afflictationem, & ab omni mollitie alienam viam ad cœlum esse. Dura, inquit peritus ille auctor, corporis tractatio scalam illi obiecit, qua vel dormiens ascenderet ad Deum; vt hinc æstimare possit peccator, quantum habeat in duritie, & asperitate pœnitentiæ. Sanè durus lectus, humi cubationes, aspera corporis vestis affligunt hominem pœnitentem, sed & illi ostendunt SCALAM, qua facilè possit ad Deum ascendere.

Sed quæri potest, cur Iacob tantas benedictiones adeptus, fratrem fugit, & solus, rebusque necessarijs carens abijt peregrè? Sed nimirum, inquit Pererius hîc, id factum est, quò manifestius Diuina Prouidentia declararetur in rebus, quæ videntur aduersæ: Nam quibus omnia prosperè succedunt, non satis intelligunt quantis bonis fruantur. Hac de causa Iacob aufugit, & solus est peregrinatus, vt locupletissimus postea rediens, & ipse experiretur quanta sit PROVIDENTIA Dei in homines, & alios doceret hanc Dei CVRAM, & prouidentiam.

Sectio II.

Humano *auxilio* destitutus, diuino fulcitur. 844

Prompta *voluntas* quanti apud *Deum* fiat.

Nihil in rebus *humanis stabile*.

Lecti

Viditq; in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum.

844 SCilicet humano auxilio destitutus diuino fulcitur, & terrenarum rerum pondere vacuus, cœlestium mysteriorum particeps fit, fors non futurus, si comites secum, & opes, diuitiasq; habuisset.

Vidit Scalam. Nondum obedientiam perfecerat Iacob, & cœlestibus visionibus ditatur, vt hinc discas, quanti prompta voluntas apud Deum fiat. Eximiè Seraphinus Porrecta: Voluntatem magis attendit Deus quàm opus ipsum, idcirco VBI VOLVNTAS aliquid propter Deum agere deliberauerit, Deus hanc voluntatem pro opere computat: aduerte tamen quod vt aliquid ob BONAM VOLVNTATEM sit meritorium, requiritur opus intentum tempore suo exequendum.

Scala ista nos docet nihil in rebus humanis stabile, nihil firmum esse, omnia inconstantia esse. Pulchrè Philo de somnijs: *Res humanæ habent naturalem quodammodo scalæ imaginem propter cursum inæqualem inconstantemque; vna enim, vt ille ait, dies altum de fastigio detrahit, altum cum nihil in eodem statu apud nos perpetuò maneat, sed cuncta varijs omnifarijsquè mutentur vicissitudinibus. Annon ex plebeijs Principes plebeij fiunt ex Principibus: pauperes è diuibus: è pauperibus locupletissimi, & honorati, è contemptis: ex obscuris clarissimi mutatione pulcherrima?*

845 Scalam quæ cœlum tangebat vidit Iacob cum humi cubaret, & lapidi caput imposuisset, vt colligeremus per corporis afflictationes, mentem erigi & ad sublimia vocari. Hinc illud Clementis Alexandrini lib. 2. pædag. cap. 9. *Iacob humi dormiebat, & lapis erat ei puluinus: atque eo quidem tempore dignus est habitus, qui visionem, quæ supra homines esset, videret. Nobis autem, vt rationi conuenit,* SIMPLICI CVBILI, ET FRVGALI *vtendum est*.

Per hanc scalam aliqui orationem intelligunt, per quam velut per quosdam gradus itur ad Deum. Pulchrè ille: Et quæ est hæc SCALA, NISI PERFECTA ORATIO, quæ suis veluti gradibus è terra ascendit ad conspectum Dei viuentis? & quid est, Iacob ad scalæ extremitatem dormire, adeoque diuinum somnium somniare, nisi te monere, quod si perfectè oras, debeas dormire quoad corporis, & externorum sensuum actiones, earum videlicet pro eo tempore ita oblitus, atque si tantùm esses spiritus, diceresque cum sponsa: ego dormio, & cor meum vigilat. Solus enim spiritus, & cor ipsum per hanc scalam ascendere debet relicto corpore dormiente, & ad extremitatem scalæ expectante.

De hac scala ita philosophatur Ioannes Eusebius, vt purè orantium conditionem explicet: Quid aliud, inquit, significat scala Iacob, per quam ascendebant Angeli, & cui pronus innitebatur Dominus; nisi quòd ORANTIBVS, hoc est, ascendentibus mente ad cęlum puris, & innocentibus Angelorum instar pronus, & attentus cum sua gratia Deus sit, & eorum expectet amplexus, quibus occurrere, quibus vniri, & à quibus ligari, & quos perficere cupit.

Per diuersos virtutum gradus ad cælum iri 846
significabat scala illa quam in somnis vidit Iacob; Huc flexit Theophilus Alexandrinus epist. 1. ad Episcopos Ægypti, dum infit: *Patriarcha Iacob scalam cernit in somnis, cuius caput pertingebat vsque ad cœlum; per quam* DIVERSIS VIRTVTVM GRADIBVS AD SVPERNA CONSCENDITVR; benè *gradibus* dixit, non *gradu* non enim vna sufficit virtus.

Cum pauper incederet Iacob scalam vidit, & Dominum innixum scalæ, non legimus hac visione beatum, cum diuitijs onustus regrederetur, vt vel hinc paupertatis noscatur priuilegium. Sisto hìc, quæ probæ notæ auctor dedit: Dum, inquit, IACOB PAVPER extitit, vidit scalam Angelis ascendentibus plenam: quasi dicerent: Via hæc huiusce paupertatis atrita est, facillima est. At diues effectus apud Laban, cùm domum redijt, plures quidem obuios habuisse narratur; Sed cum maximè, à quo benedictionem impetrauit; verum post luctam, post preces, post lachrymas, postquàm ita emarcuit neruus fæmoris eius, vt propterea claudicauerit; quò nimirum intelligeret, hanc se benedictionem ea assecutum lege, vt vnico tantùm pede terram contingeret, & eam inordinatè non amaret; ne secùs cœlestium gratiarum benedictionem amitteret.

Scala illa Iacob Sacræ Scripturæ figura extitit, quod in hunc modum explicabat Beatus Laurentius Iustinianus de casto connubio cap. 4. *Est namque sacra pagina* SCALÆ, *quam in somnis vidit Sanctus Iacob, comparata, cuius summitas cœlos tetigisse describitur. Per ipsam etenim quasi per quosdam gradus prouehitur intellectus ad agnitionem veri, & summi Dei.*

Per scalam ad cœlum ascenditur, vt paula- 847
tim tanquam per gradus ad perfectionem ascenderemus, *scalarum similem esse scriptura nos docet pietatis ascensum, per quas vidit Angelos Domini ascendentes, & descendentes Sanctus Iacob, vir exercitationis, qui nobis propositus est, vt per illum cognosceremus gradum virtutis* PAVLATIM

nos proferre debere, & ita posse ab imis ad summa contendere, si per processus gradiamur exiguos ad ea, quæ videntur humana altiora natura, has tibi scalas semper habeto propositas.

Scalam vidit Iacob, cum non in paterno domo degeret, sed cum in solitudine esset, vt disceremus, inquit Oleaster: *quàm accommodus sit* SOLITVDINIS *locus ad diuinas locutiones, & visiones*. Plerumque se ipso maior videtur, qui non videtur, nec videtur tantùm, sed fit.

848 Quinam sint scalæ gradus, quibus nos ascendere in cœlum possumus his verbis docet Sanctus Zeno serm. de somnio Iacob. *S C A L A habet gradus plurimos, sed eius ascensus est vnus.* G R A D V S *autem eius fratres dilectissimi si vultis scire, quid vocentur, audite. Conuersio, audientia, intellectus, credulitas, timor, sapientia, sobrietas, mansuetudo, temperantia, castitas, pietas, charitas, fides, veritas, humilitas, gratia, honestas, verecundia, patientia, perseuerantia, consummatio.*

Scalæ huic Iacob obedientiam in hunc modum pariabat Vmbertus dum ait: *Obedientia scala est, quàm Iacob vidit. Scala illa super terram stabat, & cacumen eius cœlum tangebat: & Angeli ascendebant, & descendebant per eam, & Dominus erat innixus scalæ, stare debet* OBEDIENTIA *super terram per cœlestem intentionem: cacumen cœlum tangit, quantum ad cœli peruentionem. Perfecta obedientia immediatè se habet ad cœlum. Parum enim, vel nihil morantur perfectè obedientes in Purgatorio.*

Sectio III.

In Dei obsequio ruinam timeat, qui torpet. 849

Paulatim *perfectionis scalam* ascendendum.

Doctoris est, sese *demittere* imperitis.

Qui *docent* in cœlum prius ascendant vitæ puritate. 850

Otiosi à perfectionis *scala* excludùntur.

Per *scalam* cur ascendere non tentarit *Iacob*.

Nullus ea *aggrediatur*. quæ eius superant vires.

Qui non *proficit*, deficit. 851

Humilitate ascenditur, descenditur exaltatione.

Angeli cur prius *ascendere* dicantur, quam descendere.

Aptare *se auditoribus* suis *prædicatores* debent. 852

Descendere debemus, non *cadere*, vt Angelos referamus.

Descendunt Angeli, cum nobis condescendunt.

Diuina conspiciunt, qui ad *temporalia* oculos claudunt. 853

Qui in *proximi obsequio* se exercet, Angelicam seruet puritatem.

Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam.

Audis per hanc scalam & descendere aliquos, & aliquos ascendere; qui in Dei obsequio torpent discensum, imò & lapsum timere debent. Audiendus Sanctus Hieronymus, qui locum hunc ita versat: *Vidit scalam de terra vsque ad cœlum, & ascendentes per eam Angelos, & descendentes, & desuper innitentem Dominum, vt lassis manum porrigeret, vt ascendentes suo ad laborem prouocaret aspectu. Vnde & vocatur locus ipse Bethel, id est domus Dei, in qua quotidie ascenditur, & descenditur. Et sancti corruunt, si fuerint* NEGLIGENTES, *& peccatores pristinum recipiunt gradum, si sordes fletibus lauerint.* 849

In vna, eademque scala, & ascendunt Angeli, & descendunt; idem vnicuique nostrum præstandum, vt scilicet ita mente in Deum feramur, vt nos in proximi obsequium demittamus.

Angelos per scalam ascendere, & descendere legis, non volare; vt vel hinc discamus ad perfectionis culmen paulatim eundum, ne qui volare præsumit, infeliciter labatur. *Nemo repente fit summus*, inquit Sanctus Bernardus huc spectans, ASCENDENDO, non VOLANDO *apprehenditur summitas scalæ.*

Audis per scalam illam non ascendisse tantum Angelos, sed & descendisse, vt noueris doctorum esse non sublimia tantum afferre, & auditorum efferre montes, sed etiam sese ad imbecilliorum captum demittere. Peritè Sanctus Augustinus: *Scala vsque ad cœlos attingens, crucis figuram habuit: Dominus innixus scalæ, Christus crucifixus ostenditur: Angeli descendentes, & ascendentes per eam, Apostolici viri, & omnes Doctores Ecclesiarum intelliguntur; ascendentes quando perfecta perfectis prædicant,* DESCENDENTES, *quando paruulis, & imperitis simplicia quæ intelligere possunt, insinuant.*

Quid est quod prius ascendere hi Angeli perhibentur, quam descendere, cum qui in cœlo degunt non prius possint ascendere quàm descenderint? An quia de hominibus est sermo, qui inferius agunt? Per hos Angelos Sanctus Augustinus, Beda, aliique volunt prædicatores designatos. *Qui*, docti auctoris sunt verba *vt populum doceant, ac reprehendant debent prius* COELVM VITÆ PVRITATE CONSCENDERE, *atque inde veluti Angelos è cœlo delapsos in animos descendere auditorum.* 850

Aut ascendunt Angeli, aut descendunt, nullos Iacob, inquit Ioannes Vitalis, *otiantes* vidit, ne otio torperet qui incedere per scalam perfectionis quærit.

Scalam

Scalam audio, nec lego per illam aſcendere contendiſſe Iacobum, aut ſaltem tentaſſe: Cur Iacob, inquit pius ille auctor, Angelos non intendit emulari, ac eorum exemplo excitati, vt etiam per gradus ſcalæ velit conſcendere, erat homo & ita piget, vt affectaret, quod Angeli ad ipſum venirent, & ſuis manibus aſportarent in cœlum, abſque eo quod ipſe aliquem greſſum faceret. D. Brunus eleganter. Non ſatis erat, ait, aſcenſuro, vt Deus vtroque humero firmaret ſcalam, niſi vt PORTARETVR AB ANGELIS, ne ipſe vellet pedem mouere. Præterea videns ſcalam Iacob, Angeloſq; aſcendentes, & deſcendentes per eam, non tentauit per ſcalam ſcandere, ne aliquid moliretur, quod eſſet SVPRA SVAS VIRES, neue videretur ſe parem Angelis facere, ſciebat prius ſibi multa toleranda, quàm in Cœlum iret.

851 Aut deſcendunt Angeli, aut aſcendunt, nullus ſtat. Numquam ſedentem quempiam, vel ſtantem vidit, inquit pius ille auctor, quia non habemus hic manentem Ciuitatem, nec futuram adhuc poſſidemus, ſed inquirimus. Aut aſcendas neceſſe eſt, aut deſcendas: ſi velis ſtare, facilè rues. Rem luculentius, vt eò dulcius verſat S. Bernardus epiſt. 254. vbi ait: *Vidit ſcalam Iacob, & in ſcala Angelos, vbi nullus reſidens, nullus ſubſiſtens apparuit, ſed vel aſcendere, vel deſcendere videbantur vniuerſi: quatenus palam daretur intelligi, inter profectum, & defectum in hoc ſtatu mortalis vitæ nihil medium inueniri: ſed quomodo ipſum corpus noſtrum continuè, aut creſcere conſtat, aut decreſcere: ſic neceſſe ſit & ſpiritum, aut* PROFICERE *ſemper, aut* DEFICERE. Eòdem ſpectabat idem Sanctus Pater epiſt. 91. vbi in hunc modum ſcribit: *Vidit Iacob in ſcala Angelos aſcendentes, & deſcendentes. Nunquid* STANTEM *quempiam ſiue* SEDENTEM*? Non eſt ſtare omnino in pendulo fragilis ſcalæ, neq; in incerto huius mortalis vitæ quicquam in eodem ſtatu permanet. Non habemus hic manentem Ciuitatem, nec futuram adhuc poſſidemus, ſed inquirimus. Aut aſcendas neceſſe eſt, aut deſcendas. Si attendas* STARE, RVAS *neceſſe eſt.*

Angelorum deſcendunt aliqui, aliqui aſcendunt, nullus alteri obſtaculo eſt. An innuitur etiam in Dei obſequio, illum aſcendere, qui ſe demittit. Huc ſpectat quod habet Rupertus hîc: *Illis*, inquit, *porta Cæli aperitur, & aſcendentibus ſcala hæc erigitur, quæ huic apparuit, per quam ei aſcendentes, & deſcendentes Angeli monſtrantur. Non aliud ſine dubio deſcenſus ille, & aſcenſus à nobis intelligitur, niſi* EXALTATIONE DESCENDERE, ET HVMILITATE ASCENDERE. Igitur, qui efferri vult ſe demittat, nam cadet, ſi ſe exaltauerit.

Cum orationem ſcala referat, vt ſuperius diximus, quid eſt, quod aſcendere prius per illam Angeli perhibentur, quàm deſcendere? Pulchrè ſcitus auctor: Nec ſine myſterio priùs ait Scriptura, ANGELOS ASCENDERE, ET POSTEA DESCENDERE: ſic enim inſinuat, priùs Iacob illos apud ſe in terra vidiſſe, vt tu intelligas, ſæpe re ipſa, & verè illos eſſe apud te, dum oras; tecumque, dum aſcendis, aſcendere, & vt aſcendas, iuuare: cum illis itaque colloqui licet in aſcenſu: quia tale colloquium non turbabit illud, quod habes cum Deo, ſed iuuerit potiùs, vt ad cacumen vſque ſine defatigatione aſcendas.

Per Angelos deſcendentes, & aſcendentes intelligi & probi prædicatores poſſunt, qui & ſe auditoribus ſuis demittunt, & eos erigunt, vt tamen ſemper angelicam puritatem referant. 852
Huc faciunt, quæ habet Sanctus Auguſtinus tract. 8. in Ioannem: *Chriſtus à Chryſmate, quid autem vidit tunc in ſcalis? aſcendentes, & deſcendentes Angelos; ſic eſt & Eccleſia, fratres, Angeli Dei, boni prædicatores, prædicantes Chriſtum, hoc eſt ſuper filium hominis aſcendunt, & deſcendunt; quomodo aſcendunt, & quomodo deſcendunt? ex vno habemus exemplum; audi Apoſtolum Paulum: quod in ipſo inuenerimus, hoc de cæteris veritatis prædicatoribus credamus; vide Paulum aſcendentem. Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim, raptum fuiſſe vſque ad tertium cœlum, ſiue in corpore, ſiue extra corpus neſcio, Deus ſcit: & audiuit ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui; aſcendentem audiſtis, deſcendentem audite; non potui loqui vobis quaſi ſpiritalibus, ſed quaſi carnalibus: quaſi paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam; ecce deſcendit, qui aſcenderat; quare quo aſcenderat? vſque ad tertium Cœlum; quare quò* DESCENDERIT? *vſque ad lac paruulis dandum.*

Deſcendentes Angelos audis, nullum audis cecidiſſe, Adam cecidit, cecidit Lucifer, hic nullus cadit. Huc facit quod habet Sanctus Auguſtinus in pſal. 118. vbi huc ſpectans, ait: *Vidit Scalas Iacob, & in ipſis ſcalis demonſtrati ſunt ei aſcendentes, & deſcendentes; vtrumque vidit: poſſumus putare aſcendentes viſos proficientes, deſcendentes, deficientes; quia & re vera inuenimus hoc in populo Dei, alij proficiunt, alij deficiunt; poterant iſtos ſignificare illæ ſcalæ, ſed forte melius intelliguntur omnes boni in illis ſcalis, & aſcendentes, & deſcendentes. Multum autem intereſt inter* DESCENDERE, ET CADERE; *nam quia cecidit Adam, ideò deſcendit Chriſtus; ille cecidit, ille deſcendit; ille cecidit ſuperbia, ille deſcendit miſericordia.*

Aſcendunt Angeli, dum feruntur in Deum, deſcendunt, nobis dum condeſcendunt; ita loquitur Sanctus Gregorius lib. 5. moral. cap. 22. *Angelos aſcendentes, & deſcendentes cernere, eſt Ciues ſupernæ patriæ contemplari: vel quantò amore auctori ſuo ſemetipſos tranſcendendo inhæreant, vel quanta compaſſione charitatis noſtris infirmitatibus* CONDESCENDANT. Hinc Angelum refert, qui ſuo ſcit proximo condeſcendere.

Dormiens Iacob Angelos vidit; *quia illi*, inquit Vgo, DIVINA CONSPICIVNT, *qui ab appetitu* TEMPORALIVM RERVM *oculos claudunt*. 853
Et è conuerſo, qui ad terrena vigilant, diuina conſpicere nequeunt.

Non minus Angeli ſunt, qui aſcendunt, quàm qui deſcendunt. *Per Angelos*, inquit Sanctus Thomas, *deſignantur Sancti, tàm noui, quàm veteris teſtamenti, quorum eſt aſcendere ad Deum, &*

& DESCENDERE AD PROXIMVM; ita tamen vt vbique Angelos referant, nec quicquam suæ dignitatis, puritatisque amittant, licet demittant se in sui proximi obsequium.

Sectio IV.

Et Dominum innixum scala dicentem sibi.

854 SCalæ innititur Deus, vt nullus ascendere possit, si Deus manum non porrigat. Sanctus Hieronymus epist. 10. quæ est ad Furiam, huc spectans ait: *Ista est scala Iacob: per quam Angeli ascendunt, & descendunt: cui Dominus innititur,* LAPSIS PORRIGENS MANVM, *& fessos ascendentium gradus sui contemplatione sustentans*. Huc facit quod habet Oleaster: *Et Dominus*, inquit, *stabat super scalam, vt ostenderet neminem ad eum ire posse, nisi ille tenuerit viam eius, scalamque sustentauerit, vbi simul disce, quam sit* PERICVLOSA VIA, *& acclinis ascensus*.

Deum innixum scalæ Iacob vidit, Angelos ascendentes, descendentesque, idq; non cum in paterna domo esset, sed in via, cum magnis laboribus obsideretur, cum à fratris ira se subduceret, vt colligeremus tribulationes, & aduersitates viam ad Cœlum esse, & cælitibus fieri proximum, qui duris dum exercetur, forti æquoque animo omnia fert.

Grande est Dei sapientiam scalæ innixam suos ad ascensum veluti inuitare, & ascensuris manum porrigere, nam vt ait Beatus Laurentius Iustinianus in fasciculo amoris cap. 2. *E cœlo demittitur scala, cui sapientia Dei innixa est, vt manum porrigat, sursumque erigat conscendere festinantes*; sed grandius illud, quod in eucharistia fit, in qua ipsa Dei sapientia spiritualis quædam scala fit, per quam ad Cœlum ascendimus.

Scalæ Deus innititur, ASCENDENTIBVS *porrigens manum*, inquit Richardus à Sancto Laurentio, NEGLIGENTES *verò de sublimi præcipitans*.

In scalæ cacumine Deus stabat; *quo indicabatur*, ait scitus ille auctor, *Deum omnium effectuum prouidentia auctorem esse, eumdemque finem, ad cuius* GLORIAM *vltimò* TANDEM OMNIA REFERVNTVR. 855

Innititur scalæ Deus, *vt ascendentes*, inquit Sanctus Hieronymus epist. 34. quæ est ad Iulianum, *suo* AD LABOREM *prouocaret aspectu*. Vix sentit, se in Dei via laborare, qui Deum præsentem, & iuuantem intuetur.

Et Dominum innixum scala. Sed cui rei Dominus innixus scalæ perhibetur? Sanctus Bernardinus Senensis, sic nodum soluit: *Dominus innixus describitur scala quasi desiderio flagrans, &* NOSTRA BONA OPERA ACCEPTARE, *& propter illas nouas gratias nobis multiplicare*.

Cumq; euigilasset Iacob de somno, ait.

EXimia hic elucet Iacobi humilitas, & modestia, qui Dei præsentiam loco tribuit, non suis meritis. Opportunè rem versat nobilis ille auctor: Præsentiam sibi Dei repræsentatam, non sibi tribuit Iacob, sed loco, in quo Deus apparuit, & quidem non loci proprium erat, quod Deus ibi appareret, qui non ratione loci, sed ratione serui sui ibi cubantis apparuit. Et meritò ex illa apparitione posset dicere Iacob; Verè Dominus me comitatur. Verè Dominus mecum est, & mihi adest; tamen se dissimulans, de loco ait, Verè Dominus est in loco isto, vt enim perfectè humilis erat, IN DIVINIS FAVORIBVS NON SE INVENIT, SED ILLOS TRIBVIT ALTERI. 856

Sed cur vigilanti non potius Deus apparuit? Vt innueret se suorum seruorum agere curam, cum illi dormiunt, nec ad se, aut sua cogitant. Reliquerat Iacob paternam domum, omnem patris substantiam contempserat, quidni pro dormiente vigilantem Deum habeat? Angelos habet comites, custodes habet Angelos, qui terrenarum rerum contĕptu Angelos æmulatur,

Verè

Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.

ET *ego nesciebam*. Si enim sciuisset, in eo loco non iacuisset Patriarcha; idem occini vestris potest, dum in templis Deo sacris non ea reuerentia, ac timore stant, quæ loci deceret sanctitatem, & colentium pietatem; Benè ille: considerate obsecro, qua reuerentia Sanctus ille: Patriarcha hunc locum coluerit, eò quòd in eo Deus, cælitesque assisterent. Verè, inquit, est Dominus in loco isto, & ego nesciebam. Ac si diceret si scirem in eo loco Dominum meum esse, suscipetem sanè illum, neque in eo cubarem, somnum vt caperem. Et quidem existimo plures NVLLVM CVLTVM TEMPLIS ADHIBERE, quia non animaduertunt in illis Dominum, ac Deum nostrum commorari, si enim id consideratione perpenderent, non dubito, quin illa Iacobi verba singulari quadam pietate vsurparent. Quàm terribilis est locus iste, verè non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli.

Pauensq; quàm terribilis est, inquit, locus iste, &c.

857 PAuensque. Quid timet Iacob cum scalam ad cœlum videt, gaudij ac lætitiæ materiam hoc esse debebat non timoris, quare ergo timuit, *terribilemque*, locum istum dixit? *Timuit*, inquit Caietanus, DIVINVM IVDICIVM, *quemadmodum cum venimus primum in conspectu maximi cuiuspiam, & sapientissimi Principis vehementer timemus, ne quid sibi displicens in nobis videat: sic Iacob timuit considerando se ipsum cum respectu ad* PRÆSENTIAM DEI, *& frequentiam Angelorum, metuens ne sua sibi peccata, & defectus imputarentur.*

Pauensq;. Scilicet tunc magis timendum, cum maioribus à Deo donis ditamur, pauere hic describitur Iacob, cum cœlesti visione donatur, tanquam si fauoris tam magni exhibitio, timoris materiam offerret; hoc enim ipso quod magis à Deo efferimur maior reddenda ei ratio est; & non etiam qui valde in sublime effertur timebat, qui non timebat cum in imis esset, per humilia ambulabat?

Quàm terribilis est locus iste? Quasi religione quadam esset correptus, quòd in loco illo fuerit, in quo aliquando futurum erat tabernaculum, quod ad reuerentiam, quæ templis debetur sic quidam flexit: Pergit Iacob Mesopotamiam versùs, in itinere labore defessus obdormit: expergiscitur: excusat, doletque, quòd dormierit: Verè Deus est in loco isto, & ego nesciebam. Quid hoc? Aiunt, ibidem à longè præuidisse construendum templum: & quasi doluerit, quòd ibi dormierit, & si tam sanctè dormierit, se excusauit: Et ego nesciebam. Si adhuc in loco non consecrato, quòd sibi somnus irrepserit, se excusat; QVID ERIT IN ECCLESIA DORMIRE? Si locum post tot annos consecrandum, reuerentia repletus, exclamans terribilem appellat: Quam terribilis est locus iste; hoc est, quàm sacer, quàm sacrandus; quàm venerabilis, quàm sancto honore, & horrore dignus; & hoc, inquit Hugo Cardin. quia ibi futurum erat tabernaculum; quantò terribilior, venerabilior, honore horrore dignior erit Ecclesia, in qua verum est tabernaculum, cuius illud figura erat?

Quam terribilis est locus iste. Quam metuendus, & reuerendus. Et vnde tanta loco reuerentia debebatur? an quia ad Dei cultum ordinabatur? quanta illis locis debebuntur, quæ iam sunt consecrata? Sanctus Thomas: *Hoc*, inquit, *dicit, tum quia Deus ita magnificè in illo loco se exhibuerat, eo quòd ex hoc tempore locus quasi à* DEI PRÆSENTIA *consecratus sibi occurrebat: tum quia in spiritu sensit locum illum ad cultum Dei in posterum ordinari*.

Sed cur ad scalæ, & Angelorum ascendentium, & descendentium visionem timore corripitur Iacob, cum hæc omnia erigere mentem possint, nihil adsit, quod reprimat? Nodum ita soluit quidam auctor: sanè illud mibi videtur excitasse in viro sancto admirationem, quod ait: Ascendentes, & descendentes Angelos. Non mirum est, Angelos ad homines descendere, seruata natura Angelorum, & puritate. Cæterum illud est mirabilius, puritatem Angelos asseruare, postquàm cum hominibus conuersati sunt. Ergo miratur Vir Sanctus, tantam esse Angelorum munditiam, & puritatem, & candorem, vt etiam ad homines descendentes, & inter impuros conuersantes; nihil tamen de proprio candore, & puritate deperdant: quòd sanè multò mirabilius est in hominibus. Angeli quidem, cum Deo clarè viso fruantur, nihil deponere possunt de propria puritate, neque aliquo modo infici; illud autem valdè mirandum est, viros religiosos lapsui obnoxios, relicta cum Deo collocutione; ad SALVTEM ANIMARVM DESCENDERE, ET conuersari in medio nationis prauæ, atque peruersæ, & tamen nihil deponere de animi CANDORE: quòd si quandoque videas, instar miraculi admirare. 858

Sed quid timorem incutere Iacobo potuit, dum in eo se videbat loco, quod potius timorem omnem excussurum putari poterat? *Iacob*, inquit Sanctus Vincentius Ferrerius, *excitatus à somno timuit, ac tremuit de illa visione, quia diuinitus fuit ei reuelatum, quòd Christus Saluator Mundi ibi* IEIVNARET, *& dormiret*.

Quàm terribilis est locus iste? Optimè se ad scalæ ascensum parat, qui à Dei reuerentia incipit, & timore. Opportunè scitus ille auctor: In scalæ primo veluti gradu cœlestium ascensionum timorem Iacob posuit, cùm in mysticam eam scalam, & arcanum opificium, animi sui cogitatione intendens, sacro horrore perfusus exclamat, quàm terribilis est locus iste, &c. Qui ab hoc gradu pedes animi sustulerit, EVOLABIT IN ALTVM, comitibus Angelis atque ductoribus, & beatissimum Dei solium viuido amore pertingat.

Quàm terribilis; idest veneratione, & horrore quodam sacro dignus. *Vidit enim*, inquit Liranus, *futurum esse, quod ibi fundaretur* TEMPLVM. Templum illud nostrorum quædam vmbra fuit, & locus præuisus vmbræ vmbra, quod si hæc tantam venerationum horroremque à Iacobi pietate elicuit, quid elicere à nobis sacratiora templa debent, in quibus verus Deus, sub Eucharistiæ velamine delitescit?

Terribilis cur visus locus Iacobo, qui timorem omnem debebat excutere? An quia intellexit nonnisi per labores, ac passionum tolerantiam iter ad gloriam esse, & per egregias virtutes ad regnum aditum patere? An terribilis est locus, quia quò nobis apertius diuina ostenduntur, eò maiori timore percellimur, ne socordia nostra illis priuemur?

859 Quod hîc dixit Iacob ad illos transferamus, qui morti proximi sunt; à metu fuit Iacob perculsus, quod similia ante non viderat, licet erigere videntis mentem possent. Idem mortis tempore multis accidet, licet gaudendi materiam præbere abitio debeat, & iudicis præsentia, metu tamen ingenti percelletur; quia hic locus, hic apparatus, illis omnino erit nouus, nec ante seriò consideratus, omnia incutient timorem, etiam ea quæ erigere mentem pressam debuerant. Proh mortalium fatuitatem, qui rem tanti momenti negligunt.

Quàm terribilis est locus iste? Nunquid gehennam viderat, aut alium miseriarum locum? Minimè, quid adiecit, *Non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli*. Et ab huiusmodi loco terror, & non potius iucunditas? Chaldæus legit: *quàm terribilis est locus iste; non est locus communis, sed locus, in quo beneplacitum est coram Domino*. Hæc terroris occasio, & causa, quòd non sit locus communis; rem ad religiosorum domos, statumque, pius quidam auctor transfert. Noueris ad Religionis domum, ac statum pauere, & terribilem existimare, quod non sit communis, nec triuialem viuendi modum, & communem cum sæcularibus, sed PVRVM, peculiarem, accuratum, & eximium ferat, alioquin tanquam inutilis, & ingratus seruus domo expelleris.

860 Timet Iacob à somno euigilans: quia Deum viderat scalæ innixum, Angelosq; non ascendentes tantum, sed descendentes; quis non timeat sibi, cum eos videt, qui Angelos moribus, & vita referebant ad ima descendere, & terrenorum amore in terram se demittere? Pauens totus ostenditur, inquit probus ille auctor, Iacob post scalæ visionem, & meritò pauet, dum videt Angelos descendentes, hoc est, à cœlesti scala cadentes, quæ enim creatura non contremiscat, NON PAVEAT IN CASV ALTERIVS?

Quàm terribilis est locus iste. Cur locum potius pauescit, quàm ipsum Dominum? An hoc nihil refert, quia locum pauescebat non propter locum ipsum, sed propter Dominum? An quia locus iste Ecclesiam significabat, vt ait Rupertus hîc, quam pauescere quisque debet, & ob illius sanctitatem trepidare, quum illi Deus præsideat, in Deumque resiliat, quod Ecclesiæ fit?

Itane terribilis locus est, & timoris materia est, quod timore correptum poterat à timore liberare? *Stupens iustus*, inquit Sanctus Chrysostomus, *propter magnam misericordiam Dei* TIMVIT; beneficia Dei, ob quæ plerique intumescunt, & eriguntur, timorem Dei seruis incutiunt, vt humilius de se sentiant.

Sectio V.

Non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli.

NIsi domus Dei: Nam vt ait Liranus, *vidit futurum esse quòd ibi fundaretur templum, vbi viguit diuinus cultus, & quod ibidem postea offerendus esset Dominus noster Iesus Christus*. 861

Et porta cæli. Hunc primùm portæ cœli mentio fit, nil mirum, *quia*, inquit Liranus, *in quodam loco propinquo passus est Christus, cuius* PASSIO COELVM APERVIT.

Vix auulsus à patrijs sedibus erat Iacob, vix paternam deseruerat domum, cum domus illi obijcitur Dei, & porta cœli: vt significaretur, inquit doctus ille auctor, dignissimus qui Diuinam in domo Dei FAMILIARITATEM iniret ille, qui prius humanam in domo patris repudiaret societatem, Scilicet hominum familiaritas sæpè diuinam impedit.

Surgens ergo Iacob manè tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo.

SVrgens ergo Iacob manè. Antequam corpore surgeret, mentem in Deum erexerat. *Sciendum*, inquit Abulensis, *quòd ante euigilauit Iacob à visione somnij, quàm surgeret ad ambulandum. Quia ipsa visio fuit per noctem, & postquam euigilauit à somno mansit cogitans in* DEI LAVDIBVS, ET BENEFICIIS *vsque mane, deinde surgens ambulauit*.

Quem

862 *Quem supposuerat capiti suo*. Cur hunc potius lapidem elegit, quem in titulum erigeret, quàm alium? Plane, inquit nuperus, sed nobilis auctor, lapis erigitur, NE VIDERETVR IACOB IN ILLA ERECTIONE LAPIDIS OSTENSIONEM SVI FACERE, sed potius deiectionem, vt res diuinæ ibi repræsentatæ, non ostentationi seruirent, sed vtilitati.

Fundens oleum desuper.

FVndens oleum desuper. Etiam leuia obsequia Deo grata, si à grato animo proficiscantur, non tam munus oblatum Deus respicit, quam mentem offerentis. Auctor Catenæ græcæ: *Iacob lapidem inunxit, quas potuit gratias retulit, erectum lapidem, quem capiti supposuerat, oleo perfundens, id quod etiam nostra tempestate nonnullæ ex fidelibus mulieres vsurpant, cippos sacrarum ædium, martyrumque vrnas perungentes: ita enim pietatem animi conantur exprimere,* QVÆ LICET TENVIA, *accipit tamen humanus, benignusque Deus, non tam ad munus, quam ad* REI PROPOSITVM *respiciens*.

Tàm insigni visione beatus tantillo obsequio respondet patriarcha, lapidem vngit, nec Deus respuit, qui in minimis obsequijs grandiorem suorum animum intuetur, fidem, ac deuotionem. Benè Theodoretus: *At qui; inquit, non respuit etiam minima benignissimus Dominus, gratam habens* OPERIS INTENTIONEM.

863 Quorsum oleum lapidi infudit Iacob? Credis, probi auctoris responsio est, vt significaret non fuisse sibi illum cubitum durum, & asperum: sed potius mollem, & iucundum, in quo cum Deo familiariter somniaret. Quod si Deus, vel per somnia tantum socius, OMNEM LABORVM DVRITIEM SIC EMOLLIT, vt durum saxum blando oleo blandius efficiat: quid solatij in vigilia præsens, & in passione compatiens præstabit?

Et dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, &c.

ET dederit mihi panem. A tam magno tam vilia quærit, cur non patrum suorum exemplum imitatur magna à Deo exigens? An Iacobi humilitas id fecit: *Quamuis*, inquit Ferus, *sciret Deum, & patri, & auo suo, magna & multa dedisse, ipse tamen non tanta audet petere, indignum se existimans, ac sanctis illis patribus longe inferiorem, in quo notatur eius* HVMILITAS. Nisi quod minimum quodlibet euadit magnum, & immensum, cum infinitus est cui exhibet; & quod dat magno amore offert.

Itane nihil præter panem postulat, & vestitum? cur non opes, & diuitias inquirit? An quia Dei cognitione, qui fruitur, cætera negligit, necessarijs contentus? Iacobum sic loquentem bonus quidam auctor facit: Deus mihi pollicetur multa super terram, dum se mihi exponit cognoscendum: vt quid EGO TERRENVM ALIQVID IAM CVPIAM, postquam tantam agnoui celsitudinem? Nec volo terræ possessiones, nec cupio diuitias, nec fortunas appeto; nec mundi opto dignitates, pompamue desidero; sufficit mihi crustum panis, tunicaq; qua corpus tegam, si modò tam suaui, tàm iucunda, tàm grata, tàm delectabili fruor cognitione.

CAP. XXIX. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio I.

Profectus ergò Iacob venit in terram Orientalem.

PRofectus ergò Iacob. Ex hebræo sic legit Caietanus: *Eleuauit Iacob pedes suos*; 864
additq; *significatur, quòd diuina visione, ac promissione animosior redditus Iacob, accelerauit iter*. Vel nuda cœlestis patriæ memoria hoc in nobis debet efficere, vt in virtutum profectu properemus, velocioresque perfectionis viam percurramus.

Morisq; erat vt cunctis ouibus congregatis deuoluerent lapidem.

NOn vnam huius moris causam reddit Sanctus Thomas, dum ait: *Fortè mos iste inoleuerat ibi, aut propter laborem frequentem reuoluendi*

luendi lapidem, aut quia non poterat amoueri, nisi à multis pastoribus insimul congregatis, vel fortè quia non erat ibi tanta copia aquæ, quin oporteret eam sub certa mensura ab omnium pastoribus distribui. Vnde & ideo ille puteus stabat sic clausus, ne quilibet pro libito inde posset aquam haurire.

Fratres vnde estis. A suis peregrinati Iacob potuit, non ab vrbanitate, quæ exulante ab illis non debet, qui exulant à suis: *Docet nos hic locus*, verba sunt Oleastri ad hæc verba, *optima ad extraneos* HABERE VERBA, *non superbire*. Extraneos qui superbè alloquitur, extraneus ipse à prudentia est. Præterea fratres ignotos vocat, vt tam blando nomine sibi eorum familiaritatem conciliaret, cum eorum opera indigeret. In titulis haud sunt auari, qui alterius opem, auxiliumque requirunt.

Sanus ne est? inquit. Valet, inquiunt.

865 SAnus ne est. In hebræo est vox השלום *hasalom*, quæ vox integritatem propriè sonat, & ad sanitatem corporis sæpè transfertur. Pax sanitas, quasi bellum secum corporis infirmitas vehat; certè plerumque totus pax paceque, vt ita loquar, compactus quis videtur, dum est sanus, sed vix corripitur infirmitate aliqua, cum pugnæ, bellaque passionum exurgunt.

Quam cum vidisset Iacob, &c.

AC si Rachelis visio vires Iacobo addidisset, quibus grādem lapidem à puteo amoueret; scilicet nihil est adeo difficile, quod facilè non fiat, si ad id amor vrgeat. *Hoc fecit*, loquit Abulensis, *amore consobrinæ suæ, cui complacere volebat*. Quid in nobis Dei præsentia, amorque in Deum non præstabit, cum tantùm Rachelis præsentia, & visio in Iacob potuerit?

Amouit lapidem. Quod hic de Iacobo narratur, Christo aptauit Berengosus Abbas de myster. Ligni Dom. dum ait: *Hæc est illa lux per quam Iacob, & alio modo illustrari videbatur; dum pro adaquandis ouibus amouit lapidem, quo puteus claudebatur, significans videlicet, quòd verus Iacob in ara crucis dignatus est nobis* PVTEVM APERIRE VERITATIS, *vt ex puteo Dominici Sanguinis reficeremur vnda Charitatis*.

866 *Amouit lapidem*. De hoc lapide hæc habet Hoocala hic: *Fertur adeo grandem lapidem illum fuisse, vt minimè posset vllo pacto deuolui, nisi cunctis pastoribus ad id simul conniteutibus: quem tamen solus Iacob, etsi longo itinere fatigatus, facile remouit*, SVPERIORE QVADAM, VT CREDITVR, VIRTVTE ADIVTVS. *Erat enim ex eorum numero, de quibus Esaias, inquit, Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem*. Tanti refert spem in Deum iacere.

Non casu accidisse, vt coniugia ad puteos fierent, non est quod vertatur in dubium; rectè monemur, animas Deo iungi diuinorum librorum, qui puteos referunt, ope; nefas hîc desiderari Origenis verba, qui rem ita versat hom. 10. in Genesim: *Secuta puerum Rebecca venit ad Isaac: secuta cum Sermonem Propheticum Ecclesia venit ad Christum. Et vbi eum inuenit? Ad puteum, inquit, iuramenti deambulantem. Nunquam reciditur à Puteis, nunquam desistitur ab aquis. Rebecca inuenitur ad Puteum. Rursum Rebecca ad Puteum inuenit Isaac. Ibi primos eius contemplatur aspectus; ibi desilit de camelis; ibi à Puero sibi demonstratum vidit Isaac. Hæc putas sola referri de Puteis? Et Iacob ad Puteum venit, & ibi inuenit Rachel, & ibi innotescit os Rachel bona oculis, & decora aspectu, sed & Moyses ad Puteum inuenit Sephoram filiam Raguel. Nondum mouveris, vt hoc intelliges spiritaliter dici? Aut putas semper casu contingere, vt Patriarchæ ad Puteos veniant, & ad aquas coniugia sortiantur? Qui hæc ita putat animalis homo est, & non percipit quæ sunt spiritus Dei. Qui enim iungit se Domino, vnus est spiritus cum eo. Hanc autem coniunctionem animæ cum Verbo, certum est non aliter fieri posse, nisi per instructionem diuinorum librorum, qui figuraliter Putei appellantur. Ad quos si quis veniat, & hauriat ex his aquas, idest, meditando in his sensum, intellectum percipiet altiorem, inueniet nuptias Deo dignas. Coniungitur enim Anima eius cum Deo.*

Et eleuata voce fleuit.

GAudium à Iacobi oculis lachrymas excussit, quòd post longum, laboriosumque iter inuenisset, quod quærebat, optabatque, sed cur fleuisse Iacob legitur, non legitur Rebecca? An quia præterita inquisitio præteritusque labor lætitiam in Iacobo auxit; & quia maiori inueniendæ mulieris desiderio tenebatur, quàm mulier viri? An etiam fleuit Rebecca, licet id Scriptura non exprimat: *Scriptura*, inquit Abulensis, *solum facit hic mentionem, quòd Iacob fleuit, sed credendum etiam fleuisse Rachel, fæminarum enim sunt teneriores affectus, ideo eis facilius præcordia commouentur; sed scriptura illas lachrymas non recolit, quia fortè cognitum satis esse putauit, cum diceret Iacob fleuisse, Rachel à lachrymis non abstinuisse.*

Dic quid mercedis accipies?

QVid mercedis accipies? Non statim Iacobo mercedem Laban offert, sed mercedis statuendæ mensuram illi reliquit. Plerumque accidit, vt qui nimis effusus, & loquus initio est, IN SORDIDAM DENIQVE AVARITIAM DESINAT; quod in Laban fuisse ex ijs, quæ scriptura diuina refert, dilucidè apparet; nimirum qui diuites in promissis, auaritiam exercent præstaturi, quod promiserant. 867

Quid mercedis accipies? Tam largus in mercede offerenda Laban est, *quia volebat*, inquit Abulensis, *vt Iacob diligens esset circa rerum suarum* CVSTODIAM. In qua re monentur heri, ne mercedem seruis, aut minuant, aut negent, si seruari res suas à seruis suis volunt.

Ser-

Seruiam tibi pro Rachel filia tua minore ſeptem annis.

HAud libidini, ſed continentiæ, ac caſtitati ſeruabat, qui ſeruiturum ſe dixit ſeptem annis pro Rachele. *Mirificam* CONTINENTIAM *præſeferens*, inquit Honcala, *dicit ad Laban ſeruiam tibi ſeptem annis, pro Rachel filia tua iuniore: ſibi ipſi tempus præſcribit, & tantopere ſufficiens argumentum ſuæ continentiæ præbet.*

Tandiù caſtitati ſeruire Iacob potuit, &
868 quod eſt mirum præſente Rachele. Tot annis expectatent nuptias, quod ſingularis continentiæ eſt argumentum: ſed vnde tantas vires habuit Iacob, à Dei timore, labore, ac victus parſimonia. Benè Lippomanus? *Tot annis expectare nuptias licet cohabitando valuit, Dei enim* TIMOR SOLET REFRÆNARE LIBIDINEM *ſimul cum labore aſſiduo, & parſimonia victus paſtoralis.* His armis deſtitutus ægrè inter fœminea caſtra ſub caſtitatis vexillo militabit. Etiam ſcalæ viſæ memoria, Deique ſcalæ incumbentis eoërcere virum potuit, vt iutta continentiæ limites ſe cohiberet.

Iacobum pro Rachele laboraſſe obſeruat Sanctus Petrus Damianus, non pro Lia; quam rem ita ad nos flectit opuſc. 13. cap. 8. *Si ſcripturam diligenter attendimus, nec vno quidem die ſeruiſſe Iacob propter Liæ deſiderium reperimus ſed per totas illas annorum hebdomadas pro ſola Rachel ſeruituti ſubiacuit, quis enim ad Deum idcirco conuertitur, vt labores, &* ÆRVMNAS, AC TENTATIONVM CERTAMINA *patiatur.*

Sectio II.

A bono *opere*, quod ſemel inchoauimus, non facilè *ceſſandum*.

Et videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.

NImirum amor difficilia quæque facilia reddit, & leuia quæ alioquin grauia. 869
Idem nobis accidet, & plenius, ſi Chriſtum amemus. Præſtat hic ſiſtete, quæ babet Sanctus Hieronymus: *Quanta Iacob pro Rachel parta vxore ſuſtinuit: & ſeruiuit, inquit ſcriptura, Iacob pro Rachel annis ſeptem, & erant in conſpectu eius quaſi dies pauci: quoniam amabat illam. vnde & ipſe poſtea memorat, in die vrebar æſtu, & gelu nocte.* AMEMVS, ET NOS CHRISTVM, *eiuſque ſemper quæramus amplexus:* ET FACILE VIDEBITVR OMNE DIFFICILE: *breuia putabimus vniuerſa, quæ longa ſunt:* ſic ille epiſt. 22. quæ eſt ad Euſtochium.

Videbantur Iacob dies pauci ob amoris magnitudinem, & Chriſto pauca, leuiaque tormenta quæ pro nobis ſuſtinuit. Siſtenda hîc ſunt quæ habet Beatus Thomas à Villanoua: *ſi de hoc amore dubitas, & quæ te Deus tuus dilectione proſequatur ignoras, teſtimonia eius credibilia facta ſunt nimis: Teſtis crux, teſtes claui, teſtes dolores, teſtes ſanguinis inundantes flumi, teſtis amara mors, & acerbiſſima, quam pro te ſuſtinuit: & cum hæc omnia patiatur, videntur ei omnia pauca præ amoris magnitudine, adhuc enim maiores, & abundantiores, ſi poſſibile eſſet, expetit pro te dolores grauiores, longioreſque pro te ſitit anguſtias, hoc eſt enim, quod in cruce pendens clamat ad patrem, ſitio. Et in Pſalmo, cucurri in ſiti, paratus videlicet, ad longiores, & acerbiores pœnas pro homine, ſi pater adhuc iniungeret. Et quamuis de illo ſcriptum ſit, ſaturabitur opprobrijs, & iterum quia repleta eſt malis anima mea, ſitit tamen adhuc: ſatur quo ad effectum, ſitiens quo ad affectum, ſatur, quia à planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas: ſitiens, quia* AMOR ADHVC DOLORIBVS PLENVS NON EST, *quamuis corpus vulneribus plenum ſit.*

Hæc Iacobi verba illos arguunt, quos leuis breuiſq; labor in Dei obſequio adeo laſſat, & frāgit, vt ſtatim torpeant, & manum retrahant. Benè ille, & verè: Iacob Patriarcha auunculo ſuo Labano pro filia Rachele ſeptem annis ſeruiuit, & videbantur illi pauci dies, præ amoris magnitudine. Audis hoc, homo quetibunde; tu ſeruis non impoſtori, qualis Laban, ſed Deo conditori, & promiſſori fideliſſimo. Nec pro vxorcula ſeruis, ſed pro toto cœlorum Regno; non pro vxoria fama, ſed pro æterno Dei aſpectu; non pro vxoris blandimentis, ſed pro cœleſtibus æternis delicijs. Et tamen vel vnius diecułæ moleſtia te ſic eneruat, vt ſubinde tuus omnis in cœlum, in Deum amor frigere incipiat: quàmprimùm aduerſa ingruunt, mox in ſuſiſſimas querelas prorumpis, cœlum, & terram inclamas, ſpiras vindictam, fortè nec ipſi ſuperdiuinæ iuſti-

tiæ

tiæ querimonia tua parcit: quandoque verò sic te abhlandiens voluptas emollit, vt seruitij diuini oblitus, & peccati labyrinthum à fronte amænum ingressus, in lethalem somnum resoluaris.

870 Ob puellæ amorem diù laborauit Iacob, vt laborem vix senserit, rem obijt ijs, qui animarum curam habet, animatum pastor Sanctus Chrysostomus, dum ait: *Qualem nos excusationem habebimus, qui non pari studio erga Dominum nostrum, & benefactorem, & curatorem, & qui nobis fit omnia, afficimur?*

Videbantur illi pauci dies. Et quomodo pauci, cum amanti omnis mora etiam breuis longa videatur? Nodum sic aliqui soluunt; *illos dies visos illi esse paucos, cum eos conferebat cum præstantia rei, quam per illos seruitutis dies sibi comparabat; ac multi erant si considerentur in quantum retardabant optatum vsum rei, quam amabat.*

Pauci ei videbantur ob amoris magnitudinem, vt vel hinc colligas purum hunc amorem fuisse, & à carnalis concupiscentiæ cœno immunem, talis enim amor moræ omnis impatiens est. Præiuit Sanctus Thomas, cuius hæc sunt verba: *Quod dicitur, videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine, si amor iste fuisset libidinosus, potius deberet contrarium dici, eo quod* TALIS AMOR EST IMPATIENS *mora, nec rationem attendit, quamuis post factum multus labor pro amasia iam impensus videatur, paucus etiam libidinoso amori.*

871 Præterea pauci ei anni videbantur, licet labor tempus soleat in laborantis mente quodammodo producere, aut quia amor lenem laborem reddebat, aut quia illius aspectu fruebatur, ob quam laborabat. Ita Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 28. *Profectò vel vnicus dies totius humanæ vitæ instar est desiderio laborantibus, nam illud Patriarchæ Iacob mihi alio modo se habere videtur, qui pro duabus Virginibus quatuordecim annis Laban Syro seruiens haudquaquam labore frangebatur. Erant enim, inquit, omnes illi dies, quasi dies vnus, quod earum amore flagraret. Cuius rei hæc fortasse causa erat, quia* REI EXPETITÆ CONSPECTV FRVEBATVR: *vel etiam quia leuè est amore laborare, tametsi dilatio ipsa molestiam afferat.* Quod instius ad eum transferas, qui & Dei amore laborat, & Deum præsentem cogitat, eiusque præsentia, vt loquebatur Sanctus Maximus, saginatur.

Et dixit ad socerum suum: Quid est, quod voluisti facere?

QVid est quòd voluisti facere. A contumelijs abstinet, abstinet à conuitijs, digna res, quæ in exemplum est, & legis nouæ, hoc est perfectionis discant, ab homine, qui non adeo felici viuebat æuo, vocaret alius, inquit egregius ille auctor impostorem, fraudulentum, dolosum hominem, à quo tantam fraudem fuisset passus, cur tu, ò Iacob, non similibus contumelijs adeò meritis percutis illum, qui sic te fallit? cur non vocas impostorem? Nonne verè impostor est, & dolosus, & fraudulentus? Equidem; sed tantus vir Iacob ab ijs CONTVMELIÆ VERBIS ABSTINET, quæ indecentissimè à viro probo, & sapienti pronuntiantur.

Respondit Laban: Non est in loco nostro consuetudinis, vt minores ante tradantur ad nuptias.

LOci consuetudinem obijcit, qui locum fidei non reliquerat; ab homine lucri cupido veritas facilè exulat, & promissorum fides. Vtilem rebus suis expertus Iacobum apud se retinere hac fraude studuit. Hon‑cala hic: *Igitur aut Liam pro Rachele submisit, quoniam desperauerat, alteri elocare posse maiorem lippis oculis, aut sicut quibusdam videtur, luscioris, & tenuiter admodum aspicientibus insigniter deformem: aut, quod verius esse putatur, Laban expertum industriam, fidemque Iacob in seruandis, augendisque gregibus suis, optauit alterum septennium hominem penes se retinere reformatis Rachelis sponsalibus.*

Quod de Lia, quod Rachele hîc dicitur aptè
ad mores excolendos, in quibus ordo seruan- 872
dus est, transtulit Sanctus Nilus, dum ait: *Ordo si vlla in re, in Religionis cultu maximè est necessarius: & ex principijs ad veritatem progredimur. Qui enim neglectis initijs iucundiora præripiunt ad ea redire coguntur necessariò, & ordinis rationem sequi. Quemadmodum Iacob Rachelis pulchritudine captus oculorum Liæ despexit infirmitatem, neque tamen virtutis huius laborem effugit, expleuit enim eius annorum hebdomadam. Qui igitur legitimum vult institutionis ordinem seruare, is non à fine debet ad principia proficisci, sed à principijs progredi ad perfectionem. Sic enim & ipse propositum assequeretur, & eos, qui sub ipsius sunt disciplina, ducet ad finem virtutis sine reprehensione.*

Videns autem Dominus, quòd despiceret Liam.

VIdens autem Dominus quòd despiceret Liam. Hoc minus suos Deus despicit, quò magis ab hominibus despiciuntur; contemptus hominum facit ne contemnantur à Deo, & dum contumelijs onerantur ab hominibus, onerat eos Deus donis suis: quod hîc vides in Lia factum: *Dominus*, inquit Porrecta, *Liæ fauores plures ostendit, quia minus ab homine diligebatur; immo quia despiciebatur quodammodo, & pro nihilo ferè ducebatur: quos fauores Racheli denegauit, quia nimis à marito amabatur. O grandis res profectò, amans est bonus, amor est castus, amata est bona: & tamen quid fecerit Deus, audisti. Hac de causa puto Beatum Martinum plures à Deo in miraculis gratias habuisse ante Episcopatum: quàm in Episcopatu. Idem eadem de causa reor de Beato Hilario persecutionis tempore: & tempore tranquillitatis.*

litatis. Nam Beatus Martinus ante Episcopatum duos, in Episcopatu verò vnum solummodo mortuum, suscitauit. De Beato verò Hilario legis, quod in exilio vnum mortuum ad vitam reuocauit, & duodecim de Trinitate libros conscripsit: quorum neutrum ab illo in pacis tempore factum inuenis.

Videns autem Dominus, quòd despiceret Liam. Non solet Deus contemnere, qui ab hominibus contemnuntur, & patienter ferunt. Singularis Liæ virtus elucet, quæ videns se minori præferri, à contentionibus dissidijsque abstinuit, quod rarum in fœminis est; *Patet*, inquit Abulensis, *quod magna virtutis indicium erat, quod Lia quæ maior erat, & magis honorari debebat, haberet eundem virum cum sorore sua, & magis diligeretur soror à viro, & IPSA SINE CONTENTIONIBVS, ET CLAMORIBVS TOLERARET, quia videtur, quod secundum consuetudinem aliarum fœminarum multum debuisset esse molesta sorori suæ, sed non erat. Deus ergo videns humilitatem, & afflictionem eius dedit ei quatuor filios, quia quatuor ignominias patiebatur, scilicet, quia à Deo abiecta videbatur, ab omni neglecta, à sorore contempta, à viro suo extranea.*

Dixitque nunc quoque copulabitur mihi maritus meus.

873 QVod Lia hîc de marito dixit iustius quælibet anima de Deo dixerit, & ad Deum. Opportunè Richardus Vectorinus parte 1. de præparat. animi cap. 11. *Lia præsenserat, quando iam nato leui cum magna exultatione proclamabat: nunc copulabitur mihi vir meus, verus animæ sponsus Deus est, quem tunc veraciter nobis copulamus, quando ei per VERVM AMOREM INHÆREMVS. Immo vero tunc sibi nos ille connectit quando nos quibusdam interius commercijs ad suum amorem accendit, & arctius astringit.*

Cessauitque parere.

C*Essauitque parere.* Et qui cessasse dicitur parere, quæ postea filios edidit? Honcala hoc dubium vidit, & soluit. *Quæritur*, inquit, *quomodo cessauit parere, quæ postea genuit Isachar, & Zabulon? sed cessasse dicta est, quoniam quæ continuis partubus, quatuor filios ediderat, subinde PER DIVTVRNVM SATIS TEMPVS ITERVM NON PEPERIT. Nec mirum est, sic esse scriptum hoc loco, cùm in Scripturis Sanctis interdum quoque dicantur ea vltra non fieri, vel quæ diu postea, vel per sæculum aliquod non fiunt, licet multò post tempore eadem repetantur.* Hoc illis aptes, qui semel bono inchoato torpent, & diù illud prætermittunt.

CAP. XXX. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio I.

Qui alios *contemnit*, contemptibilis fit. 874
Corporea *pulchritudo* sterilitati ferè nexa, nisi quod vitia parturit.
Corporis *forma* præditus caueat, ne in mente sit sterilis.
Tumor, & *iactantia* quam noxia. 875
Mortem timeat, qui *creaturis* nimis adhæret.
Charitas perit, nisi liberos habeat, quia sterilis, & otiosa esse non potest.
Fides sine liberis non fit. 876
Corporis *pulchritudo* sæpe mentis pulchritudinem inficit.
Sapientia quæ fructus non parturit, deficit.
Mulierum ars cum aliquid nimis *cupidè* quærunt. 877
In *petitionibus* nostris facilè decipimur.
Fœmineæ *pulchritudinis* vis. 878
Sapientia, & *pulchritudo* ægrè cohærent.
Nimis *cupidè* filios, & res terrenas *quærere* quàm sit periculis plenum.

Cernens autem Rachel, quòd infæcunda esset, inuidit sorori suæ.

Q*Vòd infæcunda esset.* Ferè ita accidit, vt qui alios contemnit, contemptibilis fiat. *Antea sororem suam despexerat*, inquit Abulensis, *quia ipsa pulchrior erat, & magis à marito amabatur, nunc vice versa, quia Lia facta est fœcunda, multum amabilis erat;* vt hinc discamus nullum contemnere, vilipendere nullum, nam potest facilè superior fieri, qui inferior videbatur. 874

Quæ pulchra sterilis erat, fœcunda, quæ deformis, sic ferè fit, vt sint vtiliora quæ ab hominibus spernuntur; spem fallit species; parum est pulchritudinem sterilem esse, fœcunda multorum malorum sæpè mater est, & deformiora vitia parturit, quò maior.

Rachel pulchra fuit, sed erat sterilis; ferè qui pulchri bonorum operum sterilitate laborant. Peritè Pepinus hîc: *Rachel*, inquit, *quæ effecta est sterilis: quamuis formosa esset corpore, & decora facie, sorore eius Lia fæcunda existente quamuis lippis esset oculis: aperte insinuat quod communiter formosæ, & elegantes personæ, siue viri sint siue mulieres, SVNT INTVS STERILES PER*

CAREN-

CARENTIAM BONI OPERIS, *& gratia Dei, & hoc propter superbiam communiter in eis regnantem.*

875 Sed cur sterilitatis, opprobrio Rachelem potius, quam Liam Deus percussit? An quia ob concessam pulchritudinem intumuerat? Benè bonus ille auctor: Agnoscens sapiens Iacob, inquit, sterilitatem Rachelis superbia ob pulchritudinem, & quod flagrantissimè diligeretur à marito, aspernabatur sororem Liam, &c.

Ait marito suo: Da mihi liberos alioquin moriar.

RElicto Deo Rachel, maritum adit, vt filijs ditaretur, aitque: *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Addit scitus auctor: Et meritò dum relicto Deo, in Iacobo filiorum spem ponit, simul, & ob oculos mortem proponit; nihil enim citiùs à dilectissimis etiam creaturis sperare possumus.

Da mihi liberos, alioquin moriar. Hæc charitati aptant aliqui, quæ nisi honorum operum fœtu gaudeat, mortis incurrit periculum. Hinc illud illius huc spectantis: Quod Rachel anxia dixit marito. Da mihi liberos, alioquin moriar: hoc vere, & anxiè CHARITAS dicit iusto, sed tepido: da mihi filios, nempe bona opera, & merita, alioqui certa erit mihi mors, & miser interitus, CHARITAS ENIM OCIOSA, ET STERILIS CVM ESSE NON VALEAT, & ipsa sterilitate extinguitur, eum à fructu bonorum operum, quæ præcepta iniungunt, priuatur.

876 *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Fidei hoc proprium, vt viuere sine liberis non possit, si operum fœtibus destituatur, mortem obeat; hinc illud: *fides sine operibus mortua est.* Vt igitur viuat fides, bonis operibus cumuletur.

Da mihi liberos. Imprudenter loquitur, ab homine quærens, quod est Dei solius. Hinc quoque habes pulchritudinem corporis mentis plerumq; venustatem inficere. Addit Oleaster: *Quam irrationabilia sint sæpè fœminarum* PLACITA *ostendit locus iste*; vt in hoe sexus sui imbecillitatem probent.

Da mihi liberos, alioquin moriar. Ad sapientiam hoc transferatur, & vitæ spiritualis philosophiam, in qua qui non proficit deficit. Transtulit Richardus Victorinus, dum ait: *Da mihi liberos, alioquin moriar, absque dubio studium sapientiæ, si non* PROFICIT, CITIVS DEFICIT. Sic ille de præparat. animi cap. 12.

877 *Alioquin moriar.* Pagninus ex hebræo; *alioquin mortua sum*; cum aliquid anxiè mulieres quærunt, tenere modum vix sciunt, & formulis ex arte vtuntur, quibus quod postulant exsculpant. Sed mirum, quæ liberos postulabat, ne moreretur, mortua est, quia habuit, tam facilè in nostris petitionibus decipimur; infra n. habes c. 35. natum Beniamin cum morte matris suæ Rachel.

Alioquin moriar. Grauiorem huic sententiæ sensum subesse aliqui putant, vt mulierem de violenta morte sibi inferenda dicant: Ita Sanctus Isidorus Pelusiota: *Proinde, inquit, grauissimo mœrore correpta Rachel, se vim sua vitæ allaturam minabatur, nisi pareret. Da mihi liberos, inquit, alioquin moriar, hoc est mortem mihi ipsi consciscam.* Vbi auidè aliquid mulier cupit, nihil est, quod non moliatur.

Da mihi liberos. Stultitiæ plena verba à Beato Chrysostomo hæc dicuntur, ab homine mulier quærit, quod petendum à Deo erat. Sed vnde tantæ stultitiæ occasionem sumpsit? A sua, vt scitus ille auctor ait, pulchritudine; vt enim pulchritudine valebat apud Iacobum, ab illoque affectum extorquebat: sic desipuit, vt crederet etiam ab illo posse, sine Deo, VI SVÆ PVLCHRITVDINIS & filios extorquere. Et quem non faciat sic stultescere pulchritudinis conscientia? Ad Regem Tyri loquutus Ezechiel cap. 28. v. 17. ait: Eleuatum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sapientiam tuam in decore tuo. Vbi se nouit decore, & pulchritune pollere, omnem suam perdidit sapientiam, & in maximas stultitias deuenit. Vix vlla potest manere sapientia cum conscientia pulchritudinis. 878

Quæ filios nimis anxiè, & cupidè quærit in filiorum partu periclitata postea est; tantum nocet nimius in liberos affectus, quod ad terrenorum etiam cupiditatem transferas. Scitè ille: Non caret mysterio, quod inter vxores Patriarcharum, Saram, Rebeccam, Liam fœcundam, sola Rachel periclitatur in partu: FORTE QVIA PLVS NIMIO FILIOS DESIDERAVIT: dixit enim marito insipienter, & inuidens sororis fœcunditati, Da mihi liberos, alioquin moriar. Dati autem sunt ei liberi, qui non à morte liberarent, sed mortem afferent: nam cum secundum peperit mox mortem obijt: nam qui inordinate, & imprudenter, aut ex inuidia filios spirituales gignere cupit, eorum occasione sibi animæ mortem asciscit.

Sectio II.

Nullius *amore* æquanimiter ferenda Dei *offensa*. 879

Mariti est vxorem errantem *corripere*.

Immoderata *vxorum desideria* temperent mariti.

Propriæ *iniuria* patienter ferendæ, non quæ *Deum* tangunt. 880

Suo sexu maior *fœmina*, si patienter viri *reprehensiones* ferat.

Locum Dei *donis* facit, qui se *nihil* posse fatetur.

Animi ægritudo alias cogitationes absorbet. 881

Amor pondus rebus adijcit.

In bonorum *operum* fœtibus nullus alteri cedat.

Dissidia, & *discordias* inter mulieres sedare *viri* prudentis est. 882

Filij,

Filij, & exercitus cohærentia.
Quòd habent pauperes, quærunt habere diuites.
Mundanarum rerum natura appetitum irritat non ſatiat.
Fæmineæ leuitatis eſt, occaſione rei leuiculæ dolorem grauioris iam ſopitum expromere. 883
Ira correpti ira mitiganda.
A durioribus ſpes augmentum ſumat.

Cui iratus reſpondit Iacob. Num pro Deo ego ſum.

879 AMor, quo dilectam vxorem proſequebatur, inhibere Iacob non potuit, quia iratus illi reſponderet, eiuſque verba retunderet, Deum ſcilicet vxori vt par eſt præferens: *Licet Iacob*, inquit Lipomanus, *vehementius quàm par erat amaret Rachel, Deum tamen cum timeret* ÆQVANIMITER FERRE DEI BLASPHEMIAM NON POTVIT, *munus ſcilicet filiorum, quod ſolo Deo donante, conceditur, ſibi tribui marito.* Prius tanta paſſus à Laban fuerat, nec ira correptum legimus, modo iraſcitur in Rachelem, quam tam vehementer amabat? An quia iniuria in Deum reſiliebat?

Maritus mariti munus exercuit, vxorem corripuit. *Ad maritum namque ſpectat*, inquit Beatus Dionyſius, VXOREM ERRANTEM CORRIPERE, *informare, ac regere, quia vir caput eſt mulieris. Viri quoque naturaliter, & communiter ſunt mulieribus conſtantiores, ac magis prudentes. Hac etiam ira Iacob, fuit ira per Zelum.*

Cui iratus reſpondit. Hic viri exemplum habent, ſuarum vxorum inordinata deſideria coercendi: *Viri*, inquit Oleaſter, IMMODERATA VXORVM DESIDERIA *arguere, & temperare debent*. Quòd ſi in filiorum habendorum deſiderio, quod vxorem corripuerat id factum à Iacob, multò magis id fiet, ſi ſuperflua, & abſona vxor concupiſcat.

Mirum, qui ſæuientem Eſau tandiu ſuſtinuit, ferre verbum imprudens, quod à Rachele exierat, non potuit, quia nimirum hic iniuria Dei irrogabatur, cum homini tribueretur, quod erat Deo, nam liberos dare à ſolo Deo eſt, quod à Iacobo poſtulauerat Rachel: vir Sanctus proprias iniurias patienter tulerat, ſed diuinas non potuit, non debuit.

Habeo, inquit, famulam, &c.

880 HAbeo famulam. In hoc ſe ſuper ſexum ſuum extulit Rachel, quod à viro reprehenſa, nihil repoſuit durum, ſed patienter redargutionem tolerauit; vt non mirum ſi poſtea quoque legamus, Dominum Rachelis recordatum, liberos ei dediſſe. Nimirum ſterilis eſſe neſcit in malis tolerantia, & in duris ferendis patientia. Vel hinc ſperare bona de Rachele erat procliue, quod reprehenſa ferre reprehenſionem potuit, nec acerba verba in virum regeſſit.

Habeo famulam Balam. Mirum huc Rachelem euaſiſſe, vt fateatur filiorum carentiam à ſe eſſe, & à ſua ſterilitate, non à viro. Locum Dei donis facit, qui ſe nihil poſſe, nihil eſſe fatetur: incipit ſterilitas eſſe fœcunda, dum mulieri defectum ſuum obijcit, & ad tacitam eius confeſſionem eam inducit.

Ingredere ad eam. Cur non cogitauit Rachel quàm infeliciter Saræ ceſſerit, famulam vxorem ad gignendos filios ſuppoſuiſſe? *Non timuit*, inquit Salianus, *ne inſoleſceret, ſicut Agar, quia ita ægritudo animi ceteras omnes curas*, COGITATIONESQVE ABSORBEBAT. Cum auidè aliquid mulier deſiderat, vix locum alijs cogitationibus dat. 881

Comparauit me Deus cum ſorore, & inualui.

ET inualui. Cur ſe ſorori præfert, quæ filiorum numero erat inferior, præſertim cum de liberis concertatio eſſet? An quia Iacobi in Rachelem amor filiorum numero præponderabat? *Sed quæritur*, inquit Abulenſis, *quomodo dicit ſe inualuiſſe contra ſororem ſuam, cum ſoror ſua quatuor genuiſſet: ipſa autem duos, & ſoror ſua genuiſſet à ſe, ipſa autem de ancilla? Reſpondetur quod comparando* AMOREM NIMIVM, *quem gerebat Iacob ad Rachel, & modicum amorem ad Liam, & conferendo pulchritudinem Rachel turpitudini Liæ maioris reputationis haberentur duo filij Rachelis, quam quatuor filij Liæ, ideo ſemper ipſa inualeſcebat.* Scilicet amor pondus rebus adijcit.

Quod fecerat Rachel, nunc facit Lia, exemplo ſuo docens noſtrorum exempla, cum bonum aliquid præſtiterint, imitanda. O in operum bonorum editione ſorores præſtet, quod iſtæ, vt liberis cumularentur præſtitere, vt altera alteri nolit cedere, alia aliam quærat in fœtuum numero ſuperare!

Nec Liæ famulam reiecit Iacob, ne eam contemnere videretur, neue lis, & diſcordia inter duas illas vxores oriretur. Nam ſi Iacob vni negaſſet, quod alij conceſſiſſet, ſtatim diſſidium inter illas ortum. In hoc maximè viri prudentia elucеſcit, quod in ſua familia fouere pacem poteſt. *Iſtam quartam vxorem*, inquit Abulenſis, *non deſiderabat nec petebat, nec etiam ad preces Liæ, ſuſcepiſſet, quia iam Lia conceperat filios quatuor, nec erat ei neceſſe concipere ex ancilla, ſed ſuſcepit eam, ne* ODII, ET DISSENSIONIS MATERIA ORIRETVR, *quia diceret Lia ego ſum infælix, ego ſum deſpecta, quia ad preces ſororis meæ ſuſcepit Vir meus ancillam in vxorem, ad preces autem meas ſuſcipere noluit.* 882

Dixit feliciter.

DIxit feliciter. Pagninus: *Venit proſperitas*, Oleaſter: *Et ecce exercitus*. Sed quid in-

 fanti

tanti cum exercitu? *Quia non solum ad pacem*, inquit Oleaster, *sed ad* TVENDAM PATRIAM, *& patrios mores nutriendi filij:* tanquam si vno filio benè informato integer exercitus struere-tur. Nisi dicamus filios cum exercitu cohærere, quia illorum est sub paternæ eruditionis vexillo degere, & ad nutum parentum pendere, & duro tolerare, quod proprium militum est.

Da mihi partem de mandragoris filij tui.

DA mihi partem de mandragoris. Et nonne pretiosiora habebat Rachel, quàm vt mandragorarum partem quæreret? *Quicquid* PAVPERES *habent*, inquit Oleaster, *volunt sibi* DIVITES *habere, ac si proprijs bonis indigentes ditescere velint alienis*, & in copia, ac opulentia pauperes essent; hæc mundanarum rerum natura, vt irritent appetitum, non satient.

Parumne tibi videtur, quòd præripueris maiorem mihi, nisi etiam mandragoras filij mei tuleris.

883 CVr non mitius sorori mandragorarum partem quærenti respondet Lia? cur illi obiicit, quod maritum ei præripuerit, quæ res iam diu præterita erat? An hic fœmineum aliquid latet, ex re leui occasionem sumens dolorem promendi, qui latebat? *Pro re leuicula*, inquit Lippomanus, *ansam Lia accipit vindicandi dolorem, quem tenebat in pectore* MORE FOEMINEO. Virum vir exuit, & fœminam induit, si dolorem iam conceptum diù apud se retineat, & euomendi occasionem exspectet.

Dormiat tecum in hac nocte.

DOrmiat tecum in hac nocte. In his verbis se super suum sexum Rachel extulit, dum durè percussa, & asperis verbis icta; de eadem patura sororem non repercussit, quin potius iratam mariti exhibitione mitigauit. *Rachel*, inquit ille, *sororis* IRAM MITIGANS, *virum obtulit*: & quod mireris, nunquam sorori lippitudinem obiecit, nec inuidia correpta, aut duriusculè percussa, eò prorepsit, vt lippam sororem præ contemptu vocaret, quòd rarum exemplum, nulli corporis defectum, turpitudinemque obijciendi.

Post quem peperit filiam nomine Dinam.

MIrum erga Dinam non præstitisse Liam, quòd in filios melioris sexus fecit. Mulier, inquit ille, animal calamitosum est. Hinc Lia nascentibus filijs gratias Domino agebat, & nomina illis, hanc animi sui gratitudinem testantia imponebat: quæ tamen nata filia Dina nihil legitur dixisse, licet nec legamus neglexisse.

Recordatus quoque Dominus Rachelis exaudiuit eam.

EXaudiuit eam. Adeo Iacobi dura verba eius spem non deiecerant, non fregerant, vt plus erexerint, & firmauerint. *Quum enim*, inquit Theodoretus quæst. 89. *audiuisset à Iacob, Nunquid ego tibi sum pro Deo, qui te priuauit fructu ventris? vehementiores Deo* PRECES OBTVLIT, *& adepta est, quod poscebat.*

Sectio III.

Dimitte me, vt reuertar in patriam, & ad terram meam.

TErram suam vocat, in qua tamen nihil possidebat, quia nimirum virtus de diuina erat promissione: Quòd Deus pollicetur adeo est magnum, vt in spe quoque rei omni sit præferendum, quàm aliunde re ipsâ quis possideat. 884

Inue-

Inueniam gratiam in conspectu tuo.

VNde tanta Labano ergo Iacobum humanitas, humilitas? quis crederet cor illud sic potuisse inflecti? Profectò, nuperi auctoris sunt verba ad verba producta, mansuetudo Iacobi hanc de barbaro, ac truculento homine victoriam sibi nouit comparare. Mansuetudo, & lenitas furorem omnem comprimit; nihil illa, nihil ista potentius. Vis, verborumque durities homines exasperat, non emollit, emollit mansuetudo, mititas, humanitas.

Constitue mercedem tuam, quam dem tibi.

AC si diceret, tu ipse statue, ac manifesta, quam mercedem velis pro pascendis deinceps gregibus, nam illam tibi integram me daturum polliceor. Ex mundanorum more Laban loquitur, qui præteritorum obliti, semper in posterū melius se suos tractaturos promittunt.

Benedixitq́ tibi Dominus ad introitum meum.

AD *introitum meum.* Aliqui legunt, *ad pedem meum*, quam lectionem sic exposuit Theodoretus quæst. 87. *Clara est huius dicti sententia. Pedem enim vocauit aduentum, perinde ac si dixisset, propter aduentum meum, & solicitudinem meam, Deus tibi bona impertiuit. Ille enim animaduertens pietatem meam, omnimoda benedictione prosecutus est, quæ abs te mihi commissa sunt.*

Respondebitq́ mihi cras iustitia.

885 IN futuro iustitiæ suus respondebit fructus, si in præsenti exerceatur. Sanctus Bernardus in vigilia Natiuitatis Domini serm. 5. ad hunc locum spectans, ait: *Hoc est, quod ait Patriarcha Iacob: Cras mihi respondebit iustitia mea. Hodie enim iustitia colitur, cras respondebit: hodie exercetur, cras fructificabit. Alioquin quod non seminauerit homo, nec metet. Nec enim tunc videbit maiestatem, qui contempserit interim sanctitatem: nec orietur ei Sol gloriæ, cui Sol iustitiæ ortus non fuerit: nec illucescet ei dies crastina, cui non luxerit hodierna.*

Et separauit in die illa capras.

CVr separationem istam in alterum non distulit diem? cur tanta celeritate rem curat perficere? *Quia tantum*, inquit Abulensis, *latabatur Laban intendens lucrari ex illo pacto, quod noluerit dilatare huiusmodi rem in* ALTERVM DIEM. Refert in hac re mundanorum morem, qui vbi de lucro temporali agitur omnes moras amoliuntur, cunctationem omnem submouent, contra in rebus spiritualibus præstant, rem de die in diem differunt, & licet de æternis bonis lucrandis agatur, cunctantur tamen, & moras trahunt.

Tollens ergo Iacob virgas populeas virides, & amygdalinas &c. ex parte decorticauit eas.

ILle benè à virgis corticem aufert, qui in humanam opem spem suam non locat. Scitè Theodoretus quæst. 88. *Quemadmodum quum pro creandorum liberorum desiderio tenebatur, spem procreandæ sobolis non posuit in nuptijs, sed in Deo, qui nuptias legibus sanxit: sic & virgis corticem detraxit, non illis quidem confidens, sed* OPEM DIVINAM EXPECTANS.

Quod hîc de virgis decorticatis dicitur ad 886
Sanctum Bartholomæum Apostolum aliqui aptant. Hinc illud pij auctoris: Variæ sunt virgæ; nam varij in illis meritorum gradus, diuersæque qualitates reperiuntur. Alij Apostoli nominantur, Euangelistæ alij, nec non martyres, &c. Ideoq; dicit horum virgultorum nonnulla decorticata fuisse. Si quem sanctorum prædicta respiciunt, imprimis glorioso Bartholomæo scitè conueniunt, quem non vulgarem cœlestis viridarij plantam honoramus, sed fine cortice, quia pro nomine Domine Iesu Christi in Indiam citeriorem, quæ ei in orbis terrarum sortione ad prædicandum Euangelium obuenerat, verbum Dei gentibus disseminans, Astyage Polimij Regis fratre in Apostolum concitato, viro pellis detracta est. Consueuerunt homines arborem decorticare ad imprimendum melius syngrapham, & repræsentandas viuaces figuras. Ad viuum se Christus in Bartholomæo repræsentare voluit.

Sed cur virides sumpsit Iacob virgas, quas ouibus obijceret? Sanctus Thomas, nodum ita soluit: *Ideo virides sumpsit, quia in huiusmodi maior apparet diuersitas inter partem decorticatam, & non decorticatam, ipsaq́, VIRIDITAS sensibilius oculis intuentium se offert: & etiam quia* FACILIORIS SVNT DECORTICATIONIS. Idem in ijs accidit, qui peccatorum obteguntur cortice, quando recentes, ac virides in malo sunt, facilè decorticantur, & peccatis se finunt exui, vbi in peccatis diù hæserint, ægrè peccati cortex auferri ab illis potest. Audiant istuc, qui in peccatis integram ætatem absumunt, & vsq; ad senectutem hanc sarcinam ducunt, sepulchroq; proximi, iuuentutis vitia circumferunt.

Detractisq́ corticibus. Virga regale munus referebat. Nimirum quando superiores commoda propria non quærunt, sed lucri ponunt tegumenta, tunc oues transire ad meliorem partem facilè possunt, & meliores induere mores. Festiuè illo huc spectans: *Virga decorticata quæ nitebatur* OVES AD MELIOREM TRADVCERE, *regale signum erat. In illo enim maximè ostenditur virtus regia, quòd subditis suis etiam proprio impendio prouideat commodum melius.*

Atque in hunc modum color effectus est varius.

VArij colores ouium, variarum virtutum ornatum probant. Peritè Beatus Thomas 887

 à Vil-

ſtulit, quam paterna idola. Rem ſi ad mores transferas, vtilem nobis ſenſum affert: videlicet filios paternas imagines, & idola ſecum importare, etiamſi longius diſceſſerint, ideſt, SEMPER PATERNOS MORES IMITARI, eoſdem Deos colere, eadem idola venerari.

Mirum cur furata Patris idola Rachel fuerit, quæ à Iacob edocta fuerat, idololatriam vitare. *Poteſt dici*, inquit Sanctus Thomas, *quòd Zelo* IVSTITIÆ *contra eius* AVARITIAM, *ſeu rapinam hoc fecerit*. An id præſtitit, vt parenti idololatriæ cultus materiam auferret? An vt ipſa cum marito fugiente, non haberet Laban quos conſuleret, neue ab idolis diſceret, per quam viam fugiſſent, vt quidam dicunt; Inter mira locari debet, patrem idolorum cultorem eſſe, liberos verò idolorum contemptores.

Furata eſt idola. Pulchra Rachel ſecum idola fert; vel ne pater ea conſuleret, & per ea cognoſceret quò Iacob cum ſuis abijſſet; vel vt patri idololatriæ occaſionem ſurriperet, vel quod ea ipſa ijs eſſet dedita, ab ijsque felix iter, & proſpera omnia ſperaret, quod bonæ notæ interpretes voluere. Ferè quæ pulchritudine eſt inſignis idola ſecum fert, amantes, in venuſta muliere colunt idola. Denique alij putant aurum idolorum potius furatam, quàm idola ipſa; aurea idola clam ſurripuit quaſi dotem ſuam, ac quaſi mercedem marito debitam. Plerumque ita accidit, vt cum aliquem tanquam numen colere mulier videtur, aurum nudè quærat, nihil præterea.

Quod hîc de idolis Laban furto à Rachele ſublatis dicitur, ad religioſos viros ita transfert Vgo Carenſis: Idola Laban ſunt mores ſæculares, quæ furatur Rachel, quando quis in clauſtro mores ſæculares ſub HABITV RELIGIOSO retinet, quod ſatis turpe, & monſtro ſimile. Interius viuunt mundo, exterius mortui ſunt, exterius lucent, interius fætent.

893 Surripere idola non eſt malum, ſi id fiat, non vt ſeruentur, ſed vt deleantur, in hoc ſolo referre Rachelem quiſque poteſt. Pulchrè Sanctus Gregoris Nazianzenus: *Si Rachel quædam es, aut Lia, hoc eſt Patriarcha, & magna anima, patris quoque tui idola, quæcumque inueneris ſurripe, non vt ſerues; ſed vt deleas*. Et verò cum pater idola colit, facile eſt, vt filios habeat imitatores potius, quàm aduerſarios.

A Laban abiens Rachel idola ſui patris furata eſt; ò idem ab ijs qui à mundo abeunt, & in religioſam familiam nomen dant, ſæpe non præſtaretur? *Per hoc*, inquit Vgo Carenſis, *ſignificantur quidam, qui ſecum in clauſtrum deferunt de anathemate Iericho habentes in corde cupiditatem, ambitionem & huiuſmodi* IDOLA. Proh mirum aliqui hiſce idolis incubant mundum ſub Labani nomine deſerentes, quibus fors non incubabant ſub ipſo, ſicut nec legimus Rachelem idola incubaſſe, cum in patris degeret domo. O hîc aures arrigant, qui ad ſacra clauſtra tranſeunt, & mundum deſerunt.

Idola Rachel ſurripuit, quia à patre coli illa didicerat; facilè nimirum ebibunt filij parentum mores, rem ſic Faber vrget: ſectantur mores parentum filij: cernere id erat in Rachele, quo cum marito ſuo Iacob diſcedens è paternà domo, nihil aliud ſibi ſurripuit, ſecumque abſtulit, præterquam idola patris ſui; cùm alia tam multa, & vtiliora ſuffurari potuiſſet è prædiuite domo. Gen. 31. nimirum, VIDIT IPSA A TENERIS, quanto in honore, & pretio ſemper idola illa, quantamque in illis ſpem habuiſſet pater: hinc illa eorundem amore ineſcata, velut rem pretioſiſſimam ſibique chariſſimam, ex omnibus patris bonis ſublegit, eaque cum inquirerentur, mordicus retinuit, ſuper illa ſedendo, & ſtramenta inijciendo: eodem prorſus modo, ſi non ſemper, ſaltem vt plurimum mores parentum imitantur filij, ſiue bonos, ſiue malos, & firmiſſimè adhærent paterno, vel materno ingenio.

Sectio II.

Deus præſentior nobis eſt, cum grauius periclitamur. 894

Irati hominis *linguam* comprimere ſolius eſt Dei.

Pij homines ab *humano* non pendent die.

Quanti viri *iuſti* à *Deo* fiant.

Malorum familiaritas, vel Dei exemplo vitanda. 895

Quàm *promptè* Dei *iuſſa* perficienda.

Ægrè vincitur conſuetudo, & inolita animi *paſſio*.

Mundi deceptorijs promiſſis non fidendum. 896

Impij bona facere volunt, cum opportunum *tempus* non eſt.

Superborum arrogantia, vt ſæpè confundatur.

Iactantia in bonis, quæ pro *amicis* agimus, vitanda. 897

A *verbis* abſtinere debemus, quibus lædi *iuſti* poſſunt.

Idolorum mentio idolorum *contemptus*.

Paterfamilias de ſuorum *moribus* nunquam ſit ſecurus.

Non cito in aliena facta *reprehenſione* exiliendum eſt.

Nimia *curioſitas* in ſuorum *ſcrutandis vitijs* cauenda. 898

Viditque in ſomnis dicentem ſibi Deum.

NOn legimus antea Deum Labano indixiſſe, ne verbis factiſque Iacobum offenderet; nunc fecit, quia in maiori diſcrimine erat Iacob. *Vides*, inquit Lippomanus, *quod nuſquam Deus præſentior* 894

tior est fidelibus, quàm dum GRAVIVS PERICLITANTVR.

Viditque in somnis Deum. Cur non per hominem Deus Laban iratum monuit, vt linguam coërceret? cum de irati hominis lingua comprimenda agitur, Deus, aut Angelus Dei vice apparet, tanquam impar huic rei humana industria, & studium sit. Iosue stare Solem iussit, ira feruens, vt linguam cohibeat vix se sinit persuadere. Dei opus est maledicam linguam comprimere, & ab inferendis contumelijs cum iratus quispiam est auocare. Vt ab hac parte plusquam homo videatur, qui istuc imperat sibi, hoc à se ipso obtinet.

Caue ne quicquam aspere loquaris contra Iacob.

PAulo aliter in Hebræo est, scilicet: *Caue ne loquaris cum Iacob à bono vsque ad malum.* Circa quam formulam hæc habet Honcala: *Quod videtur prouerbialiter dictum prohibente Domino Laban cum Iacob contendere pro re aliqua, siue bona, siue mala sibi videretur. Vel forte præcipitur homini peccatori, ne de bono cum innocente agat: quia impiorum bonum pijs minimè censetur bonum. Non enim* PII AB HVMANO ORE PENDENT.

Patum erat, Deum indixisse Laban, ne Iacobo noceret, indixit etiam ne asperius ei loqueretur, tanti iusti à Deo fiunt. In Genesi inquit ille, Deus ad Laban nocte, dixit, cum fugientem Iacob persequi cepisset: Caue ne quidquam asperè loquaris contra Iacob. Vbi animaduertendum est, talem Deum suorum gerere curam, vt non solum eis prohibeat nocere, sed etiam DVRE ALLOQVI.

895 *Caue.* Nomen non adiecit, sicut Iacobi nomen posuit, *nec enim*, inquit Rupertus, *tanti erat* MERITI *quod eum nosset Deus ex nomine.* Præterea non legimus Deum Labani nomen prodocentem, nam hoc cuiusdam familiaritatis indicium fuisset, quæ cum de malis agitur vel Dei exemplo nobis vitanda.

Vel ab Ethnico Laban discere possumus, quam promptè Dei iussa debeamus perficere, & ad eius imperium inimicis parcere. Pulchrè rem ille versat: Nonne, inquit, Laban ibat, cum domo egrederetur instar leonis sæuiens, animo voluens quemadmodum atrocissimam de Iacobo vindictam sumeret, cum autem illius conspectum subijt, & verba ista proferebat, iam omnem ferocitatem deposuerat, & agno similis non de vindicta sumenda, sed de feriendo fœdere cogitabat. Vnde igitur subitò facta ista consilij mutatio? non video aliam causam nisi illam. Deus patris tui dixit mihi heri. Caue ne loquaris contra Iacob quicquam durius. Quis dubitat, quin Laban ardenter exoptauerit Iacobum punire, & fortunis spoliare, & cogere, vt in suam domum regrederetur? & tamen vires conciderunt, nec habet manus, nec linguam, nisi ad ignoscendum ei, quia Deus manus & linguam illi reuinxerat, non funibus, sed verbo illo. Ego autem dico tibi. Si ergo TANTAM VIM HABVIT VERBVM ILLVD apud hominem ethnicum, qui non dixit, Deus meus dixit mihi heri, sed Deus patris tui, &c. Quia ipse idolis inseruiebat, & nondum veram Dei cognitionem fuerat assecutus, quantam vim habeat necesse est, præceptum à Christo Domino impositum apud homines illos, qui Christi nomine insigniti sunt, & Christianam religionem profitentur.

Vt prosequerer te cum gaudio, & canticis.

PRæceperat ei Deus, ne quidpiam asperum in Iacobum diceret, sed statim ille incipit à dura illius reprehensione, vt hinc colligas, quàm ægrè insolita animi passio comprimatur. Præterea Laban ita correptus tàm dirè in Iacobum sæuire parauerat, vt mitia hæc illi visa verba quæ alioquin aspera, & dura. Hæc maledicorum hominum, & ira feruentium conditio est, vt cum leuiter lingua pungunt, blandiri se putent.

Laban mundi personam sustinet, qui suos
cum gaudio, canticis, & citharis se deductu- 896
rum pollicetur, viri iusti est, ob hanc præcipuè causam clam fugere, nè tali comitatu pergat. Benè ille: Vt prosequerer te cum gaudio, & tympanis, & cytharis. Imò verò ò stulte, ob hoc clam se surripuit, ne eum cum canticis, & orgijs comitareris. Etenim, qui Dei monitum sequuntur, & relictis mundanis iuris arctiorem virtutis viam arripiunt, non tam domum paternam relinquant, quàm fugiant, neque choros, aut dulce modulantes auribus excipiant: fugam meditentur, & inscijs parentibus viam præripiant nunquam redituri.

Vt prosequerer te cum gaudio. Quod multorum annorum spatio non fecerat, facturum se in extremo discessu pollicetur. Qui semper durè tractauerat Iacobum, nunc obsequia omnia spondet, quia tempus præterierat, ad impiorum morem, *qui*, vt ait Oleaster, *nunquam didicerunt bona facere, nisi cum* NON EST TEMPVS *faciendi.* Quod illis aptes, qui in extremum vitæ finem bona omnia spondent, cum omnia opportuno tempore neglexerint.

Et nunc quidem valet manus tua reddere tibi malum, sed Deus patris vestri heri dixit mihi.

PEnde vt insaniat Laban, dum volens se super Iacob efferre, effert Iacobum, & demittit se: quod arrogantium, & superborum est. Acutè sic rem expendit Sanctus Thomas. *Nota*, inquit, QVOMODO ARROGANTIA SVPERBORVM SÆPE SE CONFVNDIT *vbi magis credit se super sanctos magnificare. Nam Laban volens ostendere quod benè poterat nocere Iacob, in signum quod non desistebat defectu potentiæ, reuelauit*

uit

lucadi lapidem, aut quia non poterat amoueri, nisi à multis pastoribus insimul congregatis, vel fortè quia non erat ibi santa copia aqua, quia oporteret eaas sub certa mensura ab omium pastoribus distribui. Vnde & ideo ille puteus stabat sic clausus, ne quilibet pro libito inde posset aquam haurire.

Fratres vnde estis. A suis peregrinari Iacob potuit, non ab vrbanitate, quæ exulare ab illis nou debet, qui exulant à suis: *Docet nos hic locus*, verba sunt Oleastri ad hæc verba, *optima ad extraneos* HABERE VERBA, *non superbire*. Extraneos qui superbè alloquitur, extraneus ipse à prudentia est. Præterea fratres ignotos vocat, vt tam blando nomine sibi eorum familiaritatem conciliaret, cum eorum opera indigeret. In titulis haud sunt auari, qui alterius opem, auxiliumque requiruut.

Sanus ne est? inquit. Valet, inquiunt.

865 S*Anus ae est*. In hebræo est vox השלום *hasalom*, quæ vox integritatem propriè sonat, & ad sanitatem corporis sæpè transfertur. Pax sanitas, quasi bellum secum corporis infirmitas vehat; certè plerumque totus pax paceque, vt ita loquar, compactus quis videtur, dum est sanus, sed vix corripitur infirmitate aliqua, cum pugnæ, bellaque passionum exurgunt.

Quam cum vidisset Iacob, &c.

AC si Rachelis visio vires Iacobo addidisset, quibus grãdem lapidem à puteo amoueret; scilicet nihil est adeo difficile, quod facilè non fiat, si ad id amor vigeat. *Hoc fecit*, inquit Abulensis, *amore consobrina sua, cui complacere volebat*. Quid in nobis Dei præsentia, amorque in Deum non præstabit, cum tantùm Rachelis præsentia, & visio in Iacob potuerit!

Amouit lapidem. Quod hic de Iacobo narratur, Christo aptauit Berengosus Abbas de myster. Ligni Dom. dum ait: *Hac est illa lux per quam Iacob, & alio modo illustrari videbatur; dum pro adaquandis onibus amouit lapidem, quo puteus claudebatur, significans videlicet, quòd verus Iacob in ara crucis dignatus est nobis* PVTEVM APERIRE VERITATIS, *vt ex puteo Dominici Sanguinis reficeremur vnda Charitatis.*

866 *Amouit lapidem*. De hoc lapide hæc habet Honcala hic: *Fertur adeo grandem lapidem illum fuisse, vt minimè posset vllo pacto deuolui, nisi cunctis pastoribus ad id simul conniteatibus: quem tamen solus Iacob, etsi longo itinere fatigatus, facile renoenit*, SVPERIORE QVADAM, VT CREDITVR, VIRTVTE ADIVTVS. *Erat enim ex eorum numero, de quibus Esaias, inquit, Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* Tanti refert spem in Deum iacere.

Non casu accidisse, vt coniugia ad puteos fierent, non est quod vertatur in dubium; rectè monemur, animas Deo iungi diuinorum librorum, qui puteos referunt, ope; nefas hîc desiderari Origenis verba, qui rem ita versat hom. 10. in Genesim: *Secuta puerum Rebecca venit ad Isaac: secuta eum Sermonem Propheticum Ecclesia venit ad Christum. Et vbi eum inuenit? Ad puteum, inquit, iuramenti deambulantem. Nunquam reciditur à Puteis, nunquam desistitur ab aquis. Rebecca inuenitur ad Puteum. Rursum Rebecca ad Puteum inuenit Isaac. Ibi primo eius contemplatur aspectus; ibi desilit de camelis; ibi à Puero sibi demonstratum vidit Isaac. Hac putas sola referri de Puteis? Et Iacob ad Puteum venit, & ibi inuenit Rachel, & ibi innotescit ei Rachel bona oculis, & decora aspectu, sed & Moyses ad Puteum Inuenit Sephoram filiam Raguel. Nondum moueris, vt hoc intelliges spiritaliter dici? Aut putas semper casu contingere, vt Patriarcha ad Puteos veniant, & ad aquas coniugia sortiantur? Qui hac ita putat animalis homo est, & non percipit qua sunt spiritus Dei. Qui enim iungit se Domino, vnus est spiritus cum eo: Hanc autem coniunctionem anima cum Verbo, certum est non aliter fieri posse, nisi per instructionem diuinorum librorum, qui figuraliter Putei appellantur. Ad quos si quis veniat, & hauriat ex his aquas, idest, meditando in his sensum, intellectum percipiet altiorem, inueniet nuptias Deo dignas. Coniungitur enim Anima tiat cum Deo.*

Et eleuata voce fleuit.

GAudium à Iacobi oculis lachrymas excussit, quòd post longum, laboriosumque iter inuenisset, quod quærebat, optabatque, sed cur fleuisse Iacob legitur, non legitur Rebecca? An quia præterita inquisitio præteritusque labor lætitiam in Iacobo auxit; & quia maiori inueniendæ mulieris desiderio tenebatur, quàm mulier viri? An etiam fleuit Rebecca, licet id Scriptura non exprimat: *Scriptura*, inquit Abulensis, *solum facit hic mentionem, quòd Iacob fleuit, sed credendum etiam fleuisse Rachel, fœminarum enim sunt teneriores affectus, ideo eis faciliùs pracordia commouentur; sed scriptura illas lachrymas non recolit, quia fortè cognitum satis esse putauit, cum diceret Iacob fleuisse, Rachel à lachrymis non abstinuisse.*

Dic quid mercedis accipies?

Q*Vid mercedis accipies?* Non statim Iacobo 867
mercedem Laban offert, sed mercedis statuendæ mensuram illi reliquit. Plerumque accidit, vt qui nimis effusus, & longus initio est, IN SORDIDAM DEINDE AVARITIAM DESINAT, quod in Laban fuisse ex ijs, quæ scriptura diuina refert, dilucidè apparet; nimirum qui diuites in promissis, auaritiam exercent præstaturi, quod promiserant.

Quid mercedis accipies? Tam largus in mercede offerenda Laban est, *quia volebat*, inquit Abulensis, *vt Iacob diligens esset circa rerum suarum* CVSTODIAM. In qua re monentur heri, ne mercedem seruis, aut minuant, aut negent, si seruari res suas à seruis suis volunt.

Ser-

Seruiam tibi pro Rachel filia tua minore ſiptem annis.

HAud libidini, ſed continentiæ, ac caſtitati ſeruabat, qui ſeruiturum ſe dixit ſeptem annis pro Rachele. *Mirificam* CONTINENTIAM *præſeferens*, inquit Honcala, *dicit ad Laban ſeruiam tibi ſeptem annis, pro Rachel filia tua iuniore: ſibi ipſi tempus præſcribit, & tantopere ſufficiens argumentum ſuæ continentiæ prabet.*

868 Tandiù caſtitati ſeruire Iacob potuit, & quod eſt mirum præſente Rachele. Tot annis expectarent nuptias, quod ſingularis continentię eſt argumentum: ſed vnde tantas vires habuit Iacob, à Dei timore, labore, ac victus parſimonia. Benè Lippomanus? *Tot annis expectare nuptias licet cohabitando valuit, Dei enim* TIMOR SOLET REFRÆNARE LIBIDINEM *ſimul cum labore aſſiduo, & parſimonia victus paſtoralis.* His armis deſtitutus ægrè inter fœminea caſtra ſub caſtitatis vexillo militabit. Etiam ſcalæ viſæ memoria, Deique ſcalæ incumbentis coërcere virum potuit, vt intra continentiæ limites ſe cohiberet.

Iacobum pro Rachele laboraſſe obſeruat Sanctus Petrus Damianus, non pro Lia; quam rem ita ad nos flectit opuſc. 13. cap.8. *Si ſcripturam diligenter attendimus, nec vno quidem die ſeruiſſe Iacob propter Liæ deſiderium reperimus ſed per totas illas annorum hebdomadas pro ſola Rachel ſeruituti ſubiacuit, quis enim ad Deum idcirco conuertitur, vt labores, &* ÆRVMNAS, AC TENTATIONVM CERTAMINA *patiatur.*

Sectio II.

Et videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.

NImirum amor difficilia quæque facilia reddit, & leuia quæ alioquin grauia. 869
Idem nobis accidet, & plenius, ſi Chriſtum amemus. Præſtat hîc ſiſtere, quæ habet Sanctus Hieronymus: *Quanta Iacob pro Rachel parta vxore ſuſtinuit: & ſeruiuit, inquit ſcriptura, Iacob pro Rachel annis ſeptem, & erant in conſpectu eius quaſi dies pauci: quoniam amabat illam. vnde & ipſe poſtea memorat, in die vrebar æſtu, & gelu nocte.* AMEMVS, ET NOS CHRISTVM, *eiuſque ſemper quæramus amplexus:* ET FACILE VIDEBITVR OMNE DIFFICILE: *breuia putabimus vniuerſa, quæ longa ſunt*: ſic ille epiſt. 22. quæ eſt ad Euſtochium.

Videbantur Iacob dies pauci ob amoris magnitudinem, & Chriſto pauca, leniaque tormenta quæ pro nobis ſuſtinuit. Siſtenda hîc ſunt quæ habet Beatus Thomas à Villanoua: *ſi de hoc amore dubitas, & qua te Deus tuus dilectione proſequatur ignoras, teſtimonia eius credibilia facta ſunt nimis: Teſtis crux, teſtes claui, teſtes dolores, teſtes ſanguinis inundantes fluuij, teſtis amara mors, & acerbiſſima, quam pro te ſuſtinuit: & cum hæc omnia patiatur, videntur ei omnia pauca præ amoris magnitudine, adhuc enim maiores, & abundantiores, ſi poſſibile eſſet, expetit pro te dolores grauiores, longioreſque pro te ſitit anguſtias, hoc eſt enim, quod in cruce pendens clamat ad patrem, ſitio. Et in Pſalmo, cucurri in ſiti, paratus videlicet, ad longiores, & acerbiores pœnas pro homine, ſi pater adhuc iniungeret. Et quamuis de illo ſcriptum ſit, ſaturabitur opprobrijs, & iterum quia repleta eſt malis anima mea, ſitit tamen adhuc: ſatur quo ad effectum, ſitiens quo ad affectum, ſatur, quia à planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas: ſitiens, quia* AMOR ADHVC DOLORIBVS PLENVS NON EST, *quamuis corpus vulneribus plenum ſit.*

Hæc Iacobi verba illos arguunt, quos leuis breuiſq; labor in Dei obſequio adeo laſſat, & frãgit, vt ſtatim torpeant, & manum retrahant. Benè ille, & verè: Iacob Patriarcha auunculo ſuo Labano pro filia Rachele ſeptem annis ſeruiuit, & videbantur illi pauci dies, præ amoris magnitudine. Audis hoc, homo queribunde; tu ſeruis non impoſtori, qualis Laban, ſed Deo conditori, & promiſſori fideliſſimo. Nec pro vxorcula ſeruis, ſed pro toto cœlorum Regno; non pro vxoria fama, ſed pro æterno Dei aſpectu; non pro vxoris blandimentis, ſed pro cœleſtibus æternis delicijs. Et tamen vel vnius dieculæ moleſtia te ſic eneruat, vt ſubinde tuus omnis in cœlum, in Deum amor frigere incipiat: quàmprimùm aduerſa ingruunt, mox in fuſiſſimas querelas prorumpis, cœlum, & terram inclamas, ſpiras vindictam, fortè nec ipſi ſuperdiuinæ iuſti-

tuæ querimonia tua parcit: quandoque verò sic te abblandiens voluptas emollit, vt seruitij diuini oblitus, & peccati labyrinthum à fronte amœnum ingressus, in lethalem somnum resoluaris.

870 Ob puellæ amorem diù laborauit Iacob, vt laborem vix senserit, renì obijt ijs, qui animarum curam habet, animarum pastor Sanctus Chrysostomus, dum ait: *Qualem nos excusationem habebimus, qui non pari studio erga Dominum nostrum, & beneffactorem, & curatorem, & qui nobis fit omnia, afficimur?*

Videbantur illi pauci dies. Et quomodo pauci, cum amanti omnis mora etiam breuis longa videatur? Nodum sic aliqui soluunt; *illos dies visos illi esse paucos, cum eos conferebat cum præstantia rei, quam per illos seruitutis dies sibi comparabat; ac multi erant si considerentur in quantum retardabant optatum vsum rei, quam amabat.*

Pauci ei videbantur ob amoris magnitudinem, vt vel hinc colligas purum hunc amorem fuisse, & à carnalis concupiscentiæ cœno immunem, talis enim amor moræ omnis impatiens est. Præiuit Sanctus Thomas, cuius hæc sunt verba: *Quod dicitur, videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine, si amor iste fuisset libidinosus, potius deberet contrarium dici, eo quod* TALIS AMOR EST IMPATIENS *mora, nec rationem attendit, quamuis post factum multus labor pro amasia iam impensus videatur, paucus etiam libidinoso amori.*

871 Præterea pauci ei anni videbantur, licet labor tempus soleat in laborantis mente quodammodo producere, aut quia amor leuem laborem reddebat, aut quia illius aspectu fruebatur, ob quam laborabat. Ita Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 28. *Profectò vel vnicus dies totius humanæ vitæ instar est desiderio laborantibus, nam illud Patriarcha Iacob mihi alio modo se habere videtur, qui pro duabus Virginibus quatuordecim annis Laban Syro seruicas haudquaquam labore frangebatur. Erant enim, inquit, omnes illi dies, quasi dies vnus, quod earum amore flagraret. Cuius rei hæc fortasse causa erat, quia* REI EXPETITÆ CONSPECTV FRVEBATVR: *vel etiam quia leuè est amore laborare, tametsi dilatio ipsa molestiam afferat.* Quod iustius ad eum transferas, qui & Dei amore laborat, & Deum præsentem cogitat, eiusque præsentia, vt loquebatur Sanctus Maximus, saginatur.

Et dixit ad socerum suum: Quid est, quod voluisti facere?

QVid est quòd voluisti facere. A contumelijs abstinet, abstinet à conuitijs; digna res, quæ in exemplum est, & legis nouæ, hoc est perfectionis discant, ab homine, qui non adeo felici viuebat æuo, vocaret alius, inquit egregius ille auctor impostorem, fraudulentum, dolosum hominem, à quo tantam fraudem fuisset passus, cur tu, ò Iacob, non similibus contumelijs adeò meritis percutis illum, qui sic te fallit? cur non vocas impostorem? Nonne verè impostor est, & dolosus, & fraudulentus? Equidem; sed tantus vir Iacob ab ijs CONTVMELIÆ VERBIS ABSTINET, quæ indecentissimè à viro probo, & sapienti pronuntiantur.

Respondit Laban: Non est in loco nostro consuetudinis, vt minores ante tradantur ad nuptias.

LOci consuetudinem obijcit, qui locum fidei non reliquerat; ab homine lucri cupido veritas facilè exulat, & promissorum fides. Vtilem rebus suis expertus Iacobum apud se retinere hac fraude studuit. Hoc tamen hic: *Igitur aut Liam pro Rachele submisit, quoniam desperauerat, alteri elocare posse maiorem lippis oculis, aut sicut quibusdam videtur, lucioris, & tenuiter admodum aspicientibus insigniter deformem: aut, quod verius esse putatur, Laban expertum industriam, fidemq; Iacob in seruandis, augendisque gregibus suis, optauit alterum septenarium hominem penes se retinere reformatis Rachelis sponsalibus.*

Quod de Lia, quod Rachele hîc dicitur aptè ad mores excolendos, in quibus ordo seruandus est, transtulit Sanctus Nilus, dum ait: *Ordo si vlla in re, in Religionis cultu maximè est necessarius: & ex principijs ad veritatem progrediuntur. Qui enim neglectis initijs iucundiora præripiunt ad ea redire coguntur necessariò, & ordinis rationem sequi. Quemadmodum Iacob Rachelis pulchritudine captus oculorum Lia despexit infirmitatem, neque tamen virtutis huius laborem effugit, expleuit enim eius annorum hebdomadam. Qui igitur legitimum vult institutionis ordinem seruare, it non à fine debet ad principia proficisci, sed à principijs progredi ad perfectionem. Sic enim & ipse propositum assequeretur, & eos, qui sub ipsius sunt disciplina, ducet ad finem virtutis sine reprehensione.* 872

Videns autem Dominus, quòd despiceret Liam.

VIdens autem Dominus quòd despiceret Liam. Hoc minus suos Deus despicit, quò magis ab hominibus despiciuntur; contemptus hominum facit ne contemnantur à Deo, & dum contumelijs onerantur ab hominibus, onerat eos Deus donis suis: quod hic vides in Lia factum: *Dominus*, inquit Porrecta, *Lia fauores plures ostendit, quia minus ab homine diligebatur; immo quia despiciebatur quodammodo, & pro nihilo ferè ducebatur: quos fauores Racheli denegauit, quia nimis à marito amabatur. O grandis res profectò, amans est bonus, amor est castus, amata est bona: & tamen quid fecerit Deus, audisti. Hac de causa puto Beatum Martinum plures à Deo in miraculis gratias habuisse ante Episcopatum: quam in Episcopatu. Idem eadem de causa reor de Beato Hilario persecutionis tempore: & tempore tranquillitatis.*

litatis. Nam Beatus Martinus ante Episcopatum duos, in Episcopatu verò vnum solummodo mortuum, suscitauit. De Beato verò Helario legis; quod in exilio vnum mortuum ad vitam reuocauit, & duodecim de Trinitate libros conscripsit: quorum neutrum ab illo in pacis tempore factum inuenis.

Videns autem Dominus, quòd despiceret Liam. Noo solet Deus contemnere, qui ab hominibus contemnuntur, & patienter ferunt. Singularis Liæ virtus elucet, quæ videns se minori præferri, à contentionibus dissidijsque abstinuit, quod rarum in fœminis est; *Patet*, inquit Abulensis, *quod magnæ virtutis indicium erat, quod Lia quæ maior erat, & magis honorari debebat, haberet eundem virum cum sorore sua, & magis diligeretur soror à viro, &* IPSA SINE CONTENTIONIBVS, ET CLAMORIBVS TOLERARET, *quia videtur, quod secundum consuetudinem aliarum fœminarum multum debuisset esse molesta sorori sua, sed non erat. Deus ergo videns humilitatem, & afflictionem eius dedit ei quatuor filios, quia quatuor ignominias patiebatur, scilicet, quia à Deo abiecta videbatur, ab omni neglecta, à sorore contempta, à viro suo extranea.*

Dixitque nunc quoque copulabitur mihi maritus meus.

873 QVod Lia hîc de marito dixit iustius quælibet anima de Deo dixerit, & ad Deum. Opportunè Richardus Vectorinus parte 1. de præparat. animi cap. 11. *Lia præsenserat, quando iam nato leui cum magna exultatione proclamabat: nunc copulabitur mihi vir meus, verus animæ sponsus Deus est, quem tunc veraciter nobis copulamus, quando ei per* VERVM AMOREM INHÆREMVS. *Immo vero tunc sibi nos ille connectit quando nos quibusdam interius commercijs ad suum amorem accendit, & arctius astringit.*

Cessauitque parere.

C*Essauitque parere.* Et qui cessasse dicitur parere, quæ postea filios edidit? Honcala hoc dubium vidit, & soluit. *Quæritur*, inquit, *quomodo cessauit parere, quæ postea genuit Isachar, & Zabulen? sed cessasse dicta est, quoniam quæ continuis partubus, quatuor filios ediderat, subinde* PER DIVTVRNVM SATIS TEMPVS ITERVM NON PEPERIT. *Nec mirum est, sic esse scriptum hoc loco, cùm in Scripturis Sanctis interdum quoque dicantur ea vltra non fieri, vel quæ diu postea, vel per sæculum aliquod non fiunt, licet multò post tempore eadem repetantur.* Hoc illis aptes, qui semel bono inchoato torpent, & diù illud prætermittunt.

CAP. XXX. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio I.

Qui alios *contemnit*, contemptibilis fit. 874
Corporea *pulchritudo* sterilitati ferè nexa, nisi quod vitia parturit.
Corporis *forma* præditus caueat, ne in mente sit sterilis.
Tumor, & *iactantia* quam noxia. 875
Mortem timeat, qui *creaturis* nimis adhæret.
Charitas perit, nisi liberos habeat, quia sterilis, & otiosa esse non potest.
Fides sine liberis non fit. 876
Corporis *pulchritudo* sæpe mentis pulchritudinem inficit.
Sapientia quæ fructus non parturit, deficit.
Mulierum ars cum aliquid nimis *cupidè* quærunt. 877
In *petitionibus* nostris facilè decipimur.
Fœmineæ *pulchritudinis* vis. 878
Sapientia, & *pulchritudo* ægrè cohærent.
Nimis *cupidè* filios, & res terrenas *quærere* quàm sit periculis plenum.

Cernens autem Rachel, quòd infœcunda esset, inuidit sorori suæ.

Q*Vòd infœcunda esset.* Ferè ita accidit, vt qui alios contemnit, contemptibilis fiat. *Antea sororem suam despexerat*, inquit Abulensis, *quia ipsa pulchrior erat, & magis à marito amabatur, nunc vice versa, quia Lia facta est fœcunda, multum amabilis erat;* vt hinc discamus nullum contemnere, vilipendere nullum, nam potest facilè superior fieri, qui inferior videbatur. 874

Quæ pulchra sterilis erat, fœcunda, quæ deformis, sic ferè fit, vt sine vtiliora quæ ab hominibus spernuntur; spem fallit species; parum est pulchritudinem sterilem esse, fœcunda multorum malorum sæpè mater est, & deformiora vitia parturit, quò maior.

Rachel pulchra fuit, sed erat sterilis; ferè qui pulchri bonorum operum sterilitate laborant. Peritè Pepious hîc: *Rachel*, inquit, *quæ effecta est sterilis: quamuis formosa esses corpore, & decora facie, sorore eius Lia fœcunda existente quamuis lippis esset oculis: aperte insinuat quod communiter formosæ, & elegantes personæ, siue viri sint siue mulieres,* SVNT INTVS STERILES PER

CAREN-

CARENTIAM BONI OPERIS, *& gratia Dei, & hoc propter superbiam communiter in eis regnantem*.

875 Sed cur sterilitatis, opprobrio Rachelem potius, quàm Liam Deus percussit? An quia ob concessam pulchritudinem intumuerat? Benè bonus ille auctor: Agnoscens sapiens Iacob, inquit, sterilitatem Rachelis superbia ob pulchritudinem, & quod flagrantissimè diligeretur à marito, aspernabatur sororem Liam, &c.

Ait marito suo: Da mihi liberos alioquin moriar.

Relicto Deo Rachel, maritum adit, vt filijs ditaretur, aitque: *Da mihi liberos, alioquin moriar*. Addit scitus auctor: Et meritò dum relicto Deo, in Iacobo filiorum spem ponit, simul, & ob oculos mortem proponit; nihil enim citiùs à dilectissimis etiam creaturis sperare possumus.

Da mihi liberos, alioquin moriar. Hæc charitati aptant aliqui, quæ nisi bonorum operum fætu gaudeat, mortis incurrit periculum. Hinc illud illius huc spectantis: Quod Rachel anxia dixit marito. Da mihi liberos, alioquin moriar: hoc vere, & anxiè CHARITAS dicit iusto, sed tepido: da mihi filios, nempe bona opera, & merita, alioqui certa erit mihi mors, & miser interitus, CHARITAS ENIM OCIOSA, ET STERILIS CVM ESSE NON VALEAT, & ipsa sterilitate extinguitur, cum à fructu bonorum operum, quæ præcepta iniungunt, priuatur.

876 *Da mihi liberos, alioquin moriar*. Fidei hoc proprium, vt viuere sine liberis non possit, si operum fœtibus destituatur, mortem obeat; hinc illud: *fides sine operibus mortua est*. Vt igitur viuat fides, bonis operibus cumuletur.

Da mihi liberos. Imprudenter loquitur, ab homine quærens, quod est Dei solius. Hinc quoque habes pulchritudinem corporis mentis plerumq; venustatem inficere. Addit Oleaster: *Quam irrationabilia sint sæpè fæminarum* PLACITA *ostendit locus iste*; vt in hoc sexus sui imbecillitatem probent.

Da mihi liberos, alioquin moriar. Ad sapientiam hoc transferatur, & vitæ spiritualis philosophiam, in qua qui non proficit deficit. Transtulit Richardus Victorinus, dum ait: *Da mihi liberos, alioquin moriar, absque dubio studium sapientiæ, si non* PROFICIT, CITIVS DEFICIT. Sic ille de præparat. animi cap. 12.

877 *Alioquin moriar*. Pagninus ex hebræo; *alioquin mortua sum*; cum aliquid anxiè mulieres quærunt, tenere modum vix sciunt, & formulis ex arte vtuntur, quibus quod postulant exsculpant. Sed mirum, quæ liberos postulabat, ne moreretur, mortua est, quia habuit, tam facilè in nostris petitionibus decipimur; infra.n.habes c.35. natum Beniamin cum morte matris suæ Rachel.

Alioquin moriar. Grauiorem huic sententiæ sensum subesse aliqui putant, vt mulierem de violenta morte sibi inferenda dicant: Ita Sanctus Isidorus Pelusiota: *Proinde*, inquit, *grauissimo mœrore correpta Rachel, se vim suæ vitæ allaturam minabatur, nisi pareret. Da mihi liberos, inquit, alioquin moriar, hoc est mortem mihi ipsi consciscam*. Vbi auidè aliquid mulier cupit, nihil est, quod non moliatur.

Da mihi liberos. Stultitiæ plena verba à Beato Chrysostomo hæc dicuntur, ab homine mulier quærit, quod petendum à Deo erat. Sed vnde tantæ stultitiæ occasionem sumpsit? A sua, vt scitus ille auctor ait, pulchritudine; vt enim pulchritudine valebat apud Iacobum, ab illoque affectum extorquebat: sic desipuit, vt crederet etiam ab illo posse, sine Deo, VI SVÆ PVLCHRITVDINIS & filios extorquere. Et quem non faciat sic stultescere pulchritudinis conscientia? Ad Regem Tyri loquutus Ezechiel cap.28.v.17.ait: Eleuatum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sapientiam tuam in decore tuo. Vbi se nouit decore, & pulchritune pollere, omnem suam perdidit sapientiam, & in maximas stultitias deuenit. Vix vlla potest manere sapientia cum conscientia pulchritudinis. 878

Quæ filios nimis anxiè, & cupidè quærit in filiorum partu periclitata postea est; tantum nocet nimius in liberos affectus, quod ad terrenorum etiam cupiditatem transferas. Scitè ille: Non caret mysterio, quod inter vxores Patriarcharum, Saram, Rebeccam, Liam fœcundam, sola Rachel periclitatur in partu: FORTE QVIA PLVS NIMIO FILIOS DESIDERAVIT: dixit enim marito insipienter, & inuidens sororis fœcunditati, Da mihi liberos, alioquin moriar. Dati autem sunt ei liberi, qui non à morte liberarent, sed mortem afferent: nam cum secundum peperit mox mortem obijt: nam qui inordinate, & imprudenter, aut ex inuidia filios spirituales gignere cupit, eorum occasione sibi animæ mortem asciscit.

Sectio II.

Nullius *amore* æquanimiter ferenda Dei *offensa*. 879

Mariti est vxorem errantem *corripere*.

Immoderata *vxorum desideria* temperent mariti.

Propriæ *iniuria* patienter ferendæ, non quæ *Deum* tangunt. 880

Suo sexu maior *fæmina*, si patienter viri *reprehensiones* ferat.

Locum Dei *donis* facit, qui se *nihil* posse fatetur.

Animi ægritudo alias cogitationes absorbet. 881

Amor pondus rebus adijcit.

In bonorum *operum* fœtibus nullus alteri cedat.

Dissidia, & *discordias* inter mulieres sedare *viri* prudentis est. 882

Filij,

Filij, & *exercitus* cohærentia.
Quòd habent *pauperes*, quærunt habere *diuites*.
Mundanarum rerum natura *appetitum* irritat non satiat.
Fœminea leuitatis est, occasione rei leuiculæ *dolorem* grauioris iam sopitum exprommere. 883
Ira correpti *ira mitiganda*.
A durioribus *spes* augmentum sumat.

Cui iratus respondit Iacob. Num pro Deo ego sum.

879 Amot, quo dilectam vxorem prosequebatur, inhibere Iacob non potuit, quia iratus illi responderet, eiusque verba retunderet, Deum scilicet vxori vt par est præferens: *Licet Iacob*, inquit Lippomanus, *vehementius quàm par erat amaret Rachel, Deum tamen cum timeret* ÆQVANIMITER FERRE DEI BLASPHEMIAM NON POTVIT, *munus scilicet filiorum, quod solo Deo donante, conceditur, sibi tribui marito*. Prius tanta passus à Laban fuerat; nec ira correptum legimus, modo irascitur in Rachelem, quam tam vehementer amabat? An quia iniuria in Deum resiliebat?

Maritus mariti munus exercuit, vxorem corripuit. *Ad maritum namque spectat*, inquit Beatus Dionysius, VXOREM ERRANTEM CORRIPERE, *informare, ac regere, quia vir caput est mulieris. Viri quoque naturaliter, & communiter sunt mulieribus constantiores, ac magis prudentes. Hac etiam ira Iacob, fuit ira per Zelum*.

Cui iratus respondit. Hic viri exemplum habent, suarum vxorum inordinata desideria coercendi: *Viri*, inquit Oleaster, IMMODERATA VXORVM DESIDERIA *arguere, & temperare debent*. Quòd si in filiorum habendorum desiderio, quod vxorem corripuerat id factum à Iacob, multò magis id fiet, si superflua, & absona vxor concupiscat.

Mirum, qui sæuientem Esau tandiu sustinuit, ferre verbum imprudens, quod à Rachele exierat, non potuit, quia nimirum hic iniuria Dei irrogabatur, cum homini tribueretur, quod erat Deo, nam liberos dare à solo Deo est, quod à Iacobo postulauerat Rachel: vir Sanctus proprias iniurias patienter tulerat, sed diuinas non potuit, non debuit.

Habeo, inquit, famulam, &c.

880 Habeo famulam. In hoc se super sexum suum extulit Rachel, quod à viro reprehensa, nihil reposuit durum, sed patienter redargutionem tolerauit; vt non mirum si postea quoque legamus, Dominum Rachelis recordatum, liberos ei dedisse. Nimirum sterilis esse nescit in malis tolerantia, & in duris ferendis patientia. Vel hinc sperare bona de Rachele erat procliue, quod reprehensa ferre reprehensionem potuit, nec acerba verba in virum regessit.

Habeo famulam Balam. Mirum huc Rachelem euasisse, vt fateatur filiorum carentiam à se esse, & à sua sterilitate, non à viro. Locum Dei donis facit, qui se nihil posse, nihil esse, fatetur: incipit sterilitas esse fœcunda, dum mulieri defectum suum objicit, & ad tacitam eius confessionem eam inducit.

Ingredere ad eam. Cur non cogitauit Rachel quàm infeliciter Saræ cesserit, famulam vxorem ad gignendos filios supposuisse? *Non timuit*, inquit Salianus, *ne insolesceret, sicut Agar, quia ita ægritudo animi ceteras omnes curas*, COGITATIONESQVE ABSORBEBAT. Cum auidè aliquid mulier desiderat, vix locum alijs cogitationibus dat. 881

Comparauit me Deus cum sorore, & inualui.

Et inualui. Cur se sorori præfert, quæ filiorum numero erat inferior, præsertim cum de liberis concertatio esset? An quia Iacobi in Rachelem amor filiorum numero præponderabat? *Sed quæritur*, inquit Abulensis, *quomodo dicit se inualuisse contra sororem suam, cum soror sua quatuor genuisset: ipsa autem duos, & soror sua genuisset à se, ipsa autem de ancilla? Respondetur quod comparando* AMOREM NIMIVM, *quem gerebat Iacob ad Rachel, & modicum amorem ad Liam, & conferendo pulchritudinem Rachel turpitudini Liæ maioris reputationis habentur duo filij Rachelis, quam quatuor filij Liæ, ideo semper ipsa inualescebat*. Scilicet amor pondus rebus adijcit.

Quod fecerat Rachel, nunc facit Lia, exemplo suo docens nostrorum exempla, cum bonum aliquid præstiterint, imitanda. O in operum bonorum editione sorores præstet, quod istæ, vt liberis cumularentur præstitere, vt altera alteri nolit cedere, alia aliam quærat in fœtuum numero superare!

Nec Liæ famulam reiecit Iacob, ne eam contemnere videretur, neue lis, & discordia inter duas illas vxores oriretur. Nam si Iacob vni negasset, quod alij concessisset, statim dissidium inter illas ortum. In hoc maximè viri prudentia elucescit, quod in sua familia fouere pacem potest. *Istam quartam vxorem*, inquit Abulensis, *non desiderabat nec petebat, nec etiam ad preces Liæ, suscepisset, quia iam Lia conceperat filios quatuor, nec erat ei necesse concipere ex ancilla, sed suscepit eam, ne* ODII, ET DISSENSIONIS MATERIA ORIRETVR, *quia diceret Lia ego sum infelix, ego sum despecta, quia ad preces sororis meæ suscepit Vir meus ancillam in vxorem, ad preces autem meas suscipere noluit*. 882

Dixit feliciter.

Dixit feliciter. Pagninus: *Venit prosperitas*, Oleaster: *Et ecce exercitus*. Sed quid in-

ſanti cum exercitu? *Quia non ſolum ad pacem,* inquit Oleaſter, *ſed ad* TVENDAM PATRIAM, *& patrios mores nutriendi filij:* tanquam ſi vno filio benè informato integer exercitus ſtrueretur. Niſi dicamus filios cum exercitu cohærere, quia illorum eſt ſub paternæ eruditionis vexillo degere, & ad nutum parentum pendere, & duro tolerare, quod proprium militum eſt.

Da mihi partem de mandragoris filij tui.

DA *mihi partem de mandragoris.* Et nonne pretioſiora habebat Rachel, quàm vt mandragorarum partem quæreret? *Quicquid* PAVPERES *habent*, inquit Oleaſter, *volunt ſibi* DIVITES *habere, ac ſi proprijs bonis indigentes diteſcere velint alienis*, & in copia, ac opulentia pauperes eſſent; hæc mundanarum rerum natura, vt irritent appetitum, non ſatient.

Parumne tibi videtur, quòd præripueris maiorem mihi, niſi etiam mandragoras filij mei tuleris.

883 CVr non mitius ſorori mandragorarum partem quærenti reſpondet Lia? cur illi obiicit, quod maritum ei præripuerit, quæ res iam diu præterita erat? An hic fœmineum aliquid latet, ex re leui occaſionem ſumens dolorem promendi, qui latebat? *Pro re leuicula*, inquit Lippomanus, *anſam Lia accipit vindicandi dolorem, quem tenebat in pectore* MORE FOEMINEO. Virum vir exuit, & fœminam induit, ſi dolorem iam conceptum diù apud ſe retineat, & euomendi occaſionem exſpectet.

Dormiat tecum in hac nocte.

DOrmiat tecum in hac nocte. In his verbis ſe ſuper ſuum ſexum Rachel extulit, dum durè percuſſa, & aſperis verbis icta, de eadem patura ſororem non repercuſſit, quin potius iratam mariti exhibitione mitigauit. *Rachel*, inquit ille, *ſororis* IRAM MITIGANS, *virum obtulit*: & quod mireris, nunquam ſorori lippitudinem obiecit, nec inuidia correpta, aut durinſeculè percuſſa, eò prorepſit, vt lippam ſororem præ contemptu vocaret; quòd rarum exemplum, nulli corporis defectum, turpitudinemque obijciendi.

Poſt quem peperit filiam nomine Dinam.

MIrum erga Dinam non præſtitiſſe Liam, quod in filios melioris ſexus fecit. Mulier, inquit ille, animal calamitoſum eſt. Hinc Lia naſcentibus filijs gratias Domino agebat, & nomina illis hanc animi ſui gratitudinem teſtantia imponebat: quæ tamen nata filia Dina nihil legitur dixiſſe; licet nec legamus neglexiſſe.

Recordatus quoque Dominus Rachelis exaudiuit eam.

EXaudiuit eam. Adeo Iacobi dura verba eius ſpem non deiecerant, non fregerant, vt plus erexerint, & firmauerint. *Quum enim*, inquit Theodoretus quæſt. 89. *audiuiſſet à Iacob, Nunquid ego tibi ſum pro Deo, qui te priuauit fructu ventris? vehementiores Deo* PRECES OBTVLIT, *& adepta eſt, quod poſcebat.*

Sectio III.

Dimitte me, vt reuertar in patriam, & ad terram meam.

TErram ſuam vocat, in qua tamen nihil poſſidebat, quia nimirum virtus de diuina erat promiſſione: Quòd 884
Deus pollicetur adeo eſt magnum, vt in ſpe quoque rei omni ſit præferendum, quàm aliunde re ipſa quis poſſideat.

Inue-

Inueniam gratiam in conſpectu tuo.

VNde tanta Labano ergo Iacobum humanitas, humilitas? quis crederet cor illud ſic potuiſſe inflecti? Profectò, nuperi auctoris ſunt verba ad verba producta, manſuetudo Iacobi hanc de barbaro, ac truculento homine victoriam ſibi nouit comparare. Manſuetudo, & lenitas furorem omnem comprimit; nihil illa, nihil iſta potentius. Vis, verborumque durities homines exaſperat, non emollit, emollit manſuetudo, mitiras, humanitas.

Conſtitue mercedem tuam, quam dem tibi.

AC ſi diceret, tu ipſe ſtatue, ac manifeſta, quam mercedem velis pro paſcendis deinceps gregibus, nam illam tibi integram me daturum polliceor. Ex mundanorum more Laban loquitur, qui præteritorum oblitii, ſemper in poſterũ melius ſe ſuos tractaturos promittunt.

Benedixitq́ tibi Dominus ad introitum meum.

AD *introitum meum*. Aliqui legunt, *ad pedem meum*, quam lectionem ſic expoſuit Theodoretus quæſt. 87. *Clara eſt huius dicti ſententia. Pedem enim vocauit aduentum, perinde ac ſi dixiſſet, propter aduentum meum, & ſolicitudinem meam, Deus tibi bona impertiuit. Ille enim animaduertens pietatem meam, omnimoda benedictione proſecutus eſt, quæ abs te mihi commiſſa ſunt.*

Reſpondebitq́ mihi cras iuſtitia.

885 IN futuro iuſtitiæ ſuus reſpondebit fructus, ſi in præſenti exerceatur. Sanctus Bernardus in vigilia Natiuitatis Domini ſerm. 5. ad hunc locum ſpectans, ait: *Hoc eſt, quod ait Patriarcha Iacob: Cras mihi reſpondebit iuſtitia mea. Hodie enim iuſtitia colitur, cras reſpondebit: hodie exercetur, cras fructificabit. Alioquin quod non ſeminauerit homo, nec metet. Nec enim tunc videbit maieſtatem, qui contempſerit interim ſanctitatem: nec orietur ei Sol gloriæ, cui Sol iuſtitiæ ortus non fuerit: nec illuceſcet ei dies craſtina, cui non luxerit hodierna.*

Et ſeparauit in die illa capras.

CVr ſeparationem iſtam in alterum non diſtulit diem? cur tanta celeritate rem curat perficere? *Quia tantum*, inquit Abulenſis, *lætabatur Laban intendens lucrari ex illo pacto, quod noluerit dilatare huiuſmodi rem in* ALTERVM DIEM. Refert in hac re mundanorum morem, qui vbi de lucro temporali agitur omnes moras amoliuntur, cunctationem omnem ſubmouent, contra in rebus ſpiritualibus præſtant, rem de die in diem differunt, & licet de æternis bonis lucrandis agatur, cunctantur tamen, & moras trahunt.

Tollens ergo Iacob virgas populeas virides, & amygdalinas &c. ex parte decorticauit eas.

ILle benè à virgis corticem aufert, qui in humanam opem ſpem ſuam non locat. Scitè Theodoretus quæſt. 88. *Quemadmodum quum pro creandorum liberorum deſiderio tenebatur, ſpem procreandæ ſobolis non poſuit in nuptijs, ſed in Deo, qui nuptias legibus ſanxit: ſic & virgis corticem detraxit, non illis quidem confidens, ſed* OPEM DIVINAM EXPECTANS.

Quod hîc de virgis decorticatis dicitur ad 886
Sanctum Bartholomæum Apoſtolum aliqui aptant. Hinc illud pij auctoris: Variæ ſunt virgæ; nam varij in illis meritorum gradus, diuerſeque qualitates reperiuntur. Alij Apoſtoli nominantur, Euangeliſtæ alij, nec non martyres, &c. Ideoq; dicit horum virgulrorum nonnulla decorticata fuiſſe. Si quem ſanctorum prædicta reſpiciunt, imprimis glorioſo Bartholomæo ſcitè conueniunt, quem non vulgarem cœleſtis viridarij plantam honoramus, ſed ſine cortice, quia pro nomine Domine Ieſu Chriſti in Indiam citeriorem, quæ ei in orbis terrarum ſortione ad prædicandum Euangelium obuenerat, verbum Dei gentibus diſſeminans, Aſtyage Polimij Regis fratre in Apoſtolum concitato, viro pellis detracta eſt. Conſueuerunt homines arborem decorticare ad imprimendum melius ſyngrapham, & repræſentandas viuaces figuras. Ad viuum ſe Chriſtus in Bartholomæo repræſentare voluit.

Sed cur virides ſumpſit Iacob virgas, quas ouibus obijceret? Sanctus Thomas, nodum ita ſoluit: *Ideo virides ſumpſit, quia in huiuſmodi maior apparet diuerſitas inter partem decorticatam, & non decorticatam, ipſaq́;* VIRIDITAS *ſenſibilius oculis intuentium ſe offert: & etiam quia* FACILIORIS SVNT DECORTICATIONIS. Idem in ijs accidit, qui peccatorum obteguntur cortice, quando recentes, ac virides in malo ſunt, facilè decorticantur, & peccatis ſe ſinunt exui, vbi in peccatis diù hæſerint, ægrè peccati cortex auferri ab illis poteſt. Audiant iſtuc, qui in peccatis integram ætatem abſumunt, & vſq; ad ſenectutem hanc ſarcinam ducunt, ſepulchroq; proximi, iuuentutis vitia circumferunt.

Detractiſq́ corticibus. Virga regale munus referebat. Nimirum quando ſuperiores commoda propria non quærunt, ſed lucri ponunt tegumenta, tunc oues tranſire ad meliorem partem facilè poſſunt, & meliores induere mores. Feſtiuè ille huc ſpectans: *Virga decorticata quæ nitebatur* OVAS AD MELIORAM TRADVCERE, *regale ſignum erat. In illo enim maximè oſtenditur virtus regia, quòd ſubditis ſuis etiam proprio impendio prouideat commodum melius.*

Atque in hunc modum color effectus eſt varius.

VArij colores ouium, variarum virtutum or- 887
natum probant. Petitè Beatus Thomas

à Villanoua: *Quæ*, inquit, *simplicis coloris fuerit oues, hæc pertinet ad Laban, non enim vna virtus sufficit ad gloriam, sed vario decoratam vellere, & varietate circumdatam oportet esse ouem, quæ dominico gregi annumeranda est, tartareus scilicet Laban eos tanquam suos possidet, qui* VNAM VIRTVTEM *habentes, cæteris destituuntur*. Varius in nobis color esse debet, varijs debemus virtutibus exornari, alioquin oues vnius coloris sunt Laban, non Iacob, quia à grege dominico excluditur, qui vnam ostentat virtutem, cæteris caret.

Posuitque eas in canalibus, &c.

Virgæ ouibus obiectæ indicant superiorum mores, qui virgis solent significari, facilè subditos referre. Aptè ille: Scimus è Sacris Litteris virgam denotare regiminis potestatem. Qualis autem erat color virgarum Iacob, talis erat color pecorum, quæ nascebantur ex ouibus in aspectu virgarum concipientibus, vti legimus Gen. 30. Ita omninò quales sunt Regis, ac Præsulis actiones, tales cogitationes concipiunt eorum subditi; quia vt oues illæ in virgas, ita IPSI IN RECTORES SVOS EORVMQVE MORES ACVTISSIME INTENDVNT, eaque recta, & licita putant, quæ in ipsis cernunt.

Virgæ ouibus obiectæ sanctos referunt, quorum obiectu virtutum variarum fœtus concipiuntur. *Quid aliud*, inquit Beatus Thomas à Villanoua, *vobis prædicamus? nihil aliud in concionibus quotidie facimus? nisi obijcere vobis rectissimas, ac viridissimas virgas inter fluenta doctrinæ*, VT EX VARIIS SANCTORVM EXEMPLIS, VARIOS VIRTVTVM CONCIPIATIS AFFECTVS. *Sed harum virgarum quædam decorticata sunt in martyrio, quibus candorem præstitit eximium in tormento cortex carnis ablatus. Quædam vero in cortice suo gratum retinent sanctitatis virorem, mundissimamque cælestem, gratus in illis candor, in istis viror, illas corticis depositio candidauit.*

888 Cum ouibus virides apposuerit virgas Iacob, cur viridi colore fœtus non pepererunt? *Quia*, inquit Cornelius, *in nullo quadrupedum est eà humorum proportio, & temperies, quæ ad viriditatem est necessaria; loco ergo viridis coloris pingebatur in fœtibus subniger, siue furuus; ad quod non parum iuuabat vmbra, & nigredo aquarum, quæ viriditatem* INVMBRABAT, & FVSCABAT, *vt non virides, sed fusca, & subnigra esse viderentur*. Sic plerumque accidit, vt exempla, & mores sanctorum, qui nobis obijciuntur perfectè non exprimamus, quia alius affectus mentem nostram occupat.

Factaque sunt ea, quæ erant serotina, Laban.

Sed cur non fecit Iacob, vt omnes oues essent varij coloris, quò nihil ad Labani manus peruenirent? An ne dolus aliquis esse crederetur? An ne nimis videretur auarus? Sanctus Thomas: *Duplici*, inquit, *ex causa fuit, quod Laban haberet ibi aliquam partem, non tamen ita bonam. Primò scilicet, ne posset aliqua* DOLI SVSPICIO *Laban insurgere, vel apparere. Secundò, ne Laban plus debito spoliaretur*. Vel nudam auaritiæ vmbram sancti vitant, omnisque doli suspicionem. Charitate spoliatus plus debito spoliari Laban nihil curasset, quin studiosè id quæsisset.

CAP. XXXI. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio I.

Postquam autem audiuit verba filiorum Laban.

Mirum quòd tàm liberè famæ Iacob detractum irent Laban filij. Quidni mali parentis mali essent filij? 889
qui idola colebat ægrè à vitijs auocare filios pater potuit. Qui animæ suæ curam negligebat, quid mirum, si filiorum negligat curam.

Ani-

Animaduertit quoque faciem Laban, quod non esset erga se sicut heri, & nudius tertius.

ALia, ac solebat mente Iacobum respiciebat Laban, & idcirco alium etiam vultum erga eum præferebat. Concinunt sibi filij, & pater, illi male de Iacobo loquuntur, iste retram ostendit faciem; fors à patris vultu mutato didicerunt filij alienam in Iacobum ostendere mentem, ferè enim quæ in Patre vident filij exprimunt.

Filij Laban liberius quàm deberent contra Iacob loquuntur, & iniustè expostulant patris facultate ditatum; pater refertur vultum erga illum mutauisse. Scilicet iuniores tamquam magis imprudentes foras euomunt, quod seniores, aut penitus intra se continent, aut certè non adeo apertè produnt.

Maximè dicente sibi Domino.

890 IVre hoc adiecit, ne discedere videretur ob mutatum Labani erga se vultum, animumque, & non potius ob Dei id iubentis imperium. Non casu accidit, vt alienior à Iacob Laban videretur, & Labani filij, in hac quoque re patrem sequerentur, fecit istuc Deus, vt omnem affectus vinculum, quo teneri poterat, ita solueret, & promptius iret, quò magis toruè videbatur. Vniuersè nimium parentum affectum exuat, qui Christum sequuturus, obsequuturus est Christo.

Misit & vocauit Rachel, & Liam in agrum.

IN agrum duxit vxores dicturus aliqua, quæ illatum pungerent patrem; vt liberiori loco positus liberius posset loqui, nec aliquis ad Labani aurem rem deferret; nec satis esse putauit intra aliquod cubiculum se recipere, foras prodit, vt foras emitteret, quod cordis secreto clausum latebat.

Video faciem patris vestri, quod non sit erga me sicut heri, & nudius tertius.

DE mutata Labani facie Iacob conqueritur, cur nihil dixisse dicitur de iniusta filiorum querela? An docere voluit ignoscendum iuuentuti, si aliquid, quod sit improbandum præstat, præsertim cum seniorum exemplum habeat? An fontem spectauit, indicans à patris alieniore animo liberiora filiorum verba velut à fonte riuulos fluxisse?

Vidi enim omnia, quæ fecit tibi Laban.

CVr non multa bona, quæ Iacob præstiterat in medium Deus adducit, sed tantum mala quæ fuerat perpessus? An vt hinc disceremus quanti res sit momenti malos ferre, mala sustinere? Cum multa, inquit probæ notæ auctor, fuerint in Iacob, quæ maximè commendare possent virum apud Deum; nihil tamen horum in medium adduxit, reddens rationem, ob quam tot bona in eum contulisset, PRÆTER MALA, quæ ipse passus fuerat. Scilicet, hoc maximè homines apud Deum commendat, nempe, SI PATIENTER MALA FERANT: ob hoc copiosam prolem, greges ouium numerosos, multamque supellectilem contulit, & hominem supra modum diuitem fecit, eùmque à soceri dolis, & minis immunem, & securum reddidit: vt noueris, hanc animi patientiam maximè apud Deum te commendaturam.

Nonne quasi alienas reputauit nos? & vendidit, comeditq́ pretium nostrum.

FAcilè est reperire, qui malè de aliquo loquentem iuuent; quod obseruans Oleaster hic, ait: *Commune malum* MVRMVRANTIVM EST: *vt non inueniant qui impediant, sed qui iuuent. Detraxerat Iacob Laban, mentitumque asseruit, mercedemque suam decem vicibus mutasse; & filiæ, quæ debuerant patrem excusare apud virum, accusant, & maiora mala, quàm audierint, detegunt, & aduersus patrem causam viri, veluti suam, tuentur. Vide quæ crimina patri obijciant: quod, scilicet eas extraneas reputauerit, quod eas vendiderit, illarúmque pecuniam consumpserit.* 891

Eò temporem ierat Laban ad tondendas oues, & Rachel furata est idola patris sui.

PEnde verborum nexum; pater pergit ad tondendas oues, & furatur idola Rachel; scilicet cum superiores toti in tondendis subditis sunt, familiares de idolorum cogitant cultu; ac si ægrè veri numinis cultui subditi vacent, si superiores lucris commodisque suis duntaxat vacent. Vocari hæc possunt, quæ habet Guilielmus Peraldus: *Quum Laban misisset ad tondendas oues, fugit Iacob: sic dum* MERCENARII TONSIONI GREGIS *intendunt; Christus recedet ab eis.*

Idola furto Rachel surripuit non quando sterilitate laborabat, sed quando fæcunditatis bono cumulata est, vt etiam ab hac parte videas, quàm vtiles tribulationes sint, quàm periculosa res prosperitas sit, scilicet facilè suorum affectuum idolis litat, qui fœlicitatis terrenæ corona obsepitur. Sanctus Petrus Damianus hunc nexum ita expendebat: *Rachel donec sterilitatis infortunio laborauit, vero Deo reuerentiam digni cultus exhibuit; postquam autem, edito Ioseph,* FÆCVNDITATIS MERVIT DONVM *Laban patris furata est idola.*

Ferè ita accidit, vt quæ pater idola colit, eadem colant & liberi, & parentum mores affectusque exprimant filij. Cum multa, inquit bonæ notæ auctor, essent in prædiuiti domo, quæ Rachel præripere posset, nihil aliud abstulit, 892

 stulit,

stulit, quam paterna idola. Rem si ad mores transferas, vtilem nobis sensum affert: videlicet filios paternas imagines, & idola secum importare, etiamsi longius discesserint, idest, SEMPER PATERNOS MORES IMITARI, eosdem Deos colere, eadem idola venerari.

Mirum cur furata Patris idola Rachel fuerit, quæ à Iacob edocta fuerat, idololatriam vitare. *Potest dici*, inquit Sanctus Thomas, *quod Zelo* IVSTITIÆ *contra eius* AVARITIAM, *seu rapinam hoc fecerit*. An id præstitit, vt parenti idololatriæ cultus materiam auferret? An vt ipsa cum marito fugiente, non haberet Laban quos consuleret, neue ab idolis disceret, per quam viam fugissent, vt quidam dicunt; Inter mira locari debet, patrem idolorum cultorem esse, liberos verò idolorum contemptores.

Furata est idola. Pulchra Rachel secum idola fert; vel ne pater ea consuleret, & per ea cognosceret quò Iacob cum suis abijsset; vel vt patri idololatriæ occasionem surriperet, vel quod ea ipsa ijs esset dedita, ab ijsque felix iter, & prospera omnia speraret, quod bonæ notæ interpretes voluere. Ferè quæ pulchritudine est insignis idola secum fert, amantes, in venusta muliere colunt idola. Denique alij putant aurum idolorum potius furatam, quàm idola ipsa; aurea idola clam surripuit quasi dotem suam, ac quasi mercedem marito debitam. Plerumque ita accidit, vt cum aliquem tanquam numen colere mulier videtur, aurum nudè quærat, nihil præterea.

Quod hîc de idolis Laban furto à Rachele sublatis dicitur, ad religiosos viros ita transfert Vgo Carensis: Idola Laban sunt mores sæculares, quæ furatur Rachel, quando quis in claustro mores sæculares sub HABITV RELIGIOSO retinet, quod satis turpe, & monstro simile. Interius viuunt mundo, exterius mortui sunt, exterius lucent, interius fætent.

893 Surripere idola non est malum, si id fiat, non vt seruentur, sed vt deleantur, in hoc solo referre Rachelem quisque potest. Pulchrè Sanctus Gregoris Nazianzenus: *Si Rachel quadam es, aut Lia, hoc est Patriarcha, & magna anima, patris quoque tui idola, quæcumque inueneris surripe, non vt serues; sed vt deleas*. Et verò cum pater idola colit, facile est, vt filios habeat imitatores potius, quàm aduersarios.

A Laban abiens Rachel idola sui patris furata est; ô idem ab ijs qui à mundo abeunt, & in religiosam familiam nomen dant, sæpe non præstatetur? *Per hoc*, inquit Vgo Carensis, *significantur quidam, qui secum in claustrum deferunt de anathemate Iericho habentes in corde cupiditatem, ambitionem & huiusmodi* IDOLA. Proh mirum aliqui hisce idolis incubant mundum sub Labani nomine deserentes, quibus fors non incubabant sub ipso, sicut nec legimus Rachelem idola incubasse, cum in patris degeret domo. O hîc aures arrigant, qui ad sacra claustra transeunt, & mundum deserunt.

Idola Rachel surripuit, quia à patre coli illa didicerat; facilè nimirum ebibunt filij parentum mores, rem sic Faber vrget: sectantur mores parentum filij: cernere id erat in Rachele, quo cum marito suo Iacob discedens è paternâ domo, nihil aliud sibi surripuit, secumque abstulit, præterquam idola patris sui; cùm alia tam multa, & vtiliora suffurari potuisset è prædiuite domo. Gen. 31. nimirum, VIDIT IPSA A TENERIS, quanto in honore, & pretio semper idola illa, quantamque in illis spem habuisset pater: hinc illa eorundem amore inescata, velut rem pretiosissimam sibique charissimam, ex omnibus patris bonis sublegit, eaque cum inquirerentur, mordicus retinuit, super illa sedendo, & stramenta inijciendo: eodem prorsus modo, si non semper, saltem vt plurimum mores parentum imitantur filij, siue bonos, siue malos, & firmissimè adhærent paterno, vel materno ingenio.

Sectio II.

Viditque in somnis dicentem sibi Deum.

NOn legimus antea Deum Labano indixisse, ne verbis factisque Iacobum offenderet; nunc fecit, quia in maiori discrimine erat Iacob. *Vides*, inquit Lippomanus, *quod nusquam Deus præsen-* 894

tior

tior est fidelibus; quàm dum GRAVIVS PERICLITANTVR.

Vidétque in somnis Deum. Cur non per hominem Deus Laban iratum monuit, vt linguam coërceret? cum de irati hominis lingua comprimenda agitur, Deus, aut Angelus Dei vice apparet, tanquam impar huic rei humana industria, & studium sit. Iosue stare Solem iussit, ira feruens, vt linguam cohibeat vix se sinit persuadere. Dei opus est maledicam linguam comprimere, & ab inferendis contumelijs eum iratus quispiam est auocare. Vt ab hac parte plusquam homo videatur, qui istuc imperat sibi, hoc à se ipso obtinet.

Caue ne quicquam aspere loquaris contra Iacob.

PAulo aliter in Hebræo est, scilicet: *Caue ne loquaris cum Iacob à bono vsque ad malum.* Circa quam formulam hæc habet Honcala: *Quod videtur prouerbialiter dictum prohibente Domino Laban cum Iacob contendere pro re aliqua sine bona, siue mala sibi videretur. Vel forte præcipitur homini peccatori, ne de bono cum innocente agat: quia impiorum bonum pijs minimè censetur bonum. Non enim* PII AB HVMANO DIEPENDENT.

Patum erat, Deum indixisse Laban, ne Iacobo noceret, indixit etiam ne asperius ei loqueretur, tanti iusti à Deo fiunt. In Genesi, inquit ille, Deus ad Laban nocte, dixit, eum fugientem Iacob persequi cepisset: Caue ne quidquam asperè loquaris contra Iacob. Vbi animaduertendum est, talem Deum suorum gerere curam, vt non solum eis prohibeat nocere, sed etiam DVRE ALLOQVI.

895 *Caue*. Nomen non adiecit, sicut Iacobi nomen posuit, *nec enim*, inquit Rupertus, *tanti erat* MERITI *quòd eum nosset Deus ex nomine.* Præterea non legimus Deum Labani nomen producentem, nam hoc cuiusdam familiaritatis indicium fuisset, quæ cum de malis agitur vel Dei exemplo nobis vitanda.

Vel ab Ethnico Laban discere possumus, quam promptè Dei iussa debeamus perficere, & ad eius imperium inimicis parcere. Pulchrè rem ille versat: Nonne, inquit, Laban ibat, cum domo egrederetur instar leonis sæuiens, animo voluens quemadmodum atrocissimam de Iacobo vindictam sumeret, cum autem illius conspectum subijt, & verba ista proferebat, iam omnem ferocitatem deposuerat, & agno similis non de vindicta sumenda, sed de feriendo fœdere cogitabat. Vnde igitur subitò facta ista consilij mutatio? non video aliam causam nisi illam. Deus patris tui dixit mihi heri. Caue ne loquaris contra Iacob quicquam durius. Quis dubitat, quin Laban ardenter exoptauerit Iacobum punire, & fortunis spoliare, & cogere, vt in suam domum regrederetur? & tamen vires conciderunt, nec habet manus, nec linguam, nisi ad ignoscendum ei, quia Deus manus, & linguam illi reuinxerat, non funibus, sed verbo illo. Ego autem dico tibi. Si ergo TANTAM VIM HABVIT VERBVM ILLVD apud hominem ethnicum, qui non dixit, Deus meus dixit mihi heri, sed Deus patris tui, &c. Quia ipse idolis inseruiebat, & nondum veram Dei cognitionem fuerat assecutus, quantam vim habeat necesse est, præceptum à Christo Domino impositum apud homines illos, qui Christi nomine insigniti sunt, & Christianam religionem profitentur.

Vt prosequerer te cum gaudio, & canticis.

PRæceperat ei Deus, ne quidpiam asperum in Iacobum diceret, sed statim ille incipit à dura illius reprehensione; vt hinc colligas, quàm ægrè inolita animi passio comprimatur. Præterea Laban ira correptus tàm dirè in Iacobum sæuire parauerat, vt mitia hæc illi visa verba quæ alioquin aspera, & dura. Hæc maledicorum hominum, & ira feruentium conditio est, vt cum leuiter lingua pungunt, blandiri se putent.

Laban mundi personam sustinet, qui suos 896
cum gaudio, canticis, & citharis se deducturum pollicetur, viri iusti est, ob hanc præcipuè causam clam fugere, nè tali comitatu pergat. Benè ille: Vt prosequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & cytharis. Imò verò ò stulte, ob hoc clam se surripuit, ne eum cum canticis, & orgijs comitareris. Etenim, qui Dei monitum sequuntur, & relictis mundanis iuris arctiorem virtutis viam arripiunt, non tam domum paternam relinquant, quàm fugiant, neque choros, aut dulce modulantes auribus excipiant: fugam meditentur, & inscijs parentibus viam præripiant nunquam redituri.

Vt prosequerer te cum gaudio. Quod multorum annorum spatio non fecerat, facturum se in extremo discessu pollicetur. Qui semper durè tractauerat Iacobum, nunc obsequia omnia spondet, quia tempus præterierat, ad impiorum morem, *qui*, vt ait Oleaster, *nunquam didicerunt bona facere, nisi cum* NON EST TEMPVS *faciendi*. Quod illis aptes, qui in extremum vitæ finem bona omnia spondent, cum omnia opportuno tempore neglexerint.

Et nunc quidem valet manus tua reddere tibi malum, sed Deus patris vestri heri dixit mihi.

PEnde vt insaniat Laban, dum volens se super Iacob efferre, effert Iacobum, & demittit se: quod arrogantium, & superborum est. Acutè sic rem expendit Sanctus Thomas. *Nota*, inquit, QVOMODO ARROGANTIA SVPERBORVM SÆPE SE CONFVNDIT *vbi magis credit se super sanctos magnificare. Nam Laban volens ostendere quod benè poterat nocere Iacob, in signum quod non desistebat defectu potentia, reuela-*

uit

uit inhibitionem Dei super hoc factam: non aduertens quod in hoc ipso ostendebat Deum quo ad hoc esse eum Iacob, & Iacob esse iustum, ipsumque iniustum.

Aperuit Laban Iacobo sibi Deum apparuisse,
897 inhibuisseque ne Patriarchæ noceret; sed cur id potius à Laban audit Iacob, quàm ab ipso Deo? *Audis hic*, inquit Oleaster, *quia bonus amicus sit Deus, quò* NON IACTAT BONA, *quæ pro amicis facit, cupitque eos potius ab alio, quàm à se audiri; quæ propter eos bona fecerit.* Quò exemplo monemur, ne bona iactemus, quæ in Dei obsequium præstamus, nec facilè amico prodamus, quæ ob amicum fecerimus, nisi res aliter exigat.

Caue ne loquaris contra Iacob quicquam.

MIrum quod Deus inhibet ne verbis Laban Iacobo noceat, de factis nullam mentionem facit, vt hinc colligas, quàm eximiam de suis curam agat; *Cum Deus dicat*, inquit Porrecta, *ipsi Laban, ne offendat in verbis ipsum Iacobum* MAXIMAM DE SVIS CVSTODIAM *ad defendendum illis monstrauit.* Vt hinc quoque discamus à verbis abstinere, quibus lædi iusti possunt.

Cur furatus es Deos meos.

NVnc primo, vt obseruabat Sanctus Thomas, idolorum, falsorumque numinum mentio fit, quàm antea nulla illorum legatur facta. Statim ac idola nominantur furto surrepta dicuntur, vt innuatur nihil veræ diuinitatis habuisse, cum se tueri à furto non potuerint.

Necetur coram fratribus nostris.

898 N*Ecetur coram fratribus nostris*. Audis vt ignarus sententiam in eam ferat Iacob, quam maximè vellet viuere? Vtile est, quod hinc elicit nobilis auctor: O quàm temere in nos sæpe legem sancimus iniquam, ò quam oportet VERBIS PARCERE, & dum rem non bene conspectam habemus sententiam cohibere. Vide quantum dolorem attulissent marito ipsa eius verba, si aureæ imagines apud pulcherrimam, dilectissimam vxorem inuentæ essent? & tu hinc disce verba compescere, nec cito in aliena facta per obiurgationem exilire.

Scrutare quicquid tuorum apud me inueneris, &c.

NVnquam sibi persuadere potuisset apud aliquem suorum idola esse. Hinc habes prudentis esse patrisfamilias, numquam ita de suorum moribus esse securum, quin credat aliquid mali admitti à suis posse; Licet hoc illius laudi dandum, *quod* NIMIVS, vt ille ait, SCRVTATOR LAPSVS *vxoris non fuerit, dedecet enim ingenuum viri animum, & sapientem de furtiuis idolis mulierum nimis scrutari, nimis inquirere.*

Sectio III.

Fœmina nexus; & idolorum. 899
Idola in parte pulchritudinis.
Sub *asperitatis habitu* quandoque *idola* vitiorum latent.
In causa religionis sanguinis affectus seponendus. 900
Verborum honestas, ac puritas.
Consuetudo mala quantas habeat vires.
Filiorum reuerentia in parentes etiam malos.
Qui *vitiorum idola* colit, facilè in aliorum mores inquirit. 901
Vel *vitiorum memoria* vitanda.
Christianorum torpor pungitur.
Præsules quo studio animarum saluti debeant incumbere.
Dum aliquis viuit *timoris* occasionem, materiamque secum habet. 902
Promissionum firmitas.
Fidelitas, & simplicitas prisci æui.

Abscondit idola subter stramenta cameli.

QVæruntur in domo Iacob idola nec inueniuntur, absconderat eas fœmina: sic ferè accidit, vt cordis sui domo aliquis affectionum idola habeat, nec cognoscat; plerumque fœmina idola tegit, aut quòd frequens, & maximè noxium, idolum viro est. Rachel cuius pulchritudo maximè commendatur, idolis insidet; magnus nexus idolorum, & pulchritudinis. Hæc mortalium amentia, vt sub venusta facie in sequiore sexu idola videant, tamque sunt fatui, vt fœmineam pulchritudinem tanquam numen colant, & venerentur. 899

Rachel sub stramenta cameli abscondit idola; sic frequenter accidit, vt sub asperitatis habitu vitiorum idola delitescat. Rem sic Vgo Carensis versat. *Laban diabolus in morte non inueniens idola sua, idest vestigia peccatorum, vacuus recedit, & intrat tabernaculum Rachel, idest claustralium, qui subter stramenta cameli, idest sub* HABITV ASPERITATIS ABSCONDVNT IDOLA CVPIDITATIS, *breuiter quot peccata habent, tot idola colunt.*

Non irascatur Dominus meus, quòd coram te assurgere nequeo, &c.

CVr paternæ reuerentiæ causa non surrexit? An quia causa religionis agebatur, in qua sanguinis affectus nihil potest? Sæpè

sæpius, inquit doctus ille auctor, Rachel humi-
900 lis, ac obedientissima se patri exhibuit; nunc
vero sedet, quia non vt filiæ, sed vt iudicis personæ vices agebat; ac tamquam in tribunali, & iudicio præses, patrem ignorat, quia vt rectus minister NVLLIVS AFFECTV CONSANGVINITATIS tangebatur.

Ne irascatur Dominus meus. Nimirum Patris impietas, ac durities non potuit in filia reuerentiæ cultum imminuere in patrem: En filia, inquit ad hæc verba Petrasancta, Domini appellatione honorifica, Patrem compellat, atque adeo excusat, quòd intranti non assurgat, solita nimirum, eo semper cultu, PATREM REVERERI. Vsq; adeo Iacob coniuges suas condocefecerat, & ad morem suum, in hac parte quoque, illas instituerat. Nimirum verus maritus morum, & disciplinæ magister esse debet, vt totæ ad eius institutionem quadam modestiæ incude vxor formetur, & cum vxore reliqui.

Assurgere nequeo. Ad vitiorum, noxiorumque affectuum idola transferre hoc possumus; assurgere non potest, inque melioris vitæ altitudinem ascendere, qui affectibus incubat, & passionum idolis insidet.

Quia iuxta consuetudinem fœminarum nunc accidit mihi.

DElusit patrem Rachél, sed interim honestò verborum tegmine vtens, docens verecundiæ consulendum, consulendum auribus, cum de rebus est sermo, quorum nuda appellatio honestas ferire aures potest; quæ cautio præcipuè fœminis necessaria.

901 Vix illos numeres, qui Rachelis more idolis incubat, & assurgere nequeunt, consuetudinis vi detenti. Pulchrè rem versat Sanctus Nilus, dum infit: Vide quomodo animus consuetudinem sequens Idolis insideat, quomodo se ipsam in materia informi defigat, rationemque surgere hortantem non audiat surrecturam se negat. Non possum, inquit, assurgere coram te, quia iuxta consuetudinem fœminarum accidit mihi. Animus, qui in huiusce vitæ rebus longo iam tempore conquiescit, idolis incubat, quibus ex informi materia constantibus ars humanam formam adhibuit. His autem rectè dicimus animam insidere. Si enim de ijs, quæ dicta sunt, ita secum ipsa constanter iudicat, rebus istis terrenis inhæret, nec veritati seruit, cui non potest assurgere, sed CONSVETVDINI, quia tanquam immunditia menstrua, rerum naturam coinquinat.

Scrutatus es omnem supellectilem meam.

SCilicet, qui vitiorum idola colit facilè sollicitèque alienos mores, aliena inuestigat studia, curiosè alios scrutatur; hoc non facturus, si verum numen coleret, virtutis studio incubaret; ferè ita accidit, vt qui aliena rimatur, passionum velut idolorum teneatur cultu.

Quid inuenisti de cuncta substantia domus tuæ?

CVr substantiæ meminit Iacob, non idolorum, quæ Laban quærebat? simplicius dixisset. Numquid Idola inuenire apud me potuisti, quæ tàm sollicitè inuestigabas? An ad viri mentem loquutus. Laban inter præcipuas substantiæ suæ partes idola numerabat. An pauit Iacob idola recensere, ne illorum memoria in Laban excitaretur? Aut substantiam dixit, vt plenius se apud eum purgaret, tamquam adeò ab idolorum furto abfuerit, vt nec aliquid illius surripuerit.

Die, noctuq; æstu vrebar, & gelu.

ARguunt Christianorum torporem hæc verba. Tu ne, inquit ille, mi Christiane, annis viginti Deo seruisti? nosti, quæ tui laboris futura sit merces; non filiæ Labani, non greges ouium; sed virtutis tuæ præmium Deus ipse erit, animi corporisque beatitudo; vndequaq; tibi erit optimè, delicijs affiues innumeris, maximis sine omni defectu, sine vllo fastidio, sine fine; natabis quasi liquidissimis immersus voluptatibus. Et tamen, aspice manus tuas ad opus languidissimas, intuere pedes tuos ad templum lentissimos, inspice cor tuum inuidia rabidum, ira & vindicta æstuans, spurcis cogitationibus verminans, socordia, & impatientia ignauum. Siccine Deo seruis pro cœlo, pro immortali vita, pro æterna beatitate? quin facis quod Iacob, & promissam tibi Rachelem aspicis, cùm suscepti laboris tædium obrepit.

Die noctuq; æstu vrebar. Iure hoc transferatur ad animarum pastores, transtulit auctor ab aureo ore, cuius hæc sunt verba: *Si Patriarcha Iacob pecudibus præpositus, & oues irrationales pascens, & homini rationem redditurus, & noctes ducebat insomnes, & æstum & gelu, & omnem aeris intemperiem ferebat, vt nulla illarum pecudum periret: multò magis nos non irrationabilibus, sed spiritualibus ouibus præpositos, & non homini, sed Deo præsidentia huius rationem reddituros, ad nihil torpere, & tergiuersari oportet eorum, quæ gregem iuuare possunt. Sed quanto melior grex iste grege illo, & brutis quidem homines, hominibus verò Deus: tantò magis, & nos vehementiusq; studium, & promptitudinem exhibere oportet.*

Nisi Deus patris mei Abraham, & timor Isaac.

ET *timor Isaac*. Cur hîc quoque non dixit, *Deus Isaac*, sicut dixerat, *Deus Abraham*? 902
Oleaster ex Rabbinis ita nodum soluit: *Cuius rationem quidam hebræi assignant, quod Isaac adhuc in vita extiterit, ideoque adhuc peccare poterat, vt in* TIMORE, *&* TREMORE *Dei vitam suam traduceret*. Scilicet dum aliquis viuit timoris occasionem secum habet. Luculentius Petrasancta: *Suboritur, inquit, hîc ea dubitatio, cur Iacob non etiam Deum vocauerit, timorem Abra-*

Abraha: ficuti eum vocauit bis timorem Isaac? præsertim quia simul de Patre, atque Auo meminit, in verbis illis: Nisi Deus Patris mei Abraham, & timor Isaac adfuisset mihi: forsitan modo nudum me dimisisses. Responsio in promptu est: Abraham enim tum superstes non fuit, ficuti superstes Isaac erat, qui quamdiu viator foret, peccare poterat: vt necesse habuerit proinde traducere vitam in timore Dei: & eo timore, veluti fræno, cursum regere peregrinationis suæ. Deum omnes igitur qui viuunt, metuant amando, amentque metuendo, Deus etenim non timor solum est, sed timor simul atque amor est.

Afferte lapides, qui congregantes fecerunt tumulum, &c.

PApe olim vnicus lapis multorum testium vice esse potuit, aut etiam verbum vnicum pro qualibet scripturæ subscriptione. Benè ille: Tanta inter homines veritas florebat, vt vnicus lapis eorum permissiones, & contractus stabiliret, Iacob, atque Laban in mutuam fidem seruandam lapidum aceruum cumularunt, quem vocauit Laban tumulum testis, & Iacob testimonij, & vterque iuxta proprietatem linguæ suæ. Et patriarcha Abraham fundum emit, solumque vendentis verbum pro firmissima subscriptione, contractuque suffecit. Nunc autem adeo humana malitia accreuit, vt etiam firmissimæ scripturæ non sufficiant.

Afferte lapides. Ex his verbis illius sæculi simplicitatem, nostri infidelitatem colligebat Hamerus hic, dum ait: Quis non iure merito seculi illius simplicitatem, vel vt verius loquar, candidam fidem initi fœderis inter Laban socerum, & Iacob generum miretur, testes erant lapides in titulum congesti, & eos non clanculo neque priuato suo quisque consilio, congesserunt, vt fœdus illud non solum inter viuentes valeret, sed etiam apud pastores inuiolabile perseueraret, nondum erant litterarum monumenta, in quibus fœdera, & pacta conscripta atque annulis consignata ad posteritatis notitiam seponuntur, sed tumuli, & erecti lapides fœderum testes erant, sed erat illis TANTA FIDES, QVANTVM HODIE, ne littera quidem, vel boum tergoribus æquabiles habere videantur.



CAP. XXXII. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio I.

Fueruntque ei obuiam Angeli Dei.

VIx Labani consortium Iacob deseruerat, cum obuios Dei Angelos habet, 903
vt vel hinc discamus, quàm nobis sit vtili à mundanorum consortio nos surripere. Opportunè Bruno in alleg. super Genesim: *Merito Iacob postquam separatus est à Laban Angelos obuiam habet, quoniam* QVI MVNDVM RELINQVVNT, *mox in Dei militia computantur: & qui fugiunt castra seculi, castra Dei videre, & habitare merentur.*

Fuerunt Iacobo obuiam Angeli Dei, vnus sufficiebat Angelus, Iacobo erigendo, & custodiendo, cur plures accurrerunt? An quia Angeli gloriæ loco habent Dei seruis famulari? An plures venerunt ei obuiam, quia plures illius prouinciæ custodiæ erant deputati, qui omnes excipere Iacobum studuerunt? Huc facit, quod habet Abulensis, dum ait: *Angeli regionis Syriacæ duxerant eum vsque ad terminos terræ Chanaam, Angeli qui custodiebant illam terram occurrerunt ei, vt ipsi præpararent in terra illa*

saluum

saluum conductum, habet enim qualibet prouincia Angelum magnum de ordine superiori, & sub illo sunt multi de inferiori ordine ad custodiendam aliquam gentem, sicut datur vnus ad custodiam cuiuslibet singularis persona.

Fuerunt ei obuiam Angeli Dei. Parum fuisset dicere Iacobo Angelos apparuisse. *Non dictum est*, inquit Rupertus, *quia apparuit Angelus, vel apparuerunt Angeli ei, quod et multis accidit, sed dictum est, quia fuerant ei obuiam Angeli Dei, quod insigne signat* VICTORIS, ET EMERITI, *cui pro gloria triumphi pompa cœlestis obuiam procedens festiua exceptione laetam obsequium praebuerit.* Verè victor qui se ipsum vincit.

904 Tunc præcipuè occurrerunt Angeli Iacobo, postquam plenè patris iussa impleuerat. *Iacob*, inquit Rupertus, *postquam praeceptum patris peregit reuertenti obuiam fuerunt Angeli Dei, vt sciamus quia post* OBEDIENTIÆ LABOREM *cuique viro fideli superest supernis illum reuelationibus glorificari, & cœlestium spirituum crebra visitatione etiam in hac vita remunerari.*

Iacobo Angeli apparent, cur non Esau? Quia hic, docti auctoris sunt verba, OTIOSVS erat, ille LABORIOSVS, vnde Ambrosius, OTIOSVS ESAV amisit primatus benedictionem, quia maluit cibum accipere, quàm quærere. Laboriosus Iacob apud vtrumque parentem inuenit gratiam.

Cum à Laban Iacob discessisset, Dei Angelos obuios habuit, cur non ante? An vt hinc quoque colligeremus, quàm noxia malorum præsentia bonis sit? Quamdiu fuit cum eo Laban, inquit peritus ille auctor, militiam Angelorum non intuetur, diuina non perfruitur visione, adeo PERNICIOSVS EST SIBI, ET ALII PECCATOR, vt sua præsentia Dei visitatione, qua ipse est indignus ab ijs, qui digni erant, prorsus auertit.

Quos cum vidisset, ait: castra Dei sunt hæc.

905 IN sui obsequium, & auxilium Angelos videt Iacob, sed quando? quid egit Iacob, vt hoc mereretur Sanctus Ambrosius, *cogitabat*, inquit, *de reconciliatione fraterna*; merito obuios habet Angelos, qui iniuriarum illatarum oblitus de reconciliatione cogitat, socios Angelos habeat, qui opus moliturum, quod plusquam hominem molientem manifestat. Cum multas iniurias à fratre Iacob accepisset, *& modo aliai maiores suspicaretur*, vt loquitur idem Sanctus Doctor, *nil aliud parat, quam signa mansuetudinis, & pacis, nihil aliud cogitat*, QVAM OBSEQVIIS OBSTRINGERE INIVRIANTEM. Quidni cœlestes ciues obuios habeat, qui cœlestem induerat mentem, & à mundanis sensibus, motibusque tàm alienam?

Quos cum vidisset. Vidit Angelos, eum se à Laban consuetudine surripuit. *Merito Iacob*, inquit B. Bruno, *postquam separatus à Laban Angelos obuiam habet, quoniam qui* MVNDVM RELINQVVNT, MOX IN DEI MILITIA COMPVTANTVR, *& qui fugiunt castra seculi, castra Dei, videre, & habitare merentur.*

Castra Dei sunt hæc. Vt se nostris necessitatibus Deus aptant, aptant Angeli! *Apparitiones diuinæ*, inquit Seraphinus Porrecta, *accommodata sunt ad ea negocia, pro quibus apparent; Iacob tanquam homo trepidabat de suo fratre Esau ne sibi mortem, quam prius comminatus fuerat, inferret, vnde fiebat, vt auxilium Dei ad se protegendum optaret, & inde Angeli apparuerunt ipsi in* FORMA MILITVM, *tanquam ex forma sua ostenderent id, ad quod mittebantur, ad eius videlicet defensionem.*

Et appellauit nomen loci illius Manhaim, idest castra.

CVr nouum nomen loci, in quo Angeli apparuerunt imposuit Iacob? An iugis manetet tanti beneficij memoria, ac si parum illi esset suæ memoriæ hoc beneficium inscripsisse, nisi ad posteros quoque rem extenderet. 906
Hinc Lippomanus: *Nomen*, inquit, *loco imposuit, quo memores essent posteri angelica se tutela semper, & vbique defendendos, si in fide Domini, vt pater illorum Iacob perseuerarent, & inhærerent.* Probæ vitæ exemplo multa monita suis posteris hic patriarcha reliquerat, sed studuit pro fastigio Angelorum cultum ad illos transmittere, tanquam præcipuum probæ vitæ præsidium.

Misit autem, & nuntios ante se ad Esau fratrem suum.

MIsit nuntios Iacob, qui munera Esau deferrent, castra Dei qui viderat, Angelos scilicet in sui auxilium aduenientes; munerum tamen, vtitur agmine, vt hoc nexu innueret maximo robore certari, cum munera cæteris auxilijs adiungitur. Sed cur potius non exspectauit Iacob, vt viso fratri dona ipse offerret, & non ad longe adhuc positum mitteret? An in mainris reuerentiæ signum, & affectus à timore alieni? *Volebat eum*, inquit Abulensis, *ad pietatem inclinare, quod magis faceret mittendo ad eum munera, quàm si subito ei venienti in itinere daret, quia mittendo ea Seor magnam reuerentiam, & honorem fratri Esau exhibebat, dando autem in itinere ex timore se facere demonstrabat, noluit munus inficere modo timore.* Ex qua re docemur, non spectandum tantum quid alicui detur, sed qua ratione, qun tempore, vt gratius sit accipienti, vtilius danti! Id ad Deum transferas, cui ex timore obsequia minimè præstanda; dona mittenda donec in itinere sumus, & ad mortem pergimus, dona offerre cum iudex adest, cum mors imminet seruilem redolet timorem; quod tamen à multis seruatur, vt tunc demum Deo placando multa spondeant, offerantque, cum iudex est proximus.

Misit nuntios, vt sic fratrem sibi deuinciret; scilicet cum quis inimicum non potest per se ipsum sibi placare, *studeat hoc*, inquit Beatus 907

Dion-

Dionysius Carthusianus, *per alios agere*. Cum Deus suos Angelos obuiam miserit Iacobo, cur non & ipse nuntios ad fratres mittat? Discamus nimirum a Dei beneficijs proximo obsequi.

Cur tam minutè nuntios instruit Iacob, & singula verba quæ dicerent Esau expromit, ac numerat? Sciebat cum eo esse agendum, qui læsum se putabat, & qui sermone mitigandus erat; cum de ineunda pace, & stabilienda concordia agitur, vel singula verba ad examen vocanda, singula ponderanda sunt, ne vel vno verbulo impediatur, quod quæritur.

Misit nuntios. Et cur humana prudentia vtitur, diuinis munitus præsidijs, Angelorum fretus auxilio? Vtile est, quod hinc elicit Seraphinus Porrecta; Homo, inquit, non debet omittere ea, quæ recta ratio dictat in periculis, etiam licet sit assecuratus à Deo de euasione, aut de victoria, aut de bono successu in illis, quamuis ipse Iacob ab apparente Angelo dictum fuerit quod reuerteretur in terram natiuitatis suæ, & ab Angelis nunc apparentibus in sui defensionem licet confortatus sit, tamen quantum fuit in se, quæsiuit curialibus factis, verbisque placare fratrem, diuisit turbas, vt facilius saluarentur, & similia egit.

Sectio II.

Tuum maximè Dei *donis* cumulamur, cum omnes effectus abscecamus.

Sic loquimini Domino meo Esau: Hæc dicit frater tuus Iacob apud Laban peregrinatus sum.

Domino meo Esau. Domini eum titulo indigitat, cuius ipse Dominus erat constitutus; magni animi est tunc maximè se demittere, cũ altius quis euehitur. De titulis qui consentit inimicitias adeo non tollit, vt leruiret. Quid hîc qui dignitati suæ multum detractum putant, si eo non donentur titulo, qui dignitati respondent. Quid? quod illud: *Hæc dicit frater tuus Iacob*, Chaldæus vertit: *Hæc dicit seruus tuus Iacob*, sic etiam ex Hebræo aliqui legunt. Hæc veræ magnitudinis nota nihil in se magnum videre, & dignitatis suæ aliquando obliuisci. 908

Apud Laban peregrinatus sum. Quid erat necesse peregrinationis suæ memoriam facere? *Intendebat Iacob*, inquit Abulensis, *monere fratrem suum ad pietatem, dicens se peregrinum multo tempore fuisse, & nunc desiderio terræ natalis rediisse.*

Habeo boues, & asinos, & oues, & seruos.

Cvr diuitias suas recenset, armenta sua? *Putarem*, inquit Oleaster, *quòd nè frater æstimaret eum pauperem velle ab* EO SVSTENTARI. Facilè auari mens pungitur, cum aliquid ex illo eliciendum dubitat.

Diuitias, quas in Mesopotamia iusto labore acquisierat indicat fratri, ne crederet Esau fratris aduentu paternas opes minuendas fore, facilè auari offenditur animus, si de opum diminutione timeat, & alia obsequia vim suam amittunt, si hic TIMOR eius mordeat mentem. 909

Prior Iacob de legatione ad fratrem mittenda cogitat; vt statim constet acquisitas diuitias eius mentem de modestiæ suggestu non deiecisse, superior hîc ad inferiorem mittit, nec enim opes eius mentem IN SVPERBIAM erexerant.

Et ecce properat tibi in occursum cum quadringentis viris.

Cvm *quadringentis viris*. Et cui rei tot secum viros adducit Esau Iacob occurrens, non secus si in hostilem exercitum agmen moueret? Ostentare potentiam voluit, nec enim facilè sæculi homines ponere mores suos possunt, licet in re aliqua videantur à se abire. *Dicendum*, inquit Abulensis, *quod tantam multitudinem Esau adduxerit, vt suam potentiam fratri ostentaret, si enim cum pauca turba venisset, quia Iacob veniebat cum multitudine gregum, & pastorum, & videretur esse minoris potentiæ Esau, quàm Iacob, quod valde vitare laborabat*. Vtram posuerit

Poſuerit Eſau, iactantiam, & ſuperbiam non poſuit.

Perterritus diuiſit populum, qui ſecum erat.

Diuiſit populum. Quæri hîc poteſt, quî Dei promiſſis fidem habuerit, qui adeo ſibi, & ſuis timuit tanquam euerſurus eſſet Eſau eius caſtra. Benè Honcala hîc: *Admonendi, inquit, fuimus hoc exemplo: vt quamuis credamus in Deum, faciamus tamen quæ* FACIENDA SVNT *ab hominibus in præſidium ſalutis: ne prætermittentes ea Deum tentare videamur.*

In baculo meo tranſiuit Iordanem iſtum, & nunc cum duabus turmis regredior.

910 Scilicet Sanctus vir beneficium Dei agnoſcat, & fatetur, recordatur prioris paupertatis, & per Dei gratiam nunc diues. Sic & de Abraham Gen. 13. *Abraham reuerſus eſt de Aegypto diues valde per iter quo venerat à meridie in Bethel vſque ad locum, vbi prius fixerat tabernaculum;* cur eodem prorſus itinere reuertitur, vt recordaretur prioris miſeriæ, & inopiæ, & Deo gratias ageret.

In baculo meo. Paupertatis hîc habitum habes: ſed cur ſuam paupertatem recenſet? An quia hoc quoque ſingulare Dei erat beneficium? *Magnum præſidium apud Deum,* ait Marius, HVMILIS AGNITIO PRISTINÆ VILITATIS, cuius facilè obliuiſcuntur ad celſiora euecti.

In baculo meo. Ac ſi apertius diceret: cum pater meus Iſaac miſit me in Meſopotamiam ad capiendam inibi vxorem, EGO EIVS OBEDIENS MANDATO, ſolus, & ſine vllo comitatu, cum ſolo baculo, & abſque diuitijs eò profectus ſum, & ecce iam diues, & opulentus, & cum multo comitatu virorum, ac mulierum, & inſigni gregum, atque armentorum copia, quæ in duas diuiſi turmas ad patrem meum regredior. Scilicet obediens paupertati innixus diuitias parat.

Quia valde eum timeo; ne forte veniat percutiat matrem cum filijs.

911 Vxoris meminit, & filiorum, ſed cur non ſui? Notam optimi patrisfamilias hîc habes. *Sui ipſius,* inquit Marius, *non meminit, tanquam* DE SE MINVS SOLLICITVS *inſtar fidelis parentis ſuorum curam gereret.*

Cumque dormiſſet ibi nocte illa, ſeparauit de his, quæ habebat munera, &c.

Etiam in diſtribuendis muneribus, & donis ordo ſeruandus cum prudentia eſt; fecit iſtûc Iacob, *non enim,* inquit Sanctus Thomas, *miſit* TOTVM SIMVL, NEC SEMPER EADEM, *aut per eoſdem, ſed quinque greges diſtinctos, præter ſextam legationem ſeruorum, quam primò præmiſerat.*

Dixit enim placabo illum muneribus.

Placabo illum muneribus. Hoc intra ſe Iacob dixit; *non eſt enim,* inquit Beatus Dionyſius, VIRI PRVDENTIS SVA SECRETA DETEGERE, *ſicque his, cum quibus agitur, ſuſpectum ſe facere. Itaque Iacob dixit illud in corde ſuo, & ex cogitatione hac fecit hanc munerum præmiſſionem.*

Prius ab Eſau videri munera Iacob ſtudet, quàm ipſe faciem eius videre, vt oculi in munera coniecti totum fratrem in lenitatem, vt 912
ita loquar, efformarent. Acutè Oleaſter: *Placabo faciem eius munere, ac ſi dicat: videat ipſe prius munus, quam ego faciem eius: vt munus faciem leniat ad aſpectum meum, ne in me malum, quod ſibi intuli videat: ſeu videat oculis muneris me non ſuis: qui enim munera accipiunt,* VIDENT PER MVNERA, NON OCVLIS SVIS.

Et tranſiuit vadum Iacob.

Mirum Iacob in fluminis tranſitu cum ſuis eſt, poſt tranſitum fluminis remanſit ſolus, cum Angelo colluctatus. Nimirum, inquit peritus ille auctor, dum aliorum periclitabatur ſalus adeſſe voluit, vt vel eos à periculo vindicaret, vel pariter cum illis periculo inuolueretur: at vero vbi ſuos in tuto collocauit, contulit ſe paulùlum in ſeceſſum, vt liberior, & expeditior cum Deo colloqueretur, principis igitur munus eſt, vt ſuos in periculo non deſerat, ſed vbique ſemper comitetur, & vel SVO DISCRIMINE TVEATVR.

Traductiſq́; omnibus, quæ ad ſe pertinebant manſit ſolus.

Traductiſq́; omnibus. Omnia curauit traducere Iacob; eſt enim munus patrisfamilias nihil negligere, curare omnia, omnium habere curam. Traduxit omnia, *vt liberius,* inquit Yſtella, *ſolus ex altera fluminis parte à latere Galaad* ORATIONI *vacare poſſet:* Qui hanc ſolitudinem orationi præmiſit, ne diſtraheretur, meruit habere Angelum, cum quo exerceretur, & à quo benedictionem acciperet,

Vbi manſit ſolus Iacob, vir cum eo luctabatur; ſcilicet tunc maximè vinci à nobis Deus non ſolum fert, ſed amat, cum omnia ab affectus ſinu reijcimus, ſoli remanemus. Benè bonus auctor: Vbi Iacob omnia ſua præmiſit, & ſolus manſit, ecce vir luctabatur cum illo, ita vt vinci poſſit, & ſuperari, ex quo enim MVNDALIA A CORDE ABIECERIS, nulla erit mora, ſed ſtatim tibi deuictus Deus aderit.

Sectio III.

Ad *orationem* eundum, vt ad *luctam*. 913

Nostram naturam *assumere*, quàm amanter *Deus* quæreret.

Cœlestis *benedictionis* desiderium omnes superat *difficultates*.

Maior se ipso fit, qui *iniuriarum obliuiscitur*. 914

In externis *corporis actibus* præcipuè interni exercendi sunt.

Prima *diei* lux *Deo* sacranda.

Cauendum, ne qui magna moliuntur, *torpore* corripiantur. 915

Vnus *Angelus* cur vnum hominem vincere non potuerit.

Qui se per *humilitatem* demittit, vera fortitudine induitur.

In *carnis maceratione* victoria. 916

Nostris *viribus* nihil temerè *tribuamus*.

Vel species *mali* vitanda.

In corporis *infirmitate* proficere debemus. 917

Cauendum ne post *victoriam* à *superbia* vincamur.

Et ecce vir luctabatur cum eo vsque mane.

913 DOcet exemplo suo Iacob ad orationem sæpè eundum, ooo vt ad conuiuium, sed vt ad luctam: rem ita bonus quidam auctor explicat: Magna sæpe contentione, & perseuerantia in oratione opus est: & more Iacob tota nocte cum Deo luctandum, nec AB HAC PIA LVCTA CESSANDVM, donec optimam à Deo benedictionis gratiam conseqoamur. Denique eiusdem Patriarchæ verba vsurpare licebit, & suppliciter ac fidenter ad Dominum dicere: Non dimittam te, nisi beoedixeris mihi. Itaque oon semper ad precationis officium tanquam ad cœleste epulum atque delicias, sed tanquam ad luctam, & certamen accedendum est, in quo, & cum Deo magnis clamorum desiderijs, & cum auiditate cordis, & variarum curarum, & cogitationum agminibus decertandum est.

Luctabatur. Ex Hebræo aliqui vertuot, *pulueriZabatur*, quasi ad luctatorum morem respiceretur, qui puluere io lucta vtebantur, vt præhendere antagonistam suũ quisq; posset. Addit nobilis quidam auctor, ad hanc lectionem spectans: Quid puluis cum Deo, qui est ipsa puritas? Mos est amaotium, dum rem optatam non possident, monumentis, ac vestigijs blandiri voluptati; Sic Deus dum NOSTRAM NON ASSVMEBAT NATVRAM, affectui suo blanditias puluere dabat.

Mirum quòd imbecillis homo iotegram noctem potuerit cum Aogelo luctari, nec quæritur se lassum, ac labore confectum. Scilicet benedictionis obtinendæ cupiditas laboris abstersit molestiam. Pulchrè rem ille versat: O aoima Christiana, si cœlestem amorem haberes, si diligeres, & expectares æternam vitam, sicut ipsa meretur, quomodo omnes labores, & difficultates huius mundi libenter subires, & audacter perferres! Quoniam Sanctus Iacob beoedictionem Angeli expectabat, non multum sensit per totam integram noctem cum illo luctari. O vtinam tu, ò homo, FIRMA SPE BENEDICTIONEM *DEI* EXPECTASSES, qualiter cum vitijs luctareris, & te per totam noctem huius vitæ sanctis exercitationibus committeres, auderesque cum Angelis de sanctitate conteodere. 914

Mirum quod ausus Iacob fuerit manum conserere cum Deo, quid animos imbecilli addidit viro, vt tantum auderet? An homine maior iam euaserat, qui pacificum affectum gerebat in fratrem, & ab omni simultate alienam habebat mentem. *Qui citus in* ACCEPTIS INIVRIIS CONDONANDIS EST, *se ipso maior est factus*, *Deum* quodammodo refert, & luctari cum Deo non timet.

Luctabatur Iacob cum Angelo, hanc luctam Oseas gemitibus, & precibus factam significat; hæc iustorum nota, qui actus exteroos actibus animæ internis efferunt, vt quæ exstimè corporalia apparent verè sint spiritualia; tàm facilè in alijs iudicandis falli possumus: qui luctator credebatur, orator erat, & in pugna orationi præcipuè incubabat. Scilicet in externis corporis actibus præcipuè interni exerceodi sunt.

Vsque mane. Vbi dies incipit, lucta desinit; haud enim, docti auctoris sunt verba, luctatur cum illo Deus, qui lumine perfusus merito dicat. Deus Deus meus ad te de luce vigilo. Absoluit luctas, & benè absoluit, qui primam lucem non sustinet io alijs occupare, quam in diuinis. Vide homo vnde te multis potes eripere luctis, eripere periculis, si quòd primum est diei, Deo vni adscribas. Nemo dicat paterfamilias sum, pro filijs sustentandis sollicitor, hæc mihi est prima cura, hæc me vigilantem tenet, & Iob, & Iacob patresfamilias erant, & maximè sollicici pro filijs, sed quia pro filijs erant sollicici, hoc satagebant, vt primam lucem diei cum Deo absumerent, quo se & multis eripuerunt luctis, & periculis.

Luctabatur cum eo vsque mane. Cur tandiù luctam Dei Aogelus produxit? *Voluit*, inquit 915
magnus ille auctor, *hucusque luctam extendere*, *vt ipsa mora magis animus illius firmaretur*, vtque perseuerantiâ certius virtutis testimonium exhiberet. Plerique magna moliri statim videntur, quos paulatim torpor subit, desidia corripit.

Qui

Qui cum videret quod eum superare non posset tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit.

HAnc femoris percussionem, Iacobiq; claudicationem vtiliter versabat Sanctus Gregorius Magnus, hom. 14. in Ezechielem: *Notandum*, inquit, *quod victus Angelus neruum femoris Iacob tenuit, eumque marcescere statim fecit, atque ab eo Iacob tempore vno claudicauit pede: quia scilicet omnipotens Deus, cum iam per desiderium, & intellectum cognoscitur, omnem in nobis voluptatem carnis arefacit.*

Quod eum superare non posset. Itane vnus Angelus vnum hominem vincere non potest? Respondetim, inquit hîc Honcala, quòd cum Angeli sint Dei ministri potentes virtute, vt faciant verbum eius: licet natura sint hominibus longe potentiores, ex diuina tamen dispensatione compesato labore, comparatisque inuicem viribus cum illis colluctantur. Quare tantum cœlestis hic athleta in Iacob potuit, quantum fuit ei diuinitus concessum. Non fuit ei datum, vt vinceret Iacob: sed prohibitum, vel certe iussum, ne vinceret. Fuit autem ei concessum, vt percuteret eum in certo quodam loco.

Mirum cum viribus Angeli præpolleant hominibus, cur iste allidere ad terram Iacob non potuerit, eumque superare; an id factum, quia Iacob non tam potentia, quàm humilitate certabat? *Refert*, inquit Emisenus, *traditio secularium litterarum habuisse quendam in exercitiis, vsuque certaminis hoc genus virtutis, ac roboris: vt quoties in luctamine succumbens virium suarum amicam, & nutricem terram impulsu aduersarij contigisset, toties de solo surgent magis, ac magis in aduersarium praualeret: ac sic deiectio prostrati, occasio fiebat triumphi, dabat enim quodammodo infirmitas* FORTITVDINEM, *lapsus palmam, ruina victoriam. Puto hac illi cælesti athleta, qui contra Iacob legitur fuisse luctatus, iustius aptari posse.* Scilicet deiectio postrati, fiebat oceasio triumphi, lapsus palmam fabricat, & ruina victoriam.

Tetigit neruum femoris eius. Quid sequutum? *Et statim emarcuit.* Nimirum victoria à carnis debilitate maximè est, sed non eft omnium femur tangere, vt marcescat, & carnis insolentia comprimatur. Si Deus, inqnit pius ille auctor, femur nostrum sua gratia non tangeret, nunquam valebimus de carne victoriam reportare.

916 *Tetigit neruum femoris.* Ac tactu ita læsit, vt emarcuerit; sed cur istuc factum? Vt intelligeret Iacob, sic aliqui notarunt, se non suis viribus Angelo præualuisse, sed Dei, alioquin post victoriam cum Angelo à superbia vincerctur. Plerumque enim accidit, vt post hostes deiectos à superbia quis deijciatur, quę omni hoste nocentior est.

Statim emarcuit. Cur neruus potius femoris percussus ab Angelo fuit, quam alia corporis pars? *Fortè*, inquit Honcala, *in illo loco membris genitalibus proximo percussus est: quia duos simul sorores, vtraq; viuente, & sentiente, vxores duxit, in quo quidem facto, licet crimen abesset, in specie tamen error, & nonnulla culpa adesse videbatur, quam quidem* MALI SPECIEM PRORSVS ESSE VITANDAM *diuinus Paulus monet dicens: Ab omni specie mali prohibete vos.*

Vir qui cum Iacob luctabatur neruum eius femoris tetigit, qui emarcuit. Iacobo inuidere 917
quisque nostrum potest, satius est marcescere neruum, quàm vt intumescat. *O quanto salubrius*, exclamat Sanctus Bernardus, *ad tactum, Angeli neruus femoris Iacob emarcuit, quam Angeli superbientis intumuit, euanuit, ruit? Vtinam, & meum neruum Angelus tangat, vt marcescat: si forte ex* HAC INFIRMITATE INCIPIAM PROFICERE: *qui ex mea firmitate non possum, nisi deficere. Lego profectò, quod infirmum est Deo, fortius est hominibus.*

Luctabatur Iacob cum Angelo, & victor euasit, sed cur in femore percutitur, vt claudicaret? *Ne*, inquit auctor catenæ græcæ, *ex inopinata* VICTORIA SVPERBIRET, *tactu femoris vicisse volentem indicauit.* Alioquin fœdissimè vincitur, qui adepta victoria erigitur, & superbit.

Sectio IV.

Per suam *carnem* nos *Christus* benedixit. 918

A spiritualibus *exercitijs* ad *corporalia* eundum.

Quàm facilis *Deus* deprecantium audiat voces.

Dei *donis* accipiendis *corporis debilitas* non officit. 919

Precum vi fortius retineri *Deus* amat.

Spes in difficultatibus roboranda.

Nocturnum *tempus* rerum diuinarum *contemplationi* aptum.

Quàm exactè *parendum Dei* iussibus. 920

Deus fortiùs tenendus, cum nos *benedicit*, contra ac Iacob cum Angelo egerit.

Vera *victoria*, post victoriã non *superbire*.

Vulnera, quæ à Deo, *fortiores* nos debent reddere. 921

Inflicta à Deo *vulnera*, quædam calcaria ad *Deum* vrgentia sunt.

Labores hominem *humilem* reddere debent, non superbum.

Victi formam cur accipere *Iacob* victor voluerit. 922

Qui *contemplationi* vacat, *operationem* non negligat.

Ægrè *nomen* illud ponitur, quod sibi quis vitæ *moribus* pepererit.

Amor imbecilles homines fortes reddit. 923

Vires spirituales vt quis acquirat.

Dixitq; ad eum: Dimitte me, iam enim ascendit aurora.

918 DImitte me ascendit aurora. Sanctus Augustinus legit; *quia iam mane est.* Totumque hunc locum ad Christi carnem ita aptat serm. 1. ex 40. nouissimè editis: *Teneamus*, inquit, *hoc fratres quod dictum est; Dimitte me quia iam manè est, sed ille quid dixit? Non dimittam te*, NISI ME BENEDIXERIS, QVIA PER CARNEM NOS PRIVS BENEDICIT DOMINVS. *Norunt fideles quid accipiunt, quia per carnem benedicuntur, & sciunt quia non essent benedicti, nisi caro illa crucifixa daretur pro sæculi vita. Quommodo autem benedicitur? Quia præualuit Deo. Quia tenuit fortiter, & perseuerauit, & de manibus non dimisit, quod amisit Adam. Teneamus ergo fideles quod accepimus, vt benedici mereamur.*

Dimitte me. Cur dimitti Angelus petit, quid auroræ tempus obijcit? An vt Iacobo ipso consuleret? *Dimitte me, quasi dicat*, inquit B. Dionysius, *hora iam imminet, inqua te oportet, circa temporaria occupari.* Tanquam innueret post Dei delicias operi manum admouendam, & à spiritualibus exercitijs iri ad corporalia posse, ita tamen vt inter se non pugnent.

Dimitte me iam enim ascendit aurora. Et quid ad dimissionem aurota faciebat? Lucta hæc, inquit pius ille auctor, complexibus orationibus est peracta, hinc Osee 12. Fleuit, & orauit. Noluit ergo Deus videri sibi non condigna agere: quasi erubuerit Deus, si quis videret Iacob deprecantem, & eum illico non exaudientem.

919 *Dimitte me.* Tanquam tunc Iacob fortior esset redditus, & victoriæ adipiscendæ aptior, benedictionique obtinendæ, cum in corpore factus esset debilior: *Iacob* DEBILITATVS, inquit Stephanus Cantuariensis, *benedictionem obtinuit.* Scilicet tunc quis excipiendis Dei donis aptior, cum corpori vires subtrahuntur; ac si tunc mens surgeret, cum corpus iacet.

Dimitte me. Cur quærit dimitti? An vt fortius teneatur? hoc ingenio à suis abire cœlestis sponsus videtur, vt firmius illi hæreant, velocius post eum eant. Appositè Sanctus Thomas hic: *Ideo*, inquit, *Deus fingebat se omnino recessurum, vt instantia* PRECVM FORTIVS RETINERETVR, *& quasi violentaretur, seu compelleretur suum rigorem flectere. Ideo enim à cordibus orantium sæpius euolat, & quasi aufugit: vt fortius quæratur, & trahatur, & violenti rapiant illum.*

Iam enim ascendit aurora. Sed cur hanc discessus causam Angelus adducit? An quia iam tempus erat, vt Iacob ad sua negotia pergeret, quod aliqui notarunt; an quia indecens videbatur, si Angelus in assumpto corpore in lucta à Iacob superatus hominibus appareret.

Dimitte me. Dimitti Deus quærit, tamquam ab homine vinceretur. Mirum tunc hæc dixisse, cum Iacobi femur percussisset, & claudum eum reddidisset. Illum, inquit bonus ille auctor, claudus, & æger vicit, quem sanus, & integer tota nocte vincere non potuit. Quo exemplo discimus, vt quicumque supernæ benedictionis, & cœlestium donorum auidi sumus, incensis desiderijs, precibusque continuis, cum ipso Domino luctemur, nec ab hoc studio laboribus, ac repulsis fracti discedamus, & quo maiorem à Domino repulsam pati videmur, cò pertinacius spem in eius misericordia retineamus. Vulnerati enim superabimus, quem integri vincere non potuimus.

Et cur dimitti aduenicnte aurora Dei Angelus postulat? an vt innueret nocturnum tempus contemplationi, rerumque diuinarum considerationi aptum, diurnum exterioribus quoque operibus aptandum? Benè Pererius hîc: Dimitte me, iam enim ascendit aurora. Iam tibi tempus est ab inuisibilibus, & diuinis ad corporalia, & humana negotia tractanda discedendi, tamquam nocturnum tempus, vsque ad exorientem solem conueniens sit CONTEMPLATIONI RERVM DIVINARVM, & spiritualium rerum tractationi, diurnum verò temporalium negotiorum functionibus, & officijs, quæ proximo vel ex obligatione, vel ex charitate præstanda sunt.

Ascendit aurora. Et quid aurora ad Angeli discessum? *Bonus Angelus*, inquit Delrius, *nolebat sic luctans in forma corporea clara luce adspici, qui iussus tantum nocturna lucta eius fiduciam accendere, quasi diceret, iam* EXPLEVI MANDATVM, *nocturno tempore peracto fine abire.* Quo exemplo docet, quàm exactè parendum Dei iussibus sit, vt nec dematur aliquid, nec aliquid ex propria voluntate adijciatur. 920

Non dimittam te nisi benedixeris mihi.

TVtius est non dimittere etiam si benedicat; imo fortius tenere, cum nos benedixerit. Pulchrè Sanctus Bernardus serm. 79. in Cant. *Tenui eum, nec dimittam. Et Sanctus Patriarcha: Non te, inquit, dimittam, nisi benedixeris mihi, Ista non vult eum dimittere, & forte magis quàm patriarcha id non vult, quia nec pro benedictione quidem. Siquidem ille benedictione accepta dimisit eum, hæc autem non sic. Nolo, inquit, benedictionem tuam, sed te. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?* NON DIMITTAM TE, NEC SI BENEDIXERIS MIHI.

Præualuisse contra Deum Iacobum audis, non audis intumuisse, nec se iactasse, qui vincit & erigitur, in victoria à victoriæ triumpho excidit, & hostium suorum ludibrium fit. Rem egregiè versat Petrasancta, dum ait: NON IDEO SVPERBIA ELATVS IACOB EST, sed accepit dumtaxat omen securitatis, contra minas aut insidias fratris Esau: dum præualuit in lucta cum Deo potentiori, quàm sit Esau, vel quispiam vllus homo. Idcirco vt constaret, ipsum non ideò superbire in parte agri, quem emit centum agnis, iuxta oppidum Sichem, erexit altare, & inuocauit super illud fortissimum Deum Israel. Qua nimirum tacita professione,

ne, Deum longè fortiorem esse, quam ipse sit, depradicauit: &si tum in certamine ludicro, aduersus Dei vim temperatam, & sponte modicam, præualuerat.

921 *Non dimittam.* Non videntur vulnerari verba, sed infligentis potius vulnera; scilicet vulnera, quæ à cœlesti medico, adeo vires non adimunt, vt augeant, & fortiorem reddant, qui illis afficitur; arctius stringere quisque Deum debet, arctius hærere illi, cum nos aduersitatibus vulnerat, calamitatibus exercet. Se à viro, inquit nobilis ille auctor, diuino percussum in femore videt Iacob, & nihilominus illum secum detinere curat, aiens: Non dimittam, nisi benedixeris mihi. O bone, sic percussorem detines? Sic amas tecum morari illum, à quo tantum accipis vulnus? Non miror, is enim est Deus, qui inter ipsa vulnera bonus, & proficuus est homini suo.

Percussus, & vulneratus Iacob percussori magis adhæret, & benedictionem postulat ab eo; nimirum aduersitates, & amaritudines adeo à Deo non auocant, vt vrgere potius magis ad eum debeant. Diceres inflicta vulnera CALCARIA QVADAM ESSE, quæ percussum exstimulent ad Deum, & benedictioni viam aperiant, cui alioquin non ita facilè aditus pateret.

Cum superior euasisset Iacob, cur benedictionem tanquam inferior ab eo, quem vicerat postulat? An quia victoria nos reddere humiliores debet? Addit quidam auctor: Nempè hanc vim habent labores, vt HOMINEM HVMILEM REDDANT, & doceant inflantes deponere spiritus. Repetebat patrios lares Iacob multis abundans diuitijs: ne tamen rerum abundantia turgeret, vir adstitit, qui cum eo luctatus est: lucta verò, & labor eum humiliorem effecit, adeò vt submissè peteret ab eo benedici, qui superior fuerat in lucta. Scilicet, quos perpetitur labores eam vim habent, vt eum humiliorem reddant.

922 Benedictionem deprecatur Iacob, tanquam victus, cum victor existeret. Equidem, inquit fertus ille auctor, victorem agebat, & quasi victus deprecabatur. Cur sic afficitur Iacob? Cur non magis sese ostendit victorem? Cur non magis clamat, victoriam suam, sed mauult accipere victi formam? Planè dum in congressu in femore percutitur, & exit claudus, vix æstimat victoriam, in qua non integer, & totus apparet.

Nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel.

ABræ quoque in Abraham mutatum nomen est, sicut Iacobo in Israel, sed cum hoc discrimine quod postea nunquam Abraham vocatus est Abraham, benè verò Iacob, qui nunc Israël dicitur, sæpè dicitur Iacob. *Quærite scripturas,* inquit Sanctus Augustinus serm. 40. de Verbis Domini, *& videte, quia vtrumque vocatus est semper, & Iacob, & Israel. Accepto alio nomine Abraham, non aliud est vocatus nisi Abraham.* An vt nobis innueretur, ita contemplationi, quam significabat Israel, vacandum, vt operatio nunquam negligatur.

Post luctam Iacob Israël dicitur, non est mutatio ista mysterio vidua, non viduus ordo. Vgó Carensis: *Post luctam mutatur nomen. De IACOB fit Israel, quia, vt dicit auctoritas, non erit Israelita, qui prius non fuerit IACOBITA.*

Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum. Et non etiam postea nomine Iacob est appellatus Sanctus hic Patriarcha? An hæc verba reddunt hunc sensum, nomen Israelis deinceps dignius esse futurum, & ab eo tamquam à digniori Iacobum appellandum? Nisi hoc quoque indicetur, ægrè titulum, nomenque illud poni, quod quis sibi vitæ moribus pepererit.

Quoniam si contrà Deum fortis fuisti.

PApè vilis homo, & solæ imbecillitate munitus fortis à Deo dicitur, & quod est grandius, contra Deum. Et vnde homini tanta fortitudo? an ab amore, qui imbecilles fortes reddit? Beatus Thomas à Villanoua serm. in 2. Domin. Aduentus huc spectans hæc habet: *Mirabile certamen: homo cum Deo luctatur tota nocte, & percutitur homo, sed vincitur Deus, femur hominis emarcuit in certamine, sed licet claudus, gloriatur tamen qui in lucta victor euasit. Vade dictum est ei. Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines praualebis? Sed vnde victor? quibus armis? quo telo? vtique non alio quàm amore. Hic AMOR VIOLENTVS COELVM INVASIT, paradisi atrium potenter irrupit omnipotentem Dominum carneis vinculis alligauit, vniuersa eius abstulit arma, & spolia eius distribuit, diuitias eius immensas hominibus dedit, & ipsum maiestatis Dominum triginta tribus annis ligatum hominibus obsequio mancipauit, seruire eum fecit duro seruitio, & tandem morte crudeli damnauit eum. O amorem crudelem, & sæuum, ò amorem rigidum & seuerum.* 923

Fortior à lucta exiuit Iacob, quàm cum eam iniuit. Ita illum loquentem quidam facit: *Posui me coram Deo, & cum eo tota nocte luctatus sum lachrymis, & suspirijs, & exiui alio cum pectore, & FORTITVDINE. O frater mi, quare tam pusillanimis es, vt quilibet minimus labor de te victoriam reportet? nisi quod nescis te offerre vna hora coram diuinis Dei oculis, quod si hoc faceres, vires inde eliceres ad omnes malignos spiritus superandos.*

Sectio V.

Angeli venerandi, & præcipuè colendi. 924

Nomen suum prodi viri *iusti* ægre ferunt.

Qui dura *patienter* fert, ad magna obtinenda viam sternit.

Etiam *curiositatis* vmbra auferenda. 925

Perstricti qui *celi* tanquam *numina* nomina sua volent.

Corporis debilitas viri iusti nihil gratiæ detrahit.

In Dei obsequio *claudicare* quisnam dicatur. 926

De *victoria* nemo *superbiat*.

An *Claudus* fratri occurrerit *Iacob*.

Dic mihi, quo appellaris nomine.

924 ET quid referebar suum nomen Angelum referre? Non fuit curiositatis, quod hoc Patriarcha postulauerit: *Quæsiuit hoc Iacob*, inquit Lippomanus, *vt in diuinorum cognitione proficeret, atque vt Angelum hunc nomine proprio deinceps inuocaret, &* HONORARAT. Scilicet benefactorem suum celebrare Iacob volebat, & illius nomen prædicare. Nos quoque diuina meliùs nosse curemus, vt plenius veneremur.

Quo appellaris nomine. Sed cur nomen Angeli Iacob sciscitatur? *Volebat*, inquit Honcala, *certum nomen Angeli habere, quò illum postea signanter appellaret, atque veneraretur.* Vnde non fuit sciscitatio ista curiositatis, sed pietatis signum.

Cur quæris nomen meum? Et benedixit ei in eodem loco.

NVnquid tanti erat nomen suum prodere? An tacendo nomen suum docere volebat, ne facilè nostrum proderemus, celebraremusque? Peritè Oleaster hîc. *Debent*, inquit, *sancti viri* NOMINA *celare, quantum possunt, nec nisi inuiti* PRODI.

Et benedixit ei in eodem loco. Tunc demum benedicitur, cum percussus ab Angelo fuit. Nimirum æquo animo ferre flagella, via ad Dei benedictionem est; non legimus conquestum Iacob, quod percussus ab Angelo fuerit, vt non mirum si tolerantia vires acquisiuit, & benedictione donatus est. *Sic affligitur*, inquit Honcala, *vt non opprimatur, sic verberatur, vt vegetior reddatur, atque* PIA TOLERANTIA *cœlestem benedictionem promereatur.*

925 Benedictionem Angelus Iacobo impertiuit, indicare tamen nomen noluit, quia illud erat vtile, hoc curiositatem quandam sapiebat. Duo, inquit bonis ille auctor, expetierat Iacob ab Angelo; alterum, vt ei benediceret; alterum verò, vt nomen ei indicaret. Prius illud facilè concessit: ait enim: Et benedixit ei in eodem loco. Alterum verò, nempe: Quod est nomen tuum? non modo non concessit, neque nominis rationem exposuit; imò verò repressit hominem, quòd CVRIOSIVS hæc fuerit perscrutatus. Sanè angelica benedictio multas vtilitates afferre poterat Iacobò. vnde nil mirum, quòd de illa fuerit sollicitus, & eam ab Angelo quæsierit, cæterùm rationem nominis quærere, curiositatem quandam præseferre videtur: vnde non modò non annuit petentis votis; sed hominem repressit.

Cur Angelus nomen suum Iacobo non expressit? Respondet Pepinus ex Paludano, *ne posteri*, inquit, *Iacob qui valde proni erant ad* IDOLOLATRIAM, *si nomen eius scirent, ipsum pro Deo haberent.* Addit idem auctor ex eodem auctore; *Ideò Angelus non expressit nomen suum, quia non veniebat in nomine suo, sed Dei.* Quàm abeunt, qui coli tanquam numina nomina sua vellent!

Benedixit ei. Licet in femore percussus, non tamen minus placuit Angelo; corporis debilitas, ac infirmitas in iustis eorum nihil gratiæ detrahit; non facilè fors benedictionem obtenturus, nisi in carne fuisset debilitatus.

Ipse verò claudicabat pede.

CLaudus Iacob factus, in Dei tamen obse-
quio minime claudicabat, quin rectius 926
incedebat. Præstat hîc sistere quæ habet Rupertus Abb. lib. 8. cap. 9. in Genesim, ait quippè: *Quomodo* CLAVDICAT? *videlicet vno pede terra innitens, alterum à terra suspendens, id est, actiuam vitam pro cura subditorum non omnino relinquens, & contemplatiua pro eius dulcedine totis viribus inhærens. Iste claudus salit, vel ascendit sicut ceruus, terramque vix tangere dignatur, nam conuersatio eius in cœlis est.* Manum cum Angelo conserens Iacob victor effectus cœpit claudicare, ne scilicet de victoria superbiret, putans se Deum vicisse; melius est cum pede claudicare, quam pedem superbiæ, vt Dauid loquitur, illi venire.

Mirum qui victor dicitur, claudicat! claudicare & victoria videtur, dum femoris contractione eam consequutus est Iacob. Non casu id factum, plenè victorem Deus voluit, quem claudum fecit, ne scilicet superbiæ pes eum corriperet: Benè Theodoretus: *Ne verò*, inquit, DE VICTORIA SVPERBIRET *putans se Deum vicisse, femur Patriarchæ contractum est.*

Ipse verò claudicabat pede. Aliquorum censio est, sanitati fuisse Iacob restitutum, adeò vt occurrens Esau non claudicaret, alioquin claudicationis causam aperire compulsus fuisset. Honcala: *Creditur*, inquit, *Iacob ab* EIVSMODI CLAVDICATIONE FVISSE CVRATVM, *quamuis in scripturis sanctis non sit proditum, quo tempore rectus ei incessus fuerit restitutus.*

Videbitur forsan alicui, ipsum rectè incessisse prius, quàm fratri occurreret, ne vel claudus fratri despectui haberetur, vel mirabilem claudicandi causam, indigno, qui talia mysteria nosset, narrare compelleretur.

CAP.

CAP. XXXIII. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio I.

Gratitudinem à suis *Deus exculpit*. 927
Dei *serui* externam *pompam* non quærunt.
Iustorum minima ijs præferenda, quæ in impijs putantur magna.
Cariora *periculo* non facilè exponenda. 928
Matres cum liberis cur simul constituerit Iacob.
Senes alijs præcipuè consulant.
Quo pauciora de alienis *mulieribus* quis scit, hoc est tutius. 929
In *loquendo* quàm pij ab impijs discrepent.
Beneficij loco accipiamus, si quis nostra accipiat *beneficia*.
Munera homines vt ligent. 930
Dona extenuanda, vt gratiora fiant.
Plus quisque *dare desideret*, quàm det. 931
Magnum quid, atque diuinum sapit *offensus clemens*.

Eleuans autem Iacob oculos suos vidit, venientem Esau, & cum eo quadringentos viros.

927 ELeuans oculos suos. Timor fecit, vt periculum præuideret; qui timet solicitè omnia videt. Addit Oleaster: *Ostendere solet Dominus pericula sua sanctis, vt cognoscant, à quibus eos liberauerit, &* GRATI SINT ILLI. Vt videas gratitudinem à suis Deum exsculpere.

Viri Esau comitantur; Iacob comites habebat virtutes, absque tumultu graditur Iacob, vt humilitati litet; Esau, quod reproborum est, in ijs, quæ sunt exteriora, intumescit. Præstat hîc sistere, quæ habet Sanctus Gregorius lib. 8. moral. cap. 32. *Iacob greges ouium sequens* HVMILITER GRADITVR, *atque huic Esau obuiam veniens, tumultu multiplicis comitatus eleuatur: quia nimirum, & electi hic elationem non habent, & in bonis carnis reprobi* LÆTI TVMENT.

Et cum eo quadringentos viros. Parum profuit Esau tot virorum stipari satellitio, si cũ Deo Dei contemptor non incedebat. Pluris æstimes Iacob cum baculo Iordanem transeuntem, quàm Esau cum quadringẽtis viris incedentem. Petrus Blesensis epist. 17. *Esau*, inquit, *quem Dominus reprobauerat cum quadringentis viris, Iacob* CVM BACVLO *suo transeunte Iordanem, &c.* Scilicet iustorum minima ijs præferenda, quæ putantur magna.

Et posuit vtramque ancillam, & liberos earum in principio.

ET *posuit vtramque ancillam*. Cur non primum Esau oculis Rachelem obiecit, quæ sua pulchritudine cum illo pugnaret, & furenti arma auferret? Quæ minus diligebat, primas PERICVLO EXPOSVIT, seruauit postremam Rachelem tanquam chariorem, nec pulchritudine pugnare voluit, sed prudentia. 928

Et liberos earum: Cur matres, cum liberis simul constituit? LIBEROS, inquit Salianus, *suis* MATRIBVS *adiunxerat ardentius pro suis affectibus deprecaturas*. Rectè matres incedunt, si liberorum non relinquant curam.

Et ipse progrediens adorauit.

ANtea cum iuuenis, cum robustior Iacob esset, Esau fugit, illumque timuit, & periculum declinauit, nunc senior factus, ante alios currit, obuius fratri factus; & vnde tantus illi animus, feruor tantus? Quia iuuenis, inquit peritus ille auctor, se proripuit in fugam, vt periculum declinaret, & senior, cum pugnandi ardor deferuescit, ante alios præcurrit, vt periculo se exponat; plane ita est: quia iuuenis sibi tantum, SENIOR AVTEM SVIS CONSVLEBAT, nam ille, cui aliorum incumbit salus, minus præcauere debet suum periculum, quam suorum.

Et ait: Quid sibi volunt isti? & si ad te pertinent?

QVid sibi volunt isti: Cum mulieres etiam vidisset, cur non potius dixit: *Quid sibi volunt istæ?* Virum in hac re se prodit, quod non se curiosum de mulieribus ostendit, quasi in eas oculos non fixisset. Quò pauciora viri de mulieribus alienis interrogant, hoc magis se viros indicant, & viri sustinent dignitatem, virile nomen; fœmineus esse incipit, qui oculos in fœminas figit, & quænam illæ sit præposterè sciscitatur. 929

Et ille ait: Habeo plurima frater mi; sint tua tibi.

SÆpè verba foràs loquentis mores producunt. Quàm à Iacobi simplicitate, ac pietate Esau distaret, statim prodit, dum loquitur. Opportunè Honcala hîc: In hac mutua horum fratrum confabulatione illud primùm notandum, quòd Iacob, vt vir modestior, sibique timens summissiori, simul & prudentiori oratione vtebatur, Esau verò, vt insolentior, suapteque

preque natura ferocior cum elatione tam breuiori ſermone reſpondebat: propterea Eſau nulla de Deo mentione ſacta celeriter protulit: Habeo plurima, ſint tua tibi, IACOB AVTEM DEI APPELLATIONEM, VT EI GRATISSIMVS, PLVRIES LOQVENDO INTERSERIT; dixit enim paulò ſuperius: Paruulos, quos donauit mihi Deus: & modo, quaſi viderem vultum Dei, & paulò poſt; Accipe benedictionem, quam donauit mihi Deus.

Sed ſi inueni gratiam in oculis tuis accipe munuſculum.

SI *inueni gratiam in oculis tuis*. Nimirum qui munera alicui offert, in beneficiorum cenſu locare debet, quod alius accipiat, quod ille exhibet. Benè Vgo: *Per hoc notatur, quod ille qui dat debet reputare gratiam factam ab illo, qui accipit*. Alienè de beneficijs cenſet, ſi quis ſe exhibere tantum putat, dum exhibet, & non recipere.

930 *Accipe munuſculum*. Cum fratris beneuolentiam eſſet expertus, quid deinde munerum ariete contra eum pugnat? *Optime nouerat vir Sanctus*, inquit Oleaſter, MVNERA HOMINEM LIGARE, *ne poſſit aut audeat eis, qui dedit, nocere, ideo fratrem ad accipiendum cogit*. Claudit. *Diſcant ex hoc loco iudices, qui alios punire habent, nihil à reis accipere, cum ſciant munera non ſolum excacare, ſed etiam ligare hominem, ne iniuriam vindicet*. Libertate ſua frui qui vult, manus à muneribus excutiat.

Accipe munuſculum. Dona extenuanda ſunt, vt maiora fiant, reddantur gratiora. *Vocat hoc munuſculum*, inquit Abulenſis, *ſed ſatis eſt magnum munus, & ſolemne; eſt tamen modus humiliantis ſe, & non reputantis facta ſua, & ſic gratioſa magis ſunt munera ipſis recipientibus, quam ſi dantes iactarent* LAVDANDO MVNERA *ſua, quia tacitè extollitur ſic, vel deprimitur perſona illa, cui datur munus: iam ſi eſt munus magnum, & dicimus illud eſſe paruum, ſignatur eſſe perſona recipientis magna, cum illud munus magnum in comparatione eius paruum ſit: è conuerſo autem fit ſi dicimus munus eſſe magnum, quia ſignificamus perſonam recipientem eſſe parua dignitatis*. Munus igitur extenuet, qui accipientis dignitatem vult efferre. Qui aliquid alicui exhibet, extenuare munus ſuum debet, non efferre. *Omnis*, inquit Vgo, *qui dat, debet datum ſuum* MODICVM *æſtimare*. Quòd maximè præſtandum, cum aliquid Deo ipſi offertur.

931 *Accipe munuſculum*. Quodlibet magnum exiguum reputari debet dantis animo comparatum, adeo vt ſemper plus quiſque dare deſideret, quam det. *Ea eſt hic argumentum*, inquit Pepinus, *quod quamuis homo diues interdum det magna, illa tamen debet* PARVA *reputare*. Scilicet magnorum nota eſt, parua æſtimare, quæ ſunt magna, ſicut paruorum magna credere, quæ ſunt parua.

Sic enim vidi faciem tuam quaſi viderim vultum Dei.

QVaſi *viderim vultum Dei*. Ita Iacobo viſus Eſau, quaſi, vt ille ait, mitior cælitus factus, & quaſi iniuriæ oblitus Iacobum amicè alloquebatur, cui prius minatus mortem fuerat; vt meritò dixerit Hildebertus: *Magnum quid, atq;* DIVINVM *ſapit offenſus clemens*.

Sectio II.

Iniuriarum memoria facilè reuiuiſcit. 932

Serui facilè dominorum *mores* exprimunt.

Iuſti ſuas *laudes* occultant, defectus produnt.

Plerumque ſibi conſulant, qui *conſulere* tantum alijs videntur. 933

Vera *ſuperioris* nota ſuorum potius laborem ſentire, quàm ſuum.

Cautè *malorum conſuetudo* vitanda.

Impiorum inconſtantia non facilè fidendum. 934

Delicatè tractandi quos *reconciliatos* volumus.

Malorum contagium vitandum.

Princeps patrem ſe ſuis exhibeat. 935

Sacra quàm fortia propugnacula.

Tunc *Dei* maximo indigemus *auxilio*, cum hoſtes domeſticos habemus. 936

Vera *fortitudo iratos* flectere, & in mites iracundos conuertere.

Noſti Domine mi, quod paruulos habeam teneros.

MIrum quod ſimul cum fratre ire de- 932
trectat Iacob, & non mutua beneuolentia magis ſtabilitetur mutuo diuturniorique conſortio, ac familiaritate? An timebat, ne rerum præteritarum memoria beneuolentia, quam frater præferebat, euaneſceret? Detrectat Iacob, inquit Honcala, cum Eſau iter facere, ne forte refrigerato recentis beneuolentiæ affectu obductum nuper veteris, vel iniuriæ, vel querelæ vulnus recrudeſceret, & in nouam pro antiqua ſupplantatione vindictam frater incitatus ei graue aliquod nocumentum inferret. Iam enim prudentiſſimus vir cautionem illam præſtabat, quam in itinere faciendo adhibendam Eccleſiaſticus præcipit: cum audace non eas in via, ne forte grauet mala ſuper te, & iterum cum iracundo non facias rixam, & cum audace non eas in deſertum: quoniam, quaſi nihil eſt ante eum ſanguis: & vbi non eſt adiutorium elidet te. Scilicet iniuriarum memoria facilè reuiuiſcit.

Sed

Sed cur non iuit cum Eſau Iacob, vt inceſſu affectus, & concordia firmior fieret? an à famulorum eius conſortio ſibi timuit, ne illorum cauſa antiquæ plagæ renouarentur. Pepinus: *Ideo*, inquit, *ſe excuſauit, ne cum eo iret, ne aliqua occaſione habita, aut accepta ex parte* FAMVLORVM *Eſau aduerſus familiam ſuam antiqua diſcordia renouaretur, qua tamen tunc videbatur ſedata: & ſic per conſequens fieret error peior priore*. Niſi dicamus à ſeruis ſibi timuiſſe Iacob; quia facilè dominorum mores ipſi exprimunt, nec longè ab Eſau mente Eſau ſerui ibant.

Quod paruulos habeam teneros. Quæret hîc aliquis, cur non potius aliam afferat excuſationem, nempe quod altero pede claudicaret? Quia, inquit petitus ille auctor, ſi claudum ſe diceret, inquirenda erat vlterius ab Eſau claudicationis cauſa, & niſi ſubruſtico, inurbanoque pudore dicere ſubterfugeret, quod rogabatur: dicendum erat, quomodo cum Angelo luctatus fuerit, quomodo illi præualuerit; quomodo ab eo benedictionem acceperit, aliaque id genus, quæ ad eius commendationem maximè conferebant, ne igitur SVAS LAVDES aperire cogeretur, ſuam claudicationem cenſuit occultandam.

933 Refugit Iacob ſimul ire, cum quo ſimul ex matris exierat vtero, idque vt ipſe ait, gratia paruulorum, quorum imbecillitati conſulendum, niſi quòd vt obſeruabat Caietanus, & ipſe Iacob claudicabat, vnde & ſibi conſuluit, cum videretur aliorum tantùm habere rationem. Plerumque ſibi conſulunt, qui conſulere tantùm alijs videntur. Niſi dicamus, quod in magnam Iacobi laudem reſilit, nihil de ſe dixiſſe, ne cogeretur claudicationis cauſam afferre, & efferre ſua, efferre ſe, quòd cum Deo luctatus fuiſſet, vt ſuperius tangebamus.

Paruulos habeam teneros. Cur non dixit ſe vno pede claudicare. *Quia*, inquit ille, *plus ſuis, quàm ſibi conſulebat, & ægrius* SVORVM, *quàm* SVVM LABOREM *tolerabat*. Hæc veri ſuperioris eſt nota, ſui commodi obliuiſci, ſubditorum commodum curare.

Præcedat Dominus meus ante ſeruum ſuum, & ego ſequar paulatim veſtigia eius.

CAutione iſtâ nos docet Iacob cautè malorum conſuetudinem vitandam. In Geneſi, inquit nobilis ſed nuperus auctor, legitur quantum expetijt S. Iacob, vt pacem haberet cum Eſau, & quantum omnes modos poſſibiles quæſierit, quouſque eam adeptus eſt, lachrymis, orationibus, donationibus, & humiliationibus. Impetrata autem pace noluit eius conuerſationem, eo quod eſſet vir iniquus Eſau, qui tetigerit picem inquinabitur ab ea, nec hoc illi dixit, ſed quæſiuit optimam occaſionem, ne cum eo iter dicens. Noſti Domine mi quod paruulos habeam teneros, & oues, & boues fœtas mecum: quas, ſi plus in ambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges: præcedat Dominus meus ante ſeruum ſuum, & ego ſequar paulatim veſtigia eius: videte prudentiam doctam à Spiritu Sancto: quam occaſionem inuenit tam rationabilem, vt cum eo non iret & ab eo ſegregaretur. Sic vos debetis conſentaneas occaſiones quærere, VT A MALIS RECEDATIS: ita vt ipſi non ſcandalizentur.

934 Cur ire ſimul cum fratre non vult? An quia non ſatis fidit eius inconſtantiæ? *Timuit ne inter ambulandum, aut dum peruentum eſſet in Seir,* ESAV MVTARET PROPOSITVM, *ſiue animum & de fratre efficeretur hoſtis*.

Cur Dominum ſemper vocat, numquam fratrem? *Perſeuerat vocare Dominum*, inquit Lippomanus, *& numquam fratrem, fortaſſis enim ex integro non fidebat*. Titulos non mutat, nec imminuit, ne Eſau in benignitatis mutaret actibus, innuens maximè delicatè tractandos, excipiendoſque, quos reconciliatos habemus, vt nihil obſequij omittendum ſit.

Et habitauit iuxta oppidum.

ET *habitauit iuxta oppidum*. Cur intra oppidum ſe non recepit? Reſpondet Litanus, *quia erant ibi idololatræ*; quaſi aliquod contagium ex illorum conſortio aut ſibi timeret, aut ſuis.

Emitq; partem agri in qua fixerat tabernacula, à filijs Hemor.

935 QVærunt hîc aliqui, cur potius à filijs Emor dicatur Iacob emiſſe eam partem agri, quàm ab ipſo Emor. Pepinus: *Dici poteſt*, inquit, *quòd per filios Emor intelliguntur ſubditi illius, quos bonus princeps debet humaniter, & non tyrannicè more multorum tractare*. Abit à principis titulo, qui patrem ſe ſuis non exhibet, ſuos non tractat, vt filios. Addit potuiſſe filios à patre emancipatos vendere, quod ceſſerat in eos ius.

Et erecto ibi altari inuocauit ſuper illud fortiſſimum Deum Iſrael.

CVr *fortiſſimum* Deum vocat? Benè ille: Vbi agrum emit Iacob nihil prius ibi agit, quàm altare erigere, ſuper quod dicitur inuocaſſe fortiſſimum Deum Iſrael. Et cur fortiſſimum, & non magis benigniſſimum, aut ſapientiſſimum inuocat, niſi vt oſtendat, ex adiunctis ſacra, quam fortia PROPVGNACVLA.

936 Fortiſſimum Deum vocat Iacob, quia nimirum eum à fratre Eſau liberauerat. Nimirum tunc maximè maximo Dei indigemus auxilio, cum domeſticos, ac conſanguineos hoſtes experimur. *Quia nullum*, inquit hîc Sanctus Thomas, *bellum acrius, quàm* HOSTES DOMESTICI, *& potiſſimè, quando pro ſe colorem iuſtitiæ, & maioritatem prælationis videntur habere: idcirco nullum prælium legitur Iacob ita fortiter timuiſſe, nec in quo Dei, & exercituum angelicorum præſidium, ita ſibi aſtitiſſe, ſicut in iſto*.

Cur *fortissimum* Deũ vocauit Iacob? An quòd ab Esau periculo eum liberauerit? Tunc maximè fortitudinem suam Deus exercet, cum hostilem mentem, & odijs grauidam IN MITEM VERTIT. Quod cum proportione ad eos flectas, qui parcunt, & nouercale odium ponunt; nullum facinus reperias, in quo maiorem quis fortitudinem ostendat, quàm cum rixa, & odio posito, mititatem, humanitatemque exercet; hic enim maior homo se ipso fit, vincitq; totam naturæ vim, quo nulla maior fortitudo potest reperiri.

CAP. XXXIV. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio I.

Egressa est autem Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius.

937 ETiam Iudith egressam legimus, nec tamen cecidit, sicut lapsa est Dina, illam orationem prius strauisse scimus, de ista hoc non legimus; illam pietas eduxit, istam curiositas. Vgo hîc ait, Iudith vicisse, victam Dinam, licet vtraque à principibus viris fuerit adamata, *quia Iudith, prius clausa fuit in cubiculo suo, & se parauerat in oratione persistens*. Scilicet oratione præmunire egressum suum debet, ne aut capiatur, aut capiat, decipiatq; Rariores mulierum casus videremus, & ploraremus, si foras proditura intus colligerent se, precibus se armarent, & egressum suum suo commendarent Deo.

Exiuit Dina vt videret, non viros, sed fœminas, & à pudicitiæ suggestu cecidit. Audiant parentes, inquit Petrasancta, & credant difficilè, filias foris pudicas diu versari posse, quando præsertim exeunt, non vt videant mulieres regionis, SED VT VIROS INVISANT, eosque interdum amasios, vt colloquantur, vt commeent, vt tripudient, & propemodum licentiæ tantumdem vsurpent, quantum nuptas vix deceret? Audient sæpè etiam ipsi tristes nuncios, suasque (nec vi modo, sed spontè) opprimi virgines, serò nimis lamentabuntur: certè, vti domus Iacob, sancta domus ipsorum non est.

Egressa est Dina paternum tentorium, diù se intus continere non potuit. Sed quid mulierem foras vrsit, numquid pietas, ac deuotio, an potius curiositas, & vanitas, spectatura scilicet quo habitu, ornatuque regionis illius mulieres incederent? Lippomanus huic parti subscribit, dum ait: *Paternum tentorium egreditur curiositate adducta ad contemplandum habitum, & mores mulierum regionis illius, & ideo periclitatur de castitate*. Qui nimis curiosè aliena circumspicit, se negligit, negligit sua.

Egressa est Dina, vt milieres regionis illius videret, feliciores virgines illæ, quæ ad egressum vocabantur in amoris cantico: *Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem*. Hoc vnum ad egressionem excitet, vt verus Salomon videatur: *Nolite egredi*, inquit Gillebertus Abbas, *donec Christus vos inuitet. Egressa est Dina, non educta, non vt Regem Salomonem, sed* VT MVLIERES VIDERET *regionis illius. Quid inuenerit, vos nostis*. Quæ egressa est vt videret mulieres leuis mulier est visa; quæ egreditur, vt viros videat minor est suo sexu, cui pro sua parte maculas affricat. 938

Egressa est Dina sui sexus curiositate acta, vt mulieres illius regionis videret, aut etiam, quod notabat Carensis Vgo, *vt emeret* ORNAMENTVM *mulierum prouincialium*. Sæpè exstimus ornatus mulierem illo decore spoliat, qui animam & corpus ornat, vt ornamentum corporis emeret, amisit pudicitiam.

Egressa est Dina. Quis mulierem inuitauit, vt foras prodiret? An quædam Sichimitarum solemnitas, quæ tunc fors celebrabatur? Vgo Carensis; *Dina*, inquit, *egressa ad videndum solemnia Sichimitarum, & multi nimis attendentes* FESTIVITATES *diuitum per cupiditatem, aut inuidiam perierunt*. Plerumque sub solemnitatis prætextu curiositati suæ, & vanitati litant mulieres, & pereunt ipsæ, ac pereundi alijs occasionem præbent.

Nimis de se præsumpsit Dina, nimis fuit audax, tutò alienas voluptates videre se posse cre-

credidit, absque eo quod, aut periret, aut fraudi alijs esset. *Ne minus*, inquit Sanctus Nilus in asceticis, *ex ijs, quæ de Dina scripta sunt intelligimus* MVLIEBRIS ESSE MENTIS, ATQVE FOEMINEÆ EA QVÆ VIRES NOSTRAS SVPERANT AGGREDI, *& in ijs, vt par est indicandis decipi. Nisi enim illa petulanter ad res incolarum spectandas properasset, earum delectatione allici, & capi se non posse confidens, animi iudicium rerum terrenarum cogitationibus non corrupuisset.*

939 Furtim, & inscia matre foras prodijt Dina, nam alioquin mater itionem in publicum inhibuisset, contra ac aliquæ præstent, quæ adeò non prohibent, vt ipsæ filias in publicum ducant. *Nesciebat mater*, inquit Abulensis, *quæ forte eam in Ciuitatem* IRE NON PERMISISSET, *& hoc timens Dina nulli indicauit.* Sciens à nullo se consequuturam, quod à sua leuitate obtinuit, tam probam mentem omnes circumferebant, & tam de filiarum custodia erant omnes soliciti.

Ingressa est Vrbem Dina, ex quo habes Iacobum extra Vrbem tabernaculum fixisse; sed cur ita? Abulensis: *Fuit*, inquit, *domus Iacob, in agro extra Ciuitatem Sichem, quia Ciuitatem intrare nolebat, ne cum* IDOLOLATRIS *habitaret.* Tam cautè malorum consortium vitandum est, vt vitentur mala.

Filia Liæ. Cur Liæ potius filia Dina dicitur, quàm Iacob? An quia sui egressus leuitate se ad illum sexum pertinere probauit, qui sua natura est leuior? *Non dicit*, inquit Pepinus hîc, *filia Iacob, sed filia Liæ, quia factum sequens fuit muliebris curiositatis, non sapientiæ virilis. Egressa est ergo prædicta Dina, scilicet de domo patris vbi tanquam verecunda, & honesta iuuencula debebat stare clausa.* Pater Dinæ omittitur, recensetur mater, quia hanc potius, quàm illum moribus retulit. Lia, vt bonus ille auctor notabat, vagabatur in agro mandragoras quærens, Iacob in tabernaculis morabatur, nec facilè foras exibat; benè ergò non filia Iacob, sed filia Liæ Dina dicitur, quia egrediens vt curiosa vagetur, muliebrem potius matris euagationem est æmulata, quam virilem patris euagationis fugam.

940 *Vt videret mulieres.* Nec eas tantum, sed earum mores, & quod muliebris ingenij est, mulierum ornatum, cultumque. Egressa est Dina, inquit insignis ille auctor, vt mulieres videret, imo & ingenia, mores, & studia, & habitum, atque CVLTVM ILLARVM. Hæc libenter spectant mulieres, & in his spectandas se promptè exhibent.

Vt videret mulieres regionis illius. Minuit Dinæ culpam, quòd egressa est non vt viros videret, sed vt mulieres, vt videret mulieres, non vt videretur à viris. Nisi quod hîc apparet muliebre vitium curiosè spectandi, quâ ratione illæ mulieres ornarentur; nam vt ait Pepinus: *Causa sui egressus hæc fuit, scilicet, vt videret mulieres regionis illius. Forte cupiebat ex quadam curiositate, quæ innata est mentibus puellarum, videre quomodo, & qualiter essent* ORNATÆ MVLIERES *regionis illius in earum solemnitate, vt dicit Iosephus.* Hoc enim proprium mulierum est, vestium ornatu ornare solemnitates, cum deberent pietate, ac sanctitate.

Quod euaganti Dinæ accidit, hoc ad animam per corporis sensus discurrentem flectebat Beatus Laurentius Iustinianus cuius hæc sunt verba tract. de Perseuerantia cap. 4. *Dina Iacob filia egressa videre mulieres regionis Sichemorum corrupta fuit, sic &* ANIMA DISCVRRENS *per corporis sensus amittit interiorem integritatem, & instabilis efficitur, quia interna despicit, præterita non respicit, præsentia non conspicit, futura non prospicit.*

Dinæ non alienè aliena curiosè scrutantes sui, suorumque oblitos compares; comparauit Ebrardus Bethuniensis, dum ait: Semper 941
CVRIOSVS aliorum facta etiam minima scrutatur, & sua maxima obliuiscitur, vt sanctior, & iustior cæteris videatur. Sunt enim sicut Dina, filia Iacob, quæ mulieres regionis videre desiderans, paternam domum reliquit, & dum alienam conspiceret, ipsa ab Hemor filio Sichem stuprata est: & nisi patre interueniente, & fratribus pugnantibus, liberari potuit: sic & vos curiosi aliena vultis videre, idest aliorum crimina, & relinquitis paternam, & propriam domum, idest propria crimina non consideratis, & interim ab immundis spiritibus vulnera sustinetis, nullo modo liberati, nisi Deo adiuuante, & orationibus fratrum interuenientibus.

Dinæ casum audis, nulla deinceps eius facta est in diuinis litteris mentio; lapsus ad cautionem fuit, nomen impudicitiæ titulo inuolutum, non erat, quòd in medium produceretur. Benè Petrasancta: Videtur verò ignobilis deinceps mansisse Dina, CVM DE EA MENTIO NVSQVAM AMPLIVS FIAT IN HISTORIA SACRA. Et quamuis Philo Iudæus scribat, eam S. Iob fuisse nuptui datam, Chronologiæ id parum congruit. Sicut etiam parum fuisset consentaneum gloriæ viri tam inclyti, & qui dicitur fuisse magnus inter omnes Orientales, ac fortasse etiam Rex, connubio sibi iungere mulierem ab alio compressam, & cui infamia publica dedecoris adhæserat.

Sectio II.

Paupertas multis bonis diues. 942

Curiosa *euagatio* magnorum periculorum mater.

Paterna *filiorum institutio* quantas habeat vires.

Amantes diuites *promissis* fide pauperes, & prudentia. 943

Pater non videtur pater, si *filium* errantem non corripiat.

Principis titulum non meretur, qui ea non præstat, quæ talem titulum decent.

Fama

Fama mali facilè *eulgatur*, præsertim in magnis. 944
De Patris *iniurijs* plus doleant *filij*, quàm de suis.
Læsi non irritandi.
Quo quis *morti* vicinior, eo ad *pacem* propensior fit. 945
Continentia amor in filijs Iacob.
Religione plerique vtuntur, vt suis commodis faueant.
Impudicus *amor* nulla lege vincitur. 946
Vera *nobilitas pacem* fouere.
Perstricti, qui etiam in rebus *sacris lucra* temporalia spectant. 947
Luxuria affectus nihil *veretur*.

Et rapuit, & dormiuit cum illa, vi opprimens Virginem.

942 ET *rapuit*. Virginem princeps rapuit, à quo impurus amor mentem, rationemque rapuerat. Hoc mali magni habent, *quod facilè*, notabat hoc Oleaster, *possunt, quæ malè cupiunt habere; &* IGNORANT PAVPERES, ET DEBILES, QVAM BENE CVM EIS AGAT DEVS, *quòd etiamsi velint, non possunt multa vitia, quæ improbè consequi volunt, operè complere; non cogitant, in qua mala labi possunt, si diuites fierent, sed multa bona se facturos somniant*. Atque adeo si rectè rem pensemus, paupertatem multis bonis diuitem deprehendemus, quæ desideremus in diuitijs.

Vi opprimens. Cur Dinam ab istius principis vi non defendit Deus, sicut à Regibus Saram, & Rebeccam defenderat, neque enim iste Pharaone, & Ahimelecho potentior fuit? An quia illæ necessitate vrgente eò se contulerunt, vbi castitas periclitabatur, Dina sola curiositate acta foras euagata est? Tanti refert sine causa se periculo exponere, & curiosam euagationem non vitare eum possis.

Vi oppressa est Dina, non sponte consensit in stuprum, vnde hanc mentem hausit? Præcipuè à paterna institutione. Tanti est, benè filios à tenera ætate instituí, & in paterna domo modestiæ, ac probitatis domestica habere exempla.

Tristemq; deliniuit blanditijs.

943 TRistem *deliniuit blanditijs*. Ingentia, quod amantes solent, Virgini sors est pollicitus. *Patrias opes*, inquit Hamerus, *& principalem potentiam apud puellam* IACTAVIT AVRI MONTES POLLICENS, *his enim magnificis verbis sperabat puellam facile ad coniugij contentum deduci posse*. Tàm diuites promissis amantes solent esse, quàm pauperes fide, ac prudentia.

Siluit donec redirent.

SIluit; cur rem tam magnam silentio suppressit? Litanus: *siluit*, inquit, *dissimulando prudenter, quod non poterat emendare*; & Lippomanus. *Indoluit filiam stupratam, siluit tamen, non tumultuabatur, non furia inebriatus erat, non cœlo terram miscuit, peregrinus erat, sustinebat, Domino commendabat*.

Egresso autem Hemor patre Sichem.

PAter iste patris partes non agit, nam filium statim corripere debebat, qui deliquerat; adeò non corripuit, vt Dinam filio in vxorem quærat obtinere; quod infeliciter cecidisse non mirum, vbi enim filiorum errata non corrigunt parentes, nec peccantes filios arguunt, ingentia sunt mala timenda.

Egresso autem Hemor. Cur non principis titulus adijcitur? an quia non meretur regiam notam, qui ea agit, quæ seruilem mentem præferunt? Cum Hemor, inquit nobilis ille auctor, Princeps, Rexque fuerit Sichimitarum, nunquam a Sacro Scriptore sub nomine Regis, nec Principis introducitur, sed semper sub nomine proprio ipsius. Non dicitur venisse, aut locutus fuisse Rex, nec Princeps, sed solum dicitur Hemor venisse, & Hemor locutus. Cur non magis dignitas eius regia attenditur? Crediderim REGIAM DIGNITATEM A SACRO SCRIPTORE, IN *HEMOR*, DISSIMVLATAM, eo quod videret illum patrocinari, & suffragari filij lasciuiæ, quam vt foueat, & nutriat, domo egreditur, & adit tabernaculum hominis peregrini. Hoc regium est? Absit, mihi credite, Rex non est apud Deum, nec Princeps, qui fouet, & nutrit in regno suo affectus lasciuos.

Ecce filij veniebant de agro; auditoque quod acciderat, irati sunt valde.

AVdito *quod acciderat*. Neque enim supprimi viri principis scelus potuit; *Fama* 944
mali, inquit Lippomanus, CITIVS EVVLGATVR, *magnorum virorum fama minus latere potest*. Quò maior est qui peccat, eò citius in aliorum notitiam illius culpa it; ac si alas famæ addat peccantis magnitudo, ac sublimitas; etiam vox quæ è sublimi descendit, facilius illorum aures implet, qui in imò sunt.

Irati sunt valde. Non sui, aut sororis causa tantum, sed & patris; *Magis dolebant*, inquit Abulensis, *de* INIVRIA PATRIS, *quàm de iniuria sua*. Sed Dei offensa maiorem ab illorum pietate elicere dolorem debebat.

Locutus est itaque Hemor ad eos: Sichem filij mei, &c.

QVàm cautè loquitur, abstinetq; à peccati appellatione, qua exacerbare iam læsos

sos potuisset. *Deflorationem*, inquit Abulensis, *quæ iniuriosa videbatur, subticuit, ne ipso verborum exordio eos* AD IRAM PROVOCANS, *totum negotium perturbaret*. In qua re docemur, vt ea in sermone vitemus, quibus irritari illorum animus possit, cum quibus negotia tractamus.

Responderunt filij Iacob Sichem, & patri eius in dolo.

945 CVr filij respondisse perhibentur, de patre nihil dicitur, in nuptias consensisse Iacob non est dubium; *Iacob*, inquit Hamerus, *senio iram fractus, eò quòd ad* PACEM PROPENSIOR *à nuptijs non abhorret*. Quò quis morti vicinior, eò studiosius fouere pacem debet, & ad ea, quæ concordiam spectant, spectare.

Hæc filiorum Iacob ira indicat quàm continentiæ amatores essent, ita à patre informati: Scitè Honcala: Vides, inquit, filiorum CONTINENTIAM, quomodo turpitudinem maximam hoc factum reputabant? Vidisti, quomodo iustus pueros suos erudiuit ad iustitiam? Nam si non fuissent castis motibus instituti, haud adeo grauiter procacis iuuenis flagitium tulissent. Solent enim homines vitijs suis etiam in alijs fauere, vel certe parcere. Nec ab re Moses in re turpissima non Iacob, sed Israel nomen posuit, vt ea appellatione procacis adolescentis culpam augeret, qui virum illum offendere ausus fuerit, qui à diuino principatu nomen obtineret. Viros item vocat filios Iacob, quamuis adolescentes, propter egregiam animi fortitudinem, per quam de Sichem vltimum supplicium sumpturi erant: eò quòd violata filia Iacob rem illicitam perpetrasset.

Non possumus facere quod petitis, nec dare sororem nostram homini incircumciso.

PRætendunt fratres nuptijs impedimentum fore vnam circumcisionis religionem, & in se duram, & gentilibus exosam: sed omnem difficultatem amor deuorat. Rectè hic ille exclamat. *O principum miseranda consilia: vix vlla principibus non placet religio, quæ eorum voluptatibus seruire potuit*. Nimirum non ipsi religioni seruire volunt, sed ipsis religionem.

Non distulit adolescens, quin statim, quod petebatur expleret.

946 ITane tam facilè suam eiecerat religionem? qui impudici amoris vinculis ligatur, nulla religione tenetur, ad alienum tàm facilè transit cultum, quàm ardenter in alterius sexus blanditias quis fertur. IMPVDICI AMORIS LEX NVLLA LEGE VINCIRI. Veræ religionis signo notari se passus hic princeps, non vero numini seruire, sed suis vt affectibus blandiretur. Sic plerique pietatis prætextu sua vitia vestiunt, aut colorant.

Viri isti pacifici sunt.

CVr à pace eos potius commendat, quàm à diuitijs, à nobilitate? An quia illa istis præferenda; ignobilis est nobilitas, quam pacis amor non nobilitat, & pauperes diuitiæ sunt, nisi pacis, & concordiæ amore ditentur, & foueantur. Præcipuè commendatur, quæ præcipua est virtus.

Filias eorum accipiemus vxores.

HÆc lasciui animi consignatio, etiam in sacris rebus sola temporalia lucra spectat: Scitè ille: exspectares ab eo qui Sacramentum circuncisionis admittit, illudque admittendum populo proponeret, quod de eius sanctitate dissereret, quod diuinissima inde dona venientia curaret, & alijs tradere, & sibi scire. At Sichem TOTVM TEMPORALE, NIHIL DIVINVM PROPONIT de Sacramento illo, ait enim: Filias eorum accipiemus vxores, & nostras illis dabimus. Vnum est, quo differtur tantum bonum: si circumcidamus masculos nostros, ritum gentis imitantes. Et substantia eorum, & pecora, & cuncta, quæ possident nostra erunt, &c. Cur non magis dicit, quod si circumdamini exuetis peccatum, acquiretis diuinam gratiam? Cur non magis in veræ religionis Sacramento ponderat diuinas donationes, & præteris lucra temporalia? Ducebatur non religione, sed amore puellæ, & lasciuus animus nihil diuinum videt, nihil diuinum odoratur in sacramentis, sed omnia temporalia. 947

Vt suæ litet libidini hic princeps, etiam re sacra abutitur, circumcisione. Opportunè ille monebat: Caue homo AFFECTVM LVXVRIÆ RABIDISSIMVM, is enim est, qui nihil vereatur in sacris, nihil timeat in diuinis, & pro obtinenda voluptate non dubitabit omnibus sacris abuti.

Sectio III.

Deum punientem timeant, qui in rebus *sacris* sua commoda quærunt. 948

Luxuriæ amici hostes sunt *veritatis*.

Habendi appetitus plusquam pietas plerumque valet.

Facilius est reperire qui *peccantibus* superioribus *adulentur*, quàm qui eos *corrigant*. 949

Vera consanguinitas, & beneuolentia, operibus probanda.

Rerum *sacrarum* retundit vim, qui *temporalium* rerum affectu eas inficit.

Defensores facinorum *puniri* debent cum ijs, qui facinora committunt. 950

Peccatis non se obijcere cum quis potest quàm ingentia parturiat damna.

Maiorum meritis sæpe alijs parcitur.

Nihil non potest apud *Deum*, qui illatas *iniurias* forti animo fert. 951

Filiorum culpæ *parentum* sanguine sæpe eluuntur.

Passionum impetu qui feruntur *pericula* non vident.

Et substantia eorum, & pecora, & cuncta quæ possident nostra erunt.

948 NOn igitur fides aut pietas eos ad circumcisionem vrget, sed rerum temporalium cupiditas, & propriorum commodorum amor, vt non mirum si Deus fecerit, vt ex circumcisione tot incommoda retulerint. *Quod Sichem*, verba sunt Sancti Thomæ, *consentit se, & suos circumcidi, potius fecisse videtur ob carnalem amorem puellæ: quàm propter fidem, aut amorem diuini cultus, & religionis, populusque eius potius ad hoc suasus esse videtur ob amorem domini sui temporalis, & ob spem* COMMODI TEMPORALIS, *quam propter aliud: & ideo nullam indulgentiam, aut gratiam promeruerunt*.

Vides vt luxuriæ amici hostes sint veritatis, & mendacia facilè euomant, qui libidinis affectum deglutiuerint, rem ita deducit nuperus auctor. Ecce tibi mendacissimas promissiones principis Sichimitæ, ait namque: & substantia eorum, & pecora, & cuncta quæ possident, nostra erunt: tantùm in hoc acquiescamus. Cum ad Iacob loquebatur, dicebat illi, terra in potestate vestra est, possidete eam, omnia Sichimitarum sub potestate Iacobi possidenda dabantur. Vbi ad populum Sichimitam loquitur, etiam quæ Iacobi erant, Sichimitis adscribebantur, cum dicit, cuncta, quæ possident nostra erunt, sanè aut Iacobo, aut populo, aut vtrisque mentitur, vt enim libidinis ardore ferebatur, SIC VBIQVE SEMINAT MENDACIA, quæ à luxuriante animo vix possunt separari.

Cur suadendis nuptijs diuitiarum tantum fit mentio, & non potius in medium producitur Iacobi pietas, & genus inclitum? Nouerat princeps, inquit ille, suorum ingenium, cum quibus appetitus acquirendi, ac fruendi diuitijs, & bonis, erat PLVS PRÆVALITVRVS, quàm pietatis, & honoris desiderium.

Assensique sunt omnes circumcisis cunctis maribus.

949 ASsentiuntur omnes, & nullus contradicit, nullus principis scelus arguit. *In Sichimitis*, inquit Ferus, *habemus exemplum impij populi, in toto enim populo nemo est, qui peccatum lasciui adolescentis* ARGVAT, *quique quod verum est dicat, sed omnes conniuent, dissimulant*, ADVLANTVR, *& ideo cum suis principibus pereunt*.

Arreptis duo filij Iacob Simeon, & Leui fratres Dinæ gladijs.

FRatres Dinæ signatè Simeon, & Leui dicuntur, quia re ipsa, & zelo illius honoris, fratres se probauerant. Pulchrè nuperus auctor. Simon & Leui fratres Dinæ vocantur ac si fratres alios haberet nullos, quia plura erga sororem amoris præbuerant argumenta, dum eius honori præ cæteris fratribus ardentius consulunt, iniuriamquè propulsant; itaquè duo tantum fratres, cum plures fuerint, Dina dicitur habuisse, quia duorum tantùm BENEVOLENTIAM OPERIBVS EXPERTA EST. Scilicet vera, & consanguinitas beneuolentia re ipsa probanda, suo charactere videtur destituta, quæ in solo sanguine est sita.

Dinæ fratribus adeo circumcisio Sichimitarum non placauit, vt potius magis irritauerit: *Et merito*, inquit Richardus apud Sanctum Thomam, *eos placare non potuit circumcisio: quæ non tam pro* DEO *quàm* PRO DINA *facta fuit*. Rerum sacrarum retundit vim, qui temporalium affectu commodorum eas inficit.

Interfectisque omnibus masculis, Hemor, & Sichem pariter necauerunt.

CVr in omnes sæuiunt Sichimitas, cum vnus principis filius iniurius illis, illorumque sorori fuerit? An quia populus particeps fuerat criminis, quo se Sichem obstrinxerat? Hinc illud Sancti Thomæ hîc: *Viri de Sichem erant facinorum participes: ideoque erant digni mori. Non enim videtur quòd familia Iacob in totam plebem illius Vrbis propter crimen vnius solius sic dearsissent in iram: nisi sensissent quod erant participes, &* DEFENSORES FACINORVM EIVS. 950

Et depopulati sunt Vrbem in vltionem stupri.

ITane in totum populum sæuitur? Iustè id factum, quia nullus se tantæ iniustitiæ obiecit. Perijssent, inquit pius ille auctor, Hemor, & Sichem Principes, qui vim fecerant Dinæ; sed populus vniuersus cur perijt? inuentus non fuit vir, qui OBLVCTARETVR PRINCIPI in tanto scelere perpetrando.

Nos pauci sumus: Illi congregati percutient me, & delebor ego, & domus mea.

DEbuerunt patri, quod filij Iacob non perierint. Benè Hamerus hîc: Sensissent Israelitæ verum fuisse patris vaticinium, & de 951

Sichi-

Sichimitis cadmeam victoriam retuliſſent, niſi IACOB APVD DEVM MERITA ILLAM CLADEM FILIIS DEPVLISSENT. Nimirum maiorum meritis ſæpè alijs patcitur. Nihil non potuit apud Deum pro ſe, pro filijs Iacob, dum illatas iniurias forti animo, nec nimiæ iræ impetu correptus eſt.

Percutiete me. Verborum nexus exigebat vt diceret, *percutient nos*, quia præmiſerat: *nos pauci ſumus*: cur igitur dixit *me*, non numeroſè *nos*? Petitè peritus auctor: Non dixit percutient nos, quia ſciebat filiorum culpas SOLO PARENTIS SANGVINE eluendas.

Mirum cur non filij Iacob timuerint grande aliquod malum ſuper illos euenturum. Inuenes ſe produnt à ſenili prudentia alienos. *Filij Iacob*, inquit Abulenſis, *non timuerunt ex hoc aliquod malum eis eventurum, quia iuuenes* PASSIONEM SEQVENTES, PERICVLA NON IVDICANT, *ideo non formidant, non enim reſpexerunt iſti, quod potuiſſent venire ſuper eos omnes Cananei, & Pherezæi terræ huius, vt delerent eos vſque ad radicem*. Omnia iſta Iacob vidit, quia ira non erat obcæcatus.

CAP. XXXV. GENESIS

Expenditur, & illuſtratur.

Sectio I.

Aſcende Bethel, & habita ibi, facq; altare Deo, qui apparuit ſibi, &c.

FAcq; altare Deo. Plures non Deo ALTARIA ERIGVNT, SED SIBI, ſuiſque vitijs. 952
Quum nimirum ſua commoda quærunt, non Dei honorem, ac gloriam. Sæpè in veteri teſtamento iubet Deus, vt altaria erigamus, nullibi in nouo. An quia nunc victimæ potius ratio habetur, quàm altaris? An quia in ſtatu gratiæ noſtram pietatem nulli debemus illigare loco, ſed ad omnia loca extendere? An quia altare nos debemus eſſe?

Facq; altare Deo. Altaris erigendi fit mentio, cur non & ſacrificiorum offerendorum? Cur non & falſorum numinum cultum, idolaque ipſa auferenda præcipiuntur, quod tamen poſtea fecit Iacob? An innuitur iuſtorum eſſe PLVRA PRÆSTARE, quàm illis iniungatur? Au dum aliquid Deus iubet, integrè perfectèque fieri à nobis debet, tanquam ſi diſtinctè omnia referrentur?

Tectè Angelus ad præteritorum beneficiorum memoriam Iacobum inhortatur. Deus Iacobo apparuit, quando fugiebat Eſau, in ſignum quod fugam illam probabat. Cæteri milites dum hoſtes timidè fugiunt, à duce puniuntur. In Dei caſtris aliter fit, qui PACIS, ET CONCORDIÆ FOVENDÆ CAVSA, odijque auferendi fugit, ſtrenuus in Dei militia cenſendus eſt miles, & ducis Dei præſentia talis militis efferentis facinus inſignitur.

Iacob verò conuocata omni domo ſua, ait; abijcite Deos alienos; qui in medio veſtri ſunt, &c.

ORdo iſte myſterio non eſt viduus, prius 953
iubet Iacob, vt abijciantur idola, deinde & veſtimentorum mutationem, munditiamque præcipit; nam illud præcipuum, maiorisque momenti, quàm iſtuc. Fruſtra ſunt, qui cum de vitæ mutatione agitur de EXTERNO HABITV ſunt ſolliciti, ſed interim in corde vitiorum colunt idola.

Mutate veſtimenta veſtra. Et cui rei mutanda veſtimenta erant? An quia cædem ſapiebant, ſanguine fuere tacta, quem vindictæ furore effuſus fuerat? Abulenſis huc ſpectabat, cum ait: *Hoc dicitur propter filios, qui ex* OCCISIONE SICHIMITARVM, *& (veſtimenta) ſanguinolenta habebant, & non decebat cum talibus veſtibus accedere ad loca ſacra*. Scilicet vel vindictæ vmbra, ac ſignũ delendum eſt, cum de ſacris obeundis agitur.

Deus hoc tantum iniunxerat Iacobo, vt Bethel aſcenderet, ibi habitaret, & altare erigeret Deo; ipſe verò de abijciendis idolis ſolicitus eſt; vt innueret, altare vero Deo non benè erigi niſi FALSA NVMINA reijciamus.

Abijcite Deos alienos. Iuſſus Deo erigere al- 954
tare Iacob, præcipit ſuis, vt idola abijciant, tanquam ægrè ſuperior litare Deo poſſit, ſi ſubditorum cura neglecta SINAT INTER EOS IDOLA ESSE. Superior altare Deo erecturus, & in ipſo

ipsi Deo sacrificaturus, vt ritè id præstet, studeat, vt vitiorum idola à suis abijciantur.

Abijcite. Nullum nominat, sed omnes monet; primo consuluit omnium famæ, secundo omnium saluti. *Deos alienos*. Fors cum Rachel secum idola patris tulerit non fuit difficile, alios idem præstere, vt inter Sichimitarum spolia inuenientes idola, ea surriperent, seruarentque. Nimirum quod PRÆCIPVI IN FAMILIIS PRÆSTANT, idem sit facilè & à non præcipuis.

Iacob imminentes sibi metuens Sichimitas, familiam suam ab idolorum sordibus expiauit. Sed quid istuc ad munimen contra hostes? *Perdoceri potuit*, inquit Rupertus, *esse in domo sua scelus idololatriæ, nec posse se stare coram inimicis suis, quamdiu* DOMVS EIVS, *ille contaminata, esset scelere*. Numquam ab hostibus est tutus, qui domi habet, quæ colat idola.

Surgite, & ascendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare Deo, qui exaudiuit me in die tribulationis meæ, &c.

955 Alius dixisset, *surgite, & ascendite*; veri superioris est nota exemplo alijs præire, præstare prius, quod præstandum alijs indicit. *Non dicit*, inquit ille, *vos surgite, & ascendite, sed se ipsum quoque includit, ipse nedum cum ipsis sed ante ipsos vadit*. EXEMPLVM EST BONI PASTORIS, *& patris familias*,

Faciamusque ibi altare. Cum superior esset, poterat pro sua dignitate præcipere alijs, vt ascenderent, lapides comportarent, altare erigerent. Sed alia incedit Iacob via, quod fieri ab alijs volebat facit ipse, se suis præbet exemplum, vt labor subditis sit leuior, cum præeuntem superiorem vident. Vera hæc superioris consignatio est, quod à SVIS EXIGIT, A SE PRIMO IMPETRARE.

Dederunt ergo ei omnes Deos alienos quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum.

ET *inaures, quæ erant in auribus eorum*. Hoc de idolorum inauribus aliqui intelligunt, Sanctus Thomas: *In auribus eorum, scilicet idolorum; voluit enim quod non solum idola, sed etiam ornamenta idolorum à se abijcerent*; ne ornamentorum adspectu idolorum memoria excitaretur. Quod ad illos flectas, qui in amasias suas VELVT IN QVÆDAM NVMINA FERVNTVR; vitandæ illæ sunt, & repudianda illa, quæ ab illis. Addit statim. *Vel fortè inaures, quas à Sichimitis acceperant, in detestationem gentilis lasciuiæ, & superbiæ abijci fecit*.

At ille infodit ea subter terebinthum, quæ est post vrbem Sichem.

956 HÆc idola prius liquefacta, & in aliam mutata formam infodisse Iacobum subter terebinthum aliqui putant, & inter alios Abulensis, *vt quod semel*, inquit, *fuerat applicatum cultui dæmonum, numquam applicaretur ad vsus hominum*. Rem ad peccatorum idola trasferamus, & vtile habemus monitum, scilicet tollendam omnem occasionem ad eadem peccata redeundi. Alij censent potuisse etiam in minutissimas partes fracta fodi; ne facilè ad illa resumenda rediretur, quod in idem recidit; qui integra idola abscondit, iterum ea eruet, & colet, quod illis aptes, qui aliquod conuersionis signum dature, amicarum idolula abscondunt integra, non quodam perfectæ contritionis malleo conterunt. In animo integras seruant, quas amant, & vt idola colunt.

Eodem tempore mortua est Debora nutrix Rebeccæ, & sepulta est ad radices Bethel, &c.

MIrum, nutricis Rebeccæ mors describitur, non Rebeccæ; vt vel hinc colligas non nobilitatis haberi rationem, sed mysterij. *Nota*, inquit Sanctus Thomas, *quod nisi scriptura* MYSTERIA *intenderet in narrationibus suis, non est verisimile, quod mortem Delboræ plus quam mortem Rebeccæ curasset*.

Non vocaberis vltra Iacob, sed Israel erit nomen tuum, &c.

ET tamen non semel postea legitur vocatus Iacob. Cur ita? Iacob, inquit nobilis auctor, nomen humile pastoris est; Israel vero eximiam magnitudinem importat; significat enim videns Deum. Quid ergo mirum, quod tantus Patriarcha Iacob dicatur? ERAT VALDE HVMILIS, & ideo quod excellentiam præseferebat, occultabat, quod vero paruitatem, ac abiectionem, publicabat, & ideo in tot, ac tantis cælestibus fauoribus magno merito creuit.

Sectio II.

Quò plus se quis *demittit*, eò magis à *Deo* erigitur. 957

Opera prædicationi substernantur.

Caueant *superiores*, ne *indiscretionis* argui possint.

Iusti *fortitudo* in *aduersis* ferendis. 958

Vota nostra quàm facile nos fallant.

In via cur *sepulta Rachel*.

Pulchra mulieris memoria vix extra *sepulchrum* tuta. 959

Pij in *defunctos* esse debemus.

Mortuorum sepulchra ad orandũ pro mortuis nos inuitant.

Rachelis sepulchrum vt structum. 960

Superstites *amorem* suum in *defunctos* vt probent.

Nimia

Nimiâ *seueritas*, vt punita.
Magnum illorum scelus, qui ex *mortuorum* presentia non proficiunt.. 961
Tales ferè *superstites* experitur, qui obit, qualis ipse in *mortuos* extiterit.

Dixitque: Ego Deus omnipotens; cresce, & multiplicare, &c.

957 NImirum quò se magis demiserat Iacob, eò magis erigitur à Deo; superiori capite dixerat: *Nos pauci sumus: illi congregati percutient me, & delebor ego, & domus mea*. Adeo grata Deo fuit hæc Iacobi HVMILITAS, adeo gratæ hæ voces humilitatem spirantes, vt statim eum Deus multiplicandum dixerit. Benè Sanctus Chrysostomus: *Quoniam*, inquit, *dicebat in paruo numero sum ego, propterea misericors Dominus nunc dicit ad Eum: cresce, & multiplicare*.

Cresce & multiplicare. Horum verborum ordinem sic expendebat Vgo: *Cresce in te per virtutum* OPERA, *& postea multiplicare in alijs per* PRÆDICATIONIS *verba*. Ruit facilè ædificium, ni opera verbis substernantur.

Egressus autem inde, venit verno tempore ad terram, quæ ducit Ephratam.

VErno tempore. Cur temporis signatè meminit? An ne argueretur si hieme prægnantem vxorem circumduxisset? *Moyses*, inquit Pepinus, *specialiter facit mentionem de verno tempore, vt ostendat Iacob excusabilem super conductionem Rachelis vxoris suæ pragnantis per viam, ex quo enim erat prægnans, si eam conduxisset tempore hyemali aut æstatis, potuisset contra eum obijci, quod conducendo eam, per tale aut tale tempus, ipse fuisset occasio suæ mortis* PER SVAM INDISCRETIONEM, *modo autem, quia conduxit eam tempore moderato, videtur ab omni culpa alienus*. Nimirum cauere superiores ne indiscretionis argui possint.

Egrediente autem anima præ dolore, & imminente iam morte, vocauit nomen filij sui Benoni.

958 IAcobi hîc elucet fortitudo, atque in aduersitatibus ferendis, & in charissimæ mulieris morte constantia; benè Honcala deducit, dum ait: *Hinc manifestè* PATRIARCHÆ MAGNANIMITAS EXTAT, *qui mortua dilectissima sua non fuerit animo consternatus, quin sibi constiterit, & à dextra, idest, fortitudine nato puello nomen indiderit. Mœrorem enim, quem ex morte Rachelis conceperat, mitigauit natus puer: & fecit, vt eam iustus magis æquo ferret animo*.

Pater verò appellauit eum Beniamin, idest filius dextræ.

CVr Iacob habens duodecim filios, hunc solum tanto nomine insigniuit? Dextera enim in literis tam humanis, quam diuinis peculiarem significat honorem, & æstimationem; & hac de causa dicitur de Christo Domino, quod sedeat ad dexteram Dei? Quia Iacob vitæ expensis dilectissimæ Rachelis hunc filium acquisiuit, ideo inter cæteros magni faciens, filium dexteræ dixit.

Mortua est ergo Rachel, & sepulta est in via.

CVm Beniaminum peperit Rachel perijt, vitam scilicet amisit, cum dedit; proh quàm nostra nos punit cupiditas. *Perierat*, inquit ille, *nisi pareret, & perijt quia peperit*. Quàm nos vota nostra fallunt?

Vix partum emisit Rachel, cum spiritum emisit; cauendum ne idem à nobis fiat. Vgo in Psal. 2. de Ecclesiæ præsule ait: *Nascendo non debet occidere matrem, idest Ecclesiam per discordias, sicut in partu Beniamin mortua est Rachel*.

Notant aliqui inter Abrahæ cognatos solam Rachelem sepulturæ insigni honore caruisse; in via sepultam hîc audis. *Dicam quidem*, inquit Pepinus, *quod ipsa ibidem non est sepulta, in pœnam, quod ipsa attulisset idola de domo patris sui Laban, nesciente viro suo, & quia diu occultauit, quamuis ea non adorauerit, aut enim ea tollere non debuit, aut si ea tulerit ad reuocandum Patrem suum ab idololatria, saltem ea abijcere debuit, & quia non ita fecit, non fuit digna sepeliri in spelunca duplici cum sorore sua Lia*.

Et sepeliuit eam iuxta viam. Vt transeuntes videre sepulchrum eius possent. Benè iuxta 959
viam Rachelis sepulchrum locatur, vt tacitè innueretur pulchræ mulieris memoriam NON EXTRA SEPVLCHRVM TVTAM. Quæ formosissima fuit iuxta viam sepelitur, vt viatores mortua dirigat, quæ viuens à recto potest auocare spectatores.

Iuxta viam numquam sic aptè stat mulier nisi mortua, ad mortem sæpè est, si pulchra frequenter, & absque necessitate in vijs spectetur, est ad vitam, si mortis mortua viatoribus memoriam ingeneret.

Erexitque Iacob titulum super sepulchrum eius.

ERexit Iacob titulum. Futuræ vitæ fides, & resurrectionis excitare viuentes debet, vt pij in defunctos sint. Peritè hîc Beatus Dionysius Carthusianus: *Erexit*, inquit, *Iacob titulum, hoc est notabile memorialeque signum sepulturæ Rachelis super sepulchrum eius. Hebræi autem semper fuerunt specialiter diligentes de honorifica sepultura suorum, tamquam fidem habentes vitæ sequentis, &* RESVRRECTIONIS *futuræ*.

Sed cur tanta diligentia monumentum vxori ædificauit Iacob? An vt diutius defuncta viueret in viuentium memoria, & sepulchrum tacitè spectatores ad preces pro mortua fundendas excitaret? Huc enim præcipuè spectare mortuorum sepulchra debent: Benè Liranus; *Ex quo*, inquit, *patet quod ab antiquo fuerunt Sancti Patres diligentes de sepultura notabili, vt sic mortui in* MEMORIA HOMINVM REMANERENT AD ORANDVM PRO IPSIS.

960 *Erexit Iacob titulum*. De hoc titulo, de hoc sepulchro digna sunt, quæ hîc sistantur, quæ habet Abulensis: *Fuit factum istud sepulchrum à Iacob ex* DVODECIM LAPIDIBVS SATIS MAGNIS, IN MEMORIAM DVODECIM FILIORVM SVORVM, *& in extremitate titulus iste in pyramidem acuitur, qua à transeuntibus terram illam de peregrinis nostris adhuc videtur*.

Erexitq́ titulum super sepulchrum eius. Non facilè reperias alijs mulieribus antiquis erectum titulum, *Soli Racheli cippus erectus est*, inquit ille in Græca Catena, *ea enim typum gessit Ecclesia, quæ sola victrix trophæum mortis sustulit in Christo*. Præterea soli Rachel titulus erigitur, vt amorem, quo viuam amplectebatur Iacob etiam post mortem ostenderet, & peculiari probaret indicio. Scilicet superstites amorem suum probare in eos, qui vixerunt debent, singulari in defunctos cura, vt videatur non amasse, qui amorem ponit, dum amatus ponitur in sepulchro.

Abijt Ruben, & dormiuit cum Bala concubina Patris sui, &c.

ET *dormiuit cum Bala*. Permissus est incidere in tàm grande scelus, quia vt ille ait, sæuerior cum fratribus fuit in vindicanda iniuria, qua affectus à filio Sichem fuerat.

Vix Rachelis mors, ac funus recensetur,
961 cum Rubeni lapsus narratur, vt nullum sit scelus tam grande, quod ab illo facilè committi non possit, qui ex MORTVORVM PRÆSENTIA NIL PROFICIT, nec meliorem à suorum sepulchro mentem defert.

Sepelierunt eum Esau, & Iacob filij sui.

HOc etiam honore, ac solamine erigere Isaacum voluit Deus, vt moriturus filios præsentes haberet, & post mortem sui funeris curatores. *Forsan*, inquit Pepinus, *propter reuerentiam ad eum voluerunt Esau, & Iacob dictum officium sepulturæ proprijs manibus exequi*; certè affuerunt tanquam præcipui, quibus sepulturæ incumbebat cura: scilicet Isaac à filijs habet, quod ipse in patrem præstiterat, superius enim legis ipsum cum Ismaele conuenisse, vt Abrahamum sepelirent. Sic ferè accidit, vt TALES SVPERSTITES EXPERIATVR qui obit, quales ipse superstes in mortuos exstiterit.

CAP. XXXVI. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Hæ sunt autem generationes Esau: ipse est Edom.

CVr eos quoque recenset scriptura, qui ab Esau ortum habuerunt? *Vt sciatur*, inquit hîc Sanctus Thomas, *benedictio suprascripta etiam in Esau temporaliter fuisse impleta, & sciamus quod etiam* MALIS DEVS PLERVMQVE DAT TEMPORALIA BONA, *tum propter merita patrum, tum propter aliqua, quæ ipsi fecerunt*. 962

Ipse est Edom. Et non satis erat notus ex nomine Esau? *Vocatur etiam Edom*, inquit Abulensis, *idest rubeus ob* RVBOREM LENTICVLÆ, *quam concupiuit ex nimio scilicet, & inordinato comedendi desiderio*. Scilicet peccati nota à peccatore difficilè eluitur.

Tulit autem Esau vxores suas, & filios, & filias, & omnem animam domus suæ, & abijt in alteram regionem.

ET *abijt*. Sed cur non remansit in terra Chanaam, vt simul cum Iacob maneret? 963
An id Deus fecit, vt quieti Iacob consuleretur? *Audis hic*, inquit Oleaster, *qualiter remouet Deus à suis omnia illa, quæ eorum* QVIETEM *impedire possunt*. Vt plenius sibi Iacob vacaret, noluit assiduo Esau timore percelli, quod factum, si iugiter cum illo fuisset.

Ipse est Esau pater Idumæorum.

DE Esau morte, deque eius ætate nusquam Diuina Scriptura meminit, vt hinc aliqui colligant malè vitam finiuisse; ac tandem damnatum. Sed leue hoc huius censionis est fundamentum, alij censent bona morte functum, & saluatum. Sic Bonfrerius, quòd ab optimis Patriarchis natus Dei timorem ab illis didicerit, prauosque mores ante mortem eluerit; præsertim quod fratri reconciliatum fuisse legamus, vt indicat amicus occursus, quem illi exhibuit ex Mesopotamia reuertenti.

Qui

Qui odia ponit, & illis quos antea hostes habuit ignoscit, vix à salutis potest suggestu excidere, sicut illi sunt conclamati, qui odia fouent.

CAP. XXXVII. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio I.

Ioseph cum sedecim esset annorum pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer. &cæt.

964 NOn statim ad regnum Iosephum Deus extulit, sed multis eum exercuit, vt essent tribulationes quædam regni præludia. Sanctus Ephræm tract. de Diuina gratia, sic ait: *Quòd ex Ioseph intelligere potes, dum oues pasceret, non enim subitò ipsum ad summa perduxit, sed multis quasi* PRÆPARATIONIBVS EXERCVIT, *non agnoscebat adolescens quid fieret, sed se ab illa rege finebat, vt vellet, quando autem diadema illi vt regi imposuit, tum demum vtilitatem eius intellexit, quando in regie eum solio collocauit, tunc ideò se captiuum fuisse resciuit, vt ab ea exploraretur.*

Israel autem diligebat Ioseph super omnes filios suos, eo quod in senectute genuisset eum, &c.

OMnes filios amabat pater, sed præ alijs Iosephum, quia nimirum Christi figuram in eo spectabat. Hinc illud Ioannis Cassiani collat. XVI. cap. XIV. *Ioseph Patriarcha cum esset duodecim filiorum pater, omnesq́; paterna charitate diligeret, tamen propensiore Ioseph dilexit affectu, vt de eo aperte scriptura commemoret. Inuidebant autem ei fratres sui, eo quòd diligeret eum pater suus; non scilicet quod vir iustus, & pater non valde diligeret etiam cæteram prolem, sed quòd huius, qui* TYPVM DOMINI *præferebat, affectuò dulcius quodammodo atque indulgentius inhæreret.*

Fecitque ei tunicam polymitam.

ATantilla re quàm ingentia sunt mala exorta! Attendite, inquit bonæ notæ auctor, à quo tam leui, & imò principio res tam distinctæ emanauerunt, vbi hominum malitia, Deique potentia, & mira prouidentia reuelata est; propter tunicam inuidiæ patuit, & etiam venditus fuit, ex quo captiuitas Ægypti consequuta est. Deinde exitus admirabilius Ægypti Ægyptiorumque vastatio. Ex quo colligitur ex paruo malo multa INGENTIAQVE MALA ORIRI *solere*.

Vestium pretiosarum neglectum, qui antiquos illos patres exornabat, hinc Sanctus Thomas colligit, dum ait. *Nota*, inquit, *quòd quamquam isti sancti patres essent diuites, communiter tamen induebant filios suos satis rusticanè: alias non referretur hic tunica prædilecto specialiter data Ioseph.*

Præcipua causa, ob quam singulari amore Iacob Iosephum prosequebatur, erat non quod in senectute eum genuisset, sed quia præstantiores virtutes, suauioresque mores in eo spectabat. Sed cur hanc non adducit? ne fratrum in eum augeret inuidiam; causam minus inuidiosam attulit, omisit eam, quæ magis accendere inuidiam posset. quod tetigit etiam Sanctus Chrysostomus, epist. 8. ad Olympiam.

Hanc Iosephi tunicam talarem fuisse, talosque contingentem, sunt qui adstruant, vt & vestis forma perseuerantia eius in bono vsque ad finem significaretur. Scitè Sanctus Gregorius: *Ioseph, qui inter fratres vsque in finem iustus perseuerasse describitur, solus talarem tunicam habuisse perhibetur: nam quid est talaris tunica, nisi actio consummata; quasi enim protensa tunica talum corporis aperit, cùm bona actio ante Dei oculos vsque ad vita nos terminum tegit.* Sic ille lib. 1. Moral. cap. 10.

Accidit quoque, vt visum somnium referret fratribus suis, &c.

APparet visum somnium fratribus narrasse, addunt aliqui, & somnij intelligentiam à fra-

à fratribus postulasse; qui rem suppresserunt, nam inuidia correpti, dolum animo conceperunt; nec ausi effari aliquid, quod fratris tangeret principatum.

Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare, &c.

Vides, vt antequam venderetur à fratribus, in vincula conijceretur, suum manipulum videtur ab aliorum manipulis adorari? Scilicet tàm certum patientiæ est præmium, ac si esset antequam esset. Scitè nuperus auctor: Cur tam præmaturè, inquit, præmium patientiæ suæ præ oculis obseruarum est? Respondeo, sic factum esse, vt manifesterur patientiam certum præmium habere, ac si teneret manu, & omnibus notum esset, multo ante exercitium patientiæ eius fœlicitatem prænuntiari, & antequam patientiæ bellum concitetur, victoriam eius certam spectari.

Adorandum se à fratribus Ioseph præuidet, cur non & blanditijs se à muliere impudica impetendum? Noluit Deus, inquit peritus ille auctor, vt sanctus iuuenis etiam per somnium haberet mulieris repræsentationem, atq; colloquiũ.

Non casu accidit quod in somnio vidit manipulos aliorum suum adorare. *Quia occasio adorationis*, inquit Eusebius Pamphili lib. 5. de eo quod Deus est, *facta est fructuum abundantia, ideò non ab alia occasione vidit adorantes se fratres, quam à manipulis messium.*

Mirum Iosephi menti obijcitur, quod à parentibus, fratribusque adorandus, cur non & istuc vidit, quod esset ab impura muliere blanditijs petendus? Noluit Deus ne pudicus iuuenis in somnio aliquid videret, quo eius mens posset infici, ac maculari, vel in somnio menti obiecta improba mulier ingentia potest mala producere, quibus non facilè succurratur. Quod si timeri debet mulier vel in somnis visa, quid erit curiosè in vigilia spectata?

Cur non spicæ potius cum terræ hæreant, visæ sunt se inclinare in Iosephi gloriam, quàm manipuli? *Facilis*, inquit scitus quidam auctor, *responsio est, si quid falx significet, aduertamus. Porrò in falce securis illa, qua mors nos demetit, & vita filum abscindit, repræsentatur. Perbellè igitur Ioseph, gloriam in somnijs conspecturus, non in manipulis terræ hærentibus, sed falce iam abscissis intuetur, quia ibi mortis imago se offert, illiusque memoria perseuerat, vt hac ratione discat, ad percipiendos gloriæ fructus necesse esse, vt mortis memoria prius in anima seminetur, quod manipuli falce recisi significabant. Tunc enim proprius ad gloriam accedimus, cum mortis memoriam retinemus.*

Quæri hic potest, quare Iosephi principatus in segetum sit manipulis & significatus, & ostensus. Respondet Hencala: *Quoniam*, inquit, *alterius somnij occasionem de septem spicis latis, septemque sterilibus Pharaoni ostendendis, ab eoque interpretandis ad principatus fastigium olim promouendus erat, sic vt à fratribus suis adoraretur.*

Responderunt fratres eius; nunquid rex noster eris? aut subijciemur ditioni tuæ? &c.

Honorum cupidos, inuidosque vel somnia feriunt, ac cruciant, si alienam portendant fœlicitatem. Pulchrè nobilis ille auctor, & ad haoc rem opportunè: *Patriarcha Ioseph cum principatus sui somnium fratribus narrasset, tanta aduersus illum inuidia concitati fuere, vt de eius nece coniurauerint, nec illos, aut sanguinis communio, aut fraterna charitatis vinculum, aut senis parentis reuerentia, aut (quod his mirabilius est) somnij nomen ab hoc immani facinore reuocarit. Vsque adeò enim primatus, atque honoris cupiditas quorundam mentes obsidet, vt ne somnia quidem aliena dignitatis æquo animo pati possint.*

Hæc ergo causa somniorum atq; sermonum: inuidiæ, & odij fomitem ministrauit.

Vide quàm verum inuidiam ipsam in inuidos sæuire, & contrarios esse sibi, qui inuidiæ sunt amici. Iosephi fratres gaudere debebant, audientes magnum eum futurum, cum & ipsi participes esse possent earum diuitiarum, quas frater esset habiturus; ipsi tamen proprio commodo neglecto, inuidia tacti in fratrem sæuiunt. Rem sic nobilis auctor tetigit: *Inuidia*, inquiens, *& rationi, & illi ipsi, qui inuidus est, contraria est. Sicut enim quondam fratres Ioseph, cum illum audissent somnium referentem, in quo regiam dignitatem sibi obtingendam retulisset, cum sane gaudere debuissent, quod ab eo, diuitijs, & potentia illustrato, multas possent accipere diuitias, multos honores, tamen non poterant ei quidquam pacificè loqui, sed oderant, & persequebantur.*

Fratrum odio obsidebatur Ioseph, & patris amore deliniebatur; quod illi plus profuit? Plus illi, ait ille, fratrum improbitas profuit, quàm parentis amor. Per illam ad regnum est euectus, per istum in fratrum inuidiam, velut in obscurum quendam carcerem est coniectus.

Quàm oculata inuidia est, somnij interpretantur fratres, quod præ sua modestia non fecerat Ioseph. Quæ culpa, inquit bonus ille auctor, in fratre ab istis repetitur? Haud dubiè excogitari non potest. Ille non confingebat somnia, nec interpretabatur in fratrum perniciem, & contemptum, ipsi tamen odio inescati dicebant: Num nos seruiemus tibi?

Odium in fratribus excitauit, quod excitare debebat amorem, ac reuerentiam. Sed dum forti, & æquo animo fratrum odium pertulit Ioseph, eò euasit, vt illis dominaretur. Hinc illud Sancti Petri Damiani opusc. 13. cap. 20. *Vnde illorum pertulit odium, inde postmodum super eos dominationis obtinuit principatum.* Non mirum si super alios principatum obtinuit, qui sibi dominabatur, sui plenum tenebat imperium.

Aliud

Aliud quoque vidit somnium quod narrans fratribus, ait.

965 MIrum cum significatur non tantum fratres, sed & parentes Iosephum adoraturos; non ex terrenis assumitur figura, sed ex cœlo. Scilicet, inquit scitus ille auctor, cùm maiores dicuntur parere minori, tunc velut præluſtria cæli astra micantia apparent, quasi dignitatem de obsequio fœnerentur.

Vidi per somnium quasi Solem, & Lunam, & stellas vndecim adorare me, &c.

OMnia, quæ se vidisse Ioseph dixit, ita ad eius futuram celsitudinem significandam faciunt, vt simul etiam mortis, & occasus memoria, quâm excitant, animum demittant. Pulchrè prius ille auctor: Ostendit Deus Ioſepho suæ futuræ celsitudinis signa; Solem, Lunam, Stellas eum adorare. Sic & manipulos ſtantes, &c. Sed notate in his omnibus signis celsitudinis, signa humilitatis. Sol, Luna, & Stellæ, vt splendent, hieroglyphica sunt celsitudinis, ac splendoris, sed quatenus occidunt, deiectionis, & occasus, sic manipuli adorabant manipulum, quò sectionis, ac falcis recordaretur, & in futura celsitudine inter eos splendores, occasus memoriam nunquam excideret. Sic magnates de se humiliter sentiunt, dum finem OMNIVM CELSITVDINVM RECOLVNT, FALCEM MORTIS.

Vidi per somnium. Res eadem gemino signo repræsentatur, vt scilicet, quò clarior apparebat rei futuræ demonstratio, eò citius ab inuidia, & odio fratres reuocarentur. *Idem mysterium*, inquit Lippomanus, *alio somnio, & clariori referens Deus, quasi admonere fratres videatur ad resipiscentiam tam à fratris odio.* Sed adeo cæca inuidia, adeo cæcum odium est, vt inter Solem, Lunamque magnis inuoluatur tenebris.

966 Portenditur Iosepho prælatio, duplex exhibetur signum, vnum à Cœlo est, aliud à terra; tunc dignitates sunt firmæ, sunt principatus felices, cum cœlum, terræ cohæret, & quod homines volunt, Deus probat. Pulchrè ille: En sibi per somnium vidit Ioseph præfecturam suam: & ex duabus euentus certitudo illi accreuit: scilicet ex manipulis, & syderibus, altera terrestri, cælesti altera, quia nisi in eligendo prælato, HVMANIS DIVINA CONVENIANT, & Deus ipse humanæ electioni suffragetur, infelicem proculdubio habitura est exitum. Præcesserat visio manipulorum, nec ad firmandum Iosephi animum satis erat, quia ex terrestribus rebus sumpta, nisi etiam, & rerum cœlestium imagines Sol, Luna, Sydera eandem præfecturam portenderent.

Solem, & Lunam, Patrem, ac Matrem intelligit; quî potuit ista adorare, quæ iam abierat? Gennadius in Catena Græca Fumani ita nodum soluit: *Neutiquam mirum absurdumve videri debet, si quamuis mater eius antea decessisset, cum Sole tamen, & Stellis vndecim, Lunam quoque sibi visus est videre seipsum adorantem, si quidem non vsquequaque imprimis, neque adamussim rebus ipsis respondere solent insomnia; multa autem plerumque, atque admodum absurdè immutare, ac variare; at tamen, quod ad præsens somnium attinet, non omnino, quod accidit, à ratione est alienum: quando & aliæ fratrum matres aderant; & ipsa Rachel quamuis euidenter adorans nequierit, propterea quod ante decesserat, vi tamen & latenter nihilominus in ipso Iacob hoc facere potuit.* Alij matris nomine Liam intelligunt, si tamen adhuc illa in viuis, quæ sorore mortua ei matris loco esse potuit, vel certè Bala matris ancilla, quæ & ei mater nutritia fuerat.

Præuidit in somnis Ioseph se à suis adorandum, sed cur non etiam cum tanta felicitate, ostensa est illi futura calamitas, & præsertim, quod à MVLIERE IMPVDICA tentandus erat? An ne mentem in hac cogitatione occuparet? nimis periculosum, res quæ impudicitiam spectant, animo versare.

Increpauit eum pater suus, & dixit, &c.

INcrepauit eum pater. Cur solus pater increpat, nec vlla matris mentio fit; nec queritur se filij imperio obnoxiam futuram? An quia matres in filios solent ESSE INDVLGENTIORES? An quia quod pater præstat, præstare & mater censetur? 967

Cur increpuit Iosephum Iacob ob posterius somnium, quod non fecerat in priori, licet vtrumque eòdem spectaret? Licet vtrumq; somnium, inquit nobilis auctor, imperium futurum pueri protenderet, verum prius de quocumque imperio obtinendo etiam circa exteras gentes, exponi poterat. At vero hoc posterius apertè ostendebat Iosephum adorandum fore à fratribus, & patre, & matre, quod nullo modo dissimulandum putauit pater, sed ægrè tulit, & puerilem audaciam repressit; scilicet patres hoc in primis carpant, si quid filij ADVERSVS CVLTVM parentibus exhibendum moliantur, vel per somnium.

Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram?

IN Sole se nouit significatum Iacob, in Luna vxorem. Referre SOLEM debet vir, vt firmus, stabilisque in bono sit, licet aliqua mutabilitate mulier laboret.

Inuidebant ei igitur fratres sui.

INuidebant Iosepho Iosephi fratres, qui in eius odium exarserunt, vt tandem peremptum vellent, sicque ad immaniora in vitijs itur. Rem sic expendebat Ioannes Eusebius: Paruula æmulatio filiorum Iacob erga Iosephum excreuit in inuidiam, hæc in odium, hoc in voluntatem fratricidij, & in iniustam 968

fratri

fratri vanditionem. Hic processus perditionis est à MINIMIS AD MAGNA, à magnis ad maiora, à maiotibus ad maxima ascendit intetitus.

Vel somniata prælatio tam noxia Iosepho fuit, quid erit per artes quæsita? Sanctus Ambrosius huius patriarchæ humilitatem efferens aiebat: *Quid fuisset Ioseph, si non fuisset humilis? scruit* SIBI IPSI OBFVISSE, *quod prælatus erat fratribus, prælatio armauit fratres, humilitas conciliauit extraneos, prælatio concitauit germanos, humilitas regem subditum fecit, vt vere quasi ex persona Ioseph dictum putemus, humiliatus sum, & saluum me fecit.*

Inuidebant fratri fratres, & licet Ioseph se fratribus submitteret, vt eos deliniret, ipsi tamen magis efferabantur; ex quo quàm curatu difficilis inuidia sit aptè colligebat Ioannes Cassianus collat. 18. cap. 17. dum huc spectans, ait: *Illorum vndecim patriarcharum Zelus in tantum nulla innoxij fratris subiectione potuit deliniri, vt de his scriptura commemoret: Inuidebant autem ei fratres sui, eo quod diligeret eum pater suus, & non poterant ei loqui quidquam pacificum; donec Zelus eorum, qui nulla germani obsequentis, atque subiecti sustinuit blandimenta, mortem eius cupiens, vix posset venditionis fraternæ crimine satiari. Cunctis ergo vitijs perniciosiorem, atque ad purgandam* DIFFICILIOREM ESSE CONSTAT INVIDIAM, *quæ ipsis remedijs, quibus reliqua extinguntur, accenditur. Nam verbi gratia, qui damnum sibi illatum dolet, largitatis compensatione curatur; qui de illata indignatur iniuria, humili satisfactione placatur. Quid illi facias, qui hoc ipso magis, quòd te humiliorem, etq; benigniorem sentit, offenditur; quem non ad iracundiam cupiditas, quæ primo delinitur, non iniuria læsio, aut amor vltionis accendit, quæ officiorum vincitur blandimentis, sed successus tantum alienæ fœlicitatis irritat.*

Sectio II.

Vnde bonus *proficit*, *inuidus* contabescit. 969
Dei *prouidentia* tutos nos reddit.
Parentes adesse *filijs* vt possint etiam absentes.
Errat facilè *terrenis* addictus. 970
Qui aliorum *salutem* quærit, *errare* ipse non debet.
Perfectæ *obedientiæ* specimem in *Ioseph*.
Quàm cæca, quàm sæua *inuidia* sit. 971
Inuidia ingenium expenditur.
Inuidis, & malignis, quæ pauca, videntur multa.
Impiorum mos inter delicias computare, alios *lædere*. 972
Vitij natura *stare* nescit.
Ingratitudinis malitia expenditur.
Maioris *fratris* est aliorum fratrum curam habere. 973
Malorum *discordia* vtilis bonis est.
Fune demissus *Ioseph* in cisternam.
Regij *amictus* insigne, *vitam* aliorum seruare. 974
Timendum illi, qui homines plus *timet*, quàm *Deum*.
Insignis *crudelitas fratrum* Ioseph expenditur.

Pater vero rem tacitus considerabat.

REm tacitus pater considerat. Eadem visio, quæ in mysterium referebat pater, filijs inuidiæ fomitem ministrauit. Scilicet vt ille ait, *vnde bonus proficit, inuidus contabescit*, & quod bonos ædificat, inuidos destruit. 969

Cumque fratres illius in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem, &c.

I*N Sichem.* Itane ausi in eo loco gregem pascere, vbi paulo ante regem interemerant, & in omnes sæuierant ciues? At patris in Deum fiducia, vt nonnemo notauit, id faciebat, vt nihil metuerent, & Dei prouidentia ne quid eis accideret mali.

Vade, & vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos, &c.

V*Ade, & vide.* Veri patris notam hîc habes, suis adesse curantis, & cum abest, cum ipse adesse filijs non posset, mittit Iosephum, vt suam sic absentiam suppleret, vtque Iosepho referente cognosceret, quo statu filiorum res essent. Quid præsens in præsentes egerit, conijcias ex eo, quod absens fecit in absentes. FILIORVM ABSENTIVM vitam inquirit, ne illius incuriæ deputaretur, si quid illi delinquerent.

Inuenitque eum vir errantem in agro.

E*Rrantem in agro.* Nil facilius, quàm eos, 970
qui terrena tractant, TARRENIS SVNT ANDICTI, aberrare, & extra iustitiæ limites ire.

At ille respondit, fratres meos quæro, indica mihi vbi pascant greges, &c.

F*Ratres meos quæro.* Errabat in via, sed interim fratres suos quærebat. Hoc illis aptes, qui aliorum salutem quærentes, errant ipsi, & à perfectionis recta abeunt via. Errat fratres quærens, ne quis in parentum affectu sitam perfectionem crederet: *Ob id etiam,* inquit Sanctus Nilus, *fortasse Ioseph* ERRAT *in solitudine, dum in fratrum nominibus perfectionis terminum quærit.*

Fratres meos quæro. Non hoc verbis pater ex-

expresserat, sed tantum vt Sichem adiret, vbi fratres in pascendis gregibus commorabantur. Vbi non inuentis fratribus redire ad patrem poterat, sed in perfectæ obedientiæ specimen patris mentem perficit. Hinc habes, inquit Seraphinus Porrecta, quòd OBEDIENTIA tunc magis laudanda est, quando non tantum superioris intentionem seruat expressam, sed etiā quando superioris mentem quam imaginatur, exequitur, laudatur enim Ioseph maxime ex hoc quod ad quærendos fratres inierit, quod imaginabatur patrem sic in intentione habuisse, vt iret: obedientia igitur laudanda est, quæ verba mandantis obseruat, magis laudanda, quæ intentionem in verbis opinatam mandat executioni.

Qui cum vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitauerunt illum occidere.

971 QVàm cæca, quàm sæua inuidia est: Iosephum: cibum tunc attulisse fratribus aliqui censent, quem tamen occidere cogitabant; Sanctus Chrysostomus. *Quum vidissent illum procul venientem, ipsisque cibum adferentem, inter se dicebant: venite, interficiamus eum, vt videamus quid futura sint illius somnia, vt fratrem non reuerearis, neque naturam agnoscas, certè mentem ipsam conueniebat reuereri, ipsumque ministerij officium, quando quidem alliturus te veniebat.* Sic ille conc. iv. de Lazaro.

Mutuò loquebantur.

INuidiæ hîc apparet ingenium, quæ ob leuem causam immania excogitat: Vide, inquit ille, quam causam mortis prætendant: Ecce somniator venit. Quia dormit, quia per somnium rerum imago ei obuersatur. Sanè nullam vel LEVEM CAVSAM obtendere possunt, ob quam fratrem oderint.

Ecce somniator venit, venite occidamus eum.

INuidis, & malignis, quæ pauca, videntur multa, sicut & magna quæ sunt exigua; somniatorem ab habitu vocant, cuius duo tantum somnia referuntur, quæ eòdem spectabant. Nisi dicamus etiam alia plura ei à Deo immissa Sanctus Thomas hîc. *Cum somniator sonet frequentiam, quasi habitum: quomodo ex solis duobus somnijs supra relatis vocant ipsum somniatorem? Potest dici, quòd etiam aliqua alia habuit, & retulit, sed hæc duo specialiter narrantur: quia magis faciebant ad causam inuidiæ. Vel potest dici quod mens inuida etiam pauca exaggerat quasi multa, & continua.*

972 A tanta in fratrem impietate ad conuiuium eunt, hic malorum est mos, vt inter delicias computent alios lædere, & scelere se maculare. Attendite, inquit nobilis ille auctor duritiem cordis tyrannorum: postquam tam inmanem, & horrendam crudelitatem patrarunt, accedunt ad conuiuium tanquam gaudentes malo, quod fecerant. Hoc facis tu infelix peccator, qui postquam tot insulta commisisti, tam lætus, & securus manes, & ad mensam sedes, & IN LECTO RECVMBIS tam quietus, ac si contra Deum aliquem ligneum, vel marmoreum peccauisses, qui nec videt, nec intelligit.

Hæc natura vitij, vt nesciat stare, Iosephi fratres ab inuidia ad necem transeunt. Pulchrè ille: Vitia sunt catenata. Iosephi fratres non vnum solum flagitium commiserunt, sed facili compendio sex, septemue nexuerunt Hæc vitiorum natura est; VITIVM VITIO VELVT IN CATENA ANNVLVS ANNVLO, cohæret. Vix vnquam inuenitur scelus solum, ab alijs sceleribus incomitatum.

Ingens hic ingratitudo latet, malum pro bono reserentium. Rem sic quidam expendebat: Illud considerare est conueniens, sanctos multa pati ab his, quorum vtilitati totos se tradunt, malum recipientes pro bono. Sic Ioseph contigit, qui cum prandium ferret fratribus, & errans lassatus illos sollicitè, quæreret, vt eorum prouideret necessitati, ipsi pro beneficio aiebant: Ecce somniator venit, venite occidamus eum, quod si non fecerunt, saltem in cisternam veterem proijcere eum volentes, vendiderunt in Ægyptum.

Audiens autem hoc Ruben nitebatur liberare eum de manibus eorum, &c.

CVr Ruben de fratris liberatione cogitat? 973
Nodum ita soluit Oleaster: QVIA MAIOR *natu erat, cuius muneris est minores fratres in absentia parentum arguere, & castigare; aut quia magis curabat patris consolationem, cum esset primogenitus.* Scilicet maiorem aliorum fratrum curam habere debet, qui maior, & patri ætate vicinior.

Non interficiatis animam eius, nec effundatis sanguinem.

APparet hîc, quàm malorum discordia vtilis hostis sit. Benè Pererius. Illud hoc loco, inquit, aduertendum est, quantum profuerit Iosepho, vnius Ruben dissensio à ceteris fratribus: Nisi enim vnus ille dissensisset, actum plane fuisset de Ioseph. Apparet igitur, SÆPE MALORVM INTER SE DISSENSIONEM, VTILISSIMAM ESSE BONIS: Contra verò, magnam eorum concordiam esse bonis perniciosam. Quid enim mali non designassent filij Adam, cùm turrim illam Babel tanto studio, & conatu, tantoque opere molirentur, nisi linguas eorum Deus confudisset, & inuicem distrahi, ac segregari coegisset.

Miss-

Miseruntque eum in cisternam veterem qua non habebat aquam, &c.

IN cisternam Iosephi fratres Iosephum demisere, idque vt ait Philo per funem; *Demittunt*, inquit libro de Ioseph, *per* FVNEM *in profundam foueam*; quia nimirum in illis locis profundæ esse solebant cisternæ, & frequentes. *Sunt autem*, inquit idem auctor, *in ijs locis multa cisternæ profunda admodum*.

974 Iudas curauit vendendum potius Iosephum, quàm necandum, vt nō mirum si sceptrum Iudæ præcipuè tribu tributum sit. Festiuè ille: Non immeritò huic genti sunt regni iura collata, cuius parens fuerat auctor, ne traderetur neci frater, maluit eum commutare argento, quàm iugulare ferro, qui noluit inficere manum sanguine, vestem induit infectam murice, QVI FRATREM NON SPOLIAVIT vita, regijs est amictus insignibus.

Ruben suadenti vt in cisternam Iosephum mitterent, paruerunt cæteri fratres; mirum quod tam facilè eius acquieuerint consilio; An id non illorum pietati tribuendum, sed timori? *Cauendum erat illis*, inquit Rupertus, *vt non offenderent eum* (Ruben) *cum posset offensus rem patri indicare*. Timendum illi, qui homines potius timet, quàm Deum: Nihil non mali ab illo timeamus, in quem plus timor hominum potest, quàm omnia videntis Dei.

In cisternam veterem. Vt longiori, crudeliorique morte eum conficerent; rem sic explicat Hamerus: Quod ad fratres Ioseph attinet, certe insignem illorum CRVDELITATEM arguit, quod in aridum puteum præcipitem dederunt fratrem, & cui manus afferre nolebant, eundem tamen longe crudeliori mortis genere conficere sustinuerunt, in arido enim puteo absumi necesse fuerat Ioseph inedia, siti, frigore, longo doloris tractu, & lenta morte, cum longe satius fuisset eum semel occidisse, & vno mactasse vulnere, quàm tam cruciabilem, & longam ad mortem viam fecisse.

Sectio III.

Malorum extrema *timenda*, eum in peccatis lætitiæ datur signum. 975
Pudicitia fama quàm gratum exhalet odorem.
Regere alios discit, qui didicit *obedire*.
In *dolorem* sæpè vertuntur, quæ ad *gloriam* esse credebantur. 976
Iacobi summus *dolor* ob amissum Iosephum.
Bona *opera* sinistrè haud interpretanda.
Boni non facilè pessima de malis *suspicantur* 977
Cilicij vsus in Iacob expenditur.
Ex *connubio* multiplici plus doloris quàm gaudij. 978
A mundanis vera *consolatio* minimè speranda.

Et sedentes, vt comederent panem viderunt Ismaelitas viatores venire de Galaad, &c.

ET *sedentes, vt comederent panem*. Malorum extrema timenda sunt, cum quis crimen aliquid admissum, adeo mæstitia, doloreque non corripitur, vt LÆTITIÆ DET SIGNA. Vix in cisternam veterem miserunt Iosephum Iosephi fratres inuidia liuidi, cum sedentes panem comederunt; iniquitatem sicut aquam qui biberant, panem comedunt, & læti fercula comedunt, ac si nihil egissent mali. 975

Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus extrahentes eum de cisterna, vendiderunt eum Ismaelitis, &c.

BOnum omen, quod mercatoribus Ioseph venditur, qui ferebat aromata; accepit, inquit ille, virtus omen fragrantiam ex pudicitiæ fama. Vendere illi aromata solent, Ioseph virtutis suæ odorem nescit vllo pretio vendere; Deo soli talis odor reseruatur; perit, si aliud spectat.

Venditus Ioseph fuit, vt seruiret, euehendus ad imperij culmen in seruitutes exercetur, nimirum, vt imperare disceret, cum prius seruire didicisset; rectè regere alios potest, aliorum qui imperium sustinuerit.

Tulerunt autem tunicam eius, & in sanguine hædi, quem occiderant tinxerunt, &c.

IN *sanguine hædi*. Cur hædi potius sanguine adspersa Iosephi vestis fuit, quàm alterius animantis? An vt quod olim ad gloriæ apparatum seruiuit, tunc in dolorem, & pœnam, quod sæpè accidit, verteretur? quando Iacob fratris benedictionem surripuit, hædi pellem manibus circumdedit, vt Esau manus mentiretur, Merito igitur, inquit nobilis ille auctor, alter hædus sanguine suo, in filij tunicam effuso, primos ad pœnam aditus reserauit, vt INDE DOLERET, VNDE PRIMVM GLORIANDI INITIVM FECERAT. Itaque artificium illud versum est in supplicium. Sic sæpè accidit, vt de nostra paratura repercutiamur. 976

Quam

Quam cum agnouiſset pater, ait, tunica filij mei eſt.

T*Vnica filij mei eſt*. Filij ſui veſtem ori admotam oſculi excepiſſe aliqui cenſent. Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 14. ita ſcribit: *Paternis viſceribus diſtortus clamabat; fera Ioſephum rapuit, fera mala, & immitis, cruentamque pueri veſtem propoſitam, quaſi filij carnes* OSCVLABATVR, *eadem re ſcilicet, & dolorem ſuum incendens, & mitigans.*

Fera peſsima comedit eum, beſtia deuorauit Ioſeph, &c.

A Iacobi verbis diſce in mitiorem partem ſemper aliena facta interpretanda; à fera peſſima deuoratum Ioſephum dixit, non à fratribus occiſum. In Geneſi, inquit bonus ille auctor, Iacob ſanguineam filij ſui veſtem aſpiciens dixit: Fera peſſima deuorauit filium meum Ioſeph. Neque enim tantum nefas de filijs ſuſpicari poterat. Non ita multi faciunt, qui non ſolum indifferentia, ſed etiam BONA OPERA SINISTRE INTERPRETANTVR.

977 A fera peſſima deuoratum Ioſeph credidit pater, neque enim tantum de filijs facinus eſt ſuſpicatus, vt fratrem vendiderint; ſcilicet BONI NON FACILE PESSIMA SOLENT DE MALIS SVSPICARI, ex ſua mente cæteros dijudicant, & in mitiorem inclinant partem.

Sciſsiſq; veſtibus indutus eſt cilicio, lugens filium ſuum multo tempore.

I*Ndutus eſt cilicio*. Et non ſatis illi afflictio, qua ob filij carentiam premebatur? *Cur auxit*, inquit Beatus Dionyſius, *ſibi afflictionem induendo cilicium? An vt filio chariſſimo oſtenderet ſe nimium condolere? vel pro releuamine animæ eius, aut vt impetraret miſericordiam Dei, ſi fortè aliqua ſpes eſſet ſuperſtes de recuperatione filij prædilecti.*

Indutus eſt cilicio. Non legimus alium quempiam ante Iacob cilicio indutum. *Primus*, inquit Cornelius, *qui in luctu ſaccum, ſiue* CILICIVM *induiſſe legitur, fuit Iacob, vnde poſtea idipſum eius poſteri in luctu imitati ſunt.*

978 Ob Ioſephum, quem à feris peremptum putabat, doluit Iacob, obque fictam cædem veras emiſit lachrymas. Diſce, inquit ſcitus ille auctor, MVLTIPLICI EX CONNVBIO plus doloris, quàm ſolatij progigni. Qui plures vxores habuit, pluribus calamitatibus nupſit.

Congregatis autem cunctis liberis eius, vt lenirent dolorem patris, &c.

V*T lenirent dolorem patris*. Benè eſt, quòd conſolari filij dolentem voluere parentem; ſed hoc alienum, quod non verè, & ex corde id præſtare volebant; vera conſolatio fuiſſet veri confeſſio, aperientes Ioſephum non fuiſſe à fera occiſum, ſed ab eis venditum, viuere. Rem tamen prodere noluerunt, ex hominum mundanorum ingenio patrem ſolantes, fictis ſcilicet, & ſimulatis verbis. Quid veram ab illis conſolationem ſperes, qui veram nouerunt inficere, non facere?

CAP. XXXVIII. GENESIS

Expenditur, & illuſtratur.

Sectio I.

Anima tunc *pulchrior*, cum *virtutibus* eſt grauida. 979

Subditos tendere quàm periculoſum.

Pœnitentia confinis delicto quàm inſigni gaudeat priuilegio.

Impudicitia affectus hominem extra hominem rapit. 980

Celare nihil *amantes* ſciunt.

Amati obiecti *præſentia* quàm violenta.

Impurus *amor* nihil *firmi* habet, cui innitatur. 981

קדשה quid, quid קדש, *impudica mulier* vitanda.

Facilè reſipiſcit, qui *iterare peccatum* non cogitat.

Pauca de malis *mulieribus* ſcire conſultum eſt. 982

Peccatorum ſtultitia, qui alia cogitant, & pendunt, non peccati *grauitatem*.

Vbi *honor*, & *fama* periclitatur, nihil non tentandum. 983

Mortalium inſania, dum plus *homines*, quàm Deum *reuerentur*.

Mendacium contemptibiles homines reddit.

Fuit quoq; Her primogenitus Iudæ nequam in conſpectu Domini, &c.

SEd ſuæ nequitiæ materiam vnde hic hauſit, 979
auxitque Liranus, alijque, quia nimio in vxorem affectu ferebatur, cauebatq; ne grauida fieret, & ſic eius pulchritudo, qua erat ebrius, minueretur. Nihil non fœdum timeas, cum noxio pulchritudinis ſtudio vir afficitur. Sed hoc quoque nota aliter in anima accidere, ac in corpore; mulier grauida pariens, multum de pulchritudine ſua, ac venuſtate amittit, anima tunc PVLCHRIOR, CVM VIRTVTVM ACTIBVS AST GRAVIDA, fitque fœda, cum nihil parit, macilenta redditur ſi ſterilis.

Nuntiatumq; est Thamar quod socer illius ascenderet in Thamnas ad tondendas oves, &c.

ASscendebat ad tondendas oues. Ad præsules hoc aliqui flectunt. Iudas ad tondendas oues se conferens commisit incæstum, & plerique dum subditos tondunt, mulgent, à Deo deseruntur, vt notabat Peraldus.

Quæ depositis viduitatis vestibus assumpsit theristrum, &c.

MEretricium habitum induit Thamar, & meretricium exercuit opus, nec tamen tam infami nomine mansit deturpata. Thamar, inquit scitus ille auctor, semel meretricium assumens theristrum, meretricis nomen ignorat; quia nunquam postea virum experta est, dum amictum viduitatis sumpsit à coitu, & quod studio libidinis cœpit, castitate consummauit. Hoc PRIVILEGIO GAVDET CONFINIS DELICTO POENITENTIA, & emendatio errori succidanea.

Quæ respondente quid dabis mihi, vt fruaris concubitu meo? &c.

980 MIrum, quod qui ex habitu mulierem non cognouerat, non cognouerit ex voce sibi aliàs familiari? An id factum, vt ille ait, *quia* IMPVDICITIÆ AFFECTVS HOMINEM EXTRA SE RAPIT, *vt omnem ferè sensum obruat*, totum hoc vitium hominem absorbet; totum sibi vendicat hominem.

Quid tibi vis pro arrhabone dari? respondit: annulum tuum, armillam & baculum, &c.

DEdit mulieri annulum Iudas, dedit armillam, baculumque in pignus, *dedisset etiam vestes, si postulasset*, inquit Abulensis. Scilicet sui compos libidinis affectu correptus minimè est; quid amicæ neget sua, qui dat se? Dedit annulum, quo epistolæ obsignabantur, & quæ custodita, & clausa volebant; vt sciret amicæ nihil clausum, nihil secretum. Celare nihil sciunt, qui amant.

Sed cur tantum Thamar potuit, vt quicquid vellet, obtineret? Quid quæris? amati obiecti præsentiâ nihil in amante violentius; satis pugnat si exhibeat se.

981 Baculum quoque poscenti Thamar Iudas exhibuit; impudico, qui se tradit amori, nihil deinceps habet, cui innitatur; pastoris insigne quid gestet, qui noxio hoc affectu sui compos non est, nec alios regere potest, nec se.

Interrogauit homines loci illius, vbi est mulier, quæ sedebat in biuio.

VBi est mulier. Oleaster: *vbi est separata*, est enim hebraicè קדשה *chedessah*, à verbo קדש *chadas*, quod significat *separare*, quod meretrix à ciuitatibus separaretur, & in loco separato maneret; aut etiam quia quilibet separare se ab ea debet.

Sed cur nomen mulieris, cui annulum, armillamque Iudas tradiderat, à muliere discere non curauit? An quia voluptati litabat, nec nomen scire quærebat? An quia ad eandem redire non cogitabat, vt non mirum si resipuerit. Quin infra subditur: *Attamen vltra non cognouit eam.*

Reuersus est ad Iudam, & dixit ei: non inueni eam.

NOn inueni eam. Benè est, quòd prolixus nuntius iste in malæ mulieris inquisitione non fuit; vt suæ, & mulieris famæ consuleret; cum de carnis voluptatibus agitur, eò quis amicior censendus, quò PAVCIORA PER ILLVM AMICVS DIDICERIT. Contentus iste interrogasse loci illius viros, non curiosè mulierem per domos inquirit. 982

Ait Iudas habeat sibi, certè mendacij arguere nos non potest, &c.

PLerique more Iudæ, quæ sunt pauciora contemnunt, minora curant, de minoribus sunt soliciti; cauet Iudas, vt promissum impleat, nec arguatur mendacij, hædum mittit, de admisso fornicationis peccato non cogitat. In Genesi, inquit pius ille auctor, multum sollicitatur Iudas de mittendo ipsi Thamar hædo, quem ei promiserat, cum dormiret cum ea, & NIHIL CVRAT DE FORNICATIONE, & cum ipsam non inuenisset seruus, ait Iudas: Certe mendacij arguere nos non potest, ego misi hædum, quem promiseram, & tu non inuenisti eam.

Cur non diligentius exquirit, an res ita se haberet? *Admonemur hic*, inquit Oleaster, *non debere multam inquisitionem facere, vbi honor, & fama periclitatur, maximè in rebus carnis, & potius temporalia perdenda sunt, quam homo veniat in opprobrium*. Vbi honor, & fama periclitatur nihil non tentandum. 983

Solicitus est Iudas, ne à muliere argui de mendacio posset, nec curat à Deo posse de tàm fœdo crimine reprehendi, atque puniri. Laborant plerique mortalium hac stultitia, vt PLVS HOMINES, QVAM DEVM VEREANTVR.

Habeat sibi; certè mendacij nos arguere non potest. Pagninus ex hebræo vertit: *Habeat sibi, ne forte simus in* CONTEMPTVM; quasi nihil ita contemptibilem hominem reddat, quàm mendacij nota posse notari.

Sectio

Sectio II.

Malè aliena *iudicat*, qui odio obcæcatur. 984
Peccator ex propria malitia alios dijudicat.
Peccata diù *occultari* ægrè possunt.
Suæ *famæ* consulere quisque potest. 985
Quàm magnum sit eos, qui super alios, peccata sua *fateri*.
Qui sua *peccata* considerat, non facilè aliena *damnat*.
Magnarum *dignitatum* culmina minimè ambienda. 986
Dei *gratia* tribuendum, quod videtur à casu factum.
Externus religionis *habitus* non magni faciendus, nisi vita respondeat.

Dixitq; Iudas producite eam, vt comburatur.

984 VT *comburatur*. Quam duram, seueramque Iudas sententiam fert! sententiam *præcipitat nimis seueram*, vt ait Lippomanus, *ex odio*; quem ODIVM OBCÆCAT, rectè aliena nescit facta iudicare.

Statim ream comburendam Iudas statuit, antequam audiretur, *poterat enim*, ait Lippomanus, *ex aliqua infirmitate vterus intumescere*. Quam facilis ipse peccauerat, tam facilis alios damnat; sic sæpè accidit, vt ex propria malitia de alijs peccator iudicium ferat, & in quo ipse delinquit, deliquisse alios censeat.

Cognosce cuius sit annulus, & armilla, & baculus, &c.

IAm Iudæ peccatum, quod putabatur occultissimum, proditur; vt frustra sit, qui quæ crimina committit, & nullo teste putat semper in tenebris futura. *Putant multi*, inquit hîc Oleaster, *sua peccata occulta esse, quæ tamen suo tempore* AVCTOREM *subiudicant*.

985 *Cognosce, cuius sit annulus*. Cur publicè, & non potius occultè pignora, quæ accepit Thamar, restituit Iudæ? An quia vt famæ suæ consuleret illa ille suppressisset? Rem sic explicat Abulensis: Hoc proficiebat ipsi Thamar mittere ad locum publicum, quia si Iudas recepisset illa insignia in secreto, dato quod cognosceret illa sua esse, & per hoc argueret Thamar esse ab eo imprægnatam, tamen forte ne ipse ALIQVALITER INFAMARETVR, quia cognosceretur coiuisse, cum nuru sua, etiam si nesciens, & inuoluntarius esset, tamen vulgus qui res ipsas, & non causas rerum respicit, eum aliqualiter contemptibilem haberet: & propter hoc Iudas si vellet præuaricari in Thamar, occultaret insignia illa, & ipsa non haberet locum defensionis, faceretque eam Iudas comburi, vt ipse non infamaretur saltem leuiter.

Qui agnitis muneribus, ait, iustior me est, quia non tradidi eam &c.

VIsis muneribus Iudas, non veretur sibi mulierem Thamar præferre, & iustiorem se eam vocare, vt non mirum, si tam rectè iudicans, nec crimen suum occultans, ad regiam dignitatem euectus fuerit. Peritè Sanctus Isidorus Pelusiota: *Iudas, qui quartus erat, propter integrum iudicium, ac rectam sententiam*, REGIAM DIGNITATEM OBTINVIT. *Quoniam enim plerique delicta sua occultantes, alios condemnant, hic autem seipsum condemnauit, eamque, quæ stuprum admisisse credebatur, supplicio, & cruciatu liberauit, ob eam causam haud iniuria regiam dignitatem est assecutus*. Nihil non boni, nihil non magni speremus, cum peccasse se, qui super alios sunt, fatentur.

Iustior me est. Quam prius damnauerat, nunc effert, certè præfert sibi; & ab igne liberam, quam igni in criminis pœnam destinauerat. Nimirum QVI SVA CONSIDERAT PECCATA, ALIENA NON FACILE DAMNAT, & qui se peccatorem cognoscit, mitius cum peccatoribus agit.

Incipit mitescere, cum se cogitat, & suum crimen. Ideo, boni auctoris sunt verba, benignè egit cum socru, & facilè ei pœnam, ad quam ducebatur, remisit, quia SE IPSVM INTROSPEXIT impudicum, & iniustum inuenit. Facilè enim vel ex parte, vel in totum remittet correptionem, & supplicium in alios, qui priùs seipsum inspiciens se peccatorem deprehenderit; ergo qui in alios inuehitur, priùs se ipsum respiciat. Vniuersè mitiores in alios essemus, si non adeo mites in nos ipsos, si peccata nostra nostræ menti obuersarentur.

Illo verò retrahente manum egressus est alter, &c.

REttraxit manus Zara ex vtero progressurus, 986
vbi se altera manu coccino vinctum sensit, eundemque repetijt vterum, malle se non nasci significans, sic magnus ille auctor, & purpura nobilis, quàm VINCTVM PVRPVRA PROGREDI, & tacitè inclamans non esse magnarum dignitatum culmina ambienda. Nimirum tutior vterus matris, quàm thronus dignitatis, & honoris insignia.

Egressus est alter. Altero scilicet manum retrahente. Quod à Dei gratia factum asserit Sanctus Chrysostomus, quæ manum gubernabat infantis. Addit scitus ille auctor: Sola Dei GRATIA est, quæ potest facere, vt qui primus in aliquo erat, se cohibeat, & primus alteri cedat.

Postea egressus est frater eius, in cuius manu erat coccinum.

HOnoris insigne in manu gestabat, qui natus vocatus est Zara, sed primogenituræ

honore caruit. Vt hinc discas in extimo habitu rerum pondus non esse sinim. Audiant istuc, qui sanctitatis efferunt habitum, sanctitate ipsa carentes, Zaram imitantur, qui coccinum primogenituræ signum habuit, & secundò est genitus. Externus religionis habitus non magni faciendus, nisi vita respondeat.

CAP. XXXIX. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio 1.

Artifex *ferculorum* masculum ægre animum circumfert. 987
Eunuchus vxorem habuisse cur dicatur.
Mundanorum *prosperitas* quàm periculosa. 988
Quæ nos *premunt* ad *Deum* nos vrgent.
Prosperitas vnde sumenda.
Pulchritudo quænam laudanda. 989
Modestia aliorum impudentia coërcenda.
Pietatis prætextu mali aliquid moliri quàm ingens malum.
Conclamata res est, cum *religionis simulatione* impietati litatur. 990
Muliebria retia quàm timenda.
Virtutes vigilare nobiscum debent.
Quibus *machinis* tentata *Iosephi* pudicitia. 991
Dei *memoria* tanquam *ros* concupiscentiæ igni extinguendo.
Ioseph tribus pueris in medio fornacis Babylonis comparatus.

Igitur Ioseph ductus est in Ægyptum, emitque eum Putiphar eunuchus Pharaonis, &c.

987 PRinceps exercitus. Aliqui legunt, *princeps coquorum*, cum eunuchus fuerit, nec masculum habuerit animum, non mirum si coquis potius præsideat, quàm militibus. Festiuè Oleaster hic. *Legit*, inquit, Philo Hebræus libro de temulentia. *Eunuchus & princeps coquorum; quasi masculum animum non habeat, sed planè castratum, qui* ARTIFEX SIT FERCVLORVM, *quibus gula inseruiatur; sterilis, inquit Philo, castrataque anima officium est, gaudere pistorijs operibus sumptuosis, atque poculis, & curiosis condimentis cupediariorum.*

Qui simul, & eunuchus dicitur, & habere vxorem? Nodum ita soluit ille auctor in Catena Græca Fumani: *Si*, inquit, *eunuchus Petephres; quomodo inuenitur vxorem habens eam, qua Ioseph adamauit? Scire igitur oportet quod, & spadones, & eunuchos Diuina Littera vocant etiam eos, qui non sunt tales, sed locum tamen sidemque talium obtinentes, quemadmodum & Beatus Isaias ipsum Daniel cum tribus pueris prophetice spadones vocat, dum ad Ezechiam dicit: & à filijs tuis, qui egredientur de te, quos genueris, capient à te, & facient* SPADONES *in domo Regis Babyloniorum, & Christos similiter vocat non eos, qui vncti sint, sed qui Christi pietatem adepti sint, vt est in centesimo quarto Psalmo.* Aliter ad hanc difficultatem respondet Diodorus in eadem catena, in hunc modum. *Quomodo vbi hunc Pentephren eunuchum esse dixit, cur vxorem illum habere addidit? ego igitur duorum alterum suspicor: aut propter beneuolentiam eunuchum illum abusiuè appellasse, qua videlicet eunuchi omnes consueuerunt prosequi Dominos suos, aut quamuis verè exectus esset, & genitalibus priuatus, habuisse tamen illum mulierculam vxoris loco, quod iam temporibus nostris in plerisque vsu iam venisse compertum habemus.* Gennadius ibidem rem sic expendit: *Si eunuchus Peutephres, quonam modo vxorem habere inuenitur; at enim Syrus vnica appellatione, & spadonem, & virum domino suo fidelem intelligit, Hebræus autem re vltra eunuchum, & hunc ipsum ex fide, quando quidem eunuchorum generi maximè ea, quæ pretiosiora sunt ex ijs qua possidentur, credi solent, atque etiam regum ipsorum salus, nec id mirum quando, & Abraham, & Isaac, & Iacob Christi nominantur, ne tangite, inquit, Christos meos, dicitur autem & Cyrus Persa Christus, sic ergo & hic mensa regia præfectus spadonis appellationem obtinuit, quamuis habens vxorem, ob beneuolentiam, & sedulitatem,*

Fuitque Dominus cum eo.

ANtequam diceret cuncta Iosepho prosperè obuenisse, præmisit, Dominum cum eo fuisse, aduersa scilicet omnis alia prosperitas est, cui felicitas ista non substernitur, qua cum Deo Dei gratia homo est. Infelix illa, mundanorum prosperitas est, qui à Dei gratia lapsi, fęlices se putant, si alia prosperè contingant. 988

Fuitque Dominus cum eo. Scilicet nunc istuc exprimitur, cum seruire tenebatur, vt nouerimus, ea maximè nos ad Deum vrgere, quæ nos videntur premere, tanquam dura seruitus calcaris loco Iosepho esset, quo ad Deum celerius tenderet, & strictius cum illo vniretur.

Et erat vir in cunctis prosperè agens, &c.

ITane in cunctis eum summa prosperitas comitabatur? Malè de prosperitate mundani sentiunt, quam ex temporalium tantum rerum fęlicitate, & copia desumunt, animæ saluto neglecta, cum aliter esset sentiendum, nam, vt ait hîc Beatus Dionysius Carthusianus: *Fuit in cun-*

in cunctis prosperè agens quantum ad ANIMÆ SALVTEM, *quæ summa prosperitas est, & quantum ad temporalium rerum domini sui gubernationem in omnibus prosperè egit*. Quàm decipiuntur qui in solis rebus temporalibus prosperitatem collocant, nec vllam aliam in rebus alijs agnoscunt.

Erat autem Ioseph pulchra facie, & decorus aspectu, &c.

989 AVdis Iosephum à faciei pulchritudine laudari, laudatus est & Moses, multique alij ob vultus decorem, idque in veteri testamento; in nouo non facilè reperias aliquem ob pulchritudinem commendatum; quid quod mirere, nec pulchri, pulchritudinisque nomen in tota noui testamenti serie leges; licet in eo habeamus eos, qui omnes pulchritudine superarunt, Iesum scilicet, & Mariam; vt scilicet statim colligeremus, nihili estimandam pulchritudinem, & corporis venustatem faciendam, Christianique hominis esse animæ decorem ac venustatem quærere, non corporis.

Post multos itaque dies iniecit domina sua oculos suos in Ioseph, &c.

POst multos dies impudica mulier in pudicum iuuenem oculos coniecit. Cur tandiu distulit, & se ita cohibuit? non mulieris verecundia id fecit, qua carebat, sed Iosephi modestia, & cautio. Namque eum, vt doctus auctor habet, nisi post multum tempus attentè contemplari non potuit: Erat enim vir MODESTVS, oculos & vultum demissum habebat, adeo vt nisi post multum tempus, & varias occasiones, quas res ipsæ domesticæ obijciebant, impudica fœmina venustam serui faciem haurire non potuit. Modestia serui dominam ipsam tantisper cohibuit.

Iniecit domina oculos in Ioseph, iustius dominæ titulum sustinuisset, si non iniecisset; non erat plenè domina, quæ suis sensibus cum posset, & deberet, non dominabatur, censent aliqui finxisse se Iosephi religionem amplecti velle, vt fictæ pietatis specie, frequentius iuuenis præsentia frueretur. Conclamata res est, cum PIETATIS PRÆTEXTV impia quis molitur.

990 Vt ad malum Iosephum mala ista mulier traheret multis vsa est artibus, non desunt, qui putent eam simulasse, se velle Iosephi religionem amplecti. Malorum extremum est, cum rebus quoque bonis mali vtuntur ad malum: Hinc illud ex Limnniensi Episcopo: Multis inducere conabatur mulier ipsum Ioseph ad libidinem: nam prius filium eum appellans, ad se attrahebat, libidinosis manibus attrectans: quod intuens Ioseph, ab illius se familiaritate subtrahebat. Iam vt RELIGIONEM SVAM, CVLTVMQVE *Dei* SVI EDOCERET, suadebat, fingens & illius velle religionem sequi, vt sub pietatis specie frequentior esset familiaris accessus. Postea suam aperuit mentem, & si virum timeret, illum secretò interempturam dicebat: vt sic liberè Ioseph eam in vxorem haberet, & edulium misit, quo eius mentem fascinaret. Scilicet nihil non mali timendum, cum sub religionis velamine scelera cogitantur.

Iniecit domina oculos in Iosephum, non ipse in illam; vt vel hinc colligas quàm timenda muliebria retia sint, cum & Iosepho fuerint expansa, qui mulieres contemnere nouerat, non amare; nequeo hîc supprimere, quæ habet Sanctus Ambrosius: *Adamantur & qui nolunt adamari. Adamatus est Ioseph, qui amantem contempserat, & benè excusauit eum scriptura, dicens: immisit oculos vxor Domini eius in Ioseph: hoc est, non ipse se ostentauit, nec cepit incautam, sed* ILLA RETIA SVA MISIT, *& indagine sui capta est. Laqueos suos sparsit, & suis hæsit vinculis*. Sic ille lib. de Ioseph cap. 5.

Et ait dormi mecum, &c.

D*Ormi mecum*. Falleris impudica mulier, hoc ab adolescente non obtinebis, cum quo virtutes vigilabant. Benè Sanctus Gregorius Nyssenus: *Illa*, inquit, *dicebat dormi mecum, adolescenti contra proclamabat temperantia,* VIGILA MECVM, *& ipsa ostendit vigilantiam, non enim blanditijs cedens dormitauit robur constantia, non fuit sopita incantationibus, non fuit somno oppressa temperantia sobrietas*.

Quibus machinis tentata Iosephi pudicitia 991
fit, scitè explicat Ioannes Ierosolymitanus homil. 1. quæ est de castitate Ioseph, dum ait: *Considera generosi athleta fortitudinem: quàm multa essent, qua eum oppugnarent. Iuuenilis atas ei sua bellum inferebat, interius libido titillabat, & mulier exterius oppugnabat, promissis blandiens, & blanditijs assentans, immissa muliercula commouebant, & adulatio aures eius sensusque sollicitabat: sed nihil horum eum potuit superare. Nam neque adulationibus emollitus habenas remittebat, neque promissis inflatus castitatem negligebat, neque minis perterrefactus virtutum diuitias prodebat, sed omnes corporis partes pudica cogitatione frænabat.*

Qui nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam.

IMpudici amoris igne non est vstus Ioseph, qui Dei memoria, velut quodam rore suam mentem adsperserat, sisto hîc, quæ in eius laudem habet Sanctus Ephræm de recta viuendi ratione: *Dei amantissimum Ioseph decipere gestiebat Aegyptia, magnoque impetu ad peruersum suum scopum contendebat. Cæterum castus ille adolescens, mentem suam* VELVT RORE QVODAM RECORDATIONIS *Dei*, PERFVNDEBAT, *ne impij amoris igne vreretur. Sensus autem suos muniebat, ne alienis cogitationibus vllum locum præberet, & in laqueos impudica mulieris conijceretur; illam enim semper vt mortis laqueum, intuebatur. Ideoque tentatione illa superata, corona donatus est, & rex Aegypti factus.*

Non defuit, qui Iosephum tribus pueris prætulerit; qui in medio fornacis Babylonicæ ignem non senserunt, sed rorem. Sanctus Chrysostomus hom. 44. in Genesim hæc in Iosephi laudem efferebat: *Non sic admirabile mihi videtur esse, tres pueros illos in medio Babylonicæ fornacis ignem vicisse, illæsis eorum corporibus: vt mirabile, & rarum est, quod iustus iste, qui in fornacem hanc Babylonicam multo grauiorem, in incontinentiam, inquam, Aegyptiæ incidit, & intactus permansit, puroque castitatis indumento seruato exijt, & ne mireris dilecte: quia enim quod suum erat attulit, habuit supernam gratiam comitem, quæ incendium illud restingueret, & in media fornace* RORE M *spiritus daret.*

Sectio II.

Mala *mulier* peccata *peccatis* inædificat. 992

Fæminea leuitatis ad *leuiora* attendere, maioribus neglectis.

Domini titulum non meretur, qui *impudicitiæ* seruit.

Serua impudica *mulier*, liber *Ioseph*. 993

Perstricti, qui de *terrenis* reculis sunt solliciti, animarum cura neglecta.

Dei *beneficia* à peccatis nos auocant.

Perstricti, qui Dei *beneficijs* à peccatis non sinunt se auocari. 994

Ægyptiæ *mulieris artificia* Iosepho decipiendo.

Qualibet *fera* sæuior impudica *mulier*.

Ioseph ante pudoris *rex* quàm Ægypti. 995

Dei *timor* scutum contra mulieris blanditias.

Aegyptia mulieris *machina* in Iosephum.

Iosephi pugna cum *Aegyptia* muliere expenditur. 996

Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo sua.

992 Dominum suum producit Ioseph, quem reuereri potius mulier debebat, quæ illius erat vxor; nisi quod de eo perimendo cogitabat, & fecisset, si fuisset opus, certè sic eam loquentem facit Sanctus Ephræm de laudibus Ioseph: *Quòd si virum meum timeas, ego illum* DATO VENENO *perimam*. Scilicet mala mulier peccata peccatis inædificat.

Mirum cur Ioseph mulieri ad peccatum allicienti non maiora obiecerit, mortem, Dei timorem, inferni cruciatus? An his rebus excipiendis inepta mulier erat? An vt innueret, & fœminæ, & peccatricis esse ad leuiora attendere, neglectis rebus maioris momenti? Cur nec Deum, inquit ille auctor, nec INFERNUM meminit Ioseph, sed tantum heri sui offensam prætendit, quæ in peccato minimum malum est, adeò, vt Dauid solum dixerit. Psalm. 50. Tibi soli peccaui, quasi nihili æstimaret hominum offensas, præ Dei offensa? Cur ergo hoc, quod Dauid in peccato suo paruipendit, id solum prætendit Ioseph, vt peccatricem auertat? Cur non ad maiora, & præstantiora recurrit? Sanè res erat cum fœmina malitiæ diabolicæ plena, quæ minime perciperet magna, & præstantia, & ideo sapiens iuuenis illi leuiora, & viliora prætendit, ad quæ mulier peccatrix magis attenderet.

Dominum maritum cum dicat, cur non & vxorem dominam appellat? Speciosum dominæ titulum non merebatur, quæ impudicitiæ se fecerat mancipium. *Ille noluit*, ait Sanctus Ambrosius, *& dixit vxori Domini sui, rectè vxor Domini*, NON IPSA DOMINA *dicitur, quomodo domina, quæ dominandi non habet officium? quæ disciplinam domina non tenebat, ille Dominus, qui amantis non excipit faces.*

Dominus, & liber erat Ioseph, licet seruus
videretur, serua, & captiua mulier, quæ domi- 993
na credebatur. Auctor ab aureo ore in Psal. 48. *Quis est liber? is ne, qui quod vult facit, & ne regem quidem metuit: an qui ab eo contemnitur, qui eius subest imperio? & ne in incerto exemplo prolixa vtamur oratione, vxor Pentephra Aegyptia, nunquid erat regina? nunquid toti Aegypto præerat? nunquid habebat regem coniugem? nunquid maximam habebat potestatem? quid vero Ioseph?* NON SERVUS? *non captiuus? non famulus emptitius? non aduersus adolescentulum omnem aciem instruxit, non alij belli curam committens, sed ipsa descendens in aciem? quis ergo tunc erat seruus, quis liber? illa ne, quæ precabatur, orabat, & supplicabat, & non homini, sed improbissimæ animi perturbationi seruiebat: an is qui contemnebat diadema, sceptrum, purpuram, & omnem illam externam speciem, ac pompam, & rescindebat eius machinationem?*

Nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mibi, &c.

His verbis ij pungantur, qui de terrenis reculis sunt soliciti, animarum cura neglecta, quibus præsunt. Audiendus Sanctus Bernardus, cuius hæc sunt verba: *Alter ille Aegyptius, qui Ioseph omnibus traditis ignorabat quid haberet in domo sua. Erubescat Christianus Christiano sua non credens, mira res satis, superque Episcopi ad manum habent, quibus animas credant, & quibus suas committant facultatulas non inueniunt. De pretio escarum, & numero panum, cum ministris quotidiana discussio est, rara admodum cum Presbyteris celebratur collatio de peccatis populorum.*

Quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?

Quod de suo hero dixit Ioseph, istuc idem ne Deum offendat dicere de Deo Deique bene-

beneficijs quilibet potest. Apiè, vt solet, Ioannes Eusebius: *Audi creaturas, quæ melius quàm Ioseph officij te admonent. Ecce Dominus noster, omnibus sibi traditis, obliuiscitur sui: nec quicquam est, quod non in tua sit potestate, quod non tradiderit tibi, vt quidquid velis, faceres de nobis, præter hoc vnum, amare nos: quomodo ergo potes malum hoc facere, & PECCARE IN DEVM TVVM? quomodo possumus nos sustinere suum amorem, quem sibi reseruauit creator, & non potius fugere? Vt tu dares te illi, dedit nos tibi: vt tu seruias illi, non seruimus tibi: disce à nobis seruire vsque ad mortem, non adulterare. Vt tu subsistas, nos corrumpimur.*

994 Hæc Iosephi responsio nostram ingratitudinem arguit, qui pluribus, qui maioribus à Deo beneficijs donati, illorum memoria, ac cogitatione à peccatis non reuocamur. Grauiter rem auctor quidam vrget, dum ait: O verba summæ gratitudinis, literis aureis vniuscuiusque nostrum cordibus inscribenda. Non enim dixit, quomodo malum hoc faciam, sed quomodo possum malum hoc facere? quasi beneficia non solum voluntatem, sed etiam facultatem, & potentiam adimant ad peccandum in eum, à quo recepta sunt. Si ergo Ioseph propter bona temporalia, quæ à Domino suo acceperat, tantùm illi teneri fatebatur, quod impotentiam ad peccandum in eum allegabat, quanto magis nos, qui à Deo creatore nostro, non temporalia solum, sed spiritualia, non transitoria, sed æterna, partim accepimus, & partim accepturos nos speramus, debitum hoc recognoscere tenebimur, nec eum, à quo tot recepimus bona, offendamus.

Huiuscemodi verbis per singulos dies, & mulier molesta erat adolescenti, & ille recusabat stuprum.

VT Iosephum alliceret Ægyptia mulier formæ decorem arte augere studebat, vt stibio quoque oculos pinxerit; id quod indicauit Ioannes Ierosolymitanus, S. Chrysostomi Synchronos, nam hom. 1. quæ est de castitate Ioseph; ait: *Enimverò iuuenem perdere cum studeret, omnia, quibus oculi iuuenum falli possunt, tentabat: dum vultum quasi pratum quoddam multiplici varietate decorabat, FVCO RVBOREM GENIS, CERVSA FRONTI candorem oblinebat, OCVLOS STIBIO pingebat, monilibus aureis collum, & manus exornabat, molles suas vestes varijs suffumigabat vnguentis, lethifer denique laqueus erat ad iuuenem per omnes sensus, vt existimabat, fallendum: cùm oculos quidem apparentis ornatus, aureis autem adulationum prastigijs irretiret, olfactum vnguentis fascinaret.*

A fera pessima deuoratum putauit Iacob filium suum Ioseph, obiecta illi veste sanguine tincta à fratribus eius. Verè in manus feræ pessimæ cecidit, cum impudicæ mulieris blanditijs impetitus fuit. De Iosepho hæc habet Sanctus Ephræm: *Cernens, quòd mulier adeo imprudenter, atque immaniter feræ [illegible] instar in ipsum irrueret;* & paulo post eum sic loquentem facit: *Liberasti me Domine ab iniquis fratribus meis, & ab iniusta nece eorum, libera nunc rursum me ab INSANIENTE FERA ISTA, à fera hac pessima libera me.*

995 Audis mulierem molestam adolescenti fuisse, cur non potius adolescens mulieri molestus, cum amantem contemneret, & fugeret? mirum mulier blandis verbis molesta adolescenti dicitur, cui molesti non dicuntur fratres fuisse, cum ei insidiarentur. Subsistit tamen, inquit scitus ille auctor, optima ratione scripturæ locutio, eam, quæ castissimo viro pudoris gemmam auferre conabatur, molestam illi esse affirmans, cum nihilo secius id fuisset, quam regni sceptrum, ad quod ille legitimum ius habebat, ab eius manibus prærepta pudicitia, velle extorquere, nimirum cùm REX ESSET ANTE PVOORIS, inde Ægypti regnum non fauore, non casu, sed castitatis iure ferebatur.

Molesta erat adolescenti mulier impudica, & eò magis, quò alteri blandior visa fuisset. Sed quibus se armis contra illam muniuit Ioseph? *Ioseph*, inquit Sanctus Ephræm, TIMORE DEI *vndiq; munitus, ne simplici quidem adspectu intuebatur in illam*; tanquam liberiori aspectu diuini timoris vim obtundi posse timeret.

Plures, quam scriptura referat, artes hanc mulierem adhibuisse, vt Iosephum deciperet, plures machinas admouisse, vt euerteret, credi facilè potest. Præiuit Sanctus Isidorus Pelusiota, qui lib. 2. epist. 236. ait: *Etsi calidè, ac singulari artificio Aegyptia mulier cupiditatis, ac libidinis vela expanderat, laqueumque vt adolescentem caperet, statuerat, atque per oculos eum velut prastigijs quibusdam ludebat (tragicum enim in modum corpus adornabat) & per aures eum deliniebat, (nam ei per aures quoque nullum non tentationis genus admouebat,) & per odoratum extimulabat (verisimile est enim eam, priùs etiam quàm retia sua explicaret, luxum ei adhibuisse, & si non vt amato indulgentem, at certè vt hospitem, ac peregrinum miserantem,) ac denique per promissa demulcebat; ac velut quibusdam beneficijs inficiebat (se enim eum Domini loco habiturum pollicebatur) tamen frustra ei cessit hac venatio.*

996 *Et ille recusabat stuprum*. Decepta mulier fuit, quæ suis blanditijs putauit pudicum adolescentem inescare, cui iuuenilis ætas vires ad resistendum dedit, non faces, quod sæpè solet, ad concupiscentiæ ignem accendendum subdidit. Iosephum ita loquentem facit Ioannes Ierosolymitanus hom. 1. quæ est de castitate Ioseph: *Ne fallaris, mulier, ne adolescentiam meam attendas: potest & nouus vter vinum vetus ferre, nouaque crumena vniones antiquos gestare. Iuuenilem meam vides ætatis viriditatem; at canos circumspice mores meos: iuniorem vultum natura præbuit; at canum cor meum lex reddidit. Ne fallaris mulier; virtutem meam non vinces: Ioseph filium Iacob non vinces; illius Iacob, qui adhuc in ventre cùm esset, supplantauit, ac deinde cum Angelo potuit colluctari: ne fallaris, non minus validè, quàm pater luctor.*

Præda

Præda venantis non est effectus Ioseph, quia Deum defensorem sui habuit; idem Sanctus auctor lib. 4. epist. 77. ita scribit: *Aegyptia quidem illa mulier iuuenem amabat: iuuenis autem (Iosephus) maiore castitatis amore flagrabat. Vnde etiam factum, vt illa quidem ipsum captans præda non potiretur, quamuis omnia venatoria retia explicuisset: ille verò compos fieret eo, quòd ipse venabatur, omnibus illius retibus superior euadens: neque id mirum. Cum illa enim castitatis hostis; cùm isto autem eiusdem legislator faciebat, & certaminis socium se coniungebat.*

Sectio III.

Festorum solemnitate quidam abutuntur, vt *vitijs* seruiant. 997
Nihil est, quod *impietas* non inficiat.
Cautè cum *muliere* impudica tractandum.
Parentum *exempla* quantas vires in filios habeant. 998
Impudicitiæ virus quàm facilè serpat.
Quàm *cæcus* impudicus *amor* sit. 999
Verba à *castitate* aliena vitanda.
Impura audire *verba* puritatis amator vitat.
Omnis *mundi sollicitudo* exuenda. 1000
Muliebris manus ornata magis, quàm hostilis timenda.
Nihil retinendum, quòd *mundum* sapiat.
Caro quò blandior, eò sæuior. 1001
Mundi pallium penitus relinquendum.
Mala *mulier dolis*, fraudibusque consuta, fingit quod vult.
Dominis etiam malis *reuerentiæ* signa exhibenda.

Accidit autem quadam die, vt intraret Ioseph domum.

997 ACcidit quadam die. Diem hanc Ægyptijs solemnem fuisse aliqui notarunt, adduntque ægram se esse simulasse, vt iustam occasionem habere videretur, domi manendi, & ad solemnitatem non eundi. Dies erat, inquit bonus ille auctor, sacratus Ægyptijs, vt Iosephus refert, quo ad FANVM IDOLI omnes conuenire solebant: Ioseph vero, vt veri Dei cultor, his non adcrat, opportunumque fœmina iudicauit, vt solum Ioseph absque testibus alloqui, & aggredi posset, ægram se simulans, ne ad solemnitatem cum alijs accederet. Iosephi porrò verba hæc sunt lib. 2. Antiquitatum cap. 3. Non cessante morbo, secundas illi machinas admouere cogitat. Ergo publico festo instante, cuius celebritatem fœminas quoque frequentare mos erat, fingit morbum apud maritum, captans solitudinem, & ad Iosephum sollicitandum opportunitatem. Extrema sunt mala timenda, cum quis festorum solemnitate abutitur, vt vitijs suis litet.

Die quadam. Hoc quod hic narrat quodam die festo gestum aliqui censent, quo scilicet omnes se ad solemnitatem contulerunt. Nihil est, quo mali non abutantur ad malum, vel sacrorum dierum cultum tanquam machinam admouent, qua ad sua perficienda scelera euehantur. Nihil est quod IMPIETAS NON INFICIAT. Omne tempus opportunum impijs patrandis sceleribus est. Imitentur iusti, & in diebus mundi leuitatibus sacris, diuinum numen præcipuè colant.

Absque arbitris nunc fuisse Ioseph dicitur, quasi soleret cum illis esse. Opportunè Beatus Dionysius: *Ex hoc conijcitur, quod Ioseph sciens improbam consuetudinem dominæ suæ*, ASSVMPSIT ASSIDVE ALIQVOS SECVM INTRANDO, ET EXEVNDO, *ac operando, nè illa auderet sibi inhonesta proponere.*

Et illa apprehensa lacinia vestimenti eius diceret dormi mecum.

PRius delata Iosephi veste dixere, fratrem à fera pessima deuoratum, nunc mulier pallium eius deprehendit; quod ibi fictum, hic factum fuisset, si suis votis respondentem iuuenem impudica mulier inuenisset. *Rursus Ioseph*, ait Sanctus Gregorius Nyssenus, *per vestem appetitur calumnia, fratres prius accepta eius veste, per illam improbe calumniabantur fuisse eum à bestia deuoratum. Nunc autem tunica eius accepta mulier accusat tanquam fornicatorem. Iosepho conuenit vox Domini, diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt mendacium.*

Dicetes à patre suo Iacobo Iosephum didicisse luctari non cum Angelo, vt ille fecit, sed cum impudicitiæ hoste muliere; certè sic loquentem eum facit Ioannes Ierosolymitanus hom. 1. quæ est de castitate Ioseph: *Iacob, qui cum Angelo* LVCTATVS *est, meus pater, qua propter & ego* LVCTOR *audacter*. Tantas in filiorum mentibus vires parentum exempla habent. 998

Iosephi cum Ægyptia lucta spectatoribus Angelis quam læta cœlo fuerit sic explicat Ioannes Ierosolymitanus hom. 1. quæ est de castitate Ioseph: *Aegyptia quidem petulantiæ folia tenebat, Ioseph autem iustitiæ fructum gestabat. In cælo gaudium erat ob victoriam Ioseph: gaudebant Angeli, lugebant Dæmones, coronabatur Ioseph, pudefiebat Aegyptia: vrebat illam victoria: ad calumniandum se conuertit, & apud maritum suum, Ioseph accusat, turpitudinem illi improperans.*

Qui relicto in manu eius pallio fugit, & egressus est foras.

SAtius putauit dimittere pallium, quàm amittere amictum pudicitiæ; reliquit pallium, ne virus per illud serperet. Sanctus Hieronymus

mus lib. 1. aduerſus Iouinianum, ait: *Noſter Ioſeph, quia tangere volebat Aegyptia, fugit ex manibus eius, & quaſi ad morſum rabidiſſimi canis, ne paulatim* VIRVS SERPERET, *pallium, quod tetigerat, abiecit.*

Suum non putauit pallium, quod contingi impudicæ mulieris manibus potuit. Feſtiuè Sanctus Ambroſius lib. de Ioſeph cap. 5. vbi huc ſpectans, infert: *Relinquens veſtimenta ſua in manibus eius fugit. Non pluris fecit veſtimenta corporis, quam animi caſtimoniam.* RELIQVIT TANQVAM NON SVA, *quæ adultera ſuis manibus detinebat: & aliena indicauit, quæ tactu impudica potuerant comprehendi.*

999 Retinuit mulier iuuenis fugientis pallium in pudicitiæ ſignum, quod reuera erat, & laſciuiæ, & inuerecundiæ argumentum, tàm cæcus amor eſt. *Ipſa* LIBIDINE TEMVLENTA, inquit Sanctus Iſidorus Peluſiota, *laſciuiæ ſuæ notas pudicitiæ argumenta ducebat.* Vbi luxuriæ mancipium dederis, ſtatim cæcitate laborantem dabis.

Reliquit in impudicæ mulieris manibus pallium, ne dum contendit auferre, cogeretur auribus excipere verba, quæ à caſtitate eſſent aliena, conſultius putauit pudori conſulere, quàm paupertati: Facilè poſſet, inquit ille, iuuenis robuſtus, & vegetus pallium de manu mulierculæ eripere, ſi vellet: maluit tamen fugere, & pallium ei relinquere, quàm auribus eius verba excipere, dum luctatur, dum pallium extrahit. Etenim vir pudicus ægrè fert, ſi quis aliquid SVIS AVRIBVS INSTILLET, quod minùs honeſtatem, & verecundiam redoleat, ſtatimque pudore notat genas, & ora inficit.

In impudicæ mulieris manibus pallium magnus athleta reliquit, & foras exijt, tanquam paradiſi incola eſſet factus à peruicaci muliere fugiens, nuditati illi proximus fieret, qua inſignes primi parentes exſtitere. Præclarè Sanctus Nilus: *Relicto*, inquit, *in eius manu pallio fugit, & egreſſus eſt foras tanquam in virtutis paradiſo nudus ambulans, primum illum parentem noſtrum imitatus, qui præclarum nuditatis munus à Deo conceſſum obtinuit, quoad per contumaciam in veſtimentorum neceſſitatem incurrit, quamdiu enim reſtitit aduerſarijs ſuadentibus, vt Dei mandatum violaret, nudusve luctatur in ſtadio, ſtetit. Victus vero, & ſeruus effectus, depoſita ſimul cum* CERTANDI HABITV *nuditate, indutus eſt.*

Fugit Ioſeph relicto pallio, fors timuit ne, impura verba impura euomeret mulier, quibus pudicæ eius aures velut incæſtarentur. *Ne incongrua*, inquit Sanctus Ambroſius, *audiret* SVÆ VERECVNDIÆ VESTE *fugit relicta.*

1000 In mulieris manu pallium reliquit Ioſeph, ſciens in extimo habitu ſanctitatem haud ſitam eſſe, liberius puritati ſeruiuit, qui in manu dominæ reliquit veſtem, quæ à puritatis hoſte contingi, ac auferri potuit. Diuidere cum Ægyptia pallium noluit, qui integrè pudicitiæ indutus veſte fuit. Suo nos exemplo docuit Ioſeph, omnem mundi ſolicitudinem exuendam ei, qui Deum ſequitur, Deum colit; nec Elias, nec ſponſa pallium diuiſere.

Maiorem ſui, quàm pallij curam habuit Ioſeph, ſatiuſque putauit pallium amittere, quàm ſe. Libenter, inquit peritus ille auctor, es paſſus indumentum capi, ne fieres ipſe captiuus; magis fœmineam exhorruiſti MANVM armillis, & annulis ornatam aureis, quàm alij HOSTILEM catenas inijcientem ferreas.

Reliquit pallium, cur non tenuit, vt potius diuideretur in partes, quarum vna in mulieris manibus eſſet, alia in Ioſephi? An vt innueret nihil retinendum eſſe, quod Ægyptum ſapiat, mundum redoleat? rem benè verſat Ioſephi, Eliæ, & ſponſæ exemplo, bonus ille auctor, dum ait: Notatu dignum eſt, quod neque Ioſephus diuidere voluit ſuum pallium cum Ægyptia, Gen. 39. 12. neque Helias cum Heliſæo 4. Reg. 2. 13. neque ſponſa cum cuſtodibus ciuitatis Cant. 5. 7. Sed omnes ſuis ſe pallijs PENITVS DENVDARVNT, eaque à ſe procul abiecerunt. Rationem eſſe credo, vt NVLLAM APVD SE MVNDANÆ SOLLICITVDINIS PARTEM RETINERENT, ſed toto animi affectu ad vnum Deum libere conuolarent.

Non habes pallium, quod relinquas ca- 1001
ſtiſſimi Ioſephi exemplo; habes propriam voluntatem, qua ſi nudus fueris, virtutibus veſtieris. Non habes dominum, cuius inſidias timeas. Tecum tuam carnem circumfers, quæ quò blandior, eò ſæuior eſt, & quò vicinior, eò damnoſior. Caue, inquit Ioannes Euſebius, ſi propria voluntate induaris, & non ſis nudus, vnde caro aſſueta dominari velut domina Ioſeph, apprehendet laciniam veſtimenti tui manu ſuâ; hoc eſt, appetitu connexo voluntati, & adulterare te coget. Lacinia ſufficit ad tantum facinus: minima anſulâ gubernantur ingentia damna, niſi PALLIVM PENITVS RELINQVAS nudus, periclitaberis.

Egreſſus eſt foras, ne ſcilicet intus eius animam peccatum ſubiret. *Refert Ioſephus*, inquit hîc Beatus Dionyſius, *die illo fuiſſe præcipuam ſolennitatem Aegyptijs, in qua omnes ad templa conuenerant idolorum, ad quæ etiam fœminæ tunc venerunt: ſed fœmina iſta perſuaſit viro ſuo ſe eſſe* INFIRMAM, *quatenus ſolitudinem, opportunitatemque captaret alliciendi Ioſeph ad ſuum conſenſum.* Mala ſcilicet mulier dolis, fraudibusq; conſuta impietati litat, cum litandum pietati maximè eſſet.

Egreſſus eſt foras. Cur robuſtus adoleſcens de manibus mulieris pallium vi non extorſit, cum poſſet? An ne vim vllam dominæ faceret, ex REVERENTIÆ, quæ erga illam etiam malam afficiebatur, norma?

Exemplum, quod imitentur ſerui habent, vt quò peiores ſunt domini, ipſi meliores fiant.

Sectio

Sectio IV.

Nimia *credulitas* damnata. 1002

Mulier tunc maximè decipit, cum dolorem simulat.

Quàm inconstans *hominum gratia*, mutabilis humanus fauor.

Facilè *decipitur*, qui præiudicata *opinione* fertur. 1003

Carceri cur traditus *Ioseph* non morti.

Iosepho lenior *carceris* durities, quàm *mulieris* blanditiæ.

Tribulationum perpessio ad munimen est. 1004

Facilè aliјs *compatitur*, qui *patitur* innocens.

His auditis dominus, & nimium credulus verbis coniugis iratus est valde, &c.

1002 NImis credulus exstitit Putiphar, noxæ proxima nimia est credulitas; nimis crudelis fuit quia nimis credulus. Iure nobilis auctor eum pungit, dum ait: Nisi vitiatè CREDVLVS, stolidèque præceps fuisset Putiphar, examinasset vtique factum: Qui enim verò fieri potuit, vt pallium reliquerit? si quidem adeò impudens, & ad audendum proiectus fuit, vt suæ Dominæ vim afferre voluerit, quomodo tam timidus extitit, vt sine pallio profugerit? Nil horum est quæsitum, nil examinatum. Et an non rationis fuisset dicere: Audiamus, obsecro, & ipsum, quid fingat, quid respondeat, num trepidet, an expallear, aut erubescat? Istorum nihil stulta credulitas admisit: abruptè & præcipitanter egit.

Nimis credulus vxoris verbis vir fuit, quæ scilicet lachrymas addiderat, & dolorem fictum, vt facilius virum deciperet. *Sedebat mulier,* inquit Iosephus, MÆRENS, *& perturbata, qui erat dolor ob frustratam libidinem, indignationem tentata libidinis simulans.* Scilicet tunc verè mulier decipit, quum dolorem simulat.

Nimium credulus. Quam inconstans hominum gratia est, quam mutabilis humanus fauor. Propter multam, inquit Seraphinus Porrecta, & frequentem, atque difficillimam totius domus administrationem, ipse Ioseph captarat beneuolentiam patroni sui (ecce quam difficulter,) & tamen hanc ad vnum vnius mulieris dictum etiam falsissimum perdit, & quod amplius est mittitur in carcerem, adde quod patronus nouerat domum suam fuisse benedictam à Deo propter Ioseph, ex hoc enim sequitur quod magis amabat ipsum Ioseph, & tamen amor tantus leuiter extinctus est.

Nimium credulus. Facilè decipitur qui ni-
1003 mis est credulus: Qui bonam de aliquo concepit opinionem, ægrè diuersam de illa admittere solet, castitatis existimatio, vt ait etiam Sanctus Isidorus Pelusiota, quam de vxore vir habebat, fecit vt facile excusationem admitteret, & muliebribus technis crederet. Tantum præiudicij præiudicata de re aliqua sententia, ac opinio affert.

Tradiditque Ioseph in carcerem, vbi vincti regis custodiebantur.

SEd cur non potius morti tradidit, quod exigere criminis grauitas, si verum fuisset, videbatur? An quia non credebat verum, quod fingebat vxor? Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 236. *Ipsum autem ac ollo quidem verbo habito (quod nonnulli reprehendunt) in vincula coniecit, non barbaricum facinus, vt quidam opinantur, perpetrans, nam alioqui ipsum etiam obtruncasset, aut certè huiusmodi crimine necem afferente, legibus tradidisset, verùm vt à verò non alludis, illud fortasse cogitans, eam, ipsius amore ad insaniam vsque correptam, nec ea re, quam captabat, potitam, huiusmodi accusationem instituisse; quod si loquendi potestatem ipsi faceret, eum non modo illatum sibi crimen dissoluturum, verùm etiam in ipsam accusatricem retorturum,* Licet huic sententiæ aduersetur, quod præmittitur: *his auditis, & nimium credulus verbis coniugis iratus est valde;* videtur ergo apud eum Ioseph ab illa opinione excidisse, quem de eius innocentia, ac puritate conceperat.

In carcerem coniectus Ioseph est, vt virtutes, quibus erat insignitus, exerceret, vtque alios solaretur, & tanquam medicus oppressus erigeret, & vtilia illis salutis monita præberet, idcirco non solus in carcere degit, sed aliјs vinctis adiungitur, vt vel hinc virtutis vim, ac dignitatem, quæ in tenebris etiam splendet admiremur. Pulchrè Sanctus Isidorus Pelusiota: *Vide,* inquit, *quomodo virtus imperatoria res est. adiunxit sibi beneuolentiam, præfecit carceris siue commentariensis quæ ipsi commisit imperium in eos, qui ibi inclusi detinebantur, quibus etiam eum quasi quemdam medicum calamitatum suarum missum fuisse diuinitus existimo, quomodo enim alioquin fieri potuisset, vt crudelis atque immitis ille, quique ex alienis calamitatibus quæstum facere solebat, tales enim fere sunt omnes commentarienses carceris curam ei commendaret, qui esset mitissimus atque mansuetissimus, quique nullum ex hoc quæstum sibi compararet, sed id potius ageret, vt dolores eorum qui illuc siue iuste siue iniuste coniecti essent, oratione commoda, & consolatione blanda sanaret, sed conspicua hic fuit diuina gratia, quæ virtutem vbiuis locorum coronare solet.*

In carcerem coniectus Ioseph adeò eum tristitia non corripuit, vt lætaretur, videns se in carcere à liberiore Ægyptiæ mulieris procacitate subductum. Loquentem sic testamen. Patriarch. Iosephum faciunt: *Hilari voce gaudens glorificaui Deum meum, quod per hanc occasionem amouebar ab Aegyptia.* CARCERIS SQVALOR pro delicijs habendus ei, qui extra carcerem voluptatibus obsequitur, & impudicæ mulieris ambitur blanditijs.

In

In carcerem Ioseph conijcitur in quo vin-
1004 cti regis, hoc est qui in regem peccauerunt, læsæ maiestatis rei continebantur, *qui carcer, vt fertur,* inquit Beatus Dionysius, *erat intolerabilior cæteris carceribus*. Sed cur tot aduersis punire innocentem Iosephum Deus voluit? *Respondendum*, inquit idem auctor, *quod ideò, quia volebat eum tempore præordinato sublimare ad maxima, idcircò primò exercitauit eum aduersis, vt in illis & per illa acquireret gratiam ac virtutes, per quas mereretur conseruari à Deo in altis ac prosperis, nè caderet, & periret in illis*. Vt videas tribulationum perpessionem firmum munimen esse, cum quis ad sublimia erigitur.

Et erat ibi clausus.

CVm vinctis erat Ioseph, quos sibi omnibus humanitatis vinculis vinciebat. Qui innocentem carceri se mancipatum sciebat, plures quoque ex illis vinctis à crimine liberos facilè credidit, sicque omnibus compatiebatur: *Proculdubio*, inquit Sanctus Isidorus Pelusiota, *quod ipse iniuste eo esset coniectus* EX SVI EVENTV CONIECTVRAM FACIENS; *etiam de ipsorum casibus, solent enim plerique omnes mortales ex suis rebus, atque eventis de alijs quoque sententiam ferre, idque imprimis fecit ipse qui vbique præclara virtutis specimina dedit, & tanquam aurum in igne exploratus probatusque fuit, suaque æquitatis indicia satis manifesta præbuit*.

CAP. XL. GENESIS
Expenditur, & illustratur.

Sectio I.

Delicata illorum conditio, qui *gulæ* seruiunt. 1005
In Deo *spes* collocanda.
Leuiter *hominum* amittitur *gratia*.
Seriò suorum commodis *superiori* inuigilet. 1006
Ex his, quæ quis patitur, alijs *compatiatur*.
Vincula & *carceres* innocentes euehunt.
Iusti *animus* non facilè *duris* frangitur, nec præteritorum malorum memoria deijcitur. 1007
Facilè *dormientis* menti obijcitur, quod *vigilans* quis seriò cogitat.
Cur prior *pincerna somnium* suum narrauerit. 1008
Totus in ea, quæ Dei *cultum* spectant, ferri Dei *seruus* debet, & sine imperfectionibus.
Purus spiritualis vitæ *feruor* velut *vinum* in cordis calice Deo offerendus.
Adulatio iustis vitanda. 1009
Viri iusti *fortitudo* in *calamitatibus* expenditur.
Hominum *contumelias*, & *irrisiones* ferre quàm salutare.
Iusti cautè à se operis *laudem* excutiunt. 1010
Humana *felicitas somnium*.

Iratusque contra eos Pharao, &c.

COntra duos eunuchos exarsit irà Pharao; nil mirum, *nam aliter*, vt ait Sacer Textus, *pincernis præerat, alter pistoribus*. Cum de gula agitur facilè 1005
irritati solet ille, cui tot ministri famulantur. Non legimus in alios ministros iratum Pharaonem, sed in hos, qui rei cibariæ præerant, *nec mirum*, inquit Vgo, *quia officium habebant, in quo poterant de* FACILE OFFENDERE IPSVM. Delicata est illorum conditio, qui gulæ sectantur delicias, & quodlibet in hac re crimen capitale putatur.

Misit eos in carcerem principis militum, in quo erat vinctus & Ioseph.

DIu mansit in carcere Ioseph. Cur id voluit Deus? *Vt sic disceres*, inquit Sanctus Chrysostomus, *non in homine, sed in* DEO SPEM EVAM COLLOCARE. Poterat id iubere Deus, sed noluit, calamitas, aduersitasque Dei vicaria plerumque altius nostræ memoriæ res figit, quam fieri à nudis verbis soleat.

Referunt Rabbini ob muscam in poculum delapsam carceri traditum. Conijci id potest tantum, non sciri, certius illud, LEVITER HOMINVM GRATIAM AMITTI: & magnos lædi etiam non magnis. Turbantur facilè principes & vel leui occasione non leues inferunt pœnas.

Videruntque ambo somnium nocte vna, &c.

SOmnia quæ interpretatione donentur habet Pharao. Sed mirum somnia ista publicum 1006
regni statum spectabant, quia principis est, vt ille ait, vel de Reipublicæ commodis SOMNIARE. Tanquam vnum cogitet, & seriò secum verset, dum vigilat, vt in somnijs quoque non aliò feratur.

Ad quos cum introisset Ioseph mane, & vidisset eos tristes.

EX his nimirum, quæ ipse passus erat, & patiebatur didicit, alijs compati; & licet omnes vincti, qui in carcere tenebantur in Iosephi custodia

custodia essent, nihil tamen se super illos extulit. Hinc illud Sancti Isidori Pelusiotæ lib. 4. epist. 78. *Neque calumnijs grauatus accusauit, neque in custodiam coniectus; imperio sibi in illos, qui inibi conclusi detinebantur, commisso, superbiuit, & alios conculcauit; sed potius, quantum in se erat, ipsorum onus mœroris alleuauit, procul dubio, quòd ipse iniustè eo coniectus esset,* EX SVIS EVENTIS *coniecturam faciens etiam de ipsorum casibus, solent enim plerique omnes mortales ex suis rebus atque euentis de alijs quoque sententiam ferre.*

Nunquid non Dei est interpretatio?

SI Dei est interpretatio somniorum, cur petit sibi somnia narrari, vt ea interpretetur? An quia, inquit bonus ille auctor, ad Deum pertinet interpretari, ideo ad te, qui Deus sis? equidem sic iuuenem VINCVLA, ET CARCER EVEXERANT, vt posset ad ea quæ Dei sunt, ipse suam opem spondere quasi à vinculis terrenus Deus creatus esset.

1007 Mirum quod somniorum recensione Sancti Patriarchæ animum non fregerit, recolens se somniorum causa eò miseriarum actum. *Non in miserabilem luctum,* inquit Theodoretus, *diuinus ille vir erupit, vbi somniorum mentio facta est,* NEC PROPRIÆ CALAMITATIS MEMOR *plorauit. Sed neque etiam in immensum risit, postquam de somnijs illi dixerunt, quorum mendacium antea manifestè perspexerat. Quin sic ait illis: nonne per Deum horum annunciatio est? & vbique Dei nomen circumfert.* Iusti nimirum animus duris non frangitur, nec præteritorum malorum memoria deijcitur.

Narrauit prior præpositus pincernarum somnium suum, &c.

VIde, vt somnia congrua sint muneri, quod exercebat vterque, vt noueris sæpè obijci dormientis menti, quod vigilans cogitauerat. Perite Elias Cretensis. *Sic pincerna in Pharaonis calice vuam exprimit, sic pistor ille farina canistrum ferre sibi ipsi visus est: Nimirum* IN QVIBVS REBVS PER VIGILIAM VTERQVE STVDIVM POSITVM HABEBAT, *in his etiam in somnis esse vterque existimatur: siquidem consuetorum studiorum simulachra, præscienti, animæ facultati impressa, hoc ei attulerunt, vt ea quæ euentura erant, per eiusmodi mentis imaginationem, tempestiuè diuinaret.* Sic ille in orat. 19. Sancti Gregorij Nazianzeni.

Non casu accidit, quod vitem in somnijs videret, qui pincernarum princeps, & ministrabat, quæ ad vinum, poculaque spectabat. *Quilibet*, inquit Abulensis; *narrauit, prior videbam coram me vitem, cur vitis potius quam aliqua alia arbor inter somniandum obijcitur? nonne princeps pincernarum seu vinariorum erat, cui poculum vini incumbebat Regi præbere? non mirum igitur si potius vitem, quam aliquid aliud somniauerit, somnia enim nobis sæpe eueniunt conformiter ad studia nostra vel officia, quod notauit Basil. imagines quæ nobis in somnio obuersantur, sunt fere resultamenta quædam diuinarum curarum, qualia enim studia in vita nostra sunt, talia etiam necessarium est nostra esse somnia: quilibet somniabat secundum officium suum, scilicet pincerna circa vinum, & pistor circa panem, sic quippe euenire solet mentibus occupatis, vt circa ea, quæ in die tractauerint, nocturna cogitatione laborent.*

Narrauit prior pincerna somnium suum, licet simul vtrumque de suo somnio Ioseph 1008
interrogasset. *Narrauit prior*, sic loquitur Abulensis, *quia iste* HONORABILIOR *erat; alter dedit ei honorem in loquendo.* Cum aulici essent non mirum si etiam ab hac parte aulicos mores seruent. Nisi dicamus honoris deferendi prætextu sibi consulere, & retegendo somnio quî se gereret ex alterius explicatione disceret, nam, vt inquit Oleaster, *bonum erat in alieno capite periculum facere;* & facilè infelicem somnij interpretationem, quod socius videret, audiens suum tacuisset.

Calicemq; Pharaonis in manu mea, &c.

CAlicemq; Pharaonis. Scilicet cū quis aliquod exercet munus, totus in illo esse debet, vt dormiens quoque in illud feratur. O idem ijs accideret, qui Deo seruiunt; vt dormientes cor eorum vigilaret, & ea cogitarent, quæ ad Dei cultum spectant; quod plerisque accidisse scimus.

Tuli ergo vuas, & expressi in calicem quem tenebam, &c.

TVli vuas, & expressi in calicem. Portendere visa vitis vitam pincernæ potuit, quod vuas non seruauit, sed expressit in calicem; quod ijs aptes, qui defectibus reiectis purum spiritualis vitæ feruorem velut vinum Deo cum lætitia offerunt in cordis calice. Pulchrè rem versat Beatus Antoninus, dum ait: *Pincerna in carcere est quilibet nostrum positus in carcere huius mundi propter defectum saltem contracti originalis, hoc est autem signum, vt quis ad curiam reuertatur Regis æterni, vt ei gratus, & propitius sit factus, cum scilicet videt quasi per somnium, quia hic non habetur certitudo saluationis futuræ nisi per signa, cum scilicet quis videt vineam animæ cum tribus potentijs suis, memoria, intellectu, & voluntate, gemmas bonorum propositorum, flores bonorum exemplorum, fructus rectorum operum producere, & in eis proficere; ita quod expressis vinacijs, idest* DEFECTIBVS, ET IMPERFECTIONIBVS, VINVM SPIRITVALIS FERVORIS, *& lætitiæ in calice cordis offerat Deo, propter eum omnia faciendo, per hoc sperare potest, per interpretationem sanctorum, quod eductus de carcere mundi ad curiam Regis æterni reuocabitur cum honore.*

Respondit Ioseph, hæc est interpretatio somnij, &c.

SEcundi quoque somnium interpretatur Ioseph, & licet certa illius mors portende- 1009
retur,

retur, nihil tamen suppressit bonus interpres, contra ac aulici adulatores soleant, qui quæ ad fœlicitatem spectant ijs, à quibus aliquid exspectant commodi facilè enuntiant, infœlicia subticent, ne tristitia illius mentem afficiant, & suis rebus noceant. Duo somnia tàm diuersa interpretatione donanda euenire Deus voluit, vt interpretis sapientia magis appareret. Præclarè Abulensis: *Magis*, inquit, *voluisset Ioseph interpretari somnium, in quo prospera promitterentur, quam istud, quod ita erat durum, multum tamen fuit hoc conueniens ad indicandam sapientiam Ioseph, quia si vtrumque somnium prosperum esset, cum vtrumque quasi simile esset in verbis, non videtur aliquid magnum vtrumq; declarare, sed quia vtrumque erat quasi idem, inter ea tantam adinuenire diuersitatem, vt vnum ad totalem prosperitatem, aliud ad omnimodam miseriam, scilicet ad vltimum terribilium nempe mortem esset, valdè difficile erat.*

In carcere positus Ioseph aliorum somnia interpretatur; mirum hoc munus illum exercuisse, cum sciret se ob somnia, quæ olim ipse viderat in tot calamites incurrisse. Sed qui forti animo omnia ferebat, aliena somnia minimè contempsit. Benè Sanctus Cyrillus in Catena græca Fumani: *Admirabilis, & fidelis Ioseph, non enim ob* SVA IPSIVS SOMNIA *in desperationem lapsus aliena contempsit, sed & interpretatus est, & suscepit.*

Hac est interpretatio somnij. Qui patienter tulit cum à fratribus per irrisionem vocatus somniator est, hic à Deo verus somniorum interpres constituitur, tanti est æquo animo hominum contumelias ferre. Ferus: *Sic quem fratres irrisorie somniatorem nominauerunt, nunc somnia interpretandi gratiam accipit, sic Deus* IRRISIONES MALORVM VERTIT IN BONVM IVSTORVM.

1010 Statim respondet Ioseph, & somnium interpretatur; nihil differt, nec tempus vt rem secum expenderet postulat: *Quærunt ambages*, inquit Oleastee, *qui* SVA PRVDENTIA *volunt interpretari somnia, non sic qui à Deo didicerunt, sed statim explicat.* Consultò hoc quoque Ioseph præstitit, ne sapientiæ suæ res tribueretur, sed Deo. Iusti tàm cautè à se operis laudem excutiunt, quàm cupidè mundi homines venantur.

Benè est quod per somnium pristinæ suæ dignitati restituendum pincernæ significatur, vt etiam ab hac parte SOMNIVM CREDATVR HVMANA FOELICITAS; mundanus honor, & ille præcipuè qui suam in aulis radicem habent.

Sectio II.

Corpus in spiritum exercere *hospitium*, vt debeat. 1011

In *aula* res quisque suas procurat, negligit alienas.

Humano *auxilio fidere*, quàm sit periculosum.

Prosperitas obliuionis mater. 1012

Arena, & sale *aula* campus oppletus nullum gratitudinis reddit fructum.

Vbi *odium* regnat, ratio exulat.

Aliorum *fama* parcendum. 1013

Iniurias inferentibus ignoscendum *Iosephi* exemplo.

Supprimenda, quæ ad *laudem* nostram faciunt.

Malorum auctores non facilè *vulgandi*. 1014

Malæ *mulieris memoria* abolenda.

Nexus *corona*, & *castitatis*.

Tantum memento mei, cum bene tibi fuerit, & facias mecum misericordiam.

QVod Ioseph pincernarum præposito dixit, festiuè corpori aptat Sanctus Bernardus, spiritum alloquenti. *Dic*, inquit, *hospiti tuo: Quia recordabitur Dominus tui, & restituet te in gradum pristinum, & tu memento mei. Omnino enim memor erit tui in bonum, si bene seruieris illi: & cùm peruenerit ad Dominum suum, suggeret ei de te, & loquetur bonum pro bono hospite, dicens: Cùm in vltionem culpa sua exularet seruus tuus, pauper quidem apud quem* HOSPITATVS SVM, *fecit mecum misericordiam, & vtinam retribuat pro me Dominus meus. Primò siquidem omnia sua, dehinc etiam semetipsum exposuit vtilitatibus meis, non parcens sibi propter me, in ieiunijs multis, in laboribus frequenter, in vigilijs supra modum, in fame & siti etiam, in frigore & nuditate.* Sic ille serm. 6. de Aduentu Domini. 1011

Memento mei. Sed vix liberatus à carcere est, & in pristinam principis gratiam restitutus, cum benefactoris sui memoriam omnem sepeliuit. Sed vnde tàm fœda obliuio nata? An ab aulæ natura? In qua, inquit scitus auctor, pincernæ, siue vini præpositi, hoc est aulæ rebus ita occupati, ac si nulla ipsis mens, nullus sensus, nisi ad RES SVAS PROCVRANDAS sit.

Quòd homini se Ioseph commendauerit, Deo non placuit, qui tàm solicitam de eo habebat curam. Sunt qui putent idcirco hac pœna punitum, vt duobus integris annis carceris squalorem sentiret, quod ei se commendauerit, quem liberandum nouerat à carcere. S. Augustinus serm. 82. de tempore ita scribit: *Cum in omnibus Dei gratiam meruisset (Ioseph) surreptum est illi, vt* AB HOMINE AVXILIVM PETERET. *Pro qua re additi sunt duo anni, quibus adhuc teneretur in carcere, tanquam diceret ei Deus, ego tibi ostendo, vt magis à me, quàm ab homine debeas auxilium postulare.*

Memento mei. Falleris Ioseph, prosperitas 1012
obliuionis est mater, nouerca afflictio est. Benè ille: Iosephus summis precibus pincernam adijt: memento mei, cùm benè tibi fuerit. Benè illi fuit, optimè fuit, & tamen interpretis sui non meminit. Si regius pincerna in carcere

mansisset, MEMORIAM FOELICIVM EXERCVISSET. Inter prospera obrepsit obliuio præteritæ afflictionis. Prosperitas obliuionis, & socordię parens.

Tantum memento mei. Frustra es, Ioseph, auli cum alloqueris, quorum est aliorum obliuisci, sui tantum meminisse, aulę rebus occupati toti suis commodis incumbunt, aliorum obliti, arena, & falsè aulę campus oppletus est, ob beneficiorum semina excepta, nullum nouit gratitudinis reddere fructum.

Vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere.

VT *suggerat Pharaoni*. Mirum quod causam suam ante Pharaonem tractare desiderat, qui coram fratribus obmutescit. Fratres, inquit Syluerira, habebant eum exosum, oderant eum nimis. At verò in Ægypto detinebatur in vinculis ex impulsu rationis ob falsum crimen impositum. Tacet ergo vbi odium totum peragebat, semper enim præualet, & omnem rationis vim suffocat. At verò vbi ratio regnabat, & culpa fictitia ab impudica muliere obijciebatur, pro causa sua stare vult, & totum crimen iûris pondere infringere satagit.

Quia furto sublatus sum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum missus sum.

1013 NVlla hic fratrum, qui in Iosephum sæuierant, mentio, nulla impudicæ mulieris, quæ eò in iuuenem crudelior extiterat, quò prima facie blandior. Rem optimè vrget Sanctus Chrysostomus hom. 63. in Genesim: *Fratrum quidem causam occultauit, dicens: furto abductus sum ex terra hebræorum: quæ autem Aegyptia illa fecerat non profert in medium, neq; iniustam Domini sui, erga se indignationem. Sed quid dicit? hic feci nihil, & immiserunt me in carcerem hunc; hæc audientes discamus, si in talia inciderimus, vt caueamus conuicijs illos, qui nos insecerunt, incessere, & ad accusationem illorum linguam acuere: sed solum demonstremus in mansuetudine, & lenitate nos innoxios, & imitemur illum admirabilem, quia neque in calamitate existens voluit, vel verbis petulantiam, & libidinem* AEGYPTIÆ INVVLGARE. Famæ illius parcit, quæ pudico iuueni parcere noluerat.

Iosephi porrò exemplo ijs ignoscendum, qui iniurias nobis intulerit, idem Sanctus Doctor docet hom. 5. in epist. 2. ad Corinthios: *Ioseph licet venditus, ac seruus effectus, atque in vincula coniectus, ne sic quidem tamen acerbum aduersus eos, à quibus læsus fuerat, verbum emisit. Sed quid ait? Furtim sublatus sum de terra Hebræorum: nec addit à quo. Pudet enim eum malorum fratrum, magis quam eos ipsos, qui hæc perpetrauerant. Eodem modo nos quoq; affici conuenit, vt pro ijs,* QVI NOBIS INIVRIAM INFERVNT, *vehementius angamur, quam illi ipsimet. Detrimentum enim ad illos redundat. Quemadmodum enim, qui clauos calcibus impetunt, eoque nomine gloriantur, huiusmodi furoris ergò commiseratione, ac lachrymis digni sunt: eodem modo qui eos lædunt, à quibus nihil iniuriæ acceperunt, multis lamentis, ac fletibus potius, quam execrationibus digni sunt, vt qui suas ipsimet animas feriant.*

Nihil de visionibus suis dixit, tantum adiecit, furtim se sublatum, inque carcerem coniectum; scilicet vt humilitatem custodiret, ea suppressit, quæ ad eius laudem faciebant. Conueniens est, inquit peritus ille auctor, vt in exordijs diuinæ reticeantur reuelationes, sicut Ioseph fecit, qui cum pincernam Regis Pharaonis alloqueretur in carcere, vt cum Rege de ipsius libertate tractaret, id solum dixit, quod furtim sublatus esset, & innocens in lacum missus, reticens secreta omnia, quæ quoq; modo eius possent SANCTITATEM COMMENDARE. Somnia stellarum, & manipulorum, quod à patre plus cæteris fratribus diligeretur, non suam castitatem prodit, omnes Dei fauores siluit, retulit autem ea tantum, quæ illius animum possent monere, vt iuuaret eum apud Regem.

Non explicat iniuriæ huius auctores, nullius 1014 traducit nomen: *Audit*, inquit hic Oleaster, *iusti prudentiam, & charitatem, vt neminem velit damnari,* NEQVE NOMINAT AVCTORES *malorum suorum; sed solius innocentiæ suæ memor est.*

Cur blandiciarum non meminit, quæ ab impudica muliere fuêre, hæc quippè vera, & propior causa carceris, & vinculorum? Cauit ne adultera, à qua se subduxerat, MEMORIÆ HÆRERET; vinculis ipsis magis nocentiorem malæ mulieris putabat memoriam.

Quia furto sublatus sum. Cur non iubet suggeri Pharaoni, quod viderit se à fratribus adorandum, quod somniorum abstrusa in lucem eduxerit? An ne coronam castitati debitam sibi ipse tribueret? *Erubuit Ioseph*, inquit Sanctus Isidorus Pelusiota, *ea commemorare, quæ sibi acciderunt, ne* CORONAM CASTITATI *debitam sibi ipsi imponere videatur.*

Sectio III.

Videns

Videns pistorum magister, quòd prudenter somnium dissoluisset, ait.

1015 Quod prudenter somnium dissoluisset. Cur prudentiam Iosephi in somnio interpretando esset, cum nullum adhuc veritatis appareret indicium? In aulicorum ingenium hoc aliqui referunt, qui ea laudant, quæ ipsis maximè placent. Aulico, inquit peritus auctor, prudens visus fuit, quòd rem in bonum omen accepetit, lætaque de gratia Pharaonis, & gradu pristino recuperando, qualia ipse sibi volebat, & sperabat, annuociauerit. Vndè cum pro lætis lethalia denunciauit, nullam ab ipso prudentiæ Iosephi mentionem factam constat.

Et ego vidi somnium, quod tria canistra farinæ haberem super caput meum.

Ego vidi somnium. Vide hinc quam vtilis bonorum societas sit, Iosephi merito vterque somnium vidit. *Viderunt ambo somnium.* inquit Lotichius, *vtique Iosephi merito, tanti* EST BONIS CONVERSARI, *videbant somnia, vt Ioseph, qui in carcere erat, glorificaretur.*

Malum pistori omen, quod canistra super caput habere sibi visus fuerit. Pistor iste, inquit Philippus Greue serm. 121. significat doctores omnes, maximæ Sacræ Scripturæ, qui arte pistoria faciunt cibos regios; Ipsi enim panifices Domini sunt, sed super caput portant, & non in manibus: QVIA NON FACIVNT QVOD DICVNT: sed de his gloriam quærunt, & hoc est portare super caput, idest ad ostentationem. Sicut & de Pharisæis legitur, qui portabant in fronte phylacteria, in quibus erant præcepta legis scripta, vt apparerent.

Et in vno canistro, quod erat excelsius portare me omnes cibos, &c.

1016 Quæ fiunt arte pistoria. Quid cibi ad pistorem, cuius sit coquere tantum panes? An pistorum olim erat cibos parare, non secus ac coquorum! Festus Pompeius lib. 3. COCVM, & PISTOREM, *apud antiquos eundem fuisse accepimus*; citatq; pro hac re Næuium antiquum poetam. Et Alexander ab Alexandro lib. 3. cap. 11. *Fuitque vetus mos, vt ijdem essent* COCI, & PISTORES.

Alterum suspendit in patibulo, vt coniectoris veritas probaretur.

Alterum suspendit patibulo. Sed cur huic tei significandæ somnia Deus duobus regis ministris immisit? vt Iosephi saluti consuleretur, & honori, sicque pateret etiam aliena, & quæ putantur aduersa, bonis prodesse. *Ista duo somnia*, inquit Abulensis, *istis duobus Regis Eunuchis, ideo a Deo immissa fuerunt somniantibus, vt solum Ioseph interpretaretur ea, & sic magnum haberet honorem apud Pharaonem.*

Et tamen succedentibus prosperis, præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui.

Permisit Deus, vt pincerna Iosephi obliuisceretur, nimirum vt suam liberationem non hominibus deberet, sed soli Deo, illique se tantum deuinctum fateretur, & gratias ei ageret. Si pincerna Pharaonis, inquit ille, præstitam fidem Ioseph persoluisset, quodque ei promisetat, fecisset, sicut ipse Ioseph ab eo postulauit dicens: Memento mei, cum tibi benefuerit, ille autem, vt ibidem dicitur, succedentibus prosperis præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui, si (inquam) pincerna promissis stetisset, pincernæ quidem Ioseph deuinctus maneret, vt autem vniuersus mundus cognoscat Deum nolle, vt Ioseph hoc est iustus hominibus deuinctus sit, sed vni Creatori suo totas GRATIARVM REFERAT ACTIONES, permittit, vt omnes illius obliuiscantur, & tunc diuina ipsius Maiestas opem, & auxilium fert.

Permisit Deus, vt præpositus pincetnarum Iosephi obliuisceretur, qui se illi commendauerat, dixeratque vt sui apud Pharaonem meminisset, nimirum ne fœlicitas, & gloria, docti auctoris sunt verba, quæ Iosephum consequuta est, IPSIVS INDVSTRIÆ, aut viribus adscriberetur humanis. 1017

Benè est ab eius, quem beneficia sibi obstrinxerat, memoria Iosephum excidisse, vt Deo è carcere liberatio tribueretur, non hominibus, hincque quisque disceret aulicorum sola vanitate grauidis promissis non facilè credere. Denique si hominis auctoritate liberatus fuisset Iosephus, *non tam perspicua*, inquit auctor ab aureo ore, *fuisset alijs eius* VIRTVS.

Oblitus fuit interpretis sui pincerna; facilè inter fœlicitates terrenas miserorum obliuio obrepit. Hoc quoq; mali secum prosperitas fert, quod benefactores obliuionis sepulchro condit. In carcere si mansisset Pincerna, in illo diutius Iosephi mansisset memoria; extra carcerem vocatus in ingratitudinis se baratrum coniecit. 1018

Oblitus est interpretis sui. Nos peiores, qui in prosperitate Dei, à quo sunt omnia, quæ habemus bona, obliuiscimur; vt cadunt hic optimè, quæ offert B. Thomas à Villanoua in Domin. 4. aduentus, vbi ait: Et quidem si boni essemus ad eum modum BENEFICIIS ACCEPTIS resipisceremus: sed quia mali sumus, & peruersi, oppositum euenit: nam beneficijs, & donis deteriores fimus, & amplius insolescimus, sicut vilia mancipia, & succedentibus prosperis, obliuiscimur donatoris, & superbimus. Nec sola obliuione peccamus, sed Dei beneficijs plerumque vtimur contra Deum.

CAP. XLI. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio I.

Post duos annos vidit Pharao somnium.

1019 CVr futuram famem Pharaoni potius in visu Deus ostendit, quam alteri? Vt regis officio fungeretur, qui erat Rex, suisque prouideret, ne deficerent. *Mirandum*, inquit hîc Oleaster, *valde est, quod tanto tempore antequam veniret fames Deus regi eum reuelarit, & quod solus ipse de ea somniaret, & praeuiderit. Ostendit enim Dominus futuram famem, regi potius quam alijs, quoniam eorum est prouidere quae suis necessaria sunt, vt etiam doceat* PRINCIPES PRAEVIDERE NECESSITATES, ANTEQVAM SINT, *& prouidere, & succurrere eis. Debent enim sic publicis rebus inuigilare: vt ex curis multis quas in die habent: nocte somnient quae curanda sunt in republica. Non enim solent homines somniare: nisi quae animo saepius reuoluunt. Vnde signum euidens est Pharaonem frequentissimè de prouidendis necessitatibus suorum cogitasse in vigilia, quod de eis noctu somniarit.* Futuram famem Pharao vidit, & cur non alij infra ipsum? Regi & non alij, inquit ille auctor, FAMEM ostendit, quia maiorum est praeuidere, quae suis necessaria sunt.

Quam facilè efferre suos Deus potest somnium Regi immittit, & somnio vtitur, vt Iosephum è carcere educat, & ad culmen euehat, nihil est quod ad iustorum gloriam non faciat, si Deus velit, somnia Dei seruos ad gloriae CVLMEN ferunt, ijs qui Dei serui non sunt, culmina ipsa sunt SOMNIA.

Putabat se stare super fluuium, de quo ascendebant septem boues pulchrae & crassae nimis, &c.

PHaraonis somnium hoc verè solidèque docet in mundo omnia fluxa, & licet à felicioribus hîc inchoetur, infelicem tamen exitum mundanam habere prosperitatem: Benè Origenes in Catena Graeca Fumani: *Qui* FLVXIS *rebus,* INSTABILIBVSQVE *fretus erat, putabat se stare super flumine, ex quo ea quae videbantur felicia ascendebant, quemadmodum, & boues eius crassae sunt, verum penitus hae à deterioribus deuorantur. Caeterum res Aegyptiae, hoc est, quae ad suum mundum spectantes à melioribus incipiunt: quarum signum abundantia: acerbiorem exitum sortiuntur, quod quidem omne, & abundantia, & fames figuratè exprimunt, tale quiddam etiam in narratione quae de diuite habetur, intueri licet: qui veluti septem annis abundantiae perceperit bona in vita sua, dum purpura induitur splendidè, dicitur autem ad illum de contrario, dum percipit mala, post quae ex hac vita discessit: talia item contemplari poteris in ijs, qui latam, & spatiosam viam ingrediuntur, quorum finis interitus, quibus autem initium, angustiae, & afflictiones, ijs vita est finis, quapropter vae illic qui saturati sunt, quoniam esurient, & ridentibus quoniam lugebunt, & beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

Septem boues. Cur boues adhibet fertilitati significandae pingues, sterilitati macras? cur 1020
non potius terra ipsa vel squalens, vel vernans non est in somnis oblata, aut aëris mala bonaue temperies? An quia fertilitas à terrae cultura est, quae bobus fit, & culturae defectu praecipuè solet oriri? Rem ad animam transfero, in qua plurimi refert an bene excolatur, vel secus.

Tunc demum reminiscens pincernorum magister ait, confiteor peccatum meum.

ET cur tanta, tamque diuturna obliuione interpretis sui beneficium sepeliuit? An ne Iosephi interpretationem coram Pharaone recensens, culpae suae memoriam refricaret, quod non tutum, ex AVLAE NORMA putauit.

Protinus id regis imperium eductum de carcere Ioseph totonderunt, ac veste mutata obtulerunt, &c.

AC *veste mutata.* Sordida veste posita meliore induitur, vt ante Pharaonem sisteretur; *Quia in sordido; & vili habitu,* inquit Lira-

Liranus, *non erat licitum* AVLAM REGIAM *introire*. Quid hic illi, qui sordidis moribus, maculis ab omni parte infectis non terreni regis aulam subeunt, sed Dei veri templum?

1021 *Veste mutata*. Scilicet in aulis potius vestium, externique habitus habetur ratio, quàm morum: *In sordido, & vili habitu*, inquit Liranus, *non erat licitum aulam regiam introire, & confirmatur ex Mardochæo, qui indutus sacco, & aspersus cinere in media ciuitate clamabat, & hoc eiulatu vsque ad fores palatij gradiebatur, sed ibi sistebat nec introibat, non enim inquit textus erat licitum indutum* SACCO AVLAM REGIS INTRARE. Saccum elliminari ab aula audis, non impuræ vitæ vilitatem; hac insania plerique laborant, vt animæ neglecto cultu, toti in externo sint.

Propter somnia enucleata effertur Ioseph. A somnijs initium eius depressio habuit, habet & exaltatio. Benè Ioannes Ierosolymitanus: *Ac vide*, inquit, *mysterium. Propter* SOMNIVM *venditus est; propter somnium est libertate donatus*. Etiam ijsdèm rebus ad contraria vti Deus potest, vt videas nihil esse, quod Deo non seruiat.

Quæ audiui te sapientissimè conijcere.

EFfert Iosephum Pharao, & laudibus extollit, quia nimirum eius opera indigebat, non id facilè facturus nisi indigeret: Hic magnorum mos, tantisper aliquos laudare, donec ab illis elicuerint, quod cupiebant.

1022 Cur non potius Regi ipsi suorum somniorum interpretationem Deus edisseruit? An vt magni scirent se ita esse super alios, vt aliorum quoque indigeant opera, & prudentum consiliariorum officio? *Mirum valde est*, ait Oleaster, *quòd viderit Pharao somnium neque sciuerit, quod significaret, quod videret, sed interprete opus fuit, vt discant* REGES SE EGERE CONSILIIS *sapientum, & peritorum*.

Narrauit ergo Pharao quod viderat, &c.

MIrum quod singulæ somnij partes Pharaonis memoriæ tàm firmiter hæserint, cum apud Danielem legamus à Nabucdonosoris mente somnium, quod nocte viderat excidisse? An id factum, quia hîc de rebus temporalibus agebatur, ibi de regno Dei, nam vt ait Rupertus: *Somnium Nabucdonosor præsagium fuit æterni regni Dei*. Nimirum cito obliuioni traduntur, quæ ad Dei regnum spectant, cum temporalia fixa menti hæreant. Cur à Nabucdonosor, inquit nuperus auctor, tàm citò elabitur somnium, quod sine dubio à Deo immissum fuerat? cur illius omnino immemor, in Pharaone somnij memoria perseuerante? nonne Nabuchodonosoris somnium erat de regno Dei, quod omnia alia regna contriturum erat de Christo Domino, cuius imperium super omnes gentes futurum erat, Pharaonis vero somnium de temporali regni sui prosperitate, de omnium fertilitate per plurimos annos? quid mirum igitur si Nabuchodonosor omnino sui somnij immemor, Pharao autem suum tenaciter retinet, & expergefactus narrat? in mente enim peccatorum terrenæ opimitatis copia, alta mente manet reposta, COELESTIVM AVTEM MEMORIA FACILE ELABITVR.

Et ecce has sequebantur aliæ septem boues; &c.

PRiores apparent pulchræ, posteriores macilentæ: Sępè id etiam in moribus accidit, vt plerique benè incipiant, finiant malè. *Pingues vidit prius*, inquit Richardus, *macilentas posterius, mallem prius tenues, & postmodum pingues, omnis laus in fine canitur, sed est multo facilius atque feruentius feruidam tepescere charitatem, quam tepidam incalescere atque incandescere, quam multos videamus initio suæ conuersionis, spiritu feruentes spe gaudentes*, POSTMODVM PAVLATIM TEPESCERE, *donec omninò deficiant, & ad similitudinem vaccarum de fortibus inualidæ, & de pinguibus fiunt macilentæ*.

Respondit Ioseph somnium Regis vnum est.

CVr hæc potius somnia quæ ad vitæ sustentationem pertinebant, Deus immisit Pharaoni, quàm alia? An vt maiorem apud Pharaonem, Ægyptiosque gratiam interpres Ioseph iniret? Audiendus Abulensis, qui ait: 1023
Magis talia somnia immissit quam alia, quia nullum somnium erat, per cuius interpretationem MAGIS GRATVS PHARAONI, *& toti populo esse poterat, quam per istud; cum sic declararetur modus, per quem conseruari potuissent, & nisi istud fuisset oportebat eos funditus perire, vel sedes Aegyptiacas relinquere, alias inquirentes regiones*. Scilicet Reges tunc suis grati, quum eorum necessitates subleuant.

Quod Pharaoni dixit Ioseph, in quemlibet quadrant, ex cuiuslibet operibus conijci facilè potest, qualem quisque collecturus messem sit: Hinc illud boni auctoris: Vis vt tibi quamuis non sim Propheta sicut Ioseph futura prænunciem. Prænuntiabo sanè, nam sicut quæ futura sunt Deus ostendit Pharaoni, ita etiam ostendit tibi. Expone tu mihi somnia tua. Quid nam in te ipso vides? quas spicas? quas vaccas arantes, & colentes terram? quænam opera. Quænam vaccæ operum pœnitentiæ arantium carnem tuam? quænam spicæ operum misericordiæ? Si vaccas macilentas, ieiunia infirma grandi condimentorum multitudine acta pœnitentiæ opera cum paruo cordis dolore, vigilias exiles, disciplinas nullas præferas: si spicas vredine absumptas, eleemosynas inquam, exiles, & viles, amorem fraternitatis exiguum, orationem tepidam, confessionem indeuotam exhibeas: certè prædico tibi futuræ messis sterilitatem, parua recipies, & parua tibi trader, qui tantum, quæ apud eum deposuisti reddet: si autem pœnitentiam validam, fortia ieiunia,

vigilias continuas, eleemosynas grandes videris, tibi grandem abundantemque messem promitto; pater enim tuus, quæ apud eum deposuisti, non minorata, aut consumpta, sed multiplicata; & aucta tibi reddet.

Quæ facturus est Deus ostendit Pharaoni, &c.

OStendit Pharaoni. Cur non potius dixit, *ostendit tibi?* Vt innueret; etiam per malos principes alijs benefacere Deum, dignitatisque potius se rationem habere, quàm personarum. Pharao iste, inquit Porrecta hic, erat paganus; & tamen quia erat in regimine aliorum positus: ideò illi Deus, non eius inferioribus, ostendit pertinentia ad regimen. Vndè non dicit Ioseph; Quæ facturus est Deus ostendit tibi: sed ipsemet loquens dicit in tertia persona; ostendit Pharaoni; quod est nomen dignitatis, quasi diceret. Hanc reuelationem ostendit tibi Deus, non quia es tu: sed quia es Pharao. Tu enim cùm paganismum fouet meretur obtenebrari; non de futuris illuminari: Pharao autem, cum regimen importet, meretur (saltem de congruo: & ad vtilitatem saltem regendorum subditorum) de venturis edoceti.

Sectio II.

Facilè probant *aulici* quod *rex* commendat. 1024

Sui obliuiscatur, *commodi*, qui *consilium* alijs offert.

Ad rectam *reipublica* gubernationem viri requiruntur, qui Dei *spiritu* sint pleni.

Iure alijs *imperat*, qui ad *castitatis* euectus est regnum. 1025

Inuidia innocentem euehit, inuidos torquet.

Tribulationis annulus diuini amoris signum.

Honoris, & *vinculorum* nexus, gloriæ, & pœnæ. 1026

Superior præsentiam suam suis non neget.

Superioris est omnium rerum *curam* habere, etiam viliorum.

Iustus crescit cum in se decrescit. 1027

Hominum *beneficia* Deo tribuenda.

In *agrorum fertilitate* nemo confidat.

Suorum *iniuriam* quanti *Deus* faciat. 1028

Reges suorum potius parentes quàm domini.

Qui *regni* à se *curas* reijcit, vix regis titulum meretur.

Placuit Pharaoni consilium, & cunctis ministris eius, &c.

MIrum quod aulicorum nullus Iose-
phi consilio contradixerit, nullus 1024
irriserit, sinistrè nullus acceperit.
An facilè probant aulici, quod Rex commendat, cuius motum, nutumque sequuntur? Paulo aliter nuperus, sed doctus auctor rem discutit, & edisserit: Mirum, inquit, bis mirum, ter mirum, IOSEPHI CONSILIVM IN AVLA PHARAONIS tam fuisse beneuolè auditum, vt nemo dictis obtrectauerit. Placuit Pharaoni consilium, & cunctis ministris eius. Non solum rex ipse nihil à Iosepho dictorum impugnauit, aut in sensus dubios traxit, sed nec eorum vllus, qui regi à consilijs fuerunt. Alij plerumque sunt aulæ mores: si quis ignotior prorepat, etsi Thales sit, & sanissima consilia suggerat, plurimos tamen sentiet, qui aduersentur, qui carpant, qui refellant, qui sua ingerant. Mirum igitur, bis mirum, in Pharaonis aula neminem repertum qui diceret: Vnde Hebræo huic iuueni hæc scientia, & præsagitio futurorum? Nimirum Dij cum illo vno sunt locuti. Albæ mentis homines sumus, si somniorum coniectori credimus. Tanta rerum moles à conjecturis ruinosum ducit principium. Tanta impendia firmioribus necesse est nitantur fundamentis. Hæc talia in Iosephi consilia obijcere, in aula pronissimum fuisset. Verum conticuere omnes, intentique ora tenebant. Nemo fuit qui Iosephi consilium non probaret. Aperta & simplex veritas fauorem sibi omnium conciliabat. Deinde, altior hic quædam vis digitus Dei, animos omnium trahebat in assensum. Nemo contra mutijt. Nimirum Deus suo famulo eam aspirauit gratiam, vt ei omnes tanquam verissima vaticinanti crediderint.

Salubre obtulit consilium Ioseph, vt tamen sui obliuisceretur, rerumque suarum, nullo affectu deturpatum consilium exhiberet. Nihil priuatarum rerum, inquit ille, sine affectu malo CONSILIVM Iosephi fuit. Nihil priuatarum rerum miscuit; non fratres suos, non horum vnum accusauit, contra quem iure multa potuisset dicere in suæ innocentiæ patrocinium. His omnibus omissis, quod ad rem erat, in medium consuluit. Cedant publicis priuata. Personam agis publicam? exue igitur priuatam. Ingrederis curiam? Ad curiæ limen priuatos, aut prauos affectus relinque. Senator medium se gerat, & neutram in partem inclinet, pro sola stet æquitate. Malus Senator est, quisquis partium est; animi hominum partibus infecti male consulunt.

Num inuenire poterimus talem virum, qui Spiritu Dei plenus sit, &c.

QVi Spiritu Dei plenus sit. Vel gentilis homo huc enasit, vt crederet ad rectam reipublicæ gubernationem viros requiri, qui Dei

Dei ſpiritu ſint pleni. Rem benè verſat bonus ille auctor, dum ait: Ponderandum eſt, quod rex ille, cum alias Gentilis eſſet, & idololatra, cognouit tamen ad optimam reipublicæ gubernationem ſpiritum Dei opus eſſe. Vnde ſtatim Ioſepho dixit. Quia oſtendit tibi Deus omnia, quæ locutus es, nunquid ſapientiorem, & conſimilem tui inuenire potero? Tu eris ſuper domum meam, & non ſolum domus ſuæ illum præfecit, vt illam regeret, verum etiam vt doctor, & magiſter eius eſſet, ſicut Sanctus Dauid affirmat dicens. Conſtituit eum Dominum domus ſuæ, vt erudiret principes eius, ſicut ſemetipſum, & ſenes eius prudentiam doceret. Hoc Deus intendebat, vt per miniſterium Ioſeph cognitionem ſuæ celſitudinis Ægyptij deuenirent. Si ergo ad illa terrena miniſteria cognouit ille Gentilis, neceſſarium eſſe miniſtrum Spiritum Dei plenum, quanto magis ad miniſterium ſpirituale, & diuinum?

Et ad tui oris imperium cunctus populus obediet, &c.

1025 A*D tui oris imperium cunctus populus obediet.* Iure alijs imperat, qui ad pudoris, & caſtitatis regnum euectus fuerat. Scitè Sanctus Zeno: *Pudicitia ſplendore veſtitus poſt calumnioſam damnationem, & liberatus à Deo eſt, & honoratus. Denique Rex iure ſecundus factus eſt regni, qui inſignis* REX ERAT ANTE PVDORIS.

Inuidia innocentem euehit, inuidos torquet. Exemplo Ioſephi id nobilis auctor firmat: Inuidia, inquit, in altum euehit, & cœlo attollit innocentem, nec vnquam plus vlli incommodat, quam Deus permittat. Quid opus teſtibus? Nunquam Ioſeph ad ſublimiſſimam Proregis dignitatem aſcendere potuiſſet, niſi eum fraterna inuidia ad illud culmen extuliſſet. Homini homo inuidet; Deus dirigit, & promouet inſontem. Ita mali bonis felicitatem ſtruunt: Arbor honori ſibi ducat, & laudi, ſi fructus illius vellant & vermes: hoc genus prædonum fructibus delicatioribus inſidiatur: ſic inuidia plurimis eſt teſtimonium virtutis, ſignum innocentiæ, argumentum laudis.

Tulitque annulum de manu ſua, & dedit eum in manu eius.

ANnulum legimus dediſſe Ioſepho Pharaonem; nunquid vinci ſe ab homine gentili, & exlege in ſuorum cultu ſinet Deus? Tulit Pharao, boni auctoris ſunt verba, annulum de manu ſua, & dedit eum in manu Ioſeph, prius eidem dederat Deus ANNVLVM TRIBVLATIONVM, perſecutionum, carceris, hoc annulo deſponſata eius anima Deo fuit. Atque adeo ſponſum Deum reijcit, qui annulum ab eo exhibitum in ſignum deſponſationis reſpuit.

Et collo torquem auream circumpoſuit.

1026 AVrea quoque torque ornatur Ioſeph, vt ſciret, leui brachio dum de honoribus terrenis agitur in vincula verti poſſe, quæ fuerant ornamenta, & ad pœnam ſæpè eſſe, quæ ad ornatum offeruntur. Præclarè Philo: *Cæterum torques aurea non ad* GLORIAM *ſolam, ſed ad* POENAM *pertinere videtur. Quandiu enim ei res ciuiles bene procedunt, placet ſibi honoratus à Ciuibus. Cum autem aduerſitas accidit, iniecta manu in torquem trahitur, tantùm non increpante Domino: Hanc torquem donaui tibi ornamentum in proſperitate, vinculum in aduerſitate.*

Egreſſus eſt itaque Ioſeph ad terram Aegypti, &c.

VIx in culmine conſtituitur Ioſeph, cum foras prodit. A ſe, qui præſidet, abit, qui non egreditur, vt ſuæ curæ commiſſos videat. Oleaſter hic: *Egreſſus eſt Ioſeph. Debent gubernatores* VISITARE, *& videre ſuis oculis, quæ ſibi commiſſa ſunt.* Superior vix eſt, quòd dicitur, ſi præſentiam ſuam ſuis neget, & ſe intra parietes concludat.

In manipulos redacta ſegetes congregatæ ſunt in horrea Aegypti, &c.

MIra hic elucet Ioſephi ſolertia frumentum condentis non à paleis purgatum, ſed cum ariſtis, paleiſque, vt iumentis quoque conſuleretur. Ioſephum ſic loquentem facit Philo: *Eas fruges cenſeo, cum ſint manipulis condendas, nec trituratas, nec purgatas, vt & iumentis condatur pabulum.* Vera hæc prouidi heri conſignatio omnium curam habere, etiam viliorum.

Creſcere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.

PVlchrè ad hæc verba Beatus Antonius de
Padua in ſua expoſitione myſtica: *Iuſtus* 1027
CRESCIT, *cum in ſe* DECRESCIT, *tunc enim in illo creſcit Deus; Paupertatis, inquit, non adulationis.*

Creſcere me fecit Deus. Totum Deo tribuit, nihil regi, vt hominum quoque beneficia, quæ inſpirante Deo ab illis quis accipit, diſcat Deo accepta referre: *Quia non fuit*, inquit Abulenſis, *acquiſita iſta dominatio induſtria, vel labore humano, ſed ſola gratia Dei, qui dedit ei gratiam interpretandi ſomnia, & prudentiam res diſponendi, &* MOVIT VOLVNTATEM, *vt eum exaltaret.* Scilicet tunc maximè Dei tanquam benefactoris memores eſſe debemus in gratitudinis ſignum, cum nos homines onerant beneficijs.

Cœperunt venire ſeptem anni inopiæ, quos prædixerat Ioſeph, &c.

STeriles facti ſunt agri alioquin fœcundi, ne in agrorum fertilitate aliquis confideret, & humana induſtria. *Licet in Aegypto*, verba ſunt Oleaſtri ad hunc locum, *rara ſit fames, & magna frumenti copia, audis tamen hic famem ad ſeptennium paſſam, quia niſi Dominus ſuam dederit*

AGRIS

AGRIS BENEDICTIONEM, *nihil valet humana industria.*

1028 Et quò hæc orbi immissa fames spectabat? An vt iniuriam vni Iosepho illatam vindicaret? *In vnius pueri vindicta*, ait auctor operis imperfecti, *totus* MVNDVS FAME FLAGELLATVS EST. Tanti suorum iniuriam Deus facit.

Qua esuriente clamauit populus ad Pharaonem alimenta petens.

ALimenta à Rege populi postulant, vt noscerent reges sui esse muneris, suis necessaria prouidere. Opportunè rem vrget Oleaster, dum ait: *Mirum valde est, quod ad regem, vt panem præberet, irent: vt hinc Reges discant non esse* TAM DOMINI, QVAM PARENTES OMNIVM *suorum.* & *curent temporalia etiam suis administrare, & vereantur Christiani Reges hæc negligere, videntes hæc gentilem curasse. Vnde apud Isaiam cap. 3. legis. Indumentum tibi est, princeps eris nobis. Et iurabit in die illa. Non ero Dominus, & in manu mea non est panis. Noluit ille esse princeps, quia non habebat ad dandum, vt eos ostendat non debere reges esse: qui nihil dant.*

Ite ad Ioseph. Pharaonem sic loquentem facit Sanctus Chrysostomus: *Ite ad Ioseph: Quasi diceret Pharao. Quid me vrgetis? Non videtis, quod ego tantum regis habitum gesto?* Scilicet qui regni à se curas reijcit, & alteri imponit regis, habitum gestat, verè Rex non est.



CAP. XLII. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio I.

Dei *voluntate* sinunt se sancti regi. 1029
Sua iusti non *iactant*.
Dolore corripi suos sinit *Deus* ad maius meritum.
Aspicere pro negligere. 1030
Qui *timenda* non timet, veris cruciatur malis.
Decem *filios* in Ægyptum cur *Iacob* miserit, cum pauciores sufficerent.
Optima magistra *fames*. 1031
Nihil adeo sublime, quò aspirare non possit, qui *dura patitur*.
Æquo animo ferendæ *iniuria*, & obliuioni tradendæ.
Notati, qui in alijs *imbecilliora* notant. 1032
Alios ad *malum inhortari* malitiæ fastigium.

Audiens autem Iacob, quod alimenta venderentur in Aegypto, &c.

1029 MIrum, quod numquam nuntium ad Patrem miserit Ioseph, quo ei significaret, se viuere, ac benè habere. An in hoc quoque Dei voluntatem exspectabat? *Vt plenius aduertas*, inquit Thomas Anglicus, *Ioseph inquit, & in his & in alijs diuinitus esse motum, nota inter cætera, valde esse mirabile in illis viginti tribus annis, in quibus Aegypto fuit, inscio patre nunquam per litteras, vel per nuntios aliquid de se patri significasse, etiam postquam per nouem annos fuerat à Pharaone sublimatus super totam terram Aegypti, cum tamen non ignoraret, quanto in mœrore pater eius propter ipsum versaretur, ex quo patet expectasse Ioseph tempus ordinatum à Deo, quo reuelaturus erat seipsum, nam per spiritum prophetiæ sciebat se missum esse illuc pro salute suorum.*

Sed cur Ioseph nuntios ad parentem non misit, qui eum de filij gloria certiorem facerent, sicque à tristitia, qua corripiebatur, erigeretur? Ne, inquit ille, tubam canere ante se, & fœlicitatem suam prodere, ac suis fratribus insultare videretur. Quasi diceret: præstat deplorari, vt mortuum, quàm OSTENTARI VT VANVM. Scilicet iactari potius tristitia patrem permisit, quàm iactaret se. Qui tuba ante se canit hostis est sui.

Cur cum non semel Iacobo Deus apparuerit, non legitur apparuisse illo tempore, quo Ioseph in Ægypto patre nesciente, degebat? Frequentissimè, inquit pius ille auctor, Deus apparuit Iacob; ac cum Ioseph in Ægyptum venditus esset, pro illo tempore ei nunquam apparuit: nam si illi se manifestaret, quid de Ioseph esset factum reuelaret, & Deus voluit, vt ad tempus DOLOREM ad sui meritum sustineret.

Dixit filijs suis, quare negligitis? audiui quod triticum venundatur in Aegypto.

1030 QVare negligitis? Ex hebræo alij vertunt: *Quare aspicitis?* Sed res in idem resilit. solent quippè homines pigri, cum aliquid agendum instat, se se mutuò intueri, ac spectare quis primus operi manum admoueat, à quo interim amouere suas quisque studet.

Descendentes igitur fratres Ioseph decem, vt emerent frumenta in Aegypto.

AD Iosephum pro frumento ierunt eius fratres, & apud illum multa fuere passi; nimirum qui Iosephi somnia expauerant, in vera incidunt mala; sic ferè accidit, vt qui timet non timenda, & non fugienda fugit, veris crucietur malis.

Quærat hîc non iniuria aliquis, cur decem mittantur in Ægyptum filij à Iacob, cum pauciores satis rei conficiendæ essent; & non duo cum famulis sufficerent? Plures huius rei causas

fas assignat Salianus: An id factum, inquit, vt possent consilio sibi adesse inter barbaras gentes, & si vsus foret, vim vi repellere, latronibus vias in fame percursantibus; Agarenis etiam, & Arabibus, per quos erat transitus, ex rapto viuentibus; Itaque plures etiam amici, aut vicini confluebant, & simul conficiebant iter. Nam mox dicuntur Iacobitæ ingressi in Ægyptum cum alijs, qui pergebant ad emendum. Et nunc quoque solemne est in plerisque Asiæ locis, præsertim incultioribus, & longinqui itineris, vt plures mercatores conueniant, cum camelis suis, & mercibus, vt simul iter conficiant, & sese à feris, & ferinis hominibus tueantur, eas turmas vulgo carouannes appellitant? An vt eo maiorem ipsis copiam frumenti exportare liceret, quo plures esse probarentur? An quia singuli suas sibi familias habebant, quibus seorsim consulerent; & per se ipsos malebant, quam per fratres sua tractare negotia? In cuius rei signum, infra redditur cuique pecunia sua; nec quasi communis, in vnius tantum sacco deponitur. Sed vrgebat in primis diuina prouidentia quæ manipulum iam erexerat, quem circumstantes cæteri omnes adoraturi erant. A qua etiam profectum est, vt Beniamin retineretur domi, vt fabula, quæ exhibebatur, maioribus turbis implicaretur, in pœnam fratrum plagiariorum.

Et Ioseph erat princeps in terra Aegypti, atque ad eius nutum frumenta populis vendebantur.

ADeo vt etiam ordo in tritici venditione seruaretur; nec vni licebat emere, nisi quantitatem Ioseph probasset, ne scilicet aliqui præter necessitatem in magna copia cum aliorum damno emerent. *Non vendebatur*, inquit Abulensis, *ibi aliquod cuiquam sine hoc, quod prius iret ad Ioseph, & sciret de qua terra erat, &* QVANTVM EMERE VELLET, *tunc ipse taxabat quantum ei dari deberet, & accipiens ab eo pecuniam dabat ei frumenta in ciuitate, in qua tunc stabat, vel dabat ei litteram ad præpositum alicuius ciuitatis roboratam nomine suo, vt daret ei tot mensuras tritici.*

Cumq; adorassent eum fratres sui.

1031 NVnc adorant, quem tam hostiliter aliàs insectabantur; à fame, ab afflictione humiliorem mentem potuerunt bibere: *Filij Iacob*, inquit bonus ille auctor, *didicerunt adorare Ioseph vel maxime exosum* MAGISTRA FAME; in famis schola eruditi quàm sublimiter sapiunt.

Adoratores fratres habet, quos passus persequutores fuerat, & subditos Ægyptios; nihil est adeo sublime, quò adspirare, qui dura æquò animo patitur, non possit. Pulchrè Sanctus Isidorus Pelusiota: *Fratres in potestate habuit: ac non modò eos vt hostes, minimè vltus est, idque cum ipsis ignotus esset, verum etiam vt de se præclare meritis vicem rependit. Aegypti imperium administrauit: atque ob sapientiam, ac morum facilitatem, mirificis laudibus in cœlum ferebatur, ac per omnes ætatis gradus trophæa trophæis copulabat; quæ cum ita sint nemo in rebus acerbis, & calamitosis animum deijciat: verum probitatis semen foueat, atque excolat: atque omnino, vel in hac vita; vel in altera effulgebit.* Sic ille lib. 2. epist. 49.

Recordatusq; somniorum, quæ aliquando viderat, ait, ad eos.

SOmniorum recordatum audis Iosephum, cur non potius iniuriarum, quibus affectus à fratribus fuerat? An vt doceret æquo animo ferendas iniurias, & obliuione sepeliendas offensas? Id quod hîc obseruans Oleaster aiebat: *Non dicit eum memorem venditionis, aut mortis sibi intentatæ, sed somniorum: vt nos doceat, non esse memores, sed* OBLIVIONI TRADERE INIVRIAS *fratrum nostrorum. Cum ergo eum: qui te grauiter læsit: ante te deiectum videris; non recorderis malorum, quæ ipse tibi fecit, sed beneficij diuini: quo eum coram te humiliauit.*

Exploratores estis, vt videatis infirmiora terræ venistis.

TErræ infirmiora, qui considerant exploratoris merentur titulum; hoc ad illos transferas, qui in alijs imbecilliora, infirmioraque notant, & quæ defectum aliquem sapiunt; hi exploratores dici possunt, qui capere, & deijcere proximum suum quærunt, cum deberent erigere, ac tueri. 1032

Tradidit ergo illos custodiæ tribus diebus.

IN vnum omnes fratres carcerem coniecit Ioseph, *vt mutuò se consolarentur*, inquit Salianus, vel etiam quod notauit Lippomanus, *vt mutuò affligerent se, sicut se & ad fratris venditionem* FVERANT EXHORTATI. Vt malitiæ videatur esse fastigium, cum quis alios ad malum inhortatur, vrget ad malum.

Sectio II.

Peccatum, vt semper mentem mordeat. 1033

Quam vtilis *pœnæ timor*.

Simeonem cur signatè detinuerit *Ioseph*, & in carcerem coniecerit.

Qui auocare à *malo* alios debent, graue supplicium subibunt, si id non præstent. 1034

Fratrũ concordia fouenda, vitanda *litigia*.

Christus nos quærit, non nostra.

Fratrum charitas, & concordia. 1035

Dolentium mos sua *damna* maiora putare, quàm sint.

Merito

Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum.

1033 MVlti anni præterierant, nec peccati memoria abierat: Vide, inquit Theod. in Catena Græca, conscius animus, quam se non possit absoluere vel LONGINQVITATE TEMPORIS. Plures anni erant, cum facinus hoc illi perpetrarant, & tamen eius adhuc memores clamabant, merito hæc patimur, quia peccauimus.

Pende quàm vtilis pœnæ timor sit, peccati memoriam excitat, & ad pœnitentiam allicit. Peritè rem, vt solet, expendit Sanctus Chrysostomus hom. 3 ad populum, vbi ait: *Cum illi iustum vendidissent, & tredecim anni præteriissent*, PVNIRI METVENTES, *& de vita timentes, peccati recordati sunt, & inter se dicebant: Certè in peccatis enim sumus propter fratrem nostrum Ioseph: vides quomodo timor ille ipsos peccati sui commonefecit? & quando peccabant quidem non sentiebant: quando verò puniri metuebant, tunc recordati sunt.*

En sanguis eius exquiritur, &c.

CVr hanc pœnam huic peccato potius adscribunt, quàm alijs? *Potest dici*, inquit Sanctus Thomas, *quòd hoc ideo factum est, tum quia eorum grauamini correspondentius; tum quia plerumque iusto Dei iudicio fit, vt illud crimen, pro quo pœna infertur, viuaciori remorsu memoria cordi se ingerat.*

Tollensque Simeon, & ligans illis præsentibus, iussit ministris, vt implerent eorum saccos tritico.

1034 CVr hunc potius detinuit, quàm alium? *Quidam dicunt*, inquit Sanctus Thomas, *quod ipsum specialiter detinuit, quia in venditione fuerat sibi magis infestus, quasi aliquam iustam pœnam ipsum per hoc exoluere faciens. Sed quia per hoc & si non re, tamen aliquam speciem expetitionis propriæ vindictæ habuisset: potest probabilius dici quod vnum de maioribus, & primogenitis voluit retinere in signum maioris infirmitatis, & iustitiæ rectioris. Noluit tamen Ruben, tum quia in eum fuerat præ omnibus pius, tum etiam quia venerabatur in eo primatum naturalis primogenituræ.*

Præ omnibus Simeon in carcerem mittitur, carcerisque legatur: Quia in venditione Ioseph cum deberet fratres à consilio nefario auocare, id non fecit: *Quoniam igitur*, inquit Sanctus Isidorus Pelusiota, *tuendi iuris causa ne vocem quidem mittere ausus est Simeon idcirco tanquam pro fratribus obsidem futurum, vinculis constringi iussit, non tam, vt de ipso supplicium sumeret quam, vt documentum ipsi præberet, ne posthac huiusmodi quicquam moliretur.* Præterea iustè id factum, quia ipse omnium maior se alijs non opposuit, cum in Iosephum insurgerent, Ruben enim, inquiunt, primogenitus aberat, & ipse patris vicem subibat.

Fratribus præsentibus ligari Simeonem iussit Ioseph, vt fraterna charitate commoti, *reditum accelerarent, & quam primum Beniaminum adducerent.* ait Sanctus Chrysostomus; vinculis tamen solutum, honesta custodia detentum, sunt qui censeant.

Quæret hîc aliquis cur non in electione fratrum reliquerit Ioseph, quis manere in vinculis deberet; An ne litigij, & discordiæ aliqua daretur occasio, se quolibet ab hac pœna eximente, & alterum obijciente? An quia, quod notauit quoque Salianus, contra fraternam charitatem fuisset, vt quisquam eorum alterum ad eam pœnam offerret, sed seipsum potius ad vincula pro communi causa paratum exhiberet: tum quia cum hæc esset quædam punitio, debuit ad iudicis arbitrium infligi: Et quidem in illum in primis, qui magis esset in culpa: Is erat Simeon, vt Hebræi dicunt, cuius illa verba fuisse volunt: Ecce somniator venit, venite occidamus eum, &c. Quibus consentit author Testam. Patriarch. in quo ipse Simeon ait se non contristatum ob hæc vincula, quod ea se iuste pati agnosceret. A qua sententia non abhorret Philo. Iubet, inquit, vinciri fratrem à grandissimo proximum; idque inspectantibus cæteris omnibus, quasi sibi ex aduerso oppositum. Nam inter complures, secundo penultimus opponitur, sicut primus vltimo. Et fortasse maxima pars culpæ in eo fuerat, quasi authore conspirationis nefariæ, qui cohortem fratrum animauerit, & ad odium incitauerit. Nam si fratri (Ruben) bene, clementerque consulenti, quo vno minor, cæteris erat grandior, suum adiunxisset suffragium, vix admissum fuisset facinus: præualente per consensum honore ætatis, & ordine, præsertim in tanti momenti negotio, (& Iuda in mitiorem partem inclinante) nunc maluità meliore parte ad deteriorem deficere, & in immitem duramque sententiam discedere, tanta contentione, vt eius ductu, hortatuque sine mora perpetratum sit impium facinus. Hoc est cur soli ex omnibus iniecta puto vincula.

Et reponerent pecunias singulorum in sacculis suis.

ET *reponerent pecunias*. Istuc ad Christum flectas, qui non pecunias nostras quærit, sed nos. *Fratres*, inquit Sanctus Prosper, *Ioseph dederunt pecuniam in emptione frumenti, sed eam accepto frumento receperunt, quia noster Ioseph* NON QVÆRIT NOSTRA, SED NOS.

Sic probabo quod pacifici sitis, fratrem vestrum vnum dimittite apud me.

FRatrem vestrum vnum dimittite apud me. Nullum nominat, designat nullum; sed cur 1035
non exspectata electione, ipse suo arbitrio Simeonem obsidem elegit? An quia non conueniebat inter fratres quisnam esset obses relinquendus, *nam vnusquisque*, vt ille ait, *pro se*

suffra-

ſuffragium ferebat, retineri cupiens in carcere, & capitis periculo exponi, vt cæteri alij libertate donarentur. Tanta inter illos vnio, & charitas vigebat. Huc ſpectat id quod Abulenſis habet: *Quia non videbatur fraterno amori conuenire, vt ipſi de ſeipſis determinarent, vnum magis quam alium vinculandum, ſed magit quilibet eorum ſe pro alijs offerre deberet*.

Abſq́; liberis me eſſe feciſtis, Ioſeph non eſt ſuper, Simeon tenetur in vinculis, &c.

ITane ſine liberis remanſerat, qui tot adhuc numerabat? Dolentium more loquitur, qui ſua damna maiora cenſent, quàm ex vero ſint. Opportunè Abulenſis: *Satis apparet*, inquit, *quod iſta propoſitio ſit* ALICVIVS DOLENTIS, *quia dolentes pro modico faciunt propoſitiones vniuerſales, vnde ſi paruum malum eis adſit, dicunt ſibi omnia mala adeſſe, ſi autem pauca bona deficiant, dicunt omnia bona deficere: ſic ergo Iacob, cum ſolum tres filios ſibi abeſſe computet, ſine liberis ſe eſſe pronuntiat, cum tamen ſuperſint adhuc nouem iſtis ablatis*.

CAP. XLIII. GENESIS

Expenditur, & illuſtratur.

Sectio I.

Paterfamilias oculatus in ſuorum cura ſit. 1036

Etiam *minimis* noſtris *obſequijs* Deus delectatur.

Filiorum modeſtia, & reuerentia in patrem.

Deo omnia tribuenda. 1037

Iratum hominem *placare* vt quid diuinum ſapiat.

Ægrè *principis* ſuſtinet titulum, qui *muneribus* ſe finit vinci.

Victima, & *conuiuij* nexus, & coherentia. 1038

Summa *victoria* ſe ipſum vincere in *iniuriarum* condonatione.

Calamitates manſuetudinem affricant.

Innocentia prolixo *ſermone* non indiget. 1039

Peccatores non *terendi*, ne deſperent.

Pater in *filios* influat tanquam ſol.

Conſumptiſq́; cibis, quos in Aegypto detulerant, dixit Iacob ad filios ſuos, &c.

DIxit Iacob ad filios ſuos. Patris exercet 1036 munus, familiæ indigentiam videt, & curat prouidere. Hoc ſolicitus in rebus ſpiritualibus paterfamilias præſtet, vt ſi, quod dicitur. Primus quo ſubditi egeant videat, & ſuccurrere ſtatim ſtudeat.

Non videbitis faciem meam, niſi fratrem veſtrum minimum adduxeritis vobiſcum, &c.

MInimum fratrem videre Ioſeph volebat: Hoc ad Deum etiam flectas, qui minimis noſtris obſequijs maximè delectatur; & cum magnis amat ſiſti. Vt aberret, qui minima negligit, ſpernit modica.

Si non interceſsiſſet dilatio, iam vice altera veniſſemus.

SI non interceſſiſſet dilatio. In Græco, & Chaldaico ſcribitur: *Niſi traxiſſemus moras*. Quam lectionem vtiliter Salianus verſat, dum ait: Ex quo intelligi poteſt filiorum MODESTIA, ET IN PATREM REVERENTIA; qui culpam tarditatis, & cunctationis, à parente ſene, in quo vno illo reſidere videbatur, ad ſe ipſos transferunt.

Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem, &c.

BEnè eſt, quod placabilem virum iſtum red- 1037 dendum credidit Iacob non à muneribus, quæ mittebat, ſed à Deo; non nimis ille donis ſuis fidit; vt inter Dei dona ponendum its dedonis ſentire, ita de Deo, vt omne bonum Deo tribuatur, expectetur à Deo, à Deo expetatur.

Nimirum iratum hominem placatum reddere, non eſt cuiuſlibet virtutis, eſt Dei omnipotentis, vt non ab re hunc titulum addiderit, cum de offenſo homine agitur, quem benignum, facilemque volebat. Opportunè Abulenſis: *Cum Iacob*, inquit, *peteret à Deo, quod ille Dominus Aegypti redderetur placabilis ſuis filijs, quibus antedurus apparuerat, vocat eum omnipotentem, quia reddere aliquem, qui erat iratus, vel in odio, vt ſit placatus & diligat, eſt mutatio voluntatis, & intellectus, & quia iſtæ duæ potentiæ excedunt corpus, nulla vis naturalis rerum elemētarium, vel corporearum cæleſtium, vel etiam ipſorum Angelorum poteſt influere ſuper iſtas potentias; ſed* AD SOLAM INFINITAM POTESTATEM PERTINET, *quæ eſt diuina, rectè ergo vocauit Deum omnipotentem, cum nullus poſſit illum placatum facere, mutando ſcilicet eius intellectum, & voluntatem niſi qui omnipotens eſt*.

Deus meus. Cur placandum virum potius à Deo & ſperat, & poſtulat Iacob, quàm à muneribus, quæ mittebat? An quia maiorem de- en

eo opinionem conceperat, quàm vt munusculis se fineret vinci? Ægrè principis sustinet titulum, qui oblatis muneribus superatur. Indicat quoque Iacob magnum aliquod facinus molienti ita humana admouenda auxilia, vt tota spes firma in Deo stet.

Occide victimas, & instrue conuiuium, quoniam mecum sunt comesturi meridie, &c.

1038 QVid victimæ ad conuiuium, quid ad mensam sacrificia? Nodum ita soluit Petrasancta, dum ait: Superest, vt dicamus igitur, translate hic vsurpari nomen VICTIMÆ pro cibis huius CONVIVII, in quo Ioseph diù, & pridem offensus à fratribus, veluti Sacerdos magnus clementiæ, & charitatis, operabatur eorum reconciliationi. Quasi hoc epulum foret sacrificium, & cibi eius victimæ pacificæ, Deo vtique acceptæ, qui profitetur se hanc misericordiam velle, & non ea sacrificia, in quibus offerat quis munus suum, & non reconcilietur antea fratri suo. Enimvero qui offensas benignè condonat, atque est blandus, & beneficus ijs, quos expertus fuerat in se immites, ac feros, huius animus sacerdos est, charitas ignis holocausti, ipsum beneficium, quod rependitur loco iniuriæ, est sacrificium; & eiusmodi oblatio ascendit procul dubio in odorem suauitatis.

Victima olim immolabatur post rem in bello fœliciter gestam; opportunè hic igitur victimæ nomen audis, vbi iniuriarum immemor Ioseph se ipsum vicit. In hac victoria, inquit idem Petrasancta, qua SEIPSVM ET ANIMVM SVVM VICIT Ioseph, & quæ est omnium difficillima, atque pulcherrima, obtineturque profligando desideria vlciscendi fraternas iniurias, quasi acies aduersas, & repugnantes menti, & charitati, in hac, inquam, victoria sui, Ioseph, veluti manu victrice, victimas occidit, dum cibos, & conuiuia fratribus, tanquam amitis, ac de se optimè meritis parauit, quibus vtpotè hostibus, & infensis, supplicia potius, in summa illa præsertim potestate infligere potuisset.

Oramus Domine vt audias nos, iam ante descendimus, vt emeremus escas, &c.

QVàm placidè, quàm mansuetè loquuntur! Et vnde hunc mansuetudinis hausêre spiritum? Calamitas & afflictio illum illis affricauit. *Vide*, inquit auctor ab aureo ore, *quomodo* CALAMITATES *fecerunt eos* MANSVETIORES. Afflictionis vento aliter, ac fieri in elementari vento soleat, non intumescunt animi, sed tumorem ponunt, mansuetudinem induunt, ac modestiam.

1039 Quam breuiter, ac succinctè causam suam agunt, seque ab omni criminis suspicione purgant! *Non habet opus innocentia*, inquit Lippomanus, PROLIXO SERMONE, *simpliciter & breuiter de ignorantia se excusant.* Malitia, & culpa varijs te tegit verborum teguminibus, vt veritatis faciem à iudicantium oculis subducat.

At ille respondit, pax vobiscum, nolite timere.

PAx vobiscum, nolite timere. Quàm benignè eos excipit. *Non durè*, inquit Lippomanus, *nec* ASPERE RECIPIENDI *sunt, qui peccata cognoscunt, & satisfacere volunt.* Non terrendi, ne desperent.

Pax vobiscum. Sed vnde illis, vt tot beneuolentiæ signis exciperentur? An patris precibus obtinuerunt, quod suis meritis haud essent consequuti? Pater absens corpore erat, sed virtute aderat, & in filios influebat, quidni eum soli Ioseph pariauerit, cum dixit se solem, lunamque vidisse se adorantem, sol autem etiam in longè posita vim suam effundit, & in inferiora influit. *Vide*, inquit Sanctus Chrysostomus, *quomodo* PRECES PATRIS OMNIA EIS PROSPERA FACIVNT, *& sicut ille eis apprecatus est, cum dixit Deus patris mei gratiam vobis det, ita omnia facta sunt, & præfectus domus etiam ante aduentum Ioseph omnem eis benignitatem exhibuit.*

Sectio II.

Eduxitque ad eos Simeon, & introductis domum attulit aquam, & lauerunt pedes suos.

SEd cur potius Simeonem ligauit, & tenuit, quam alium? *Respondetur*, inquit 1040
Beatus Dionysius, *quòd magis peccauit in Ioseph sua crudelitate, &* ALIOS INCITAVIT *contra eundem*. Qui cæteris in culpa præiuit, cæteris exemplum in pœna fit.

Sed à quonam vir Ægyptius hæc hospitalitatis officia didicit? An à Iosepho, qui hoc à suis acceperat? Tantas superioris exemplum etiam in externos vires habet. Huc nos vocat Lippomanus, dum ait: *Quod autem aquam pro abluendis pedibus attulit, pietatem hanc à Sancto Ioseph*

Ioſeph didicit diſpenſator, is enim Abraham, Lot, Iſaac, cæteroſque bonos auos ſuos Hebræos circa pietatis opera, lotionemque pedum aduenarum, atque hoſpitum, maximè intentos fuiſſe nouerat, ideoque & domeſticos ſuos EADEM AGERE *docuerat.*

Illi verò parabant munera, donec ingrederetur Ioſeph meridie, &c.

NOn ſatis eſt ferre munera, quæ offerantur, aptanda etiam ſunt, vt ſint gratiora. *Parabant* MVNERA, inquit Abulenſis, *parata in vaſis ſuis, nunc autem quando volebant dare ea, parabant honeſtiori modo, vt gratiora apparerent.*

Igitur ingreſſus eſt Ioſeph domum ſuam, obtuleruntque ei munera, &c.

SCilicet munera, quæ offeruntur, offerentium reuerentia, ac deuotione ornanda ſunt, nam hæc munerum eſt veluti anima, & forma. *Iſti*, inquit Abulenſis, *præſentauerunt* MVNERA, *eleuantes ea in manibus ſuis, vt cum maiori reuerentia data, acceptabiliora eſſent ſaltem ex deuotione offerentis, quæ apud generoſos animos recipientium magis valere ſolet, quam munera eius, quia munera propter perſonam accepta ſunt, perſona autem ex meritis muneris non acceptatur.* Quod ad illos transferas, qui munera Deo offerunt.

At ille clementer reſalutatis eis interrogauit eos dicens, &c.

1041 CVm tantam manſuetudinem Ioſeph præferret, reuerentiam tamen, ac cultum à fratribus exſculpſit, vt hinc colligeremus animi eſſe regij, honoris magnitudinem, cum manſuetudine miſcere, vt reuerentiam hic nexus pariat, non contemptum. Benè Rupertus: *Notandum*, inquit, *quanta fuerit in Ioſeph altitudo honoris, quanta maturitas, vel dignitas in illo* CVM SPIRITV MANSVETVDINIS, *quem pro vno dignationis ſuæ verbo, quo dixerat: ſaluuſne eſt pater veſter? Adhuc viuit? iterum adorauerunt incuruati.*

Et incuruati adorauerunt eum, &c.

ET *incuruati adorauerunt eum*. Hinc colligas quantas in filios patris exemplum vires habeat, nam vrbanitatis huius, quæ in filijs apparebat, cauſam aliqui reijciunt in id, quod à patre fieri in Eſau videtant. Ita Abulenſis hic: *Et incuruati adorauerunt eum. Hoc*, inquit, *fuit iterum.* HOC BENE DIDICERANT A PATRE SVO IACOB, *qui ſeptiès incuruatus adorauit antequam accederet ad Eſau fratrem ſuum, donec ille rueret in oſcula, & amplexus eſt, vt patet ſupra trigeſimo tertio cap.* Tàm facilè patris mores ebibunt filij.

Rurſumq́; lota facie egreſſus, continuit ſe, & ait ponite panes, &c.

LAuit faciem Ioſeph, ne fleuiſſe deprehenderetur, ne ſeruis affectum ſuum proderet, qui alioſum, ac debeant, dominorum ſuorum ſolent facta interpretari. Benè Oleaſter, oculos domeſticorum fugit, *quia animi debilitas* NON EST OSTENDENDA SERVIS, *ne te talem putent poſtea, qualem te viderint: ſerui enim tales dominos eſſe arbitrantur, quales ſemel viderunt ſi ſemel iratum iuſta de cauſa; ad iracundiam procliuem credent.* 1042

Ponite panes. Dum panes parari quærit, alios etiam cibos requirit, ſed qui delicias non ſaperent, *quod conuiuatori*, vt ait Philo, *non liberet vti* DELICIIS *in publica penuria.* Incongruum quippè eſt mollia principem quærere, & luxui litare, vbi omnes penuria premit.

Ponite panes. Panis nomine phraſi in diuinis litteris vſitata cibum omnem intelligit, niſi ab hoc conuiuio nimias delicias, lautitiaſque abfuiſſe ita ſignificatur, vt enim ait Philo, *Interim cibi non valde lauti apponuntur, quod non liceret vti* DELICIIS *in publica penuria.* Contra ac fieri in aulis ſoleat, à quibus nulla calamitas, penuria nulla delitias, luxumque proſcribit.

CAP. XLIV. GENESIS

Expenditur, & illuſtratur.

Præcepit autem Ioſeph diſpenſatori domus ſuæ, dicens imple ſaccos eorum frumento, ſcyphum autem meum pone in ore ſacci iunioris.

NOtandum hoc quoque eſt triticum multis datum, ſcyphum vni, vt ſciamus ſingulare beneficium eſſe, calicis Domini fieri participem. Sanctus Ambroſius nobis præiuerat, nam libro de Ioſeph cap. 11. ait: *Triticum multis datur, ſcyphus vni* 1043

non enim omnes, sed Propheta dicit: CALICEM *salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo*. Nimirum beneuolentiæ signum quoddam, pignus quoddam est tribulationis calice à Deo donari. Bonum nobis scyphum exhibet Petrus Cellensis lib. de conscientia, dum ait: CONSCIENTIA *bona est scyphus Ioseph, in quo augurari, & inebriari solet animus*.

Non casu accidit, quòd scyphum iussit Ioseph in minimi fratris saccum imponi; vt amore se ebrium ostenderet; Festiuè ille: Cum in saccum minimi natu fratris imposuisti cratetem, OSTENDISTI TE EBRIVM AMORE FRATERNO. Simulasti eo augurari te solitum, qui verè inauguratus eius insignibus regni.

Scyphus, quem furati estis, ipse est in quo bibit Dominus meus.

1044 FVrti fratres insimulat Ioseph, credo vt fratrum hac arte corda surriperet, & sibi vindicaret. Hinc illud illius: *Simulauit furtum, sed vt fratrum* RAPERET CORDA, & fur euaderet, qui fratres inuadebat vt fures. Laudabile furtum est aliorum corda surripere.

Qui responderunt, quare sic loquitur Dominus noster, &c.

Q*Vare sic loquitur Dominus noster*. Quare sic loquuntur, & ipsi, tam placidè, tam ab omni arrogantia alieni? *Quare Simeon*, inquit hic Beatus Dionysius, *& Leui, qui tam animosè, & acriter saeuierunt, & vlti sunt stuprum sororis in Sichimitas, tam molliter, & formidolosè locuti sunt, cùm de furto turpissimo tam euidenter, atque, vt ipsi senserunt, tam mendaciter arguerentur? Idem de Ruben primogenito, & Iuda viro audace, potest inquiri, & cur vndecim fratres dispensatori non restiterunt in campo? Respondetur, quod Ioseph sciens fratrum suorum audaciam atque ferociam misit cum dispensatore comitiuam robustam, immo vt aliqui putant, multitudinem armatorum: secundum Iosephum autem, multos equestres: ideò fratres non audebant resistere, nec loqui superbe.*

Quos scrutatus incipiens à maiore vsque ad minimum inuenit scyphum in sacco Beniamin, &c.

QVod de scypho in sacco Beniamin reperto hîc dicitur peritè ad eos, qui Eucharisticum Sacramentum sumunt; transfert Beatus Thomas à Villanoua, dum ait. *Domine da quod iubes, & iube quod vis, præsta quod poscis. Non inuenit in sacco Beniamin frater Ioseph aurum, nisi quod ipse posuerat: neque inuenies ò bone Iesu in pectore nostro bonum, nisi quod ipse præstiteris. Vtinam domine, vtinam in corporis nostri sacco gratia tua scyphum sacro huic frumento clementer abscondas, & pie inferas: hac lege, & conditione, vt in quo beatum furtum inuentum fuerit, tibi perpetuò mancipetur, & tibi seruiat in æternum: nam tibi seruire, regnare est.*

At illi scissis vestibus, oneratisque rursum asinis reuersi sunt in oppidum.

MIrum cur in Beniamin omnes non insur-
rexerint, cum in scelere eum deprehen- 1045
derint, aut saltem verbis non corripuerint, quoniam, inquit Honcala vt nubilum excutiat, inopinato infortunio adeo obstupuerunt, adeoque vehementi eruendi fratrem cura occupati sunt, vt velut elingues facti nihil in eum loquerentur. Nec mirum, Nam vt quidam veraciter inquit, paruæ curæ loquuntur, ingentes silent, cæterum iam proculdubio certissima charitatis in fratrem argumento prodibant: iam verissima pietatis in patrem signa manifestabantur: iam miserorum, & dolentium pro fratre viscera effundebantur. Quilibet enim illorum, vel in seruitutem redigi, vel vita priuari mallet, quam ad patrem sine filio ei dilectissimo reuerti.

Cur sic agere voluistis? an ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia?

ET quid est, quod adeò fratres torquet, affligitque Iosephus, antequam se illis manifestaret? An vt postea manifestatio maioris esset lætitiæ parens? Hac industria, inquit ille, vsus est Ioseph, cum fratribus suis, qui antequam se se illis fratrem eorum esse reuelaret, eos molestia affecit, volens vt furti accusarentur, atque ille, in cuius sacco scyphus repertus est, vinctus remaneret. Hæc autem omnia fecit, vt cum posteà eum fratrem suum esse cognoscerent, maiori lætitia afficerentur.

Ad qua ille respondit vos scitis quod duos genuerit mihi vxor mea, &c.

V*Xor mea*. Scilicet Rachel, & non erat
etiam vxor Iacob Lia? erat. Sed vxoris 1046
nomine Rachelem intelligit tanquam præcipuè dilectam; aut etiam quia de Ioseph loquens, eiusque matrem in medium producturus, non alia quam Rachel intelligenda erat vxoris nomine.

Ego propriè seruus tuus sum, qui in meam hunc recipi fidem, &c.

DIuinæ iustitiæ norma hîc apparet. Iudas in seruum se offert, seruituti se adijcit, cuius consilio in seruum Ioseph fuit venundatus, quod expendens Rupertus ait: *Quid hoc* IVSTITIÆ ORDINE PVLCHRIVS. *Nempe qui hoc seruitio se addicit, ipse est cuius consilio in seruum venumdatus est Ioseph.* Tàm mira diuinæ iustitiæ sunt inuenta, tàm aptæ diuinæ prouidentiæ sunt leges.

CAP.

CAP. XLV. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio I.

Quò quis maior, eò *patientior* esse debet. 1047

Aliorum *peccatum* non facilè *vulgandum*.

Cauere, qui *præsunt* debent, ne aliquid præstent, quo reddantur *contemptibiles*.

Viri magni aliorum *famæ* consulant. 1048

Perstricti, qui *Christum* pro modica delectatione *vendunt*.

Cognationis meritum quantum possit.

Leuiter *dura* ferunt Dei *serui*. 1049

Sancti iniurias suas facilè sepeliunt, & suas esse non putant.

Dei *serui* totos se in aliorum *vtilitatem* aptant.

Deum pœna sua, auctorem qui veneratur, homines *odio* non prosequitur. 1050

Quo sensu *pater* Pharaonis fit dictus *Ioseph*.

Non se poterat vltra cohibere Ioseph multis coram astantibus, &c.

1047 ENituit vbique Iosephi patientia, sed quod miteris, plus cum in regno esset, quàm cum in carcere. Pulchrè sic illum, sic istam efferebat Sanctu Zeno Veronensis serm. de patientia: *Ioseph patiens inuenitur è pascuo cum à fratribus rapitur: patiens, cum in puteum demittitur, patiens, dura cum hasta distrahitur, patiens in carcere,* IN REGNO PATIENTIOR, *patientissimus, desideratos cum fratres agnosceret: & vbi iactantia se non potest continere, positus in honore continuit. Cœlestis profectò est ista patientia, quam à suo statu non ærumna, non felicitas, non affectus potuit commouere.* Nimirum quò quis major, eò patientior esse debet, & in malis ferendis fortior.

Et nullus interesset alienus agnitioni mutuæ, &c.

NOluit extraneus adesse agnitioni mutuæ, ne scilicet fratrum peccatum aliorum exponeretur notitiæ: *Debebat*, inquit Oleaster hîc, *Ioseph ostendere se fratribus, quod non poterat facere, nisi ad memoriam reuocaret illis peccatum, quod in ipsum commiserant, & ne eorum peccatum* APVD EXTEROS DIVVLGARETVR: *omnem extraneum à se eiecit. Sic cum Dominus voluit arguere Iob, solum eum conuenit quem cum arguisset seorsum: in publico apud amicos commendauit. Non estis (inquit) locuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob. Mirabilis prudentia Domini, conuicerat ipse Iob: vt fateretur se stulte locutum, & apud amicos commendat eius locutionem rectitudinis. Sic etiam cum arguere voluisset Aaron, & Mariam murmuris in Moseh: eos ad fœderis tabernaculum seorsum ire præcepit cum fratre.*

Et nullus interesset alienus. Iure nec alienè hoc factum: *Ipse Ioseph*, inquit Beatus Dionysius, *vt moris est magnatum, erubuit coram extraneis vehementer plorare, nec prima facie voluit sua secreta pandere eis, præsertim qualiter venditus fuerat à fratribus, nè & fratres sui ex hoc coram Aegyptijs confunderentur, despicerentur, aut vexationem incurrerent.* Cauere qui præsunt, debēt ne aliquid præstent, quo reddantur contemptibiles. Alienos adesse noluit Ioseph, ne de eius grauitate aliquid deperiret apud Ægyptios; quod factum, si eum lachrymas fundentem, & amplexantem osculantemq; tenerrimè fratres conspexissent; Scilicet vir princeps ita affectui suo litare debet, vt dignitatem suam sustineat.

Non quod dedignaretur illos fratres ha- 1048
bere; viri enim sancti genus suum illustrant, non negant, sed ne illos confunderet, & peccatum illorum produceretur, itetque in Ægyptiorum notitiam, se ab illis qui aderant venditum, quod fuisset, si adfuissent cum dixit: *Ego sum Ioseph, quem vendidistis.* Viri magni alienæ famæ consulunt, aliorum nomini, noluntque propriam gloriam cum alieni nominis præiudicio publicari, cum commodè fieri id potest.

Et dixit fratribus suis; ego sum Ioseph; adhuc pater meus viuit, &c.

ADhuc pater meus viuit. Cur statim ad patris memoriam transit? *Cum dixisset,* inquit Beatus Dionysius, *Ego sum Ioseph, statim conuertit se ad memoriam patris sui, quatenus vehementiam inflammationis, ac alterationis sui cordis temperaret loquendo de patre, de cuius vita gaudebat. Nempe quod ait; Adhuc pater meus viuit? dixit non quasi ex dubitatione querendo, sed potius vita patris, & futura consolationi ipsius congratulando.*

Et cum accessissent propè, ego sum, ait, Ioseph frater vester, quem vendidistis in Aegyptum.

QVem vendidistis. Fratres fratrem vendidere, nos Christum dum peccamus. *Christum*, inquit Vgo, *vendidistis pro modica delectatione peccati: quoties peccas mortaliter, toties vendis Christum.*

Ego sum Ioseph frater vester. Hoc solo titulo lis omnis tollitur, impunis omnis dimittitur, nulla defensio producitur, tantum cognationis meritum potest. Peritè peritus ille auctor: In Beniamini sacculo argenteus Ioseph scyphus inuenitur. Stat coram præfecto anxius, de tur-

pi scelere conuictus, & necis, aut seruitutis reus. Iam Iudas Beniamini aduocatus, causæ merito diffisus, caput suum pro suo Beniamino deuouerat. Et cum acerbioris sententiæ fulmen omnes pariter extimescerent, aiens eo vsque ignotus Præfectus: Ego sum Ioseph frater vester, quem vendidistis in Ægyptum, litem prorsus dirimit: & nulla inuenti scyphi exinceps mentione facta, impunis, imò honoratior & auctior dimittitur. Esto, publica Beniamini accusatio nulla diluatur defensione; eccur nec mentio vltra fit, aut de Ægyptiacæ explorationis, aut de fraternæ proditionis reatu? An defensioni iustæ præcluditur aditus? an rei manifestationem, & causæ meritum præcurrit fratris nomen in Præfecto, & fraternitatis titulo absoluit? Opinor, affinitas cum Iudice, in Iosepho iustè, & si præpoperè; in alijs sæpè iniustè, & si tardius, cognatorum impunitas, & innocentia est, Ego sum Ioseph frater vester, ait Ægypti Præfectus, quo vno verbo, & furti, & perduellionis iactas suspiciones eximit, & fraternæ proditionis crimen detergit: & quos manifestum crimen, vel manifesta criminis fama seuerius accusat, arctior cum Præfecto cognatio indulgentius excusat. Serò Beniaminus doli manifestatione, à reatus fama eximeretur, qui Præfecti fratris vocabulo ocyus absoluitur.

Nolite pauere, neque vobis durum esse videatur, quòd vendidistis me in his regionibus.

1049 NEq; durum vobis videatur. Quod à fratribus Iosepho dicendum esset, hoc ipse fratribus dicit, ne durum illis videatur, quod eum in Ægyptum vendiderint. Nimirum iustis non est durum dura pati, est leue, est suaue, condit omnia Dei voluntas. Hæc iustorum lenitas, & magnanimitas, ita illatas iniurias ferunt, vt inferentium misereantur potiùs, quàm sui.

Ioseph ea verba ad fratres habet, quæ potius ipse audire à fratribus debebat; dicendum potius Iosepho, ne durum ipse putaret, quod à fratribus esset venditus. An sancti ita INIVRIAS SEPELIVNT SVAS, vt potius eis compatiantur, qui eas intulerunt, adeo à vindicta sunt alieni.

Pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in Aegyptum, &c.

CVr non potius ob Iosephi gloriam in Ægyptum ire Iosephum Deus voluit? voluit. Sed hæc iustorum virorum consignatio, vt totos se in aliorum vtilitatem, ac commodum natos credant, vt ipsam quoq; gloriam, ad quam Deus eos extulit, sibi datam credant, aliorum potius causa, quàm sui, sicque maiori sunt gloria digni, quò promptius gloriam suam ad aliorum salutem dirigunt.

Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.

NOn fratrum accusat inuidiam. Nimirum qui pœnæ suæ auctorem Deum non fatetur tantùm, sed & veneratur, exequutores non odit: Quare, inquit probæ notæ auctor, Deum suæ pœnæ auctorem veneratus; nec in FRATRES ODIO LABORABAT, nec seruitutis molestias sentiebat. 1050

Qui fecit me quasi patrem Pharaonis, & dominum vniuersæ domus eius, &c.

ET quî patrem Pharaonis fuit Ioseph? An quia fuit illius rector, quia à consilijs illi fuit; quæ patris sunt munia erga filios, vt patris non sustineat partes, qui vtilia, & salubria filijs consilia non præbet. Poterat sapientiam suam efferre Ioseph, qua ad tantam dignitatem euectus fuerat, sed omnia suppressit, vt humilitati litaret.

Sectio II.

Et habitabis in terra Gessen, erisque iuxta me, &c.

PAtriarcha Ioseph procul ab aula fratres suos viuere voluit, in terra nimirum Gessen, quæ est in extrema Ægypto, & terræ promissæ vicinior, vt quo longius ab AVLA pharaonis, & eo securius viuerent, & magis à corruptissimis aulicorum moribus alieni essent. 1051

Cumq; amplexatus recidisset in collum Beniamin fratris sui, flenis, &c.

PRius amplexatur Beniamin, quia magis eum consternatum viderat. *Frater iunior*, inquit Lippomanus, *veterinus pro scypho verecundior, maximeque consternatus erat, ideo illum familiarius,*

rius, & imprimis consolatur fletibus pietatis, & gaudij. Scilicet præcipuè erigendi, quos magis consternatos videmus.

Auditumq́; est, & celebri sermone vulgatum in aula regis, &c.

FAma nimirum detulit, quod sonus non potuit; audierunt Ægyptij, *non vocem fletus*, inquit Ferus, *sed famam, quod scilicet fleuisset.* NIHIL VELOCIVS FAMA, *tegi, & occultari non potest, quod à magnatibus agitur, siue bonum sit, siue malum.*

Et ego dabo vobis omnia bona Aegypti, vt comedatis medullam terræ, &c.

1052 VT *comedatis medullam terræ*. Benè ille terræ medullam comedunt, qui inferni cogitant cruciatus. Festiuè ille ad mores flectens, licet à litterali non nihil deflectens sensu: Est etiam MEDVLLA TERRÆ TARTARVS, flammis, velut clibanus, incensus, quoniam in medio terræ est. Hanc medullam comedat Christianus, & consideratione velut dentibus proterat, si vult Ægyptum fugere. Qui tartareos considerat rogos igne flammantes, Ægypti porros & cœpas non curat: medulla hæc terræ est amara, sed si comedas, est salutaris.

Dimisit ergo fratres suos, & proficiscentibus, ait: ne irascamini in via, &c.

NE *irascamini in via*. Cur ab ira fratres auocat potius quàm ab alio vitio? An quia expertus erat huic affectui fratres obnoxios? Nihil aliud, boni auctor sunt verba, in mandatis accipiunt, quàm ne irascantur, & tamen fratres erant, & eodem patre progeniti, frequens enim est malum iracundiæ inter homines, quòd etiam IVRA FRATERNITATIS DISSOLVERE CONSVEVIT, vnde hoc præcipue illis mandat. Meminerat etiam odio exarsisse quondam in ipsum Iosephum; quapropter monet, vt antiquos mores, & immite ingenium deponant.

Ne irascamini in via. Benè est, quod crimen anteuertit; sed cur ab ira fratres reuocat Ioseph? An quia in illam illos esse propensos nouerat? An quia conijciebat eos, ex ijs quæ acciderant rixas facilè excitaturos, alios culpam in alios referentes. Procopius sic loquentem Iosephum facit: *Non contendatis, in itinere, mutuo vosmetipsos accusantes, & culpantes propterea, quæ crudeliter in me patrastis, timentes quo ore, quaue fronte illa enarrare velitis parenti.*

Et nuntiauerunt ei dicentes Ioseph filius tuus viuit, &c.

IOseph *filius tuus viuit*. Vixit, dum libidinem, dum mulierem impudicam vicit. *Si potuisset*, inquit Origenes, *vinci à libidine, & peccare cum vxore Domini sui, non puto, quod hoc à Patriarchis nunciatum de eo fuisset patri eius Iacob: Quia filius tuus, Ioseph, viuit. Hoc enim si fecisset, sine dubio non viueret.*

Cumq́; vidisset plaustra, & vniuersa, quæ miserat, reuixit spiritus eius, &c.

REuixit *spiritus eius*. Nimirum ibi viuit spiritus, vbi diligit, & anima ibi animat, vbi amat. Quoniam igitur, inquit Petrasancta, Ioseph imaginario funere, iuxta fratrum narrationem pridem obierat, iam tum spiritus Patris cum eo penè excesserat è viuis, si minus re ipsa, mœrore saltem, & fletu sepultus. Iterum cum eo superstite, reuixit, & cum luce gloriæ eius, post obscura narrati funeris ipsius, ad vitam, reluxit. Ostendebant filij munera, quæ Ioseph ei miserat, sed ipse: si viuit Ioseph, inquit, hoc sufficit mihi: cætera huic vni gaudio posthabuit. 1053

Iacobi spiritus reuixit audiens Iosephum viuere; nimirum non numerabat filios, sed expendebat, nec filiorum multitudinem ita spectabat, vt probitatem. *In eo tantum*, inquit de illo Rupertus, *agnoscit se patrem, si* FILIVM RELINQVAT *post se, qui* IVSTITIÆ CONSEQVITVR HÆREDITATEM. Alioquin sine hæredibus abire videtur, qui tales hæredes non relinquit.

Sufficit mihi si adhuc Ioseph filius meus viuit, uadam, & uidebo illum antequam moriar.

IVstius ad Iesum quisque hoc flectet. Flexit Guarricus, cuius hæc mellea sunt verba: *O vocem fidelem, & planè dignam amicis Iesu! Sufficit mihi, si Iesus viuit; si viuit viuo, cum de ipso pendeat anima mea, ipse sufficientia. Imò desint omnia alia, nihil interest mea;* DVMMODO IESVS VIVAT. O idem affectus easdem voces ab omnibus eliceret; idem omnes loqueremur, sentiremus idem! Pergit pius abbas: *Cum sic amor Christi totum absorbuerit affectum hominis, vt immemor sui, non nisi Iesum Christum, & ea, quæ sunt Iesu Christi sentiat. Huic vtique, qui sic affectus est, non est onerosa paupertas, iste non sentit iniurias, ridet opprobria, contemnit damna, mortem lucrum deputat, imò nec mori se putat, cùm magis de morte ad vitam transire se sciat.*

CAP. XLVI. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Peregrinatio, vt ineunda. 1054
Inter *malos illæsum* quempiam viuere, magni res moliminis.
Terrenarum rerum copia, ac terrenæ *delicie* magis timendæ quàm persecutores.
Diuinæ *voluntatis* directione, & *obedientia* merito omnia sanctificanda. 1055
Mortis obiectus fortes nos reddit.
Legationis munus cui committendum.
Amor festinos reddit, quos corripit. 1056
Sanguinis nobilitas ignobilis sine bonis operibus.
Prauæ *consuetudinis* vis quàm magna.
Non *hominum*, sed *Dei gratiam* quærere debemus. 1057
Malos facilè *imitatur*, qui inter illos viuit.

Profectusq; Israel, cum omnibus, quę habebat, venit ad puteum iuramenti, & mactatis ibi victimis Deo, &c.

1054 MActat victimas antequam in Ægyptum iret, vt se contra omnia discrimina præmuniret; idem præstare debent, qui peregrinationem aliquam sunt inituri, aut aliud præstaturi. Sanctus Chrysostomus huc nos vocat: *Cum venisset ad puteum iuramenti, preces, quibus gratias agebat, obtulit Domino, & sacrificauit sacrificium Deo patris sui Isaac; hac audientes discamus quando quid facturi, vel negotium aliquod cæpturi, vel* PEREGRINATIONEM SVSCEPTVRI SVMVS, *vt offeramus Domino sacrificium precũ, & eius adiutorium inuocemus, & sic institutum aggrediamur, imitantes illorum iustorum pietatem, sacrificauit sacrificium Deo patris sui Isaac.* Sic ille hom. 65. in Genes.

Ait illi Deus, ego sum fortissimus Deus patris tui, noli timere, descende in Aegyptum, &c.

CVr nunc præcipuè se *fortissimum* Deus vocat? vt omnem timorem à Iacobo submoueret; scilicet tunc se maximè fortissimum Deus exhibet, cum inter malos quempiam sinit viuere, & illæsum à malorum malitia illum seruat.

Cur in Ægyptum descendere timebat Iacob? An plus à terræ amænitate suis timebat prouidus Patriarcha, quàm ab inhabitantium sæuitie? Timebat, inquit nobilis ille auctor, filijs suis AMÆNITATEM, FÆLICITATEMQVE ÆGYPTI, vt videri potest apud Iosephum 2. Antiq. cap. 7. Ac si terrenarum rerum copia nocentior nobis, quàm persequentium crudelitas sit.

Descende in Aegyptum, Et non erat paratus Iacob ad exitum? Et non Iosephi videndi cupiditas ita excitabat senem, vt Dei monitu, & iussu indigere non videretur? An indicare Deus voluit, ea quæ à nobis ex proprio libito præstanda, diuinæ voluntatis directione sanctificanda, & obedientiæ merito ditanda? 1055

Ioseph quoq; ponet manus suas super oculos tuos, &c.

QVàm opportunè Iacobum in Ægyptum iturum muniuit Deus, indicans illum ibi moriturum; vix poterat fortiorem contra discrimina eum reddere, quàm mortis obiectu; vix Ægyptios ebibere mores potest, licet in mundi quis Ægypto viuat, si se cogitet moriturum.

Misit autem Iudam ante se ad Ioseph, vt nunciaret ei, & occurreret in Gessen, &c.

CVr ad hoc munus non potius Iudam destinat Iacob, quàm alium ex fratribus? Iacob, inquit bonus ille auctor, optimum habebat de Iudæ FIDELITATE EXPERIMENTVM, & quantum conatus est seruare Beniamin, ita vt ipse pro eo seruituti se offerret. Ideo ad hanc tanti ponderis erigitur legationem, quæ fidelem, & expertum optabat ministrum.

Vidensque eum irruit super collum eius, & inter amplexus fleuit, &c.

PRior vidit, prior & de curru descendit, non solum quia iunior, sed etiam quia amoris æstu maximè vrgebatur. B. Dionysius hîc: *Cum appropinquarent, descenderunt ambo de curru: & Ioseph, qui iunior, & velocior erat,* VRGENTE AMORIS ARDORE *cucurrit ad patrem suum, qui & ipse festinauit ad filium: moxque Ioseph stringere cœpit, ac osculari collum carissimi patris, ac vultum: qui se inuicem amplectendo, ac osculando, fleuerunt pra gaudio, gratias Deo deuotissimè referentes, qui tam piè ordinauit cum ipsis, ac taliter ipsos coniunxit. Et vt Iosephus refert, Iacob ex inopinata, & magna lætitia penè ad defectum mentis peruenit: sed recreauit eum Ioseph, quamuis nec ipse se continuerit, vt non pra nimia lætitia quasi tale quid sustinuerit.* Amor scilicet festinos reddit, quos corripit, & alas adijcit, quas torpor aufert, aut secat. 1056

Cumque vocauerit vos, & dixerit, quod est opus vestrum.

QVod est opus vestrum. Nulla generis, nulla nobilitatis facta est mentio, sed operis, hoc in nobis est præcipuum opus. *Non quærit,* inquit

inquit Vgo Carensis, *quæ dignitas, aut quæ* NOBILITAS GENERIS, *sed quod* OPVS. Sanguinis nobilitas ignobilis est, si bonis operibus destituatur. De opere Pharao sciscitatur, & multo magis Deus.

Respondebitis viri pastores sumus serui tui ab infantia nostra vsque in præsens.

VIri pastores sumus. Cur pastores, ex Iosephi monitu se vocant? *Hoc dicebat Ioseph*, inquit Abulensis, *ne Rex eos faceret bellatores; & eos tota vita hoc officium tenuisse, quia iudicaret eos inhabiles ad aliquid aliud*. Quod ad illos transferas, qui totam vitam in vitijs exegerunt, ab his enim aliud vix obtineas.

1057 Pastores se fatentur esse, nec enim Ægyptiorum quærere gratiam debemus, sed Dei. Aptè ille: Pastores fuerunt Hebræi, qui in Ægyptum descenderunt, esseque se pastores fassi sunt coram ipso Rege, & nobilibus: cum tamen scirent apud Ægyptios contemptibiles, & detestabiles esse pastores, videlicet viri sancti, vt PLACEANT ÆGYPTIIS, NON LABORANT, idest, mundi amatoribus: Deo maxime placere cupiunt; hominibus autem propter Deum.

Pastores se, vt dicerent fratres suos voluit Ioseph, ne scilicet cogerentur in aula manere, si aliud exercerent munus. Ab Ægyptijs multum suis timebat Ioseph, ne scilicet inanium Deorum cultum, & flagitiosum viuendi modum ibi seruarent, & quod est consequens, imitarentur.

CAP. XLVII. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio I.

Nihil negligendum etiam *minimum* si *Deus* offerat.

Extremos quoque fratrum suorum quinque viros constituit coram rege, &c.

PEr extremos minores, & infirmiores intelligunt Hebræi, & ex nostris probæ notæ interpretes. Sed cur hos potius, introduxit? Ne Rex, inquit scirus ille auctor, si robustos, & strenuos vidisset, eos in negotijs Reipublicæ occuparet, adeo curabat Ioseph fratres suos remouere ab honoribus, in quibus certum illis naufragium metuebat. Addo, potius hos quam illos introduxisse; vt Rex videns eos humiles, & contemptibiles, humili quoque, & contemptibilis loco natos arbitraretur. Adeo curant sancti viri suam HVMILITATEM, & ABIECTIONEM, & VERBIS, & FACTIS MANIFESTARE, quam mundi spiritus acti factis, verbisque occultant. 1058

Quos ille interrogauit, quid habetis operis?

QVid habetis operis? Nimirum regibus non placent, quibus otium placet. Benè Beatus Dionysius: *Ex hoc probatur, regibus non placere, vt inferiores sint* OTIOSI, *aut inutiliter occupati, sed aliquid faciant, quod ad bonum commune sit aliquo modo referibile.*

Quid habetis operis? Cum vidisset Iosephum adeo industrium non putauit Pharao eius fratres otio dumtaxat esse deditos. *Quid habetis operis? Hanc quæstionem*, ait Abulensis, *fecit Rex propter duo: primo, vt honorificaret Ioseph, quia volebat scire eorum officia, vt aliquos de fratribus eius sublimaret in officijs domus suæ, vel belli, sicut Ioseph sublimauerat. Secundo quia putabat Pharao*, QVOD SICVT IOSEPH ERAT VIR INDVSTRIVS NIMIS, ITA FRATRES EIVS ESSENT: *ideo volebat eos præponere officijs suis, & interrogauit officia eorum, vt præponeret eos domui suæ; vel rebus suis in illis officijs, quæ nouerant, quia putabat eos magis vigere in officijs, in quibus fuerant enutriti*. Vel ex Pharaonis mente, quæ in fratribus digna laude, imitanda à fratribus sunt.

Quoniam non est herba gregibus seruorum tuorum, ingrauescente fame in terra Chanaan, &c.

ET non defecerat etiam in Ægypto herba, præsertim cum pecoribus non legamus Iosephum consuluisse? si ergo gregibus herba defecerat in terra Chanaan, cur idem non sunt passi Ægypti greges? *Quoniam*, inquit hic Honcala, *sicut perhibetur ab eis, qui loca illa sciunt in multis Ægypti paludibus poterant pascua non deesse: etiam cum fames esset frumentorum: quæ solent Nili inundatione prouenire, magis enim dicun-* 1059

tur paludes illæ, & feracius pascua gignere, quando aqua Nili fluminis minus excrescit. Accedit ad hoc, quòd terra Gessen est humilior, & nonnullis fluminibus alijs à Nilo irrigatur: quò fit, vt sit cæteris Aegypti regionibus herbosior, ac subinde ingrauescente alibi herbarum penuria, esset ibidem pascuorum copia.

Et interrogatus ab eo, quot sunt dies annorum vitę tuę.

ALiter de hac vita Dei serui sentiunt, aliter homines mundi; *vita dies* Pharao quæsierat, *dies peregrinationis* respondit Iacob: quod Pharaoni est vita suauitatis plenum vocabulum, hoc Iacobo peregrinatio est, quæ vox molestiam, & calamitatem quandam sonat. Benè Porrecta: *Pharao*, inquit, *interrogat de vita annis: Iacob respondet de annis peregrinationis, quid dulcius vita? quid* AMARIVS PEREGRINATIONE? *quod ergò mundanus vir dulce protulit: sanctus vir amarum dixit.*

Respondit: dies peregrinationis meę centum triginta annorum sunt parui, & mali, &c.

PArui, & mali. Sanctus Ambrosius legit. *Minimi, & mali:* aitque ad explicatum libro de bono mortis cap. 2. *Iacob dixit, dies annorum vita mea, quos peregrinor, centum triginta, minimi, & mali: non quia dies mali, sed quia nobis accessu dierum* MALITIÆ INCREMENTA *cumulantur.*

Et cum etiam aliquos bonos habuerat dies?
1060 vitæ huius angustiæ, & ærumnæ tales sunt, vt bonorum temporalium, feliciumque dierum memoriam absorbeant. Pulchrè ille auctor: Ecce tibi dies vitæ suæ malos vocat. Sed certum est illi, & bonos etiam affulsisse dies, cùm primogenituram, & paternam benedictionem obtinuit, cùm Rachelem inuenit, cùm greges suos in dies augescere vidit, cùm ingentibus diuitijs cumulatus est, & filijs earum hæredibus circumdatus est. Hi non fuerunt illi boni, & clarissimi dies? Cur horum non meminit? Cur coram Rege saltem non ęstimat bonum diem illum, in quo aulam eius terebat, eiusque fauoribus permittebatur frui? Cur his omnibus prætermissis solam malignitatem temporis sui in medium adducit? Inter hæc bona multis fuit afflictus ærumnis, repetiti septennij seruitute comparauit Rachelis nuptias; luxit filiæ stuprum; & alia multa; quæ mala sic ABSORBVERANT BONORVM MEMORIAM, vt solùm malorum memineri t.

Prabe semina; ne pereunte cultore redigatur terra in solitudinem, &c.

QVod de frumento hîc dicitur ad doctrinam Vgo transfert, quæ prius in cibum sumi debet, quàm in alios seminetur. *Primos* inquit, *datur frumentum fratribus Iacob ad cibum, secundò ad seminandum: ille enim solus* SEMINARE *potest alijs, qui prius satiatus est in intellectu.*

Vt non sepelias me in Aegypto, sed dormiam cum patribus meis, &c.

IN Ægypto sepulturam noluit Iacob, vt mor- 1061
tuus quoque suis prodesset, hoc enim ille spectabat, scilicet, vt posteri ab Ægypti amore reuocarentur, & obliuione Ægyptum sepelirent, quod ægrè factum, si in ea sepultus ipse fuisset. Audiendus hîc Lippomanus: *Nolebat*, inquit, *sanctus vir extra promissam terram sepeliri, sed filijs suis omnibus testamentum, & monimentum esse in terra sancta, ad sequendum eius vestigia, & colendum vnum verum Deum, Creatorem omnium, quem patres credidissent. Neue posteri eius* NIMIVM TERRAM ÆGYPTI *diligerent, si illuc Patriarcham suum sepultum recordarentur, ob idque minus ardenter ad terram promissionis obtinendam anhelarent.*

In terra Chanaan sepeliri voluit. Cur de gleba illa sollicitus? vt gratum se vel minimis Dei beneficijs esse ostenderet, immo etiam post mortem. Terram illam Deus illi promiserat, non erat igitur, quod sperneretur. *Donum Dei,* inquit Rupertus, *qualecumque sit, siuè magnum, siue* PARVVM, *siuè cæleste, siuè terrenum pro honore, vel charitate dantis praciosum est, & esse debet in oculis sapientis.*

Sectio II.

Iuramentum, cur à *Ioseph* exegerit Iacob. 1062

Religionis munimine *iusti* se muniunt.

Sæpè *à filijs* negligitur, quod *patres* abeuntes iniungunt.

Qui *dura* fortiter ferunt, & à *fæmineis* illecebris se illæsos subduxerunt, plusquam homines videntur. 1063

Diuina *Sacramenta* adoranda, non *discutienda.*

Gratiarum actio vt Deo reddenda.

Cui respondit Ioseph, ego faciam quod iussisti, & ille, iura ergo, inquit, mihi.

VT quid iurari sibi Iacob præcipit, & 1062
non etiam sine iuramento credere potuit Ioseph? An id fecit, vt Ioseph iuramenti religione occurrere Pharaoni, eiusque seruus posset, si aliud vellent? *Ergo ne*, inquit Rupertus apud Lippomanum, *de obedientia filij pater diffisus est, nec aliter securus esse potuit, nisi iurasset? Non vtique sic, sed rationem in ore ponere voluit, quam in transferendo pa-*

do patrem haberet coram Pharaone, & seruis eius, compendio dicens, pater enim meus adiurauit me, suspicionemque fugeret, ne alienum ab amore terræ Aegyptiæ videretur animum gerere. Nimirum contra principes viros munire nos debemus, sic eorum suspiciones aboleamus. Addit Delrius: *Non diffidit filio, sed prabet* EXCVSATIONIS *postmodum coram Pharaone causam*. Plerumque Religionis se munimine iusti tuentur, vt maiori vinculo à minori se eximant. Aut etiam iuramentum exigit ab obsequente, vt maiori diligentia præstaret, quod etiam sinè iuramento præstitisset. Benè Abulensis: *Iura*, inquit, *mihi, idest licet ego credam simplicibus verbis tuis, tamen volo, quod iures, vt magis te obligatum esse perpendens hanc rem* DILIGENTIVS EXEQVARIS.

Cum à filio iuramentum exigit Iacob, docere tacitè voluit, facilè à superstitibus filijs negligi, quod parentes morituri iniunxerint; nisi aliquo Religionis vinculo teneantur. Hinc illud Oleastri: PARVM CVRANT FILII, *quicquid parentes iniunxerint, nouerat que hoc prudens senex, ideò filium iurare cogit implere, quæ vult*. Ac si Iosephi fidei Iacob non crederet, vt iuramento eum ligare studeat, ne liceat à promissis abire. An ad mortalium morem spectat, qui facilè illorum obliuiscuntur, quæ abituri præstanda reliquerunt? Variæ nimirum, inquit Faber, ab hæredibus quæruntur artes, & prætextus ad fraudandam testatorum voluntatem; quod benè prouidit Iacob Patriarcha, qui propterea moriens seriò adiurauit filium suum Iosephum, sub iuramento obtestans, nè se in Aegypto sepeliret, sed in sepulchro Patrum suorum, cùm ad id peragendum iter longum suscipiendum, & sumptus multi faciendi essent. Gen. 47. Sciebat solers vir propinquos ferè vnà cum sepultis maioribus suis etiam memoriam eorum, & obseruantiam, atque fidem erga eos sepelire, vt nec mandata adimplere magnopere curent, sed fraudibus eludant.

Quo iurante adorauit Israel Deum conuersus ad lectuli caput.

1063 ADorauit *Israel Deum*. Recensit hunc locum Apostolus in Epistola ad Hebræos, & legit: *Adorauit fastigium virgæ eius*; ac si diceret veneratum esse Iacob virgæ ipsius verticem, nimirum quia ea parte Iosephum tetigerat; Ita Diodorus: *Baculi*, inquit, *summitate tetigit Ioseph, eamque partem, quæ eum tetigerat, osculatus est*. Tanti nimirum illi faciendi, qui dura fortiter perpessi sunt, qui à fœmineis illecebris se absque vllo puritatis detrimento subduxerunt, vt sanctitatem quandam ab omni parte spirent. Scitè scitùs ille auctor: Magni, inquit, consilij vir Iacob, qui Iosephum suum tanquam quid venerandum, & humano maius contingit; sciebat enim quanto sufferentiæ decore ornatum, & illustratum Ioseph corpus in aduersis fuerit. Reueretur manus ferreis manicis innexas, à vindictæ macula innoxias, quæ vim intulerant nemini; pedes propter fictum, & concinnatum à veteratrice fœmina crimen compeditos neruo, collum annulo circumligatum ferreo: totum corpus afflictum, cæsum à fratribus liuore, & iracundia percitis. Omnia hæc baculo tangebat, baculumque labijs admouens, vt quid sacratum venerabatur. Nec mirum, quod apud Vulgatum Interpretem Iacob adoret Deum, apud septuaginta adoret virgam, quæ corpus Ioseph conuitijs impetitum, & vinculis ligatum tetigerat: etenim homo iniurias, & proba patienter sustinens tanquam alter Deus, vt sic loquar, venerandus, & exosculandus est. Est enim tam diuina afflictio, & hostis insectatio, quam vir iustus tolerat, vt TANQVAM QVID HVMANO MAIVS, cœleste, & diuinum veneranda sit.

Adorauit Israel Deum. Legunt aliqui: *adorauit summitatem virgæ eius*. Scilicet Diuina Sacramenta deuotè adoranda, non curiosè discutienda sunt: *Incuruare*, inquit Petrus Blesensis huc spectans, *& adora summitatem virgæ Iosephi*, ADORANS, NON DISCVTIENS SACRAMENTVM *incuruationis eius, quia factus est pro te, qui fecit, vt reficeret te*.

Cur ad lectulum potius conuertitur, quàm ad filium? Vt Deo gratias ageret, cognoscens à Deo venire, quod filius promiserat. Scitè Oleaster: *Crediderim*, inquit, *senem incuruasse se super ceruical quod erat ad caput lectuli, &* GRATIAS DOMINO EGISSE, *quod nactus esset, quod cupiebat nempè vt in terram, & sepulchro sepeliretur*. Ab hoc more abeunt, qui sibi, & hominibus tribuunt, quæ à Deo sunt.

CAP. XLVIII. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Cordi scribenda Dei *beneficia*, nostra in eum obsequia obliuione sepelienda. 1064

Deosculatio olim benedictioni præmissa.

Qui aduersis hîc premitur, vera fęlicitate tandem gaudebit.

Iustorum *modestia*, dum *virtutes* proprias non vident. 1065

Aurum, & Dei benedictio ægre cohærent.

Ferè negliguntur *beneficia*, quæ cum alijs *communia*.

Quod per *filios* geritur in *patrem* recidit. 1066

Pecunia arcui percutienti cur comparata.

Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quæ est in terra Chanaan, &c.

1064 CVr bona, quæ à Deo accepit prædicat Iacob? An vt in Dei amore posteros excitaret? *Sunt* PRÆDICANDA FILIIS, inquit Oleaster, *& nepotibus munera Dei, vt sciant Deum timere, & amare, & digni fiant, quibus conferantur res promissæ.* Dei dona recenset Sanctus Patriarcha, non labores, quos in Dei gloriam sustinuerat, vt exemplo suo doceret, quæ à Deo accepimus bona, altè cordi scribenda, & obliuione sepelienda, quæ in eius obsequium præstiterimus. Benè sua bona seruat, qui ea in hoc sepulchro ad custodiam locat.

Applicitosque ad se deosculatus, & circumplexus eos, dixit ad filium suum, &c.

DEosculatus, *& circumplexus eos.* Cur osculum, & amplexum benedictioni præmisit? *Ideo voluit*, inquit Beatus Dionysius, *pueros illos* DEOSCVLARI, ET AMPLEXARI ANTEQVAM BENEDICERET *eis, quia hoc moris tunc erat, & pater suus Isaac sic fecerat sibi, & item quatenus ex osculo, & amplexu adolescentum, charitate eorum accensus, cum ampliori affectu, ac magis deuotè benediceret eis.*

Et posuit Ephraim ad dexteram suam, idest ad sinistram Israel, &c.

QVod Iacob fecit decussatis manibus benedicens Iosephi filios, Dominum quoque in iudicio facturum asserebat Beatus Thomas conc. 2. de extremo iudicio; adeo vt qui hîc ad dexteram sunt, ibi futuri sint ad sinistram: *Qui* inquit, *in hac vita dexteram tenuerunt, ibi læuam tenebunt, & è contrario: Cancellatis enim manibus veluti Patriarcha Iacob populum suum Dominus iudicabit, præstat igitur ad* LÆVAM ESSE, *vt ibi simus ad* DEXTERAM, *ad sinistram futuri si hic ad dexteram simus.* Qui duris hic premitur, euehetur ad regnum, qui mundana, & extima fœlicitate hîc fulget, à regno timeat excludi.

Deus, in cuius conspectu ambulauerunt patris mei Abraham, & Isaac, &c.

1065 BEnedicturus Iacob filios Ioseph Abrahæ, & Isaac meminit, eosque extulit non se; quod sic expendebat, & efferebat Sanctus Chrysostomus hic: *Ipse benedicet hos pueros: & inuocabitur in eis nomen meum, & nomen patrum meorum, Abraham, & Isaac, & multiplicentur in multitudinem magnam super terram, vidisti simul, & intelligentiam, & modestiam? intelligentiam quidem, quia fidei oculis prauidens Ephraim prætulit Manassi:* MODESTIAM VERO, QVIA NVSQVAM SVÆ VIRTVTIS MENTIONEM FECIT: *sed ex probata patrum vita, & ex beneficijs in se collatis ipse preces fudit, & benedictionem filijs precatus est.* Hæc iusti nota, modestiæ velamine à suæ mentis oculis proprias virtutes subducere, & alienas videre.

Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, &c.

MIrum, quod nepotibus tam dilectis nihil temporalium bonorum dari iubet. Quasi auus, inquit bonus ille auctor, puero dilecto non mandat, vel vasculum, vel aurea crepundia; & hic bonus nil horum meminit, dum dilectos nepotes relinquit. Sane sapienter vbi illis benedictionem Dei imprecatur, cauet nec minimum auri munusculum, nec pecuniarum sagum meminisse quasi non benè conueniant AVRVM, & Dei BENEDICTIO.

Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.

EXtra fratres tuos. Tanquam singulare beneficium, ferè enim negliguntur, quæ cum alijs communia sunt, pluris facimus, quæ nobis solum conceduntur. 1066

Aliqui hoc referunt ad Sichimitarum cædem. Sed cur patri tribuitur, quod factum à filijs fuit? Auctor Catenæ græcæ: *Quamuis*, inquit, *Iacob conscius non fuit cædis, quæ sustulit Sichimitas, illi tamen, quod gestum est, adscribitur. Quod enim per* FILIOS *geritur recidit in* PATREM.

In gladio, & arcu meo. Numquid non pretium pro agro soluit, cur igitur gladij, cur arcus meminit? Dicendum, inquit bonæ notæ auctor, ex Diuo Hieronymo, gladium, & arcum hoc loco appellasse Iacob pretium, & pecuniam, qua agrum comparauerat: est enim reuera ARCVS VVLNERANS FRATERNVM AMOREM, *& gladius vnitatem proscidens.*

CAP. XLIX. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio I.

Be-

Benedictione sacerdotali priuatus timere quid debeat.

Quidquid in homine boni, totum *luxuria* profundit. 1069

Luxuria damna quàm magna.

Correptio ex zelo facta *benedictionis* loco habenda.

Sacerdotes qui contra se Christum armant puncti. 1070

Non *homines*, sed *peccata odio* habenda.

In distribuendis *muneribus* amoris, & *affectus* ratio non habenda.

Vacauit autem Iacob filios suos, & ait eis congregamini, vt annuntiem, qua ventura sunt vobis, &c.

1067 QVi futura se narraturum promiserat, cur in præteritis hæret? An quia filij indigni erant, qui diuina mysteria exciperent, vt proinde Iacobi decretum Deus immutauerit? Huc nos ducunt Sancti Isidori Pelusiotæ verba, qui ita scribit lib. 1. epist. 365. *Cum Iacob, qui futura se dicturum promiserat, præterita tantum filijs suis narraret; contra ea, quæ pollicitus fuerat, haudquaquam incedebat: verum Dei digito sensus ipsius tactus est. Nam, cum futuram ex ipsis diuinæ dispensationis incarnationem eis exponere constituisset; eorum, quia proposuerat, obliuione captus est, commutatis, videlicet, ijs, quæ nondum facta fuerant, cum ijs, quæ præterierant. Nam tu quidem, inquit Deus, cum mentem tanto mysterio dignam consecutus sis, haud abs re tibi quoque notitia ipsius credita est: at isti haud patri parem* PIETATEM *habituri sunt.* Nimirum indignis diuina mysteria non facilè manifestanda sunt. Vt videant filij quam grande malum sit, parentes non reuereri.

Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis, maior in imperio, &c.

EFfert, quem vituperaturus est, vt grauius correptione feriret. *Quod in initijs*, ait Origenes, LAVDIS EI ALIQVID ASCRIBERE *videtur, dicens: Tu virtus mea: idcirco fit, vt grauius vocetur in crimine; qui cum virtus patris haberetur, & initium filiorum, nescijt seruare reuerentiam patri.* Ita plerique quos premere volunt, euehunt, vt plus noceant, nam & casus illius grauior, qui in sublime euehitur, & in ima deijcitur, quo vitio detractores laborant, à quo tamen aberat Iacob.

Vides, vt prius efferat, quem reprehensionis ictu percutere volebat? Volens, inquit auctor ab aureo ore, accusationem magis intendere, prius dixit priuilegia ei à natura concessa, & dignitatem, quam tenebat, quod principium filiorum, & primogenituræ honore clarus sit, & postea voluntatis PECCATA illius, quasi in ænea COLVMNA inscribit. Magis enim deloquentis malitia apparet, si constet Dei donis à Deo fuisse cumulatum.

Principium doloris mei. An Iacob nullum 1068 alium dolorem senserat, & non prius ab Esau amaram persequutionem pertulerat? Rupertus: *Vnde*, inquit, *principium doloris mei? Ex eo quia effusus es sicut aqua ascendendo cubile patris tui. Hoc enim principium doloris eius extitit, non quod in nullo ante doluerit, sed quia verus dolor de plaga peccati, primum in domo eius de illo accidit*, deinde incrementum accepit de venditione filij.

Vtile est, quod ex pœna Ruben bonus ille auctor colligit, dum ait: Vindicta admissi sceleris semper est timenda, nam etsi sæpè lenta & sera, nunquam tamen irrita est. Ecce sceleris Ruben post quadraginta annos, quod fuerat ab eo patratum, & à Iacob dissimulatum, vindicta & pœna pronuntiata est.

Effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius, &c.

ADeo non creuit, vt diminutionem fuerit passus, benedictione sacerdotali priuatus, quod notabat Rupertus lib. 1. de gloria, & honore filij hominis, vbi ita scribit: *In generatione Iuda, & fratrum eius cessauit mos ille antiquus, quo eatenus primogeniti sacerdotio fungebantur. Ruben quippe, qui erat primogenitus, ipse peccauit, & propterea* BENEDICTIONEM SACERDOTALEM *non promeruit, imo diminutionem acquisiuit. Effusus es (inquit pater) sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius.* Et Sanctus Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 48 *Quoniam*, inquit, *Ruben in paternum lectum rapido quodam furore insilierat, propterea, nec Regnum, nec* SACERDOTIVM, *tametsi aliquis natu primus esset, consecutus est; verum Leui, qui tertius erat.*

Effusus es sicut aqua. Præceps in scelus ruisti, totum te in crimen effudisti; nimirum quicquid 1069 in homine boni totum eripit luxuria. Benè hîc Delrius: *Sicut cum aqua effunditur, nihil eius in phiala manet residuum, non color, non odor, non sapor. Ita* LVXVRIÆ PROFVSIO, *quidquid in homine rectæ rationis reperit*, TOTVM ABRIPIT, *& eripit iudicium, sapientiam, boni exempli curam.*

Effusus es, vt aqua. Cur dixit potius, *vt aqua*, quàm, *vt oleum*, aut alterius non meminit liquoris? An vt rectè luxuriæ damna significaret? Rem sic expendebat, & explicabat bonus ille auctor: *Quemadmodum aqua effusa nullum sui vestigium relinquit, sicut alij liquores solent relinquere, qui aut saporem, aut odorem, aut aliquid vasi inhærens, in quo fuerunt, relinquunt, aqua verò omnino præterit, nec sui vestigium relinquit. Sic homini hoc vitio delibuto, videtur ratio adimi, & iudicium, & quod nihil hominis in ipso homine remanet, honorem diuitiat, vitam, & (quod peius est)* ANIMAM, AC DEVM AMITTIT, *& ideo dicit, Sicut aqua effusus es.*

Simson,

Simeon, & Leui fratres, vasa iniquitatis bellantia.

Et quî singulas singulos benedictionibus benedicit, cum constet aliquos maledictione percussos? & duris increpatos verbis? An hinc colligitur ex zelo corripientis verba benedictionis cuiusdam loco ducenda? *Reprehensiones*, inquit hîc Beatus Dionysius, *quibus Iacob reprahendit tres filios suos seniores, non fuerunt propriè loquendo maledictiones, sed paternæ, iustæ, ac medicinales correptiones, ad filiorum suorum salutem finaliter ordinatæ, vt per eas purgati, expeditius saluarentur: sicque* VIRTVALITER BENEDICTIONES FVERVNT: *nec filijs, sed eorum vitijs maledixit, & pœnas, quas prædixit, imprecatus est eis potius tanquam remedia, quam velut supplicia.*

In consilium eorum non veniat anima mea, & in cætu illorum non sit gloria mea.

1070 Hoc quod hîc prophetice dicitur, ad pharisæos, & sacerdotes qui contra Christum se armarunt transfert Beatus Thomas à Villanoua, cuius hæc sunt verba; *Quàm benè Iacob Patriarcha istorum malitiam, & pertinaciam, & consilium hec pessimorum expressit in figura? nam cum morti appropinquaret, videns in spiritu hac omnia, ait Simeon, & Leui fratres vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu eorum non sit gloria mea: quia in furore suo occiderunt virum. Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum quia dura. Nam ex tribus Simeon fuerunt Pharisæi, & ex tribus Leui Sacerdotes, qui hodie congregati sunt in consilium contra Christum. Quorum consilium Patriarcha in spiritu detestatur, & pertinaciam incredulitatis. Quoniam visis tot. mirabilibus non sunt conuersi.*

Quia in furore suo occiderunt virum, & inuoluntate sua suffoderunt murum.

Suffoderunt murum. Legunt aliqui, *subneruauerunt taurum*, quam lectionem sic explicat Tertullianus libro aduers. Iudæos capit. 10. *In concilium eorum ne venerit anima mea, & in stationem eorum ne incubuerint iecora mea: quoniam in indignatione sua interfecerunt homines, id est, Prophetas, in concupiscentia sua subneruauerunt taurum, id est, Christum, quem post necem prophetarum interfecerunt, & neruos eius suffigendo clauis desæuierunt. Cæterum vanum, si post homicidium ab eis commissum alicuius bonis ipsis exprobrat carnificinam.*

Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura, &c.

Mirum quod furorem filiorum maledictione percussit, non ipsos filios. *Non ipsos maledixit*, inquit hîc Ferus, *sed furorem; non odiendi sunt* HOMINES, *sed* PECCATA. Ipsorum furorem maledixit, cur non ipsos? vt doceret odio habendos homines non esse, sed vitia, & ita in hominum scelera sæuiendum, vt in homines non sæuiatur, nisi quantum exigit eorum correctio.

Manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui.

Cur Iudam in regem constituit; quem serui adorarent, cum scriptura superius capit. 37. dixerit *Israel diligebat Ioseph super omnes filios suos*? An vt innuctet in tradendis muneribus affectus, & amoris non esse habendam rationem? *Quia*, inquit Rupertus, *in dandis benedictionibus, non suam, sed Dei voluntatem debuit facere*; NON CARNIS AFFECTVM, *sed spiritus instinctum sequi dignum fuit*. Errat, qui ab affectu carnis se sinit duci.

Sectio II.

Patris vera nota, & gloria *filios* habere probos. 1071

Virtutis ratio præcipuè in primatu habenda non naturæ.

Alijs in *bono praire* via ad *regnum*. 1074

Indignationis, & *inuidia* occasio præcidenda.

Omnis *spes* Ecclesiæ in *Christo* recumbit.

Spontaneum obsequium in suis Deus requirit. 1073

Populus sermoni alligandus.

Bonus *accubitus* ad *finem* cogitare, præsentia contemnere.

Nihil *laxum fluidumque* in nobis sit. 1074

Eucharistia cibus *Angelorum* esse, vt possit.

Dei *obsequium charitas* erga homines.

Pulchritudo in *Iosepho*, cur commendetur.

Bona *pulchritudo*, si ad bonum sit via. 1075

Bellicus appararus in fœminæ blandirijs.

Inuidi *inuidia* suæ *iaculis* se vulnerant.

Vera *fortitudo* in *aduersitatum* tolerantia sita. 1076

Catulus Leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti, &c.

Fili mi. Cum filios Iacob benediceret, non omnes filij nomine tituloque, insignit, sed solum Iudam, atque Iosephum, 1071
quasi, sic pius quidam auctor, *in* SANCTIORIBVS TANDVMMODO FILIIS *se parentem*

tem agnouerit, & patrem se esse tunc maximè gloriaretur, cum filios insigni probitate insignes haberet.

Iudas Ruben qui erat primogenitus posthabito, præfertur, *vt sciamus*, docti auctoris sunt verba, *non tam naturæ, quàm virtutis dotibus* PRIMATVM *deferri*; eosque alijs præferendos, qui alios virtutibus antecellunt.

Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est.

1072 NOn *auferetur sceptrum de Iuda*: Quid meruit hæc tribus, vt illi præ alijs regnum tribueretur? An quia huius tribus duces, ausi fuerint primi mare pertransire cum in exitu de Ægypto hoste à tergo ipsis imminente, apertus esset eis liber per mare transitus, mare diducto? Non erat, inquit Didacus Vega, qui auderet vadum tentare, atque primus in transitum illum se dimittere, cum illico ex familia Iuda Dux vnus Abinadab dictus arrepto vexillo in viam se demisit, quem mox subsequuti sunt vniuersi tribules sui; atque suo exemplo omnem exercitum docuerunt in Deo spem suam reponere, ac sic effugere sæuissimi hostis truces manus, eundem dimittentes delusum, atque suis frustratum conatibus, cum omnibus suis copijs, & curribus. Itaque ratione tam præclari huius facinoris, (ex Hebræorum traditionibus) MERVIT PRÆ OMNIBVS HONOREM illum tribus Iuda, vt ipsius, ceu hæreditario iure, esset purpura, sceptrum, diadema.

Cur non explicitè Regum, qui erant futuri, meminit? Noluit, inquit probæ notæ auctor, Sanctus senex verbis manifestis dicere de tribu Iuda Reges descensuros, sed obscure, & verborum ambagibus id pronuntiauit, ne occasionem alijs fratribus daret, vt in fratrem suum Iudam INDIGNARENTVR, sicut in fratrem Ioseph fecerunt.

Et ipse erit expectatio gentium.

PRonum fuisset dicere: *eum gentes expectabunt.* Sanctus Ambrosius libro de benedict. Patriarcharum cap. 4. vim huius formulæ expendens ait: *Ipse est expectatio gentium: plus dixit quam si dixisset ipsum expectant gentes: eo quòd omnis* SPES *Ecclesiæ* IN IPSO RECVMBAT.

Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, ô fili mi, asinam suam, &c.

1073 CVr non ad robur potius, similemque arborem fortiorem pullum alligauit, sed viti, quæ ita debilis, ac flexibilis? An vt hinc disceremus maximè spontaneum obsequium in suis cultoribus Deũ requirere. Festiuè Honcala hîc: *Et quidem*, inquit, *non* INVITVM, *sed* SPONTANEVM, *& appetentem, & pœnitentem, & Euangelio credentem eum populum sibi coagmentauit. Non enim ait, illum alligasse hunc populum ad robur aliquod, aut ilicem, quæ durissima sunt ligna, vt coactum, & renitentem detineret: sed ad vitam flexilem, & fragilem fruticem coniunctum sibi tandiu retineat, quandiu ille ab eo teneri voluerit.*

Et pullum alligauit vineæ: Idest simplicem, & infantem populum sermoni alligans, quem vocat allegoricè vitem. Fert enim vinum vitis, sicut *Verbum sanguinem*, vt ait Clemens Alexandrinus. *Accubans in terminis*. Bonus accubitus, qui ad meliora vrget; *In terminis accubare*, inquit Beatus Petrus Damianus serm. 41. *est, præstolato mundi fine*, REQVIESCERE, *nihilque de his, quæ nunc in medio versantur, quærere, sed vltima desiderare*. Benè accubat, qui finem cogitat, extrema considerat, nec præsentium rerum amore corripi se sinit.

Gad accinctus præliabitur ante eum, & ipse accingetur retrorsum.

GAd *accinctus præliabitur*. Accinctâm dum hanc tribum audis, nihil laxum, fluidumque cogita. Pulchrè ille: Mirum finem pectus generositate tàm amplum potuisse cohiberi, cinctu arctauit artus, sed latum voluit campum, constrinxit se, vt dilataret imperium: sed religauit auro, aduersarium ferro. Latus pressit suum, vt hostile premeret telo: nihil in se admisit LAXVM, præter motum magni animi liberum. 1074

Aser pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus, &c.

PRæbebit *delicias regibus*. Per reges potestates Angelicas aliqui intelligunt; Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 1. Glaphyrorum: *Dat*, inquit, *principibus alimentum. Dixerim enim, quod Throni, & Potestates, Principatus, & Virtutes, Angeli, & Archangeli adeoque omnis creatura sancta, & rationalis* CIBVM SVVM FACIAT CHRISTVM. Sed quâ cum incorporei Angeli sint Christum, Christique corpus edere possunt, & panem Eucharisticum in pectus demittere? nam de illo hæc solent accipi verba? Est quidem, inquit scitus ille auctor, Eucharisticus cibus viatorum non beatorum; faciunt tamen cibum suum; dum sine inuidentia, & liuore gaudent de summa hominis felicitate in participatione Corporis Christi; maxima lætitia exultant, dum cernunt eumdem esse Angelorum, & hominum alimentum. Christus in Eucharistia præbet delicias Regibus, idest Angelis, quia dum altari, & sacrificio assistunt, SPECIALI PERFRVVNTVR GAVDIO de immensa Dei erga homines charitate. Tanquam ipsi ederent, quod homines edunt, non edunt ipsi.

Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu, &c.

Decorus aspectu. Cum adeo fallax pulchritudinis sit nitor, cur in Ioseph commendatur? Vidit Iacob, inquit scitus ille auctor, cœlestes triumphos, quos Ioseph pulchritudinis occasione reportauerat, & non potuit non commendare filium à pulchritudine, sciens bona omnia tunc esse laudi bonis viris, cùm per illa ad OBTINENDA ÆTERNA EVOLARVNT. Non antea Iosephi PVLCHRITVDO LAVDATVR, ET COMMENDATVR, quam vbi per eius occasionem appetitus à fœmina, magnas de libidine, & de peccato victorias deportauit; quando autem tot victorijs, tot triumphis, tot virtutibus pulchritudo fuit occasio, meritò in præcelso viro à sanctissimo Patriarcha prædicatur. Pulchra fuerit & Ægyptia, ipsa non debuit à pulchritudine commendari, quia abusa hoc naturæ dono fuerat. Efferri pulchritudo corporis non debet, cum animæ pulchritudo per eam inficitur, & maculatur.

Et decorus aspectu. Quid Sanctus Patriarcha
1075 in Iosepho pulchritudinis commendat bonum, quod non magni fieri à magnis solet, atque etiam contemni? *Nunc*, inquit Rupertus in catena Lippomani, *quia decor aspectus eius causa* CERTAMINIS, ET VINCVLORVM, MAGNÆQVE FVIT VICTORIÆ *occasio, dignoscitur, & prædicatur filius fuisse decorus aspectu.* Bona est pulchritudo, & laudanda cum ad bonum est via, ad laudabilia dux. Pende verò non antea Iosephi pulchritudinem efferri, quàm vbi de fœmina, de peccato victoriam reportasset.

Filiæ discurrerunt super murum, sed exasperauerunt eum, & iurgati sunt, inuideruntque illi habentes iacula.

Scimus suis blanditijs Ægyptiam fœminam Iosepho struxisse insidias; quid hîc murus, quid iacula, quid bellicus apparatus? Lege totum, inquit nobilis ille auctor, quod ibi factum est, & solum inuenies domus secretum penetrale, mulieris lasciuæ blanditias; vbi murus? vbi iacula? Equidem sapientissimè Iacob, dum mulieris facinus intra domesticos parietes peractum vult repræsentare, bellica profert vocabula, dicens pro pariete murum, pro blanditijs iacula, sciens IN CONSVETVDINE FOEMINARVM NIHIL NON ESSE BELLICVM, *& ad perdendos homines aptum.*

1076 *Habentes iacula.* Et quando iaculis, quando sagittis fuere vsi? Beatus Dionysius hîc: *Habentes*, inquit, *iacula, quia sagittis* INVIDIÆ SVÆ VVLNERAVERVNT *imprimis spiritaliter semetipso, & ipsum Ioseph interficere optauerunt, verbaque detractoria, pungitiua, mendacia protulerunt aduersus eum, dicentes: Ecce somniator venit; Venite, occidamus eum.* Detractoria nimirum verba, licet nuda verba videantur, iacula sunt, & feriũt quem petunt, vt leuis præ isto telorum ictus sit,

Sedit in forti arcus eius, & dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum illius, &c.

A Fortitudine maximè Ioseph commendatur, *nam ex* CONSTANTIA VIRTVTIS *suæ*, ait Caietanus, *meruit exaltari à Pharaone.* Fortis fuit, dum omni tribulatione superior vicit se ipsum.

CAP. L. GENESIS

Expenditur, & illustratur.

Sectio I.

Quod cernens Ioseph ruit super faciem patris flens, & deosculans eum.

Rvit super faciem patris, vt pietatem 1077
in defunctos se erectam habuisse ostenderet, & habendam doceret. Pulchrè Dionysius Carthusianus: *Edocemur, quàm piè, & amorosè exhibere* SE DEBENT FILII, *ac filiæ ad suos parentes* MORIENTES, *ac mortuos.*

Præcepitque seruis suis medicis, vt aromatibus condirent patrem, &c.

Seruis suis medicis. Quid ad medicos pertinebat aromatis defuncti corpus condire? Medicorum est viuentium vitæ consulere, non mortua curare corpora. Etverò licet medicorum non esset corpora sepelire mortuorum, erat tamen ad sepulchrum parare, & cadauera condire, præsertim cum medici olim etiam chirurgi officio fungerentur. Denique Herodotus lib. 2. cum de varijs medicis ageret, ait: *Omnia referta sunt* MEDICIS. *Sunt certi ad hoc ipsum constituti, qui cum ad ipsos cadauer portatum est diligentissimè* CONDIVNT. Hinc mortui vnguentis deliniti, & arte à corruptione vindicati *medicati* dicebantur. Mela, *Aegyptij*, inquit, *arte medicatos intra penetralia collocant.*

Me-

Medicis. Vox hebræa pollinctores, funerumque curatores comprehendit, LXX. vertunt funeratores. Nisi quis dicat, magnum esse medicorum, pollinctorumque nexum, cum sæpè per illorum manus ad istorum eatur.

1078 *Seruis suis medicis*. Itane adeo medicos demisit, vt vocet seruos? non est hoc insolens, sed antiquis frequens. Apud Suetonium in epist. Augusti Imperatoris: *Mitto præterea cum eo ex* SERVIS *meis* MEDICVM. Et Seneca lib. 3. de benef. *Imperauit* MEDICO *eidem* SERVO *suo*.

Si inueni gratiam in conspectu vestro loquimini in auribus Pharaonis, &c.

QVæraT hîc iure aliquis, cur per familiares Pharaonem alloquutus fuerit Ioseph, & non per se ipsum; an id fecit, ne videretur ex passione, nimioque affectu postulare, quod postulabat? Benè Abulensis: *Nolebat*, inquit, *Ioseph rogare pro se immediatè, quia videretur ex passionali* AFFECTIONE *hoc agere: familia autem Pharaonis posset suadere*.

Sed cur non inscio Pharaone patrem sepeliuit extra Ægyptum Ioseph? An vt via murmurationi præcluderetur; neue quis diceret Ægyptum cordi non esse Iosepho, nec illum Ægyptiorum res curare? Hinc Rupertus lib. 9. in Genesim cap. 41. *Hoc vtiq; intendit, vt transferendo patrem vitaret Inuidiam*, PRÆCLVDENDO OS OBLOQVENTIVM, *qui fortè diceret, quia non diligit terram nostram*.

Eò quod pater meus adiurauerit me dicens; en morior, &c.

1079 QVàm nostri ab illa antiquorum puritate distant! non facilè reperias, illos dum testamentum conderent, aut certè verbis voluntatem vltimam exprimerent, de rebus temporalibus disposuisse, ac si vellent etiam tunc dominari, cum non essent, quod præstant nostri. De suo tantum corpore est solicitus Iacob, vt nimirum in terram Chanaan transferretur.

Quo ascendente, ierunt cum eo omnes senes domus Pharaonis, &c.

NImirum eò facilè aulicorum & affectus, & opera inclinatur, quò fertur principum animus, & amor. *Discamus*, inquit hîc Oleaster, *qualiter* AVLICI *ei in omnibus obsequantur, quem viderint Regi esse acceptum, & gratum*.

Fecerunt ergo filij Iacob sicut præceperat eis.

IVre hoc expressit diuina scriptura, vt cæteris daretur exemplum, ea præstandi, quæ præstanda parentes morituri superstitibus iniunxerint. *Discant hinc*, inquit Oleaster, *filij implere, quæ parentes in suis* TESTAMENTIS *mandarunt, quod rarò fit*.

Sectio II.

Filiorum obsequium in patrem. 1080
Diuinæ *vindictæ* genus beneficijs iniurias obruere.
Mortui quoque *iuuare* suos student sancti.
Christi resurrectionem, vt antiqui patres cogitarent. 1081
Mortis memoria, & cogitatio peccatorum frænum.
Dei *offensam* anteuertere *iusti* student.
Aulici mores ad *ostentationem*, & *adulationem* fabricati. 1082
Iosephum Ægyptij cur *fleuisse* non legantur.
Casti viri hymnis decorandi, non *fletibus*.
Mors vitæ respondet; *echo* vitæ mors est.

Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus, &c.

MIttunt fratres ad Ioseph, qui veniam peteret pro venditionis peccato. 1080
Mirum cur id pater non prius præstiterit. Abulensis: *Non curauit*, inquit, *hoc dicere Iacob, quia tantam cognouit* BENIGNITATEM *Ioseph, quòd non esset opus his admonitionibus*.

Nolite timere, ego pascam vos, & paruulos vestros consolatusque est eos, &c.

E*Go pascam vos*. Adeò à vindicta aberat Ioseph, vt & curam polliceatur, hoc vindictæ diuinæ genus est, beneficijs obruere, & superare, qui cum nos læserit lædi à nobis timet. *Concedit eis*, inquit hîc Liranus, *plusquam petebant, quia petebant solum remissionem, & ipse cum hoc premisit eos victualium prouisionem*. Se ipsos vincerent, se essent superiores mortales, si hac vindicta iniurias inferentes impeterent.

Asportate ossa mea vobiscum de loco isto.

ET cur non statim post mortem adsportari aliò iussit corpus suum, vt ab Ægyptijs longè esset, longè ab Ægypto vitiorum lue obsitâ? An vt & mortuus suorum commodo consuleret, & mortuus quoque viuentes iuuaret? Benè Liranus hîc: *Asportate ossa mea vobiscum; non enim*, inquit, *adiurauit eos, quod statim post mortem eius portarent illuc corpus suum, sicut portauerant corpus patris sui, & sicut portata sunt corpora fratrum suorum, vt dicit Iosephus: vt per hoc, quòd corpus Ioseph remanebat in Aegypto*, MEMO-

RIA

RIA BENEFICIORVM EIVS DIVTIVS REMANERET APVD ÆGYPTIOS, *& sic suauius tractarent filios Israel inter ipsos manentes*. Quàm ah hac mente abeunt, qui suis prodesse non curant, cum viuunt?

In Ægypto remanere ossa sua noluit Ioseph, sed curauit, vt in terram promissionis deferrentur, fors vt resurgeret cum Christo, quem præuidit resurrecturum. Tetigit istuc Liranus, cum ait: *Rè creditur, quod per Spiritum Sanctum* PRÆVIDIT CHRISTVM MORITVRVM, ET RESVRRECTVRVM *in terra illa, & per consequens multa corpora sanctorum cum eo resurrectura, vt habetur Matth. & ideo verisimile est, quod sperabat resurgere cum Christo resurgente*.

Non tàm de ossibus suis est solicitus Patriarcha, quàm de suorum salute; volebat scilicet ad mortem cogitare populum, ab hac cogitatione vitales sensus sperans. Benè ille! *Asportate ossa mea vobiscum de loco isto. Quid, obsecro, ò Patriarcha Sancte, ad rem facit, vt magis in illo, quàm in alio loco terræ manderis? propter commodum, & vtilitatem illorum id sanctus vir imperauit, quia videlicet magnam existimationem, quam erga illos habiturus erat intelligebat, idcirco eis inquit. Asportate ossa mea vobiscum, vt scilicet vestræ mortis memoria sint, & ipsa in conspectu vestro cernentes dicatis. Hæc sunt ossa illius potentis ac sapientis viri Ioseph, &* TANDEM MORTVVS EST, *quid de nobis erit? Nunquid & nos non moriemur?* Et hac mortis cogitatione veluti fræno cohiberentur, ne in pœnitenda excurrerent.

Asportate ossa mea de loco isto. Scilicet tunc quoque prodesse Ægyptijs voluit, cum obijsset, anteuertere cultum voluit, quem illi tanquam Deo obtulissent. *Ne Aegyptij*, inquit Sanctus Chrysostomus, *memores beneficiorum eius, cum pro more suo facile ex hominibus Deos appellent*, CORPVS IVSTI HABERENT IN IMPIETATIS OCCASIONEM.

Mortuus est expletis centum decem vitæ suæ annis, &c.

1082 MOrtuum Iosephum legimus, nec Ægyptios fleuisse Sacræ referunt litteræ, quæ tamen narrant septem dies Iosephi patrem plangisse. Vnde hoc discrimen ortum est? An quia ad aulæ morem patrem planxere in gratiam filij, qui Regis gratiam tenebat, filius non plangitur, quia post se non relinquit, cui blandirentur. Pulchrè ille aulicos mores pungens: Fleuerunt Ægyptij septem diebus Iacobum Patrem Iosephi, neque tamen legimus illos in morte filij plorasse, vt discamus fleuisse Ægyptios in morte Iacobi, non quod eorum pectus dolor vllus tangeret, sed quia care Iosepho filio, qui gratiosus erat apud Regem, & à quo fauorem in negotijs tractandis spetabant, blandiebantur. Quod cum cæteris hominibus, tum præsertim aulicis accidit. Hi quippe ei in omnibus obsequuntur, quem viderint Regi esse acceptum, & gratum. Iosephus autem moriens neminem in aula reliquit, cui placere vellent Ægyptij, luctu in eius funere exhibito. Atqui recens erat beneficiorum memoria, quibus ille voluntates omnium demeruerat, sed facilè quidquid pro communi bono feceris obliuioni traditur. Addit statim: Altera causa reddi potest Moses propterea in morte ploratu dignus erat, quia nec ipse terram promissam ingressus fuerat, in pœnam culpæ ad contradictionis aquas admissæ, nec legem condiderat, quæ illius cultores, cœlo statim apertis ianuis inferret. Atqui Iosue voti compos factus in terram promissam populum induxit, & Christi Domini re, & nomine typum præferrens perfectæ legis, qua iustis è vita emigrantibus cæli ianuæ aperiantur, dux fuit, & antesignanus. Huic ergo non lachrymis persoluenda sunt exequiarum iusta, sed gratandum potius pro maximo cum Christo Iesu, quem præfigurauit resurrectionis beneficio. Nihil ad perfectum adduxit lex: Idcirco Moses legislator in funere plorandus est. At Christi Domini & lex & opera in Iosue factis præfigurata, perfectionem continent, & in promissas iustis cæli mansiones, nos si boni æmulatores fuerimus haud dubiè inducet. Quidni? Lex per Mosem data est, gratia, & veritas per Iesum Christum. Claudit: Tertia est, quia viri sanctitate conspicui, & præcipuè, qui castitatis gloria cæteris eminent, non lacrymis in morte, sed hymnis decorandi sunt. Atque ob hanc rationem Sanctus Gregorius Nyssenus non esse plorandum in funere Pulcheriæ Augustæ definit. Quis vnquam in martyrum exequijs fleuit? Iustorum obitum, natalem vocat Ecclesia, & festo plausu celebrat; Nihil erat in Iosue, si illius persona spectetur, lacrymis dignum, in funere Mosis erat cur populus fleret, videbant eum ob culpam, ingressu terræ promissionis priuatum. Nil tale cogitari poterat in funere Iosue.

Mortuus est. Mori Ioseph potuit, Iosephi memoria viuet semper in viuis. Ne quære qualem obierit mortem; vitæ respondit, qualis vixerat, talis est mortuus. Echo vitæ mors est, benè qui mori cupit, non viuat malè. Claudo, & altè inclamo;

SEMEL VT QVIS MORIATVR BENE, NON SEMEL COGITET SE MORITVRVM.

Finis Libri Geneseos expensi, & illustrati.